

2129

CHEIRVRGIA
FRANCISCI
PECCETTII
COELESTINI CORTONENSIS

PHYSICI, ET CHEIRVRGI; IN QVA OMNIA,
Tàm ad huius artis Theoriam, quàm Praxim ſpectantia traduntur, & diligentiſſime explicantur in quatuor Libros digeſta.

QVORVM IN PRIMO AGITVR DE TVMORIBVS
Omnibus præter naturam, Tuberculis, & Excreſcentijs humano corpori euenientibus.

IN SECVNDO DE VVLNERIBVS GENERATIM, ET PARTICVLATIM
Incipiendo à capite, & ordinatim vſque ad pedes deſcendendo, & tàm à Sclopetto factis, quàm à quolibet alio Inſtrumento, ſiue venenato, ſiue non venenato.

In Tertio eadem ratione, & ordine de Vlceribus.

IN QVARTO PERAGITVR IN GENERE,
Et ſingulatim de Fracturis, de Luxationibus, & demum de Mittendo ſanguine; & qualibet in materia prò vtraque parte pulcherrimæ dubitationes proponuntur, & optimi ſoluuntur.

MARGINALES INDICES ITEM HVIC NOVO OPERI VBIQVE SVNT ADIECTI,
Et præter hos ſunt alij duo, Capitum alter ſingulorum Librorum, & alphabeticus rerum notabilium alter.

Cum Addictione Obſeruationum, & Cautionum Chirurgicarum.



TICINI REGII. M.DC.XCVII.

Apud Hæredes Caroli Franciſci Magrij, Impreſſoris Ciuitatis.
Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO COMITI REGENTI

D. LVCÆ PERTVSATO

Promeritiſs. Excellentiſs. Senatus Mediolani Præſidi,

Meoque Patrono Æternum Colendiſſimo.

SIRVS MAGRIVS S. P. D.



Eæ potius audaciæ attribuendum, quàm confidentiæ illuſtriſsime Præſes, quam me conſecutum eſſe videor, vt opus Chirurgicum Franciſci Peccetij meo genio impreſſum tuæ ineffabili benignitati conſecratum totus Orbis admiretur. Satis tamen pro me, qui inter famulos tuos ſatis vnum recognoſcis: Nihil vero pro te, qui omnium Sapientum iudicio & calamo, & enſe irradiare contendis. Quid ergò ſi tu mihi propitius; ego tibi humilis imploro, vt munuſculum hoc quod ſanè per quam exiguum eſſe non diffiteor, velis exiſtimare ex offerentis animo, qui totum ſe tuæ protectioni addictum gloriatur. Vale, & vt ameris. Ama.

Dat. Papiæ die 15. Februarij 1697.

BENIGNO LECTOR.

Reuiuiſcit ſub typographico meo prælo Cheirurgia FRANCISCI PECCETTI Phyſico Chirurgi, quam plures tum Medicinæ, tum Chirurgiæ ſtudioſi haberi ſuſpirant, & non ſtudere, ſed ſtuduiſſe illi adhuc exoptauit; admirabilem enim hanc artem recognoſcunt Omnes tanto Auctori affuiſſe ſummæ cognitionis coniunctam, quo ſine Chirurgiam exercentes ſummoperè hæſitant. Hiſce libentiſſimè indulgere non pertimui; ſicque in volumen Obſeruationibus, & Cautionibus Chirurgicis, apprimè refertum creuit, & quibus placiturum poſſe videtur, ex animo exhibetur. Quiſquis es benigne lector hoc vnum tuæ menti firmum ſtatuæ, Impreſſoris votum, quod eſt, fuit, & ſemper erit omnibus huius Artis Profeſſoribus ſemper fauere. Vale. Deumque precare pro mei, tuique ſalute.

CHirurgiam Franciſci Peccettij Cœleſtini Cortonenſis Phyſici, ac Chirurgi in quatuor libros diſtinctam iuſſu Reuerendiſſimi P. Inquiſitoris legi, & examinaui, nihilque in ea, quod fidei, legum, & morum iutegritati répu. gnet, inueni, ideòque dictum opus tàm vtile Chirurgiam profitentibus typis remitti digniſſimum exiſtimo, ſi ita &c. Datum Papiæ die 29. Maij 1694.

Io. Dominicus Belcredius Phyſicus Collegiatus Primus Almaſoris Publicus Interpres, & S. Offic. librorum Cenſor &c.

REIMPRIMATUR.

F. Iacobus Philippus Mombellus Sac. Theol. Lector, & Vicarius S. Officij Papiæ.

REIMPRIMATUR.

T. A. Scottus Vic. Gener.

1697. die 12. Februarij.

REIMPRIMATVR.

Opus tam vtile, & neceſſarium.

Petrus Caſſadus Reg. Duc. Senator, & Prætor Ciuitatis Papiæ.

IN-

INDEX OMNIVM CAPITVM,

QVÆ CONTINENTVR IN TOTO HOC CHEIRVRGICO OPERE.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI De Tumoribus præternaturam, Tuberculis Pustulis, & Excrescentis.

1 De Tumoribus præter naturam in vniuersali. 1
2 De Phlegmone. 15
3 De Gangrena, & Sphacelo, siue siderat. 34
4 De Carbunculo, siue Antrace. 46
5 De Pernionibus. 55
6 De Phygethlo, siue Pano 57
7 De Bubone. 58
8 De Phymate. 67
9 De Furunculo. 68
10 De Epinyctide. 70
11 De Terebinthio. 72
12 De Ecthimatibus. 72
13 De Erysipelate. 76
14 De Phlictenis. 86
15 De Herpete. 88
16 De Impetigine. 94
17 De Oedemate. 96
18 De Flatuoso Tumore. 101
19 De Aquoso Tumore. 106
20 De Hyarocephalo. 109
21 De Vmbilici Aquoso Tumore. 112
22 De Hernia Aquosa. 114
23 De Strumis seu Scrophulis. 117
24 De Glandula, Ganglio. Nodo, & Lupia. 124
25 De Atheromate, Steatomate, & Melic. 127
26 De Testudine, & Talpa, siue Topinaria dicta. 132
27 De Bocio, siue Bronchecele. 134
28 De Nata, seu Napta. 137
29 De Scyrrho. 138
30 De Cancro. 147
31 De Elephanthiasi. 160
32 De Polypo. 170
33 De Verrucis. 175
34 De Callo, & Clauo. 180
35 De Adnato, & superfluo Digito. 183
36 De Grandine Palpebrarum. 184
37 De Ordeolo. 185
38 De Aegilope. 186
39 De Parotide. 188
40 De Ranula. 193
41 De Panaritio. 195
42 De vnguium Pterigio. 197
43 De Tumore Vmbelici. 198

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI. De Vulneribus.

1 De vulneribus in vniuersali. 202
2 De vulnerum differentijs. 204
3 De vulnerum causis. 205
4 De Signis, ac vulnerum Prognosticis. 206
5 De Curatione vulnerum in vniuersali. 209
6 De vulnerum deligatione, & fasciarum vtilitate. 216
7 De Suturis, & fibulis in vulner faciendis. 218
8 Quid ante suturam sit obseruandum. 219
9 Quid in sutura facienda obseruandum sit. 220
10 De Instrumentis pro suturis, & fibulis faciendis. 221
11 Casus in quibus suitio non competit 222
12 De Illaqueatione, siue Glutinatione. 222
13 De Plumaceolis, siue Puluillis. 224
14 De Linamentis, siue Penicillis, & Elecchinis. 224
15 De Conseruanda partis temperie. 225
16 De sex rerum Nonnaturalium vsu in vulneribus. 229
17 De Venæsectione in vulneribus facienda. 230
18 De Purgatione in vulneribus facienda. 233
19 De sedando dolore vulneri superueniente. 235
20 De Inflammatione vulneri superueniente. 236
21 De Erysipelate vulneri superueniente. 237
22 De Intemperie cum vulnere. 237
23 De Oedemate vulneri superueniente. 239
24 Febre vulneri superueniente. 239
25 De Conuulsione, siue Spasmo. 240
26 De Paralysi. 248
27 De Syncope. 252
28 De Deliria in vulneribus. 256
29 De Pruritu. 259
30 De duricie, liuore, & vulneris ariditate. 260
31 De vulnere Carnis. 261
32 De simplicium, ac superficialium vulnerum Co-

Curatione. 262
33 De vulnere profundo citra substantiæ amissionem in carne accepta. 264
34 De Vulnere carnis compositio, siue cauo. 264
35 De Aequali, siue repleto vulnere. 267
36 De Cicatricibus in vulneribus reparandis, siue de earum deformitate tollenda. 270
37 De vulnere supercrescentem carnem habente. 271
38 De vulnere contuso. 272
39 De Ecchymosi. 274
40 De Flagellatis. 277
41 De Vulnere ex Morsu, vel Ictu, tum venenatorum animaliũ, cum non ita noxiorũ illato. 278
42 De Vulneribus ex Morsu, quæ minimum habent veneni. 281
43 De Rabidi Canis morsu. 282
44 De Vulnere cum profusione sanguinis. 287
45 De vulneribus neruorum Tendinum, & Ligamentum. 294
46 De Nerui Punctura. 295
47 De Neruis cesim vulneratis. 298
48 De Neruo transuersim vulnerato. 299
49 De Nerui cesim vulnerati, & nudati curatione. 300
50 De Neruorum contusione, & distorsione. 301
51 De Vulneribus ligamentorum, & de eorum contusione, & distorsione. 302
52 De Ossium vulneribus. 302
53 De Vulneribus Capitis. 304
54 De differentijs, & speciebus vulnerum Capitis. 308
55 Vtrum vna parte icta, in ei oppositæ possit rima contrahi. 310
56 De Fractæ Caluariæ signis. 311
57 Signa fracti Cranij, & incisionis, & depressionis Membranarum, & ipsius Cerebri. 314
58 Signa Apostematis Membranarum. 314
59 De Prognosticis in vulneribus Capitis. 314
60 De Signis Mortem, & Salutem in capitis vulneribus indicantibus, & eius causis. 317
61 De Simplicis vulneris Capitis Curatione. 319
62 De Curatione vulnerum capitis cum ossis lesione, siue Cranij fractura. 321
63 De Venæ sectione in Capitis vulneribus. 323
64 De Purgatione in Capitis vulneribus. 324
65 De vulnerũ capitis curatione cum cranij offensione, & præcipuè de particularibus præsidijs. 325
66 De exiccanti curatione. 334
67 De cura leniente. 335
68 De Membranæ denigratione. 338
69 De Cerebri Membranæ inflammatione. 339
70 De Membranæ abscessu. 340
71 De Vulnere duræ Meningis. 340
72 De Cerebri, & Piæ Matris vulnere. 340
73 An aperiendum in ossis fractura vitæ integræ existente. 341
74 De curatione fracturæ cranij absque cutis incisione. 343
75 De dolore capitis ex ictu, vel plaga, vel casu orto. 344
76 De oculorum vulneribus. 345
77 De Narium vulneribus. 351
78 De Labiorum, & aurium vulneribus. 352
79 De Thoracis vulneribus, & partium intra eum contentarum. 357
80 De Abdominis, & partium intra contentarum vulneribus. 366
81 De Sclopettorum vulneribus. 378
82 De remouendis granulis pulueris sclopettarij carni infixis. 388
83 De Ambustione, vel ab Igne, vel Aqua, vel Oleo, vel qualibet feruenti materia facta. 389

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

De Vlceribus.

1 DE Vlceribus in vniuersali. 393
2 De Simplicium vlcerum curatione. 404
3 De Vlcere cum Intemperie. 407
4 De Vlcere cum partis tumore. 413
5 De Vlcere cum Labiorum duricie, ac decoloratione, & liuido Vlcere. 414
6 De Varice cum vlcere. 416
7 De Verminoso vlcere. 419
8 De Vlcere cum osse corrupto. 420
9 De Vlcere cum eius causa, siue cum humorum affluxu complicato. 424
10 De vlcere virulento, corrodente, & depascente Phagedena, & Nomodes dicto. 428
11 De Sordido, & Putrido vlcere. 431
12 De vlcere sinuoso, siue cuniculoso. 433
13 De Fistula. 440
14 De manantibus capitis vlceribus. 445
15 De Oculorum vlceribus. 449
16 De Fistula lachrimali. 452
17 De Narium vlceribus Ozenis dictis. 454
18 De Oris, & partium intra os contentarum vlceribus. 457
19 De Linguæ Scissuris. 462
20 De Labiorum sciſsuris. 462
21 De Aurium vlceribus. 463
22 De Axillarum, & Inguinum vlceribus. 466
23 De Pectoris vlceribus. 467
24 De Abdominis vlceribus. 468
25 De Penis, seu Pudendi vlceribus. 468
26 De vlceribus in vrethera, siue vrinæ canali. 471

27 De Caruncula, siue Callo in collo vesicæ. 473
28 De vlceribus vteri. 478
29 De Rhagadijs vteri, Ani, & aliarum partium. 482
30 De Hemorrhoidibus. 486
31 De Ani Fistulis. 494
32 De Femorum, Tibiarum, Articulorum, ac Pedum vlceribus. 498

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI.
De Fracturis, & Luxationibus.

1 DE Fracturis in vniuersali. 500
2 De Curatione Symptomatum & affectuum præternaturã cum fractura coniunctorum. 512
3 De Callo siue Poro sarcoide minore augendo. 514
4 De Callo, siue Poro sarcoide iuxto maiori corrigendo. 514
5 De Membri gracilitate, & Callo debito tempore non genito. 515
6 De Curatione ossium male ferruminatorum. 515
7 De Curanda Gangrena cum fractura. 516
8 De Curatione fracturæ cum vulnere absque ossis nudatione, & frustulorum ossium abscessurorum expectatione. 516
9 De Curatione fracturæ cum vulnere in quo os non est nudatum, tamen aliquod ossis frustulum abscessurum speramus. 518
10 De Curatione fracturæ cum vulnere, in quo os est nudatum. 520
11 De Curatione fracturæ cum Vulnere. 521
12 De Fractura, & contusione Narium. 522
13 De Aurium fracturis. 524
14 De inferioris Maxillæ fractura. 526
15 De Fugulis siue Clauiculæ fractura. 528
16 De Scapulæ fractura. 529
17 De Fractura ossis Pectoris. 530
18 De Fractura, & Collisione Costarum. 531
19 De Fractura & Collisione Spinæ dorsi. 534
20 De Ilium siue Coxendicis ossis fractura. 536
21 De Humeri fractura. 537
22 De Brachij, siue Cubiti, & Radij fractura. 539
23 De Fractura ossium manus. 540
24 De femoris fractura. 541
25 De Genu Rotulæ fractura. 544
26 De Cruris fractura. 544
27 De ossium pedis fractura. 546

INDEX CAPITVM LIBRI.
De Luxationibus.

1 DE Luxationibus in vniuersali. 549
2 De Maxillæ Luxatione. 556
3 De Capitis, & Spinæ Vertebrarum Luxatione. 558
4 De Clauiculæ, & summi Humeri subluxatione. 561
5 De Humeri Luxatione. 562
6 De Cubiti, & Radij luxatione, & deductione. 567
7 De Ossium Carpi, metacarpi, & digitorum luxatione. 570
8 De Femoris Luxatione. 571
9 De Luxatione Genu. 577
10 De Patellæ, siue Genu Rotulæ Luxatione. 578
11 De Tali, Tarsi, Pectinis, & digitorum Pedis Luxatione. 579
12 De Luxatione, & Contusione ossis calcis. 579
13 Tabula de Ossium compositione. 580

INDEX CAPITVM LIBRI.
De Venæ Sectione.

1 OB quas causas vena secetur. 583
2 Quibus in morbis præsentibus, siue futuris sanguinis missio competat 588
3 Vtrum Pueris ante 14. annum Venæ sectio competat. 591
4 Vtrum indistincte in omni graui morbo præsenti, ac futuro ex quauis causa orto, siue sit calida, siue frigida vel adsit plenitudo, vel non, modo adsit Magnitudo morbi, virium robur, & Aetas consistens sit mittendus sanguis. 593
5 Quod prægnantibus Mulieribus sanguinis missio competat. 595
6 Vtrum sanguinis missio pro aduersus præseruatione competat. 596
7 Animaduersiones habende in sanguine mittendo. 608
8 Quæ vena in quouis affectu sit secanda. 608
9 Quid ante venæ sectionem faciendum. 609
10 Quid ipso sectionis tempore faciendum. 610
11 Quid post sanguinis missionem sit faciendum. 612
12 Quæ in extracto sanguine sit obseruanda. 613
13 De Opportuno Venæ secundæ tempore. 614
14 De Arteriarum sectione. 614
15 De Cucurbitularum vsu. 614
16 De Scarificationibus. 615
17 De Hyrudinibus, siue sanguisugis. 616

CHEIRVRGIÆ FRANCISCI PECCETTI

COELESTINI CORTONENSIS, PHYSICI, ATQVE CHEIRVRGI.

LIBER PRIMVS

De Tumoribus præter naturam, Tuberculis, & Pustulis, ac etiam de Excrescentijs.

In Dei, Deiparæque semper Virginis Nomine.

De Tumoribus præter naturam in vniuersali. *Cap. I.*



CVM in omnibus ordo sit necessarius, & nulla scientia, vel ars absq; hoc acquiri possit, ideò cum de Tumoribus præter naturam, siuè apostematibus pertractare decreuerimus, hunc ordinem à nostris maioribus obseruatum sequi volumus.

Qui ordo seruandus?

Primum igitur dicemus, Quid nominis, ideſt quid tumor, siuè apostema significet. Secundò quid rei, ideſt eius essentiam declarabimus. Tertiò de differentijs, & speciebus. Quartò de causis verba faciemus. Quintò de symptomatibus, ac accidentibus, quæ tumores sequuntur. Sextò de signis, & prognosticis. Septimò de curatione tumorum in vniuersali, ideſt quatenùs tumor est. Octauò de curatione cuiuslibet tumoris in particulari pertractabimus.

Quid nominis? Eminentiarum genera quot sint?

Quoad primum, tumor est eminentia quædam corporis humani, sed cùm humani corporis eminentiæ triplices sint. Quædam enim sunt naturales, vt eminentia humeris, capitis, & aliarum partium, de quibus cum naturales sint, non est agendum: aliæ eminentiæ sunt, quæ, & si non sint naturales, non omninò tamen sunt præter naturam, vt venter mulieris prægnantis, & turgidæ mammæ ob lactis generationem. Non enim sunt præter naturam, quia non sic semper permanent. Quod tumoris genus à Gal. supra naturam vocatur. Tertium eminentiarum genus est, quòd omninò est præter naturam, cùm omninò naturæ aduersetur, cum membrum debitam proportionem peruertat, actionemque eorum lædat.

Tumorũ nomina.

De hoc ergò tertio eminentiarum, ac tumorum genere nunc est agendum, quod pluribus nominibus à diuersis Autoribus nominari solet, vt inflammatio, tuber, aut tuberculum, vt C. Celsus. Eminentia, phyma, oedema, vt *Hipp. qui lib. 4. Aph. 34. Omnes tumores oedema appellat, quamuis sit vna tumoris species, vt phyma. Arabes vocant apostema, vel botor, quamuis etiam botor sit tumoris species.* Quo ad secundum, ideſt quid sit tumor, multi multas definitiones attulerunt, quas in medium afferemus, ac etiam examinabimus.

Tumorũ definitiones.

Prima est *Gal. de tum. præter nat. cap. pr.* vbi inquit, *Tumor est dilatatio partium secundum omnes dimensiones, quia augetur.* Quæ à multis, vt magis vniuersalis reprobanda venit cum ea, quæ sunt secundi generis comprehendat, quæ supra naturam dicuntur. Secunda est Lanfranci dicentis, apostema est tumor præter natu-

ram, in quo materia aliqua extendens, & replens eſt aggregata.

Tertia eſt *Aly Abb?* qui inquit, *Apoſtema eſt groſſities, quæ membro fit ex materiæ abundantia, eiuſmodi materia replente concauitates ſpatiorum illorum.*

Hæ duæ definitiones non ſunt bonæ, quia apoſtema, tumor, & groſſities ſunt ſynonima, & plura etiam continent, quam continere debent, vt prima; cum ea, quæ ſunt ſecundi generis, compræhendant.

Quarta eſt *Auic. Fen. 3. p. & omnium, qui eum ſequuntur*, dicens, *Apoſtema eſt ægritudo compoſita ex triplici genere morborum in vnam magnitudinem aggregatorum*; Quam optimam eſſe dicunt, cum ex genere, & differentia conſtet, & optimè definitum explicet, & cum ſuo definito conuertatur, & ægritudo eſt loco generis, & alia loco differentiæ.

Modò vnamquamque huius definitionis particulam examinemus, vt doctiſſimè *Gabriel Falopp. fecit.*

Triplicia morborum genera in apoſtemate contineri ait, *ideſt in intemperie, in compoſitione, & in ſolutione continui.*

Cum ergo hæc definitio non includenda includat, & neceſſaria relinquat, ſcilicet tumores quoſdam, non eſſe bonam dicere poſſumus.

Et quo ad primum, dicimus, quod apoſtema eſt ſimplex morbus, loquendo de tumore, ſiuè apoſtemate abſque ſymptomatibus.

Alteratio triplex. Vtq; hoc intelligamus, ſciendum, quod *Gal. pr lib de diff ſympt.* inquit, *Quod tripliciter humanum corpus alteratur*; Vna alteratio eſt, quæ operationes non lædit, vt cutis nigredo alicuius partis, vel totius corporis ex lungo inſolatu, quæ paſſio à Gal. dicitur, vt ſuffuſio, ſiuè cataracta, & oſſium luxatio, cum huiuſmodi, quamuis incipientes, ſubitò actiones lædant. Alia eſt, quæ toto genere eſt præter naturam, quamuis pauca ſit.

Tertium alterationis genus eſt, quando partim ſunt accidentia, partim ſunt morbi, quæ ſi intendantur, ſunt morbi, ſi parum alterent, non ſunt morbi, vt caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas. Sic etiam intelligendum de ſolutione continui, quæ cum actiones lædit, eſt morbus, niſi vero hoc efficiat, non eſt morbus.

Idem etiam de tumoribus dicendum, qui cùm actiones non lædant; Paſſiones, vel ſymptomata, & non morbi dicuntur.

Tumor, qui morbus ſit? Dicendum ergo, quod tumor, de quo loquimur eſt morbus in magnitudine, & ſic erit ſimplex morbus, cum multi tumores ſint, qui nullam habent intemperiem, ſicuti aneuriſma, qui arteriæ tumor eſt, in quo intemperies minimè adeſt, vt *Gal. 14. meth.* inquit, *Similiter in hernia adeſt tumor abſque intemperie ſic in tumoribus oſſeis nulla adeſt intemperies, vt loco citato* inquit *Gal. Ergo tumor eſt morbus ſimplex, & non compoſitus.*

Dubitatio Si vero aduerſarij reſpondeant, quod tumor eſt cum intemperie, & conciliatoris autoritatem adducant *diff. 70. & Gal. lib. de inæquali intemp. p. ac vlt.* vbi inquit, *Quòd tumor eſt inæqualis intemperies cum fluxione eius, in quo eſt.*

Solutio. Reſpondendum, quod in tumoribus particularibus, vt plurimùm adeſt intemperies, ſed de his non loquimur, ſed tantùm de tumore diſtincto ab ipſa intemperie, cùm intemperies ſit ſimplex morbus, & cum tumore eſt compoſitus, & præſertim cùm multi etiam tumores abſque intemperie adinueniantur, & intemperies ratione à tumore remoueri poteſt, & ſic erit ſimplex morbus.

Si quis verò dicat Gal. ſibi contradicere; Reſpondendum *Gal. lib. de inæquali intemp.* loqui de morbo compoſito conſtante ex tumore, & intemperie, ideſt mala intemperie.

Dicendum ergo eſt, quod tumor ſit morbus ſimplex, *vt Gal. 2. de cauſis ſympt.* Ad id, quod ſubiungit *Auic. Quòd à tumore figura corrumpitur, ac ſitus mutatur.* Reſpondendum, quod hoc non eſt ſempiternæ veritatis, vt in oedematoſis tumoribus pedum patet, in quibus nec figura deperditur, nec ſitus mutatur. Falſum eſt igitur, quod in tumore ſitus, ac figura deperdatur. Concedere tamen poſſumus, quod dimenſiones deperdantur, ac corrũpantur cum ſit morbus in quantitate, & ratione magnitudinis dimẽſio deperditur.

Continui ſolutio duplex, Solutio continui ſimiliter eſt duplex, vel eſt manifeſta, vel occulta: Negandum quod in tumore ſit manifeſta: Concedere tamen poſſumus, quod ſit occulta, quæ etiam duplex eſt, ideſt in fieri, & in facto eſſe, & quæ eſt in fieri non ſemper tumorem committatur.

Ex

Ex his ergo omnibus concludere possumus, quod tumor sit simplex morbus, & ideò talis Auic. definitio non est bona, cum aliqui tumores adsint, in quibus continuũ non soluitur, vt in hernia, & in nimia corporis obesitate, quæ actiones lædat.

Alia tumorum definitio Galeni, & eius examinatio.

Alia definitio tumoris à *Gal. 13. Meth. cap. 7. colligitur*, vbi inquit, *Quod tumor est morbus, in quo membra à naturali habitu in magnitudine recedunt.*

In qua definitione morbus est loco generis, in quo membra à naturali habitu, idest magnitudine recedunt, est differentia; Quibus verbis partes simplices excludit, cum simplices partes non habeant sibi determinatam magnitudinem, vt Caro, quæ generat, assimilat, & apponit cum eius magnitudo non faciat ad ipsas operationes, sed tantùm eius virtus, ac facultas. Idem etiam de alijs simplicibus partibus dicendum, Tumor ergo secundum Gal. est morbus instrumentalis.

Vtrùm tumor sit morbus similarium, vel instrumentaliũ.

Aliqui contrarium tenent, & eorum rationes, & autoritates sunt hæ, Prima est *Gal. lib. de diff. morbor. 12. vbi loquens de partium similarium morbis*, inquit, *Quod oedema, scyrrus, inflammatio sunt morbi compositi partium similarium; Ergo non partium organicarum.*

Secundò, *Gal. eodem lib. cap. 5. loquens de simplicibus*, dicit, *Quòd quandoque patiuntur nudam intemperiem, quandoq; cum fluxione humorũ ergo duplex morbi genus in similaribus partibus a Gal. constituitur.*

Tertiò, *Gal. eodem lib. cap. 13.* inquit, *Quòd inflammatio est passio similarium, & non organicarum; Sed inflammatio est tumor, ergo similarium.*

Quarto similiter partes similariter sunt quantæ, sed quantitas est veluti passio similarium; ergo quantitate mutata, quæ est tumor præter naturam, erit passio similarium, & non organicarum.

Morborũ genera tria.

Aliqui pro horum argumentorum solutione inquiunt, *Quòd tumor est morbus communis similaribus, & organicis partibus*, sed hoc in Gal. doctrina esse non potest, quia daretur quartum morbi genus; cum tria tantùm à Gal. ponantur, idest in intemperie, in compositione, & continui solutione; Primum morbi genus similaribus tantùm partibus competit. Secundum organicis. Tertium vtrisque, ideò hęc solutio non est bona; Dicendum ergo, quod tumor est enumerandus solùm inter organicorum affectus, vtq; rectè autoritatibus Gal. ac eius contradictionibus satisfaciamus: Notandum, quod simplices qualitates simplicibus dantur, sed si hæ qualitates sunt combinatæ, vt caliditas, & siccitas, humiditas, ac frigiditas, non similaribus, sed organicis debentur. Notandum etiam, quòd aliquandò qualitates ita complicãtur, vt humiditas actu copuletur cum caliditate, & siccitate, vt influxu flauæ bilis est manifestum, quæ fluendo humectat, tamen cum humiditate siccitatem etiam partibus applicat, & huiusmodi morbus intemperies cum humore appellatur.

Quandò ergò huiusmodi complicationes fiunt, necessariò sequitur vna species tumoris distincta, vt eresypelas. Sed Medici solent hos morbos aliquandò per vnam tantùm partem explicare.

Ad primam ergò *Gal. autoritatem lib. de diff. morb. cap. 12.* dicendum, *quòd Author ibi tantùm vnam partem illius compositi morbi explicat, & quandò dicitur, Quòd talis est passio similarium, tantùm de morbi parte intelligit.*

Ad secundam, dicendum, Quòd rarò compositæ qualitates sine aucta magnitudine reperiuntur, & compositam intemperiem appellat eresypelas; Idem facit etiam quandoque Galenus de altera parte tantùm, cum eam nomine totius appellet: quod fecit etiam quando de vlcerum inflammatione pertractauit, dicens, *Inflammationem duplicem esse, vel impediens operationes, vel non, & hanc secundam appellauit Accidens, cum operationes non lædat;* Tamen eam nomine totius appellat, quamuis tantùm de qualitatibus immutatis loquatur, quod fecit, ne vno nomine singulatim appellet.

Ad Gal. autoritatem, in qua inquit, *Quòd similiter duplex est morbus, alter tantùm cum intemperie, alter verò cum magnitudine.* Ergo tumor erit morbus similarium. Dicendum, quod quandoq; fluente humore fit morbus in intemperie, aliquandò fit morbus in quantitate, aliquandò solutio continui sequitur ex continua fluxione, qui morbus omnibus partibus est communis; Vt ex. gr. in dentium dolore ex bilioso humoris affluxu, bilis partem humectat, tamen caliditatem, & siccitatem influit, quæ est intemperies tan-

tùm, cum verò adsit humiditas actualis, tunc est morbus compositus.

Dicendum ergò, quòd primùm simplices qualitates veniunt, quæ similares afficiunt, posteà actualis humiditas sequitur, quæ aliud morbi genus causat, & sic concludere possumus, quod tumor est morbus organicarum partium.

Ad quartam rationem dicendum, Quod & si simplices partes sint quantæ, tamen passiones quanti, vt quanti, simplicibus partibus non competunt, cum non sint vegetabilis corporis passiones, sed simplices partes substantiæ vegetabilis sunt, & tantùm passiones vegetabilium eis competunt, & corpus vegetabile non patitur tumores, nec similes passiones; Sed patitur non nutriri, non expellere, & similia, & quandò dicimus, similares pati, vt quantæ, idest vt organicæ intelliguntur. Probatur hoc, quia munus quantitatis, idest illius trinæ dimensionis est instrumentalium partium, & hoc etiam probatur; nam quantitas est veluti instrumentum, quo substantia agit secundum magis, & minùs. Probatur hoc, quia in corpore magno, & intenso est actio magna, & intensa, & in prauo è contra: substantia ergo est eadem, & tantùm quantitate differunt.

Concludendum igitur, quòd similares, vt quantæ patiuntur, vt organicæ, quia ad tale opus talis moles est opus.

Dixit ergò Galenus, *Quod tumor est morbus, in quo membra à naturali habitu in magnitudinem recedunt, Morbus est loco generis*, Quod distent à naturali habitu per magnitudinem, est tumoris differentia. Ex quo colligitur, quod tumor est simplex morbus, & quæ sit eius forma.

Tumor est morbus simplex. Simplex est, qui tantùm vnam habet formam. Cum ergo sit morbus in magnitudine, tantùm erit simplex morbus.

Forma tumoris quæ? Forma tumoris est corrupta, & immutata partis compositio, in magnitudine ad aucta operationes lædens.

Tumoris definitio Galen. & Tagaultij. Definitio igitur tumoris secundum Galenum erit ista, tumor est morbus instrumentalis simplex in magnitudine extensa consistens; Tagaultius huic definitioni addit læsionem actionis inducens, sic dicens, *Tumor præter naturam est incrementum, naturalem statum in corpore excedens & læsionem actionis inducens.*

Hæc Gal. definitio videtur, quod minùs comprehendat, quam ipsum definitum, & ideò non esse optimam; Cùm definitio cum suo definito æquari debeat, neque magis, neque minùs comprehendere.

Quòd minùs comprehendat, probatur quoniam in exquisito erelypelate non est aucta magnitudo sensui apparens, & ideò *Gal. 2. ad Glauc. cap 9.* dixit, *Erelypelas exquisitum solius cutis esse affectum.*

Præterea omnis morbus, quo ad morbus est, actiones lædit, & morbum in magnitudine aucta, per auctam magnitudinem; Sed in erelypelate læditur actio ab intemperie calida, & non ab aucta magnitudine, quæ sensibilis non est, & in hernia intestinali, aut omentali, non à magnitudine aucta actio læditur, sed à morbo in situ. Ergo huiusmodi definitio non est bona, cum totum definitum non comprehendat.

Bona tumoris definitio. Optima verò tumoris præter naturam definitio, credo, quòd sit infrascripta. Tumor præter naturam est morbus, vt plurimum compositus ab eo denominandus, à quo actio læditur.

Modò vnamquamque huius definitionis particulam examinemus.

Dicitur Morbus, vt excludantur exigua tubercula, quæ non sunt morbi, sed tantùm symptomata, vt inquit *Gal. lib. de diff. sympt. cap. 12. Vtÿ, qui in pubescentium facie oriuntur.*

Dicitur morbus compositus, quia ille tumor, qui fit ab humorum affluxu, intemperiem etiam coniunctum habet, quatenùs illi humores sunt calidi, vel frigidi, humidi, vel sicci.

In hernia similiter intestinale, vel omnes tali vna cum magnitudine aucta morbus in situ est coniunctus.

Additum fuit, vt plurimùm, cum aliqui tumores simplicis morbi ideam retineant, cum præter auctam magnitudinem nullum alium morbum coniunctum habeant, vt si qui spiam ita pingueſcat, vt loco moueri, & operationes aliquas obire nequeat, vel si glandulæ in collo ita augeantur, vt actiones lædant. In his enim, ac similibus tumoribus ab aucta magnitudine solùm actio lęditur, & non ab alio morbo, vt sunt simplices morbi.

Additum fuit ab eo denominandus, à quo actio lęditur: quia erelypelas actionem lædit, quatenùs est intemperies, & ideò erelypelas dicitur morbus in intemperie.

In

In valdè obesis, & glandulis, vel lingua supra modum aucta, actio læditur ab aucta magnitudine, & hi tumores dicuntur morbi in aucta magnitudine. Hernia intestinalis, & omentalis quatenùs est morbus in situ, actiones lædit, & ideò morbus in situ dicitur.

De Tumorum P. N. differentijs.

Differentiæ tumorum P. N. quibus sumuntur.

TVmorum P. N. differentiæ à decem rebus desumi possunt, vel ab essentia rei, vel à parte affecta, vel à causis materialibus, vel à causis efficientibus, vel ab accidentibus, siuè consequentibus symptomatibus, vel à tempore, vel ab ætate, vel à motu tumoris, vel à successu, vel à situ: Modò vnamquamque examinemus.

Differentiæ ab essentia, ac rei substantia sunt illæ differentiæ, quæ à tumoris forma sumuntur, non secundum quod talis tumor est talis tumor, vt Eresypela, vel phlegmone, quoniam ita non differunt, cum non sit magis Eresypela, hoc quàm illud, vel magis phlegmone hic, quàm ille. Sed secundum quod talis tumor maior, vel minor est, ex quibus multæ differentiæ eliciuntur.

A parte affecta sumuntur differentiæ, quamuis in materia conueniant; Nam inflammatio, quæ fit in cerebri membranis, frenesis dicitur, quæ fit in oculo, ophtalmia, quæ in faucibus, synanchæ, quæ in inguinibus bubo, & sic de alijs.

A causa materiali differentiæ sumuntur, vt tumor aquosus, flatuosus: tumor calidus, frigidus, ideſt à materia, à qua fit tumor, quæ vel calida, vel frigida est, vel tumor intestinalis, vel omentalis quandò intestina, vel omentum in scrotum decidunt.

Efficientes causæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ, aliæ sunt magis manifestæ, aliæ minùs; Internæ sunt congestio, & fluxio, à quibus tumores excitantur, vel à congestione, vel à fluxione, vt superiùs diximus.

Ab accidentibus, siuè superuenientibus symptomatibus sumuntur differentiæ, vt à dolore, calore, colore, mollitie, duritie, pulsatione, tensione, & à moribus, ideſt benignitate, vel malignitate, & similibus.

Differentiæ à tempore sunt, vt tumores hyemales, vernales, æstiui, & autumnales ab ortu, vel post ortum.

Ab ætate etiam differentiæ sumuntur, nam alij tumores sunt iuueniles, vt variolæ, & morbilli, alij seniles.

A motu tumoris differentiæ sunt, vt tumores celeres, vel tardi, qui etiam dicuntur recentes, vel cronici.

A successu differentiæ sunt sanabiles, vel non sanabiles tumores.

A situ differentiæ sunt, vt tumores interni, vel externi; Externi sunt cutis eminentiæ, quæ exteriùs apparent, quę tres sunt tumor, tuberculum, & pustula, tumor tuberculo maior, vtroque minor est pustula. *Eminentiæ, quæ dicuntur.*

Tumores sunt phlegmo, phlygetlon, bubo, phima, eresypela, oedema, hydrocephalon, hydrotele, tumor flatulentus, scyrrus, ganglion, brenchorele, parotis, struma, & cancer. *Tumores, qui dicũtur?*

Tuberculæ sunt carbunculus, furunculus, terminthus, glandula, & nodus. *Tuberculæ, quæ sint?*

Pustulæ sunt plydracia, epinictis, phlictonæ, ecthymata, ephelides, hydron, herpetes, scabies, prurigo, lichen, psora, & omnia verrucarum genera, vt callus, & clauus, *Gal. lib. de tumor. P. N. & 2. ad Glauc. & 13. meth. de materiali tumorum causa* sic dixit, *Varietas omnium tumorum P. N. ex eius, quod influit naturae nascitur.* Vbi enim flatulenta materia copiosior accesserit, flatuosi magis tumores fiunt: phlegmonæ verò magis similes, vbi sanguis, sicuti erysipelati, vbi flaua bilis, & oedematosi magis, vbi pituita, similiter scirrosi, vbi vel crassus, vel vehementer lentus humor est, qui parti est infixus, & hæc Gal. de simplicibus tumoribus. *Pustulæ, quæ sint?*

Complicati tumores fiunt ab humorum mixtione, denominationemq; ab exuberante humore sumunt, vt si sanguis bilem exuberet, phlegmo erysipelatosus dicitur, & si bilis sanguinem erysipela phlegmonosum nominabitur, & sic de aliorum humorum mixtione. *Tumores compositi, à quibus fiant?*

Præcipui ergo simplices tumores, qui ex humorum affluxu fiunt, ex Gal. mente quatuor sunt, secundum quod 4. humores sunt in massa sanguinea, phlegmone inquam, erysipelas, oedema, & scyrrus; ad quos multi alij tumores reducũtur, tametsi varijs ex causis diuersum nomen sortiantur. *Tumores simplices, quæ sint?*

De Cauſis Tumorum P. N.

Cauſæ generales, quæ ſint?

TVmorum præter naturam cauſæ duæ aſſignari poſſunt, ideſt generales, & ſpeciales; generales cauſæ duæ ſunt, Fluxio, & Congeſtio, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 9. & 3. Artis Med. cap. 95. 4. de ſanit. Tu. 10. Meth. lib. de Tumoribus P. N. & Hipp. lib. de Morbis.*

Fluxionum cauſæ, quot ſint? & quæ?

Cauſæ fluxionis quatuor ſunt, vt elicitur *à Gal. 2. de diff. Feb. cap. vlt. & 13. meth. cap. 3.* Membrum expellens, Particula recipiens, Humoris fluentis conditio, & viæ, per quas fit fluxio.

Membrum expellens eſt fluxionis cauſa, quatenùs validum, vel connexum aliquem cum particula recipiente habet, vel quia proprios meatus anguſtios habet, vel quandò venæ ſunt nimis repletæ, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 9.*

Pars recipiens eſt fluxionis cauſa, quatenùs eſt calida, vel dolet, vel imbecillis, vel rara, vel ignobilis, vel eſt in inferiori loco ſita, *vt Gal loc. cit.*

Calor, & dolor tanquam cucurbitula attrahunt, vt inquit *Gal. 2. de diff feb. cap. vltimo, & de diff Morborum, & 8. meth.* inquit, *Siquidem dolor, & membri inflammati calor, etiam ſi purum ab excrementis ſit totum corpus, fluxionis cauſa ſunt, & hoc per accidens faciunt.*

Calor, quomodò attrahat?

Calor eſt attractionis cauſa per accidens, quia ex partis calefactione humores calefiunt, & ideò ſubtiliores, & ad fluxum aptiores, ac habiliores reddũtur, & viæ dilatantur, cum proprium calidi ſit rarefacere, ac dilatare.

Dolor, quomodò attrahat?

Dolor ſimiliter per accidens eſt attractionis cauſa, quatenùs partem exaſperat, principemq; facultatem ſtimulat, quæ poſteà ſpiritum, & ſanguinem pro læſæ partis, ac dolentis defenſione tranſmittit. Vel quia circumſitæ partes cæco impetu aduersùs dolorem inſurgunt, vt eum expellant, & ſe ipſas comprimendo, ad locum dolentem ſpiritum, & ſanguinem mittunt.

Duplex partis imbecillitas.

Partis imbecillitas duobus modis eſſe poteſt, vel ab ortu, vt ſunt partes à natura genitæ ad excrementa recipienda, vel poſt ortum, vt quandò aliqua pars poſt ortum aliquam malam intemperiem contrahit, ideſt calidam, vel frigidam, vel humidam, vel ſiccam.

Raritas etiam, partiſq; imbecillitas eſt attractionis cauſa, quatenus propter illam raritatem, ac laxitatem, vel imbecillitatẽ facilius humor recipitur, vt in glãdulis fit.

Situs etiam partis eſt attractionis cauſa, quia partes ſuperiores minùs ſunt idoneæ ad humores recipiendos inferioribus.

Humor eſt fluxionis cauſa, vt inquit *Gal. 13. meth. cap. 3. vel quia partem copia, vel mala qualitate moleſtat, vel quia ſubſtantia eſt tenuis, vel quia à tota ſubſtantia eſt natura moleſtus, vt tempore peſtis.* Spatium eſt fluxionis cauſa ob viarum amplitudinem, vt venarum, arteriarum, pororum, & aliorum meatuum.

Congeſtio, ex quibus cauſis fiat.

Congeſtio, quæ eſt altera tumorum præter naturam generalis cauſa, ex quatuor cauſis fit, vt inquit *Gal. lib. de diff. morborum, & Auic. 2. p. Doct. 2. vel à digeſtiua virtute debili, quæ eſt alteratrix, & altrix, vel ab imbecillitate expultricis, vel à robore retentricis, vel ab obſtructione meatuum.*

Cauſæ ſpeciales tumorum P. N. quæ ſint?

Cauſæ ſpeciales tumorum præter naturam tres ſunt, Primitiuæ, Antecedentes, & Coniunctæ.

Primitiuæ, vel Prægreſſæ, ſiuè accidentes cauſæ ſunt illæ, quæ dum aduerſam valetudinem, vel morbos procreant affectus ſeparantur, & ſunt num. 7. Prima eſt Aer, qui nimia caliditate, vel frigiditate, vel mala qualitate, vt in Contagio, morbos, ac tumores inducit, vt inquit *Gal. 2. de natur. hum.*

Secunda eſt purus contactus, ſiuè à tota ſubſtantia, ſiuè à mala qualitate agat, vt ex ferreo candenti, & aqua feruenti, & medicamentis calidis in quarto tumores excitantur; A tota ſubſtantia tumorem inducit indumentum Leproſi, quod Lepram portanti inducit, idem etiam dicitur de patiente bubonem.

Tertia eſt intenſa corporis fricatio, quę tumorem efficit, vel nimia calceamentorum, & ſimilium adſtrictio.

Quarta eſt appoſitio alicuius attrahentis inſtrumenti alicui parti, vt Cucurbitularum, & ſimilium.

Quinta externa cauſa eſt corpus externum faciens continui ſolutionem, aut manifeſtè, aut occultè, ad quam continui

ſolu-

solutionem tumor prærer naturam, vel apostema sequitur, vt in Vulnere, in Ossium fracturis, in Luxationibus, in morsu animalium, vt aranei, vel aliorum animalium, a quibus apostemata fiunt, ac similibus, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. p.*

Sexta causa est partis vapor, vel malus vsus partis, vt si in inguine oriantur bubones ex lunga equitatione, vel ambulatione, & aliquandò etiam aliæ causæ concurrunt, vt paruum tibiarum vlcus.

Septima causa ex ijs, quæ intrà corpus assumuntur, sumitur, quæ tumores excitant, vel nimia copia, & quantitate, vel manifesta, vel occulta qualitate, aut à tota substantia.

Antecedentes, siuè præcedentes causę, à Græcis *Proigumine* dictæ sunt illæ, quæ paratæ sunt morbos efficere, vt sunt humores naturales, vel non naturales; humores naturales quatuor sunt, & sunt ij, qui in massa sanguinea continentur, & ad corporis nutritionem sunt idonei, qui si è venis, vel arterijs effundantur, statim concrescunt, siuè intrà corpus maneant, siuè extrà corpus, vt inquit *Hipp lib. 1. de morb. Gal. 2 ad Glauc lib de tumor. P. N. 13 & 14 meth.*

Humores naturales qui sint?

Humores non naturales qui sint?

Humores non naturales sunt, qui à sanguine in massa sanguinea, quo partes nutriuntur, sunt separati, & ad corpus nutritionem sunt inepti, & quamuis extrà corpus effundantur, nunquam concrescunt, & æquiuocè dicuntur humores. Dicuntur verò non naturales, quoniam non sunt omninò præter naturam: cum in partibus alicuius vsui deseruiant.

Tumores, siuè apostemata, vt a quibus fiant?

Apostemata, siuè tumores præter naturam gignuntur primò, vel ab affluxu sanguinis, idest massæ sanguineæ, aut secundum naturam, aut præter naturam existentis, quo massa aliquandò in tumoris loco putrescit, aliquandò extrà locum, & ad tumoris locum confluit.

Secundò, fiunt apostemata ab humoribus sinceris, idest à bile flaua, vel atra, vel à pituita, & huiusmodi humores, aut naturaliter existentes apostemata efficiunt, vel præter naturam, idest putridi existentes.

A sanguine verò sincero tumores non fiunt, sed quandò *Gal. ac alij Autores* inquiunt, *quod à sanguine fiunt tumores*, intelligendum de massa sanguinea, cum nunquam sincerus sanguis ab alijs humoribus separatus adinueniatur.

Tertiò, fiunt tumores, quandò partes situm mutant, vt si ossiculum à sede propria remoueatur, vel intestina, vel omentum in scrotum decidant.

Quartò, aquositas tumorem facit, quæ partim est naturalis, partim præter naturam, vt est ea, quæ reperitur intrà peritoneum, quæ aliquandò in Scrotum descendit, & aquosam herniam efficit, & hæc humiditas aliquandò ascitem facit, qui est tumor aquosus in ventre.

Quintò, alitus, & flatulentia vaporosaq; materia, vel naturaliter, vel præter naturam existens tumorem excitat, naturaliter, vt in satiriasi; non naturaliter tumorem facit, quãdò in parte aliqua recluditur.

Sextò, tumores fiunt à corporibus, quæ omninò sunt pręter naturam, & multorum sunt generum, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. & lib. de tumor. P. N. vt gummi, polenta, vngues, carbones, pili, gipsea materia, mellea, plumbei globi, animalia, vt vermes, lutum, mucus, lapides, & similia.*

Causæ coniunctæ, siuè continentes tumorum. P. N. *Sinecticæ* à Græcis dictæ, sunt materiæ, quæ in particula ipsa laborante aggregatæ, & infractæ reperiuntur, quæ continuò cum tumore permanent, & dum crescunt, simul tumor augetur, dum minuuntur, simul etiam tumor decrescit, & cum desinunt, finiuntur, & quibus præsentibus, simul quoq; morbus adest, quibus ablatis, simul etiam morbus euanescit.

Vtrum detur causa coniuncta

Multi non parui nominis Medici hanc coniunctam causam tollunt, cum nihil à morbo differat, & affectus actionem vitians, ac impediens secundum Galenum morbus sit, & non morbi causa, & ideò dicunt, quod à Galeno de huiusmodi causa non verba fiunt, sed tantùm de antecedente, & primitiua.

Sed hoc non est verum, quia *Gal. 2. Aph. comm. 22. & P. de causis sympt cap 2. de coniuncta causa mentionem facit, & 3. Artis Med.* inquit, *In qualibet morbi curatione antecedens causa imprimis remouenda, deindè coniuncta tollenda.* Hæc enim coniuncta causa est morbi essentia, & materialis causa iam fluxa, & aliqua in parte coadunata, actu tumorem efficiens: tumor verò est morbus, & per consequens est accidens, & cum sit accidens, neque est, neque materiam habet, ideò coniuncta causa à morbo differt.

Notan-

Notandum tamen quod in tumoribus præter naturam ex humorum influxu ortis aliquid est in fieri, aliquid verò est in facto esse. Quod est in fieri, est materia antecedens, quę adhuc in fluxu est; Quod est in facto esse, est materia coniuncta, quæ iam influxit, & in parte laborante infixa est.

De Tumorum P. N. signis.

CVM dixerit Philosophus *primo Physicorum cap pr. quòd vniuersalia, ac magis communia notiora sunt nobis, quàm particularia*; Ideò in tradendo signa in vniuersali, ab vniuersalibus incipiemus.

Ne igitur per ignota procedamus, dicendum in primis, quid sit signum?

Signum quid sit? Signum ergo nil aliud est quàm id, quòd nostris sensibus est manifestum, & aliquod occultum, ac latens nobis demonstrat, cum illis sit signum.

Signorum genera, quot, & quæ? Signa similiter trium sunt generum, alia sunt demonstratiua, quæ præsentem morbum indicant, alia sunt prognostica, quibus mediantibus futura prædicimus: alia sunt commemoratiua, quibus mediantibus præterita consideramus, & quod libet genus horum signorum, vel est salubre, vel insalubre, vel neutrum.

Signa insalubria, alia morbi speciem, alia sedem affectam, alia morbi causam indicant, & alia sunt concomitantia, & alia assidentia, vt inquit *Gal. lib. de Arte parua.*

Signa indicantia morbum, ac partem affectam sunt actio læsa, excremento, doloris proprietas, situs, & propria accidentia, & alia sunt necessaria, & propria, & alia, vt plurimùm, & communia.

Signa, à quibus desumantur Tandem dicere possumus, quod signa desumuntur, vel ab essentia, & forma, & natura rei, vt dicemus inferiùs, vniuscuiusque particularis tumoris signa tradendo, vel à causis, vt ex quâ materia, & quibus ex morbis fiunt, vel ab effectibus, siuè symptomatibus, vt à calore, pulsatione, renitentia, & similibus, vel ab analogia, siuè similitudine, vt si quibusdam temporibus quidam particulares morbi vagentur.

Tumores salubres, veluti alij salubres morbi quatuor tempora, vt plurimum habent principium, augumentum, statum, & declinationem, dixi, vt plurimum, propter venenosas inflammationes non lethales, quæ statim vigent, ac florent, ac imperceptibilia ferè hæc habeant tempora.

Vnumquodque ergo horum temporum ex suis signis dignoscendum est.

Signa principij. Signa principij sunt exiguus dolor, & particulæ parua distensio, & fluxionis adest initium, *vt Gal lib. de totius morbi temporibus*, inquit, *Porrò inflammationis principium totum illud tempus existit quo sanguinea substantia pars affecta repletur, & Hipp 2. aph 30.* inquit, *Circa initia, & finem remissiora sunt omnia.*

Signa augumenti. Signa augumenti sunt auctio tumoris in maiorem molem secundum latitudinem, ac altitudinem, & manifesta auctio symptomatum vnuscuiusque tumoris necessariò consequitur, & *Gal. loc. cit. augumenti signa tradendo*, inquit, *Quum autem influxus cessauerit, & quod in particula continetur, putrefieri incæperit, calor quidam ad putredinem nascitur, & fusio magis propter calorem, vnde etiam spiritus generantur, atque ob hæc ambo, particula magis quam antèa distenditur, etiam si nihil influat.* Hoc igitur secundum tempus est inflammationis augumentum.

Signa status. Signa status sunt, cum prædicta omnia, vt tumor, dolor, & alia symptomata ad suum vigorem peruenerunt, nec amplius augeri possunt, quia eorum materia in aliam formam, ac substantiam transmutetur, ac altereretur, *vt Gal. loco citato* inquit, *At quum humor in pus iam vertitur, maximè tunc dolores corripiunt.* Nam in puris generatione dolores, ac febres, magis quam priùs infestant, vt inquit *Hipp. 2. Aph. 47. & hoc tempus vocatur vigor, siuè status.*

Signa declinationis. Declinationis signa sunt imminutio omnium symptomatum, & molis ipsius tumoris, vel materia talis tumoris in aliam substantiam transmutari incipit, *Gal loc. cit.* inquit, *Quod si humor in pus mutetur, vel digeratur, minorem tumorem, atque tensionem efficit, huiusmodi est declinationis principium.*

Tumores item, qui ex humorum affluxu fiunt, vel retrocedunt, vel semper in aperto manent.

Signa

Signa deliteſcentiæ.

Signa regreſſionis, & deliteſcentiæ ſunt ſubita tumoris diminutio, quæ aliquandò ſua ſponte fit, vt ob venenoſitatem, ac malignitatem, vel propter nimiam refrigerationem forinſecus adhibitam, & febres etiam, ac alia praua ſymptomata ſuperuenientia, ac talis tumoris diminutionem conſequentia tumoris regreſſionem indicant.

Tumorum non deliteſcentiũ termination, quòd modis fiat.

Tumores non deliteſcentes quatuor modis terminantur, vel per inſenſibilem exalationem, ſiuè reſolutionem, qui modus eſt optimus, vel per ſuppurationem, quæ etiam eſt bona, vel per induration-nem, quæ eſt mala, vel per corruptionem, quæ eſt peſſima, vt inquit *Gal. lib. de inæquali intemperie*.

Signa reſolutionis.

Reſolutionis ſigna ſunt leuitas membri, deficiens pulſatio, tumoris febris, ac omnium aliorum ſymptomatum imminutio.

Signa ſuppurationis in fieri.

Suppurationis ſigna ſunt dolor intrinſecus, pulſatio, calor, & febris creſcens, vt inquit *Hipp.* 2. *Aph* 47. *Gal. in eius Com. & lib. de totius morbi temporibus*.

Signa indurationis.

Signa indurationis ſunt tumoris imminutio, & cum hac remanens durities.

Signa corruptionis.

Corruptionis ſigna ſunt nigredo, vel partis liuiditas, quibus nonnunquam graueolentia accedit, quibus ſignis præceſſerunt febres ingentes, dolores, inquietudines, vigiliæ, & alia praua ſymptomata.

Signa ſuppurationis iam factæ.

Signa ſuppurationis iam factæ, ideſt abſceſſus, vel exiturę ſunt leuitas quędam partis affectæ, remiſſio, vel ablatio doloris, caloris, tenſionis, pulſationis, ac duritiei tumoris, tumor remiſſus breuior, ac minor factus, tumor eminentior fit, ac in mucronem ſubducitur, ac eleuatur: Huiuſmodi acuties ad albedinem mutatur, cuticulæ ſeparatio, quies vaporum putridorum, & innundatio ſub præmentibus digitis perſentitur.

Animaduertendum tamen, quod non omnia hæc ſigna neceſſariò in omni abſceſſu reperiri debent, ſed ex his aliqua.

Cur prædicta ſigna in ſuppuratione iam facta euaniant?

Modò cur prędicta ſigna euaniant ſingulatim examinemus.

Leuitas, ſiuè partis affectæ alleuiatio perſentitur, quia iam aliqua humorum pars reſoluta eſt, ac etiam, quia humores cocti, & cocta ſanies leuiores, & laxiores ſunt redditi.

Remiſſio, vel ablatio doloris, caloris, tenſionis, pulſationis, ac duritiei fit, quia tunc mala temperies ablata eſt, vel acres vapores partem ſtimulantes, & calor intenſus ſuperatus à natura fuit, & ideò etiam putridi vapores quieſcunt.

Tumor fit minor, quia dum materia putret, & à calore alteratur, tunc caleſcit, & caleſcendo vapores eleuantur, qui cutem extendunt, facta verò concoctione ceſsant vapores extendere, & ideò diminuitur tumor.

Tumor fit eminentior, quia cum natura materiam concoquit, illam vincit, ac in vnum cogit, & ad extimum cutis tranſmittit, & ideò etiam pars illa acuminata, & alba redditur, cum pus, quod ſub cute continetur, album ſit.

Cuticula ſeparatur, quia calore illo extraneo priuatur.

Innundatio perſentitur ob liquidam materiam, quę ſub cute continetur, quod ſignum non in omni ſuppuratione appareret, vt inquit, *Hipp.* 6. *Aph.* 41. *ob puris, ac loci craſſitiem, & in aliquibus etiam partibus ſanis innundatio perſentitur, vt circa articulos, ideſt circa genua, in partibus lateralibus, & in reliquis craſſis articulis humani corporis, & aliquandò etiam in duro tumore innundatio percipitur ob materiæ colliquationem, quæ tamen non eſt cocta, cum eliquatio à coctione differat.*

Signa tumoris per congeſtionem orti.

Signa tumoris per congeſtionem orti ſunt aliqua præcedens cauſa, quæ affectam partem debilitauit, nulla adeſt totius corporis repletio, à principio paruus apparet tumor, ac paulatim augetur, ſic dolor à principio paruus, deindè maximus fit, & venæ in circuitu tumidæ non apparent.

Signa tumorum per humorum affluxum.

Signa tumorum per humorum affluxum ſunt repletio totius corporis, vel alicuius ſuperioris partis citò augentur, & in parte venæ tenſæ, tumidæ, ac repletæ, quæ priùs non apparebant, percipiuntur, doloreſque grauiſſimos afferunt, & citò terminari ſolent.

De Prognoſticis Tumorum P. N.

Quæ prædicanda?

IN Prognoſticis, tria præcipuè debent prędici, vt inquit *Gal.* 4. *de Præſag. ex pulſibus*. In primis, quis ſit futurus exitus rei, de qua agimus, ideſt ſi ſalutiferus, vel mortiferus ſit talis tumor. Secundò mutationis tempus, an citò,

tò, scilicet, vel tardè, qua die, qua hora, & denique quo tempore accidet; Tertiò modum præsagire oportet, si talis tumor per resolutionem, vel per suppurationem, vel per indurationem, vel per corruptionem sit terminaturus.

Similiter *Gal. 3. de Crisibus cap. 5.* inquit, *Quòd ad benè prædicendum oportet conferre vires ægrotantis cum morbi magnitudine, & prægnoscere morbi statum, ideſt quandò sit futurus.*

Et primò *ad Glauc. cap. 10.* inquit, *Non licet nobis benè prædicere, nisi quantitatem morbi, atque virium accuratè expendamus*; Etenim si vires adeò validæ fuerint, vt morbum vincere possint, necesse est ægrum euadere, sin verò contrà, omninò morietur,

Ad benè ergò prædicendum considerandus est tumor si sit magnus, vel paruus; tumoris genus si sit malignus, vel benignus: pars similiter affecta, si sit nobilis, vel ignobilis, principalis, vel principali parti deseruiens, tumoris tempus etiam considerandus, in quo statu sit, vel in principio, vel augumento, vel statu, vel declinatione.

Si citò, vel tardè terminaturus sit ægri vires, etiam considerandæ si debiles, & imbecillæ, vel validæ, & robustæ, vt exempli gratia, si tumor, vel abscessus sit iuxtà aliquod membrum nobile, vel propè iuncturas, & in venosis, ac neruosis partibus, & in debili particula, ac pauco calore prædita, & huiusmodi tumor sit ex maligna materia ortus, pessimiq; tumores vagentur, vel sit ex crassa materia genitus, & in parte dura, ac tensa cute obducta. Si sit etiam talis tumor planus, & æquabilis, & non in sublime eleuatus. Dicendum, quòd talis tumor est admodùm suspectus, vel ægrè, tardèq; maturabitur. Qui verò huic aduersùs, & contrarius fuerit, boni moris erit, & citò, & facilè maturabitur.

Gal. 8. Meth. inquit, *Quòd glandulosa corpora imbecilla omnium cum sint facilitèr alterationes recipiunt tumoribusq; præter naturam (quos bubones appellant) celerrimè corripiuntur, quùm aliàs tùm maximè, vbi præter magnam arteriam, aut venam fuerit Vicus aliquod ortum.*

Et lib. de inæquali intemp. inquit, *Optimum est abscessionis genus, si abscessus aliquandò fiat in capacitatum, quæ proximæ sunt tùm maximè, tùm minimè momentaneam; Aliàs in non momentaneam quidem, non tamen maximam, interim in maximam, non tamen momentaneam.* Ac quę in ventriculum incidit abscessionum optima est, quæ in sinum eius internum abit, in quem etiam plerumque se aperiunt: Mala verò, quæ sub peritoneum. Pari modo in ijs, quæ circa cerebrum existunt. Bona est, quæ in priores ventriculos eius abscedunt; mala, quæ sub inuolucris ipsius, & quæ etiam in posticum eius ventrem se recipit. Qui verò circà costas colliguntur abscessus, ij in capacitates erumpunt pectoris. At musculorum abscessus sub cutem; Viscerum autem in arterias, & venas, quas in se continent, vel in membranam, quæ ipsis prò cute est.

Eodem etiam lib. inquit, *de tumorum terminatione loquens, Ita alterum duorum sequi est necesse, vt si fluxio vicerit, corruptio sequatur victorum corporum. Sin fluxio sit victa, vt musculi ad naturalem statum redeant.*

Hipp. pr. Prog. 38. inquit, *Si verò mollior tumor est, nec dolet, præsusque digitis cedit, diuturniorem efficit iudicationem, ac minori cum periculo est.*

Text. 40. inquit, *Quicumque ergo tumor dolens, durus, & magnus est, periculum mortis breui fore significat.* Quicumque verò mollis non dolens digitis cedit præmentibus, diutiùs immoratur.

Text. 41. inquit, *Tumor, qui in ventre fatigat, minùs facit abscessum, quàm qui in Ilijs (quoniam, vt inquit) Gal. in Com. in Ilys maior adest calor copia) & tumores subter vmbilicum rarò in pus vertuntur.*

Text. 44. declarat quæ ex suppurationibus sit optima, & quæ pessima, dicens, *Ex suppurationibus, quæ foras vertitur optima est, si parua est maximèque egreditur, & in sublime resurgit, quoniam, vt inquit, Gal. in Com. indicat robur foras expellentis facultatis.* (Si verò magna est, & lata, minimèq; in mucronem subducitur, pessima est) *Deindè text. 45.* subiungit, *Quæ verò introrumpitur, optima est, si cum exteriori sede nihil communicet, sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor apparet.*

Auic. 3. 4. cap. 20. inquit, *Ex apostematibus, quæ in neruosis partibus oriuntur, pessima inducunt symptomata, quæ verò in*

articu-

articulis oriuntur, tardè suppurantur, & pessima sunt.

De Curatione Tumorum in vniuersali.

Curatio quid sit?

CVratio est recta, & conueniens remediorum vsurpatio.

Remedium quid sit?

Remedium est id, quod affectum præter naturam remouet.

Curatio recta in quibus cõsistat?

Recta curatio in tribus consistit, in reperiendo genus remedij, debitam quantitatem, & modum vtendi.

Animaduertenda in tumorũ curatione.

In curandis tumoribus videndum, ac animaduertendum, in primis, est si huiusmodi tumores facti sint ex congestione, vel fluxione, & si sint in fieri, vel in facto esse, & si sint in principio, vel augumento, vel statu, vel declinatione, cùm hæc omnia curationem euarient. Curatio igitur, vt inquit *Gal. lib. de Arte parua cap. 90. à causæ ablatione auspicanda est*; *In tumore ergò cùm pars affecta sit repleta, vacuatione curatur*, vt inquit, *Gal. 13. & 14. meth. Quid verò in primis sit faciendum, optimè explicat Gal. lib. Artis med. cap.* 40. dicens, *In primis oportet euacuare vniuersum corpus, deindè autem, quod in partem influit ad contraria loca retrahere*: Quod quidem vbi fecerimus, priùs repellemus à parte, quàm aggrediamur discutere, & quò mitiora præsidia fuerint, eo erit longè aptior euacuatio, *& 2. lib. ad Glauc cap. 2.* inquit, *In curatione inflammationis duo magni committuntur errores, vbi statim in ipsis auspitijs, vel nulla de toto corpore prouidentia habetur, vel ipsum calefit, atque humectatur membrum, deindè subiungit*; At qui rationem simul, & experientiam sequuntur ij totum in primis corpus vacuare quibuscumque vacuationibus consulunt; Ipsam verò inflammatam partem perfundere, ac superlenire ijs, quæ id, quod influit, repellendi vim habent, ac denique, quod in membro patiente continetur, educere, vimque, ac robur adiungere ijs partibus, quæ iam effectæ sunt.

Euacuatio ergò pluribus modis fit, vel repellendo materiam cum repellentibus, vel materiam per partem affectam euacuando, quod duobus modis fit, vel illam insensibiliter resoluendo discutientibus, ac resoluentibus medicamentis, vel sensibiliter eam euacuando, partem scarificando, & incidendo.

Si tumores fiant à congestione, quod iam factum est, euacuari debet, vel resoluentibus, vel sensibiliter euacuantibus, & pars si fit imbecilla, roboranda, & si aliqua intemperie laboret, talis intemperies per sua contraria corrigenda.

Si fiat à fluxione, quod influit inhiberi, ac prohiberi debet repercutientibus, siuè repellentibus, reuellentibus, & intercipientibus, vt inquit *Gal. 13. meth cap. 2.*

Repercutientia, vbi non competunt

Septem verò sunt casus, in quibus repercutientibus vti non debemus.

Primus, quandò tumor sit in emunctorijs, vt inquit *Gal. 6. de comp. med. per loca cap. 2. ne materia ad partes principes repellatur.*

Secundò, quandò materia est venenosa, vt in pestilenti bubone, ne huiusmodi maligna, ac venenosa materia ad aliquod nobile, ac principale membrum repat, ex quo maior læsio sequatur, vt inquit *Gal. 3. de med. secund. locos cap. 1.*

Tertiò, quandò tumor criticus est, vt inquit *Hipp. pr. Aph. 20. Ad hanc conditionem hoc adiungendum*; *Nisi crisis fiat errore naturæ, aut ad aliquod nobile membrum materia fluat.* Nam si ad aliquod nobile membrum natura humores transmittat, repercutientibus vti debemus, ne maius malum sequatur.

Quartò, quandò tumor fit in corpore pletorico, vel cacochimo, *vt 3. de comp. med sec. locos cap. 2. Gal.* inquit.

Quintò, quando pars tumore affecta est nimis imbecilla, & pauco calore prædita; periculum enim est, ne repercutientibus calor extinguatur, & partis corruptio sequatur, vt inquit *Gal. 13. meth. cap. 16. & 6. de comp. med sec. locos cap. 7.*

Sextò, quandò cum tumore vehemens adest calor, quoniam tunc anodinis eget, & ex repellentibus pars exasperatur, ac dolor augetur, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 2.*

Septimò, quandò tumor fit iuxtà aliquam principem partem, ne repellentibus princeps illa pars offendatur, ad eam humores recurrendo, vt in faciei, aut colli erisypelate, in qua si repercutientibus vtamur, periculum est, ne phrenesis, aut angina ex humorum repercussione sequatur.

Alij Autores, vt Guido, tres casus adiungunt, *vt si fluxio à causa primitiua fiat, Si materia sit impacta, & si materia sit crassa.*

Quòd

Quòd verò non debeamus repellere in tumoribus à causa primitiua, siuè externa ortus, falsissimum est (nisi vbi adsit materia venenosa) cuius sit contra experientiam, cùm etiam mulieres pueris decidentibus statim cartam aqua simplici, vel rosacea madefactam imponant, vt tumor cesset: & nos etiam in vulneribus, contusionibus, & distorsionibus, statim posca, aut aqua frigida, aut oui albumine, aut alijs repellentibus, vtimur, ne aliquis tumor fiat.

Ad id, quod dicunt, materiam impactam non esse repellendam; Dicendum, quod in tumorum principio nunquam materia potest esse impacta. Quandò verò est impacta *Gal. 13. meth. cap. 6.* inquit, *non esse repellendam, cùm repelli non possit.*

Ad id verò, quod aiunt, materiam crassam non esse repellendam: Respondendum rarò euenire, vt in principio tumoris materia sit ita dura, & crassa, vt repelli non possit, cùm præcipuè huiusmodi materia per arctissimas vias, ac densos, ac compactos meatus transeat, & dato, quod materia sit crassa, dummodò mouetur, ac fluit retrò etiam pelli potest. Immo quantò crassior est materia, tantò robustior exigit repellentia, *vt Gal. 13. meth. cap. 16.* docet, *qui in achoribus bilijosis refrigerantibus vtebatur, & in pituitosis, vbi crassior fluit materia astringentibus.*

In materia ergo frigida calidis repellentibus vtimur, & in materia calida vtimur repellentibus frigidis, vt *Gal.* inquit,

Med in tumorum principio com. venientia, ac alijs temporibus.

In principio tantùm repercutientia competunt, vt viæ, per quas fit fluxio adstringantur, & pars affecta roboretur, vt optimè Gal. lib. de tumor. P. N. vbi inquit, *Cuius sanè defluxus priusquam sit impactus facillimè his, quæ refrigerant atque adstringunt, repellitur, præsertim si tumor fuerit exiguus.* Vbi autem fluxio impacta iam tenaciter hæserit, nullum ab astringentibus, & refrigerantibus auxilium admittit; indiget autem euacuari.

In augumento cum repercutientibus aliqua resoluentium portio commiscenda, vt influxus prohibeatur, & quod iam fluxum est, resoluatur.

In statu repellentia, & resoluentia pari portione competunt.

In declinatione Solis resoluentibus vti debemus: Si per resolutionem talis tumor terminari velit, vt inquit *Gal. 13. meth.*

Si verò ad suppurationem tendat, calidis, & humidis, adiuuari suppuratio debet, vt inquit *Aetius serm. 14. cap 31. & Gal. 13 meth. optimè verò Gal. 3. de simp. med. fac. cap 9.* hoc explicauit, dicens,

In principio siquidem quæ refrigerant, atq; adstringunt per incrementa verò tepida, & mediocriter adstringentia; At in vigore, ac statu inflammationum quacumque tùm moderatè calefacere tùm laxare possunt, magis competunt; sicuti in declinationibus quæ valenter calefacere & discutere, lib. verò 6. de comp. med sec locos, inquit, *In vniuersum autem austeriora quidem in principijs, & vehementibus influxionibus congruunt, moderatiora in vigoribus & magis discussoria in declinationibus.*

Si verò fluxio à natura fuerit victa, inquit *Gal. lib. de inæquali intemp. Quòd duplex hìc incidit curationis genus, nempè, aut discusso omni eo, quod in partem confluxit aut coctio.* Sed cum superiùs diximus, quod fluxio excitatur à parte mittente valida, & à parte recipiente debili, vel calida, vel dolente, vel inferiori loco sita, & alijs superiùs dictis: Pars verò mittens, vel à copia materiæ irritatur, vel à mala materiæ qualitate, siuè sit manifesta, siuè occulta, vel ab vtraque. Si ergo materia ratione quantitatis partem mittentem stimulat, quantitas tollenda est, & hoc fit optimè venæ sectione, nisi quid prohibeat, cum per exercitia euacuatio in tumoribus ex fluxu non competat, cum ex motu fiat calor, & calor est nouæ fluxionis causa: nec per frictiones propter eandem rationem, nec per balnea cum fusionem, ac humorum liquationem efficiant, nec per medicamenta digerentia, vel per inediam competit euacuatio, cum huiusmodi multum temporis requirant, nec euacuatio per purgantia medicamenta competit, cum non omnes humores æqualiter euacuent, ideo venæ sectio in pletora competit. Quæ verò vena sit secanda, docuit *Gal. 13. meth.* dicens, *Si laborent partes supra thoracem, media, vel externa vena secanda. Si partes supra iecur, interna. Si partes infra iecur, poplitis, vel malleolorum, seruata semper rectitudine.*

Si

Si verò pars mittens ab humoribus mala qualitate præditis stimuletur, huiusmodi cacochimia purgantibus medicamentis tollenda est.

Si verò materia stimulans sit venenosa, alexipharmacis talis materia euacuanda est, & eius malitia corrigenda.

Si verò à pletora, & cacochimia simul partem mittentem stimulent, & venæ sectio, & purgatio competit; Verùm si cacochimia ex alicuius morbi intemperie proueniat, talis intemperies suo contrario corrigenda. Sic si ex qualibet alia causa fiat, illa causa est remouenda, vt inquit *Gal. 8. meth.*

Si excitetur fluxio à parte recipiente debili, vel quia calida, vel dolet. Huiusmodi pars roboranda, ne ampliùs fluentem humorem recipiat, & si sit calida refrigeranda, & si sit dolor doloris causæ auferendæ, & per an odina mitigandus est dolor.

Reuulsiones non sunt prætereundæ, vtque *Gal. 8. meth.* inquit, *Manu laborante scarificanda esse crura, crure altero affecto, reliquum scarificandum esse; sic etiam in oppositis partibus frictiones, ac vincula competunt*, vt inquit *Gal. 13. meth.*

De Curatione Abscessuum in vniuersali.

Abscessus, siuè apostema, quid sit?

ABscessus, siuè apostemata, vel exituræ, vt inquit *Gal lib. de tumoribus præter naturam & 2. ad Glauc. Sunt dispositiones, in quibus abscedunt atque corpora, quæ priùs se contingebant, inuicem distant, materia, quæ huiusmodi tumores excitat extra carnem musculi propulsa continentia à subiectis deducit, & abscedere facit; Spatium igitur*, vt inquit *Gal. vacuum in medio fieri oportet, quòd aliquam substantiam spirituosam, vel humidam, vel mixtam ex vtrisque comprahendit, quæ temporis diuturnitate in multiformes, ac varias substantias alteratur.*

Abscessus, quot modis fiat?

Duobus autem modis abscessus fit, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. & 14 meth. Alter est cum inflammatio est in pus versa, & pus ipsum tanquam in sinu aliqua est collectum; Alter est quandò aliquis humor, vel spiritus aliquis vaporosus aut substantia ex vtrisque mixta absque inflammatione in parte aliqua colligitur, quòd etiam bifariam fit, vel per congestionem, vel per defluxionem.*

Quomodò etiam abscessus fiat, idem *Gal. lib. de tumor. præt. nat.* inquit, dicens, *Vbi verò procedente tempore vicerit quidem natura.* Fluxio autem omnis cocta fuerit, ac genitum pus extra carnem id pellitur à facultate, quæ in ea est expultrice. Quòd si meatus naturalis conspicuus sit, vel locus rarus existat, pus sanè partim perspirat, partim sensibiliter effluit. At si incumbens cutis densa, duraque extiterit, ibi pus detinetur, atque eam à subiecta ipsa carne dirimit, deinceps sui acrimonia corrodit, & foras egreditur, nisi quis eam scarificatione peruertat. Ex quibus verò abscessus fiant, eodem loco subiungit, dicens, *Non solùm ex inflammatione abscessus gignuntur, hoc est deductiones particularum. Sed statim à principio interdum proueniunt ptopter humorem aliquem, qui temporis processu excoriat, atque à contentis continentia dispescit, quod etiam* inquit, 14. *meth.* dicens, *Ita frequenter fieri Atheromata, steatomata, & Melicerides.*

Abscessus quibus in locis fiãt?

Loci verò, in quibus abscessus fiunt, sunt, vel inter duas tunicas, vel sub quibusdam membranis, cum materia, quæ abscessum facit; spatium sibi moliatur, & si huiusmodi materia putredinem contraxerit, & si sit acris, circumposita corpora excoriat, vel copia distendit. Si verò diù in tali sinu persistat, plures habet alterationes, atque in varias substantias transmutatur, vt in lapides, carbones, arenas, & similes, vt superiùs dixi.

Curatio abscessuũ

Si tumor igitur in abscessum degeneret *Gal. 2. ad Glauc. cap. 6.* inquit, *Quòd eius curatio per initia fit per mitigatoria remittentia, ac relaxantia auxilia, sicuti est Gal. tetrapharmacum, quod fit ex cera resina & pice colophonia, & seuo taurino pari portione, cui aliquid melis admiscendum*, vt inquit *Gal. 13. meth.*

Procedente vero tempore, vti debemus concoquentibus maturantibus, ac suppurandi vim habentibus, quod tantùm facere debemus, vbi partes, quæ tumore infestãtur, vehementius pulsant, sic vt iam de horum curatione citrà pus, desperetur, antè vero nequaquam, *vt 14 meth. Gal. Competit ergo tunc illud cataplasma à Gal. propositum 2. ad Glauc. c. 2.* quod à triticea farina

in oleo, & aqua simul cocta constat, vel aliquod simile.

Apostema, quando aperiendũ & quomodò.

Quandò materia abscessum faciens in alienam substantiam, ac toto genere præter naturam degenerauerit, & maturum apostema fuerit, tunc aperiendum, quòd fieri debet, vt inquit *Gal.* 14. *meth Tutò, citò, & iucundè*; *Vtque citò cures*, inquit, *ad tria attentus esse debes*: Primùm, vt operis absolutionem consequaris. Secundùm, vt si hoc assequi non possis, tandem non noceas. Tertium, vt vitium non facilè reuertatur. Concoctionem, siuè apostematis maturationem, vt inquit *Gal. lib. de inæquali intemp. hæc duo necessariò sequuntur*, *Puris generatio, & eius in aliquod spatium abscessio.*

Curatio quomodò fasienda? Apostematis maturationem, quæ consequantur?

Curatio ergo apostematis, quatenùs apostema est, extractio est materiæ extraneæ, quæ excitat apostema, vt *Auic.* inquit, quæ duobus modis fit, vt inquit *Gal.* 8. *meth. vel per digestionem vel sectionem*, dicens, *Si pus aliquod notabile in suppurante particula sit contentum non expedit incidere protinùs, sed digestionem moliri medicamentis ad id valentibus. Si verò puris copia medicamenta superet & digeri non possit, ad sectionem veniendum est.*

Materiæ extractio, quot modis fiat?

Apostematis maturatio quãdò non expectanda?

Aliquandò non omnimodam, ac perfectam maturationem expectare debemus in apostemate aperiendo, & potissimùm id moliendũ, quandò aliquam extorsionem timemus, vel neruorum partium putrefactionem, vel aliud quodus nocumentum

Apostematis apertio quibus, & quomodò fieri debeat?

Apostematis aperto tutius fit ferro, quàm cauticis medicamentis, & debent fieri pro ratione, tùm quantitatis, siuè copiæ materiæ ibi collectæ, tùm etiam loci affecti, vt inquit *Gal.* 13. *meth cap* 5.

Non debet verò magna fieri sectio, ne pars debilitetur, & ad motum ineptior reddatur, & ne turpis, ac magna cicatrix inducatur, & ne partes subiectæ ob magnam incisionem ab aere alterentur, vt inquit *Gal. loc cit. & 8. de vsu partium.*

Incisio in apostematibus, quomodò fatienda?

Forma sectionis, qualis esse debeat, optimè explicat *Gal.* 8. *meth. & 13. eiusdem meth. & Aetius serm.* 14 *cap.* 32. & omnes boni Auctores sunt concordes, quòd quandò aliqua portio suppurantis computauit, vel magna copia, præsertim crassæ materiæ intrà abscessum continetur, vel si abscessus fuerit in axillis, vel in inguinibus, forma incisionis, ideſt hiatus, debet imitari formam foliæ oliuæ, vel mirti, & in abscessibus axillarum, vel inguinum longitudo per transuersum ducta esse debet, non autem per membri rectitudinem; Quippè ita, dum membrum inflectimus, naturaliter cutis sibi applicatur, vt inquit *Gal.* 13. *meth. In alijs verò locis simplici incisione ferè semper competit, & si tantùm cutis sit secanda, tunc semper eius rectitudo seruanda est; si verò & musculus cuti subiectus secandus sit, sectio secundum musculi fibras facienda.*

Apostema, quo in loco aperire debeat,

Quo verò in loco sectio fieri debeat, dixit *Gal.* 8. *& 13. meth. cap.* 5. dicens, *Eo potissimùm loco sectio fieri debet, quod est editissimum, obseruata interim effluxus indicatione, quippe tenuissimam illic inuenies cutim.* Debet verò alia indicatio obseruari, quæ ad effluxum pertinet, vt facilè materia in apostemate contenta euacuari possit, & sic ad ambo respiciendo, quòd suppurauerit incidendum est.

Præcepta obseruanda in apostematum sectione.

In apostematum sectione, vt omnes boni Auctores inquiunt, septem attendenda sunt.

Primùm, vt sectio oleo loreo fiat, vbi materia continetur.

Secundò, vt in loco inferiori fiat, vt melius euacuatio fieri possit.

Tertiò, vt fiat secundùm rugas, & processum musculorum, præter quam in axillis, & inguinibus, vt superiùs diximus.

Quartò, vitentur nerui, venæ, & arteriæ, quoad fieri potest.

Quintò, vt non tota materia simul, ac semel educatur, præsertim in magnis abscessibus, ne ex nimia, & subita inanitione, & spirituum resolutione virtutis sequatur prostratio.

Sextò, vt blandius, & minimo, quàm fieri potest, dolore, locus tractetur.

Septimò, vt facta apertione, dolor in primis lenitur, postea detergatur, carne impleatur, & tandem ad cicatricem perducatur *Gal.* 8. *meth* inquit, *Post sectionem verò medicamentum aliquod eorum, quæ sine morsu siccant, impone, & 13. meth.* inquit, *Quin etiam mitigare prius incisam partem oportet fomentis primùm, deindè cataplasmate, mox humectante aliquo medicamine, aut non siccante, singulis, scilicet extrinsecus impositis. Nam in ipso vlcere tùm mannam, tùm pus mouentia,*

deindè

deindè, quæ expurgant sunt imponenda. Postquè si cauitas adsit, quæ impleant, adhibenda sunt, sin minùs ea, quæ cicatricem inducunt, quibus vti debemus prius, quàm vlcus ad æqualitatem prorsùs impletum fuerit, ne ipsa fortè cicatrix circumposita sit cute eminentior.

Incisio quibus instrumentis fiat?

Instrumenta, quibus fit sectio sunt nouacula, qua paruos abscessus incidimus; Secundum est gladiolus mirtaceus, vel phlebotomum, vulgò *Lancetta* dicta, vt inquit *Gal. 14. meth. cap. 17. & Paul. lib. 6. cap. 32.* & hoc vtimur in oris abscessibus, & similibus locis. Tertium est gladiolus incuruus, vulgò *Gambaut* dictum, qui perfrequentissimè est in vsu.

Quartum est instrumentum instar falcis, quo vtimur in incidendis faucium abscessibus.

His ergo omnibus debet esse munitus Chirurgus, vtq; acutissimè incidant curare debet, vt minorem dolorem inferant, & semper talia instrumenta inuncta tenere debet, ne rubigine tententur, quoniam rubiginosa instrumenta inflammationum, ac aliorum prauorum symptomatum essent causa.

Symptomatibus post sectionem euenientibus, quandò occurrendum?

Facta ergo sectione, symptomatibus succurrendum est, vt sanguinis fluxioni, cum oui albumine, ac alijs talem facultatem habentibus: dolori cum anodinis liniendo partes circumsitas cum oleo chamemoli: animi deliquio, vt in timidis, aspergendo eorum faciem cum frigida, vel aceto, vel ponendo in eorum os offam ex vino generoso, vel citri, vel limonum acidum, vel quid simile. Si verò post sectionem circum circà durus tumor remaneat, maturatiuum emplastrum superponendum primis diebus, vt residuum coctionis adiuuet, & est etiam in causa, ne in stupparum remotione sequatur dolor, cum oui albumen non sit nimis exsiccatum. Posteà medicamentis digerentibus, deindè detergentibus; posteà cauitatem replentibus, & tandem optima carne sinu repleto, cicatricem inducentibus vti debemus, vt inquit Galenus locis superiùs citatis, & Aetius, ac alij boni Autores, & sic finem nostrum assequemur, & hæc pro vniuersali abscessuum curatione sufficiant.

De Tumoribus præter naturam in particulari.

CVM superiùs vsque adhuc de tumorum, ac abscessuum in vniuersali fuerit dictum: Modò ad particularem tumorum pertractationem deueniendum, & cum in massa sanguinea quatuor contineantur humores, ex quorum quolibet proprij tumores aliquandò in corpore excitantur: Modò de horum quolibet verba faciemus, incipiendo à tumoribus, tuberculis, & pustulis, quæ à sanguine proueniunt.

Tumores, Tubercula, & Pustulæ à sanguine.

EX Sanguine ergo fit phlegmon, gangrena, sphacelus, pernio, phygethlon, phyma, carbunculus, furunculus, epynectis, terminthus, ac ecthymata.

De Phlegmone. *Cap. II.*



VT ordinatè indè phlegmone pertractando procedamus, vt in alijs fecimus, in primis videndum, ac animaduertendum, quot modis ab antiquis phlegmon, siue inflammatio accipiatur.

Quot modis ab antiquo phlegmone accipiatur?

Auic. 3. 4. tract. p. cap. 2. inquit Quòd Phlegmon tria significat: Primò exarsionem, in qua tantùm adest intemperies sine materia, ad quam febris reduci potest, & exarsio dicitur ad differentiam inflammationum cum materia, vt *12. meth. cap. pr. & 2. ad Glauc. cap. pr. ex Galeno elicitur.*

Secundò, phlegmon significat quamlibet inflammationem communiter cum materia, idest omnes calidos tumores tàm ex sanguine, quàm ex bile, vel quolibet alio humore obortos, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. p & Paul. Aeg. lib. 4. cap. 17.*

Tertiò, sumitur phlegmon pro illa in-

flammatione, quæ à sanguinea fluxione fit, de qua nunc verba facturi sumus.

Phlegmone quid sit

Quid verò phlegmone sit, pluribus in locis declarat *Gal. & lib. de tumor. præter nat.* inquit, *Phlegmone dicitur tumor carnosarum particularum, vbi cum tensione, renitentiaque, nec non dolore pulsatili, & calido, ruboreque maiorem sibi tumorem contrahit.*

Lib. verò de optima secta & de diff. morborum inquit, *Inflammatio est tumor præter naturam dolorificus, tactui renitens, durus & calidus partem ipsam, quam antea nec rariorem nec densiorem, nec etiam duriorem efficiens, sed humoris superuacui affluxu repletam, atque ea de causa distentam.*

Paulus Aeg. lib. 4. cap. 17. sic definit, *Phlegmone tumor quidam est rubeus, cum dolore multo, renitens tactui, calensque ex sanguine, ceu relatum est, non prauo ortum habens.*

Sic igitur ex superiorum Auctorum mente phlegmonem definiemus.

Phlegmone siue inflammatio est tumor præter naturam calidus rubicundus cum dolore pulsatione, & tensione prominens, & circumscriptus qui saltem gallinacei magnitudine.

Cur phlegmone sit tumor calidus.

Est tumor calidus, quia ex sanguine, qui calidus humor est, prouenit, & huiusmodi calor vehemens est ex inflammatione, ita vt pars vri videatur; Est rubicundus, quia fit ex sanguine, qui rubicundus est, & talis rubedo similis est rubedini, quæ fit ex igne, vel balneo.

Cur dolore infestatur acerbo

Adest acerbus dolor, quia fit ex calore, ex pulsu, & tensione, & eo acerbior est, quo pars eximiori sensu est prædita.

Cur in phleg. pulsatio persentiatur

Pulsatio profunda, & molesta persentitur, quia arteriæ liberè ob nimiam inflammationem, ac humoris copiam dilatari non possunt, & ideò diastolæ partem inflammatam ferit. Distensio similiter fit ex copia humoris renitentis,

De Phlegmonum differentijs.

Phlegmonum species, & quid sint?

PHlegmone, siue inflammatio duplex est, vera, siue legitima; alia non vera, & non legitima, siue spuria, & hæc differentia sumitur à materia, & subiectis. Vera phlegmone est illa, quæ fit à sanguine naturali, & optimo, ac benigno in qualitate, & substantia; peccante tamen in copia magis, quàm sit parti ex vsu, vt inquit *Gal. 3. de locis aff. & 13. meth. Non vera, & in legitima phlegmone ex vitioso, prauo, & non naturali sanguine gignitur.*

Quid sit sanguis, & eius species?

Sanguis est humor calidus, & humidus ex temperatiori parte ipsius chyli genitus. Sanguis item duplex est naturalis, & non naturalis; sanguis naturalis est humor calidus, & humidus, substantia mediocris, colore multùm rubeus, odore suauis, sapore dulcis, mitis, ac benignus. Sanguis non naturalis est ille, qui recedit à conditionibus prædicti naturalis sanguinis, non tamen à natura sanguinis recedit, & intrà suæ latitudinis limites continetur, quia si à sanguinis natura recederet, per propriæ substantiæ commutationem, non fieret inflammatio, cum pars tenuior in flauam bilem, crassior in atram conuerteretur, vt *Gal. 2. de diff. feb. c. 9. & 2. de crisibus c. 12.*

Quot modis sanguis non naturalis fiat?

Sanguis duobus modis fit nonnaturalis, & à propria sua natura degenerat, vel ratione sui, permutata eius propria substantia citra alterius admixtionem, aut quandò massa sanguinis redditur ab hepate crassior, & diminutè cocta, vel tenuior. Altero modo fit nonnaturalis per alterius humoris admixtionem, non quòd fit ita sua natura. Et hoc pluribus potest fieri modis, secundum quòd diuersi humores cum sanguine commiscentur. Cum ergo tres sint humores, qui cum sanguine miscere possint, ideſt bilis flaua, atra, & pituita, tres differentiæ phlegmonis non veræ, & illegitimæ enascuntur.

Phlegmonis non veræ species.

Si cum sanguine igitur exuberante flaua bilis commiscetur, illa inflammatio, quæ ex ambobus fuerit excitata, phlegmone erisypelatodes vocabitur; si pituita, phlegmone, oedematodes. Si atra bilis, siue melancholia, phlegmone scirrodes.

Notandum tamen, quòd prima vox semper morbi speciem denotat in combinationibus, vt phlegmone oedematodes significat sanguinis prædominium, & minorem esse pituitæ copiam, vt inquit *Auic. 2. primi. Vera igitur phlegmone est ille tumor præter naturam, qui fit à bono puroque sanguine*, vt inquit *Gal. 13. meth. & Paul lib. 7. & Auic. 2. prim. Doct. 3. & est morbus in compositione, ideſt in magnitudine aucta, in intemperie, & in solutione continui, vt Galen. 3. de temperamen-*

Quæ sit vera phlegmone?

tis

Quæ partes à phlegmone afficiantur?

tis, inquit, *Quatenùs enim est morbus in compositione, organica membra respicit, quatenùs est morbus in intemperie, simplices partes; Quatenùs est morbus in solutione continui, tàm partes organicas, quàm simplices respicit.*

Quæ verò partes in phlegmone afficiantur, *optimè Gal. lib. de inæquali intemperie explicauit*, dicens,

Ea sunt nerui, ligamenta, membrana, caro ipsa, & antè hæc arteriæ, & venæ, quæ scilicet, & primæ, & præter cætera vario dolore afficiuntur. Interiùs namque à fluxione tùm excalefiunt, tùm distenduntur, & diuelluntur. Exteriùs non modò excalefiunt, sed etiam præmuntur, ac degrauantur; appellaturque morbus ipse phlegmone, quæ musculi inæqualis est intemperies.

Lib. verò de tumor præt. natur. inquit, *Fluxionem suscipiunt cutis, caro, nerui, tendones, membrana, vasorum tunicæ, ac etiam interdum ossa.*

In omnibus ergo his partibus phlegmon fieri potest, sed frequentiùs fit in musculis, quia natura sanguinei, sunt, maiores venas habent, & calidi sunt: Si verò sanguis sit subtilis, inflammatio fit in cute; si crassior, in musculis; si mediocris, medio modo se habet; Verba tantùm faciens de ijs inflammationibus, quæ in externis partibus gignuntur.

Quomodò phlegmone fiat?

Quomodò verò phlegmon], siue inflammatio fiat, *Gal.* 10. *meth. cap.* 6. *lib. de inæquali intemp. cap.* 6. *lib. artis med. cap.* 95. & 14. *meth. cap* 2. dicens, *inflammatio fit cùm copiosior humor ad aliquam partem accedit, & primò implet magnas venas, secundò descendit ad paruas, & ex paruis ad minores, & ex minoribus ad minimas.* Vbi verò in ijs impacta fluxio est, & ampliùs contineri non potest, pars eius per eorum orifitia egreditur, pars per tunicarum foramina ad exteriora percolatur, atque ex ea fluxione spatia vacua, atque intermedia primorum corporum implentur, & sic omnia ab humore omni ex parte incalescunt, ac perfunduntur.

Lib verò de tumor præter nat. inquit, *Cutis igitur vbi secundum naturam se habet, laxa est in ijs qui admodùm crassi non sunt, & locus meatus, cui ipsa incumbunt, existit vacuus, nec secus ea, quæ in carne sunt spatia conspiciuntur inania.* Omnia autem hæc per inflammationes replentur sanguine ex vasis quidem per eorum tunicas resudante. In quacumque autem carnis particula ad modum roris permixtio.

De Phlegmonum causis.

INflammationum, siuè phlegmonum causæ tres sunt, sicuti omnium aliorum tumorum præter naturam, qui ex humorum affluxu fiunt, ideſt primitiua, antecedens, & coniuncta.

Phlegmonum causæ, quæ, & quod sint?

Primitiua causa est illa, quæ ab extrinseco prouenit, & est causa augumenti sanguinis, vt cibus, & potus, & aliæ sex res nonnaturales, vt motus sanguinem fundendo, quies euacuationem prohibendo, sic somnus, & vigilia, & quæ excernuntur, & retinentur, & animi affectus, vt ira, quæ sanguinem attenuat, fundit, vel aliæ occasiones externæ, quæ sunt fluxionis causa, quatenùs in parte affecta, vel dolorem excitant, vel calorem inducunt, vt *Gal. 2. ad Glauc.* inquit,

Doloris causæ, quæ

Doloris causa est solutio continui, vt Gal. 13. meth. cap. 3. & 6. & lib. 2. ad Glauc. inquit, *quæ fit, vel ab externa causa, vt à vulnere, distorsione, contusione, diſruptione, scissione, exercitiorum laboribus luxatione, fractura, & spontaneo vlcere, vel ab interna causa, vt à sanguinis redundantia, quæ distendendo dolorem excitat.*

Calidæ intemperiei causæ

Causa calidæ intemperiei similiter, vel prouenit à causa externa, vt ab aere, vel ab adhibito medicamento calidiore, ac acriore, vel motu, vel venenatorum animalium morsu, & his similibus, vel à causa interna, vt à pletora, quæ etiam fit ab externa causa, vt superiùs diximus.

Antecedens causa est sanguinis boni exuberantia, qui immoderatam venarum repletionem facit, vt *Gal. 2. ad Gluc.* inquit,

Coniuncta phlegmonis causa est sanguis optimus, ac mediocriter crassus, qui influxit, & ipsi membro est infixus, & impactus, vt inquit *Galenus libro de tumoribus præter naturam 2. ad Glauc. capite primo, & de compositione medic. secundo loco, & Paulus Ægidius lib. 4. cap. 17.*

Influxio an fiat?

Cur verò fiat fluxio, optimè declarat

Gal. 13. meth. dicens, *Porrò sanguis copiosior influit alia quapiam, aliisue particulis aliquandò eum mittentibus, ac ea, quæ phlegmone laborare incipit, recipiente; Aliquandò particula, quæ affligitur, ipsum ad se trahente.* Sanè, quæ mittunt partes, aliàs, vt copia superuacuum, vel qualitate molestum: aliàs vtroque nomine sucum propellunt, quæ trahunt, ea morboso calore trahunt: In doloribus incipit quidem causa ab eo, quod affligitur; sed quicquid est phlegmone id superpositæ partes efficiunt,

De Phlegmonum, siuè Inflammationum signis.

Phlegmonis signa, quæ, & cur eueniant?

SIgna phlegmonis, siuè inflammationis, vt inquit *Gal. 13. meth. & 2. ad Glauc. cap pr. Sunt tumor, siuè partis incrementum quòd citò fit, ac crescit, calor, rubor, dolor tensio renitentia pulsatio, ac venarum occultarum apparitio, & febris etiam, vt plurimùm sequi solet*, vt inquit *Gal. 14. meth. & 3. de fracturis cap* 8.

Tumor citò crescit, quia multa adest materia, ex qua phlegmone gignitur, quod ob eandem rationem oedemati etiam accidit.

Calor, & exarsio adest, vt inquit *Gal. lib. de inæquali intemp* quia feruet iam, qui in eo est sanguis, ac secum excalefacit primùm quidem, ac maximè arteriarum, ac venarum tunicas, mox omnia, quæ extra hæc sunt, quibus scilicet circumfunditur, cum ergo sanguis sit in parte constitutus, diffluere nequit, & putrescit, & sic calorem præter naturam acquirit, vt inquit etiam *Gal. 2. ad Glauc.*

Calor magnus similiter in phlegmone ab initio non adest, vt testatur *Gal. lib. de tumor. præter nat.* dicens, *Iam verò pars phlegmonè obsessa non statim ab initio fit immodicè calida, sed procedente tempore, pristina nimirùm perspiratione impedita ex obstructione omnium meatuum.*

Rubor similis colori facrei è balneo exeuntium, vel ex aliqua alia causa calefactis adest, quia sanguis colorem refert, & oritur etiam à multo partis calore.

Dolor vehemens adest, vt inquit *Gal. 5. de locis Aff. cap.* 4. nisi membrum difficilem sensum habeat, tùm respectu calidæ intemperiei, tùm ratione solutionis continui à materia distendente, comprimente, aggrauante, neruosasque partes vellicante prouenientis.

Tensio, & renitentia fit ob materiam infarctam, & constipatam, idest ex sanguine, & spiritibus ab eo genitis, qui dissipari non possunt,

Pulsatio non semper inflammationi adest, sed solùm quandò incrementum suscipit, & ad suppurationem peruenit, vt *Gal. 13 meth. cap. 7. & 9. meth.* inquit, *Pulsatio est magnæ phlegmones proprium symptoma*: Quippequè copioso sanguine in aliquam particulam procumbente orta, altè magis in corpus demittitur, inhibique dolorem pulsatilem cum tensione, & renixu excitat: Persentitur verò pulsatio, quia ob materiæ copiam arteriæ præmuntur, & libere dilatari non possunt.

Venarum occultarum apparitio adest, quia cùm sint nimis repletæ, ideo tument, ac apparent, & ideo rubicundiores, & nigriores sunt.

Febres etiam inducunt partes, quæ inflammationem experiuntur, vt *Gal pr. de diff febr. cap. 3 & 2. de diff febr. cap.* 10. inquit, *Vbi autem constipata excrementa in particula inflammata putruerint, calor quidem præter naturam accenditur qui ab inflammato membro in alia illi vicina, atque ab his in alia successione, quadam extenditur, donec ad cor, aliquandò ipse calor peruenerit, &* 10. *meth.* inquit, *& phlegmones subsequuntur febres propter putredinem humorum, qui in ipsis impacti habentur.* Hoc tamen signum non est necessarium, cum in paruis inflammationibus, & ignobilium partium aliquando febris non sequatur, *ex Galeni mente 4. de causis pul.* vbi inquit, *Etenim in omni parte, quæ inflammata est, hæc necessariò duo accidunt, Calor immodicus, & Tensio, quæ corpori vniuerso communicatur, vbi aut pars nobilis inflammata fuerit, aut insigni prædita inflammatione.*

De

De Phlegmonum, siuè Inflammationum Prognostico.

SI Phlegmones sint in partibus externis, minùs sunt periculosæ, nisi sint admodùm magnæ, in quibus periclitatur, ne calor naturalis suffocetur, & extinguatur ob materiæ copiam, & in gangrenam, vel sphacelum, siuè fideration em transmutetur.

Similiter inflammationem foris introconuerti malum, intùs verò foras existere bonum, vt inquit *Gal. in com. 6. lib. aph. 25.*

Phlegmones item, quæ oriuntur in iuuene, & in corpore non plethorico, & non chacochimo citò curantur; Contra si opposita adsint.

Phlegmone verò magno cum dolore, & in membro nobili, aut exquisiti sensus, in emunctorijs cordi, & cerebro proximis, in est iomenum, aut gangrenam desinens periculosa est.

De Phlegmonis, siuè inflammationis curatione.

Consideranda in phleg. curatione.

QVÆ in phlegmonis curatione sint consideranda, optimè *Gal. 8. meth.* dicens, explicauit, *Vbi igitur particula aliqua phlegmone vrgeri cœperit, videndum est, an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorem, vel ipsius, vel propinquæ alicuius partis hanc ipsam contraxerit, quo scilicet dempta causa phlegmone non amplius increscat;* Deindè proximè expendendum est, numquid vicina aliqua pars sanguinem largius ad particulam phlegmone obsessam transmittat. Posteà verò num totum corpus plethora laboret, cum superuacanea à valentioribus ad imbecilliora transmittantur, quòd inquit etiam idem *Author 13. meth. libro verò artis med. cap. 4.* inquit,

Vniuersalia semper particularia præcedere debent.

In primis oportet vniuersum corpus euacuare; Deinde autem, quod in partem influit ad contraria loca retrahere, quòd quidem vbi fecerimus, priùs repellemus a parte, quam aggrediamur discutere.

Secundò *ad Glauc. cap. 9.* inquit *idem Galen. In curatione inflammationis duo magni committuntur errores, vbi statim in ipsis auspitijs, vel nulla de toto corpore prouidentia habetur, vel ipsum calefit, & humectatur membrum.* Atqui rationem simul, & experientiam sequuntur ij, totum in primis corpus vacuare quibuscunque vacuationibus consulunt. Ipsam verò inflammatam partem perfundere, ac superlenire ijs, quæ id, quod influit, repellendi vim habent, ac denique, quod in membro patiente continetur educere; vimque, ac robur adiungere ijs, quæ iam affectæ sunt partibus.

Considerandæ in euacuationibus faciendis.

Quæ verò in corporibus euacuandis sint considerandæ, *Gal. 2. ad Glauc. cap. 20.* dicens, *Verùm, vt rectè quis euacuatione vtatur, ætatem, anni tempus, regionem, aeris præsentem statum, robur eius, qui efficitur, habitum, & consuetudinem, nec non ipsius membri naturam considerare oportet.* Ex his namque quomodò vacuandum sit, aut minimè, & vndè, quomodò inuenitur.

Sed vt ordinatè procedamus, quemadmodum optimi Auctores semper fecerunt; In qualibet inflammatione curanda quatuor intentiones præcipuè habere debemus. Prima est victum instituere, simulque omnes alias res nonnaturales, vt inquit *Gal. lib. artis med. cap. 85.* Secunda est fluxionis inhibitio, siuè fluentis, & antecedentis materiæ auersio; Tertia est materiæ, quæ in parte se recepit, euacuatio, quæ coniuncta materia etiam dicitur. Quarta est symptomatum, siuè accidentium correctio, siuè remotio.

Prima intentio perficitur optima instituta dieta, quæ superfluam sanguinis generationem prohibeat, genitumque minuat, & ineptum ad fluendum reddat. Tenuis ergò victus esse debet, vt inquit *Actius serm. 14. cap. 31.* vt solùm ægri vires substineat respectu habito ad inflammationis magnitudinem, consuetudinem, ætatem, anni tempus, & maiorem, aut minorem ægrotantis repletionem.

Victus ergo sit tenuis frigidus, & humidus, & vt hordei ptissana, panis lorus cum arantiorum suco, & saccaro, & similia; Pro potu competit aqua, in qua incoctum sit hordeum, vel coriandri semina, vel parùm cinamomi, vt inquit *Gal. 8. de comp. med. sec. loc. cap. 7.* vbi dixit,

In inflammationibus vinum non eſſe exhibendum, exceptis illis, qui habent debilem ventriculum, quibus debile vinum, & oligopherum, quòd caput non petat, concedi debet, & in quantitate pauca dari debet, vt habemus à Gal. pr. ad Glauc. c. 14. qui in ſanguineis fluxionibus vinum, ſed debile concedit. Poſt cibum verò exhibeatur ſaccarum ros. vetus, vel cydoneorum conſerua, vel mala cydonea cocta.

Aer ſit ſincerus, clarus, & ad frigidum tendat, & ſecundum anni tempora magis, vel minùs frigidus eligi debet; In æſtate verò, & in magna inflammatione, frigidior aer eligendus; in hyeme temperatus, & ideò *Galen. 2. ad Glauc. cap. 2. & Paul. lib. 4. & Auic. 3. 4.* dicunt, *Quòd in æſtate actu frigida, hyeme verò tepida ſunt applicanda.*

Quies non ſolùm affectæ partis, ſed etiam totius corporis competit, motuſque euitandus cum ex valido motu corpus incaleſcat, & eliquentur humores, qui poſteà inflammationes augent; Et ſi alicuius partis motus competit, eſt partium contrariarum, ac maximè diſtantium, vt inquit *Gal. 13. meth. cap. 6. Exiſtente inflammatione in partibus ſuperioribus, competit motus partium inferiorum, & è conuerſo*; Tamen illi motus debent eſſe moderati, & ita ne totum corpus excaleſiat, quia obeſſent.

Somnus debet eſſe moderatus, & nocturnus, & diurnus tantùm conceditur, quandò ob dolorem, aut quid aliud, in nocte non dormierit. Lungus ergo ſomnus euitandus, ac profundus, ne calor ſopiatur, & ex caloris concentratione prohibeatur materiæ reſolutio, quæ à naturali calore fit, vt inquit *Hipp. p. prog. 2. Immodicæ etiam vigiliæ euitandæ, cum ſanguinis motum excitent, vireſque reſoluant.*

Aluus lubrica ſeruetur, & niſi ſit natura, arte reddatur, vt Cliſteribus, vel exhibitione caſſiæ, vel quid ſimili, & hoc fieri debet, ne ex retentione excrementorum acres, ac maligni vapores gignantur, qui per totum corpus diffunduntur, maximèque inflammationi nocent. A veneris vſu, ac etiam venereis cogitationibus, velut infeſtiſſimo horte ſe abſtineant, cùm naturalem calorem accendant.

Ab animi etiam paſſionibus, vt ab ira, clamore, contentione, & ſimilibus ſe caueant, cum hæc etiam naturalem calorem augeant, ac accendant.

Secundus ſcopus expetit, vt humorem cohibeamus, ac inhibeamus, ſeù antecedentem materiam auertamus, quòd præcipuè fit; Primùm venæ ſectione, quotieſcumque omnia adſint, quæ dixit *Hipp. 4. de rat. vict. in acutis 19. & Gal. de curandis rat. per ſanguis miſſ. ideſt morbi magnitudo, florens ægrotantis ætas, & virium robur.* Si ergo materia eſt copioſa, magna inflammatio adeſt, & febris etiam magna erit, vehemenſque etiam aderit dolor, quæ omnia magnam, & citam euacuationem poſtulant, & vſque ad animi deliquium, vt inquit *Gal. 23. p aph. Et non ſolùm vbi eſt pletora venæ ſectio competit, ſed etiam ſine illa, vbi ſanguinis feruor, ac dolor adeſt, cùm hæc fluxionem excitent, vt Gal. 13 meth. & lib. de venæ ſectione* inquit, *Phlegmone incipiente, etiam ſi plenitudo non adſit, expedit ſanguis miſſio, & hoc idem* inquit etiam 8. methodi. *Venæ ergo ſectio competit exiſtentibus conditionibus ſupradictis, quia eſt præſidium vehemens, & citò agens, cum humorum præparatione non egeat, & euacuando materiam ſanguini admixtam, inflammationem remouet, vt dixit Raſis lib. 2. tract. 2. cap. prim.* ac etiam per accidens refrigerat.

Requiſita ad venæ ſectionem faciendam

Auic. 3. 4. tract. pr. cap. 9. In magnis inflammationibus purgationem etiam concedit, quòd dixit etiam Hippocrates lib. pr. de rat. vict. in acut. textu 2. & 4. de rat. vict. in acut. animaduertit, quòd quandò duas indicationes habemus, Vnam ſanguinis mittendi, & purgandi alteram; Primùm materia venæ ſectione remouenda, deindè Pharmaco.

Si quid verò venæ ſectionem impediat, vt vires, ætas, vel quid aliud applicandæ cucurbitulæ, & ſcarificandæ; Et ſi phlegmon ob retentam aliquam conſuetam euacuationem fuerit genita, vt ex ſuppreſſis menſibus, hemorroidibus, vel narium hemorragia, proritandæ menſtruæ purgationes venæ ſectione internarum ſaphenarum, & alijs conuenientibus præſidijs. Hemorroides aperiendæ applicatione hyrudinum,

ac

dinum, ac alijs præsidijs: Sic narium venę fomentis ex rebus calefacientibus, ac attrahentibus, & rerum asperarum immissione aperiendæ. Sanguinis euacuatio ex loco pari patienti contrariò facienda, vt *Gal. 13. & 14. meth.* inquit, *ac etiam alibi, seruata tamen rectitudine, quia sic prohibet, ne fluens sanguis ad affectam partem perueniat, & sic reuelendo, ratione vacui retrahit; directo autem sunt, vt dextera dexteris, & sinistra sinistris.*

Quæ vena in phleg. curanda secanda sit?

In contrarietate etiam hoc obseruandum vt in partibus inflammatis supra thoracem humeralis, aut media vena tundatur, in iecoris inflammatione, & omnium aliarum partium suprapositarum, iecoraria secetur in renum inflammatione, & omnium aliarum partium infrapositarum poplitis, aut maleolorum vena tundatur, vt inquit *Gal. 13. meth. cap. 3. & in lib. de curandis rat. per sang. miss. Hoc tamen non semper est obseruandum in artuum inflammationibus, in quibus, vel à coniugibus facienda est reuulsio, vel à superioribus, si ima, aut ab inferioribus, si summa afficiantur, vt in inflammatione genu, & à basilica, vel ab altero crure potest mitti sanguis*, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 2.*

Humorũ auersiones quomodò faciendæ?

Humorem autem auertimus, quandò prædicta non profint, vel si quid venæ sectionem impediat, distrahendo materiam ad alium locum frictionibus, dolorosis vinculis, cucurbitulis scarificatis, & siccis, sanguisugis, rubefacientibus medicamentis, calidis fomentis, inunctionibus cum oleis calidis, & sinapismis, in quibus quoque reuulsionis conditio semper seruanda est, idest, vt fiant in locis contrarijs, vt inquit *Gal. 8. & 13. meth. & 2. lib. ad Glauc.*

Frictiones, quomodò faciendæ?

Frictiones primùm calido loteo fieri debent, deindè manibus oleo lileaceo, vel vulpino, vel nardino, vel costino inunctis, vt inquit *Gal. 13. meth. cap. 6. & 2. de tuenda sanitate cap. 2. Semperque a membri extremitate inchoari debet, & sensim deueniendum ad summum.*

Quo facto rursus incipiendæ frictiones à summo, & sensim descendendo, in extremitatibus sunt finiendæ, & causa est, quia per primas frictiones humores mouentur, per secundas deorsùm trahuntur.

Vincula incipienda in partis summitate, ad quam reuellendum est, deindè ad inferiores partes descendẽdum est, vinciendo iuxtà artus per quatuor digitorum spatiũ, & vinculis dolor excitandus, tamque diù pars stricta tenenda, vt reliqua pars non mortificetur; Deindè, & sensim ligare partem, & soluere possumus. Et non solùm prædictis præsidijs, ne materia ad affectam partem confluat, & venæ sectione, & lenientibus pharmacis prohibere debemus. Sed etiam sanguinem nimis excalefactum intrinsecis, & extrinsecis præsidijs refrigerare debemus, & huiusmodi refrigerantia etiam competunt ratione febris, quæ vt plurimùm phlegmones comitari solet; vel ratione partis mandantis, vel sanguinis calidioris generantis, vt ob iecur calidius. Si verò sanguis, qui ad partem confluit, ob nimiam eius tenuitatem mobilis sit, incrassandus syrupis ad hoc aptis, ac alijs talem facultatem habentibus; viæque constringendæ, & vehiculum, idest serum, quod fluxilem eum reddit euacuandum, ac auferendum. Qui verò syrupi, & quæ medicamenta hoc efficiant, breuitatis causa non ponam, cum quilibet mediocriter in medica arte exercitatus optimè sciat.

Vincula, quòd, & quibus in locis adhibenda?

Tertium scopum, qui est humoris iam in parte recepti, idest materiæ coniunctæ euacuatio, quinque præcipuè assequimur.

Primò reuulsione, vt superiùs diximus, qua etiam materiam in parte contentam euacuamus, vt in angina mittendo sanguinem à cubito.

Secundò deriuatione, idest quandò aliquam propinquam venam, vel in propinqua parte secamus, vt in angina, non amplùs fluente materia, venas sub lingua secamus.

Tertiò, repulsione, cùm non modò, quòd impletum est, digerentibus medicamentis vacuetur, sed etiam ijs, quæ astringunt, & refrigerant, vt inquit *Gal. ad Glauc. cap. 2. Quæ sanguinem influentem aliò propellendo, eum ad inflammatam partem peruenire prohibent, & alia sunt ex his medicamentis, quæ influentem sanguinem intercipiunt, idest quasi in itinere detinent, quæ facultate sunt frigida, & sicca, ac adstringentia, quæ vasa constringendo sanguinis fluxum prohibent, & huiusmodi defensiua appellantur.*

Defensiua quo loco applicanda?

Quo verò in loco applicari debeant, dixit *Gal. 4 de comp. med sec. gen. Idest vasis intermedijs propè partem affectam & supr. artic. vbi vasa excarnia sunt, applicentur.*

Quarto,

Quartò, ſcarificatione, & ſectione, quæ non omni inflammationi competit, ſed ei tantùm, quæ ad ſuppurationem venit, neq; etiam omni ſuppuratæ inflammationi competit, ſed ei, quæ non poteſt, reſoluentibus medicamentis, ob puris copiam euacuari. Cùm ſit pus aliquod in ſuppurante particula ſit contentum, etiam ſi in magna ſit copia, non expedit incidere protinùs. Sed digeſtionem moliri medicamentis ad id aptis, vt *Gal.* 8. *meth. eodem etiam loco* inquit, *Vbi vehementer glandulæ diſtentæ ſunt, aut alia quæuis particula quam præmit phlegmon, cogimur, toto corpore priùs euacuato ipſam confricare*; & 2. *ad Glauc cap.* 2. inquit, *Inflammationes ex fluxionibus, ac principio non ſcarificandæ; inueteratæ verò poſt totius corporis euacuationem, atque quaſdam duricies, ac nigrities continent abhis per ſcarificationem, ſanguinem auferre nihil prohibet, & emplaſtrum ex farina hordeacea, & ceratum, vel aliquod aliud medicamen ex diſcutientibus admouere.*

Quæ med. in quolibet phlegmonis tempore conueniant

Quintò, & vltimò, inſenſibiliter reſoluendo, & naturalem calorem augendo, quòd moderatè calidis fit, vt docet *Gal.* 13 *meth.* dicens, *Simili modo, quæ modicè excalefaciunt, vtraque interdum ratione proſunt, quod, & dolorem ſedent, & contenta in parte ægra digerunt. ſi quidem mitigando dolorem, augeri phlegmones vetant: digerendo quòd eorum iam conceptum eſt ſanant, Gal.* 13. *meth cap.* 8 totùm verba tacit de repellentibus, & digerentibus, quia perpetuò in omni inflammatione competunt.

Humorũ reſolutio, & quibus fiat?

Quatuor verò ſunt, præcipuè caſus, in quibus repellentia, ſiuè repercutientia in inflammationibus non competunt; Primò, quandò inflammatio eſt in aliqua imbecilla parte, vt in glandulis, quæ ſunt relaxatæ, ac debiles: Secundò, quandò maximus adeſt dolor, ne ex repercuſſione dolor augeatur, & æger in animi deliquium incidat; Tertiò, quandò inflammatio à procatartica cauſa fuerit facta, vt à morſu ſerpentis, vel rabidi canis, ne venenum membrum principale petat. Quartò, quandò adeſt maxima ſanguinis fluentis copia, quæ repellentibus medicamentis minimè ſiſti poteſt.

Caſus quatuor, in quibus repellentia non conueniũt

Inflammationes ergò pro earum curatione, ſecundum diuerſa tempora, diuerſa expetunt præſidia: in principio repercuſſiua competunt, ſed non in faucium inflammatione. In augumento repercuſſiua, & digerentia commiſcenda, ſed repercuſſiua exuberare debent, cum materiæ fluxum prohibere, & materiam iam fluxam euacuare debeamus; in ſtatu reſoluentia, & repercutientia pari portione competunt, quæ etiam mitigatoria, & anodina eſſe debent, cum tunc maximi adſint dolores: in fine verò ſtatus, & in declinatione ſolùm digerentia, ac reſoluentia competunt, cùm tunc, quòd impactum eſt euacuare ſit opus, ſi huiuſmodi inflammatio per reſolutionem terminari velit, quæ terminatio eſt optima, vt inquit *Gal. lib. de inæquali intemp. Si verò in abſceſſum degeneret, puriſque collectio impediri nequeat, ſuppurantia, aperientia, ac digerentia medicamenta competunt*, vt inquit *Gal.* 3. *de ſimpl. med fac. cap.* 9 *lib de comp. med. ſec. gen. &* 6. *de comp. med. ſec. loca.*

Quòd verò repellentia in principio competant, ſcriptum reliquit *Gal.* 9. *meth.* vbi dixit, *At repellentia remedia quæ certè aſtringendi vim habent in principijs idonea ſunt duplici ratione, & quòd robur affectis partibus inferant (vndè minùs promptè affluxum excrementorum in ſe recipiunt) & quòd eorum, quæ in ijs iam recepta ſunt, tenuiſſimum extrorſus exprimant. Lib verò* 8. *methaph.* dixit, *Cæterùm ad intercipiendas phlegmones frigidis & aſtringentibus magis vtendum eſt, quàm ijs quæ digerunt atque etiam num magis vbi craſſum quòd confluit, non eſt.* Idem etiam dixit, 13. *meth & lib. de opt. ſect. circa finem & lib. de tumoribus præt. nat.* inquit, *Cuius ſanè defluxus priùs quàm ſit impactus facillimè his quæ refrigerant, atque adſtringunt, repellitur, præſertim ſi tumor fuerit exiguus.*

Colligi poteſt igitur ex dictis auctoritatibus, & præcipuè ex ea 13. *meth. cap.* 16. *Quòd repellentia à principio tribus rationibus competunt.*

Prima, quia in principio, quòd influit, eſt in pauca copia, ac vt plurimum tenuis, partis repellentis virtus etiam ſatis valida eſt, & quòd iam influxit, non eſt ibi impactum, *& lib. art. med. cap.* 95. dixit *Galen. Quòd vaſa à medicamento repellente roborata à ſe ad alias partes tranſmittunt.*

Secunda ratio eſt, quia per medicamenta

repel-

repellentia citiùs euacuatio fit cum à venis minoribus ad maiores, & ab his ad alia adhuc maiora sanguis propellatur; Per digerentia verò contra euacuatio fit, cum sanguis à vasis extra vasa, deindè in vacua spatia, quæ sunt angustiora, & posteà ad partis poros magis angustos, & tandem ad cutem cæteris densiorem attrahatur, vt inquit *Gal. lib. art. med. cap. 95.*

Tertia ratio est, quia repellentibus calorem extraneum insignem citò refrigeramus.

Repellentia med. quomodò repellant?

Repellentia medicamenta similiter duplici ratione repellunt, per se, & per accidens. Per se qualitate frigida, quia sicut calor ad se trahit rarefaciendo, ac aperiendo, ita frigus astringendo, & constipando à se propulsat; Per accidens, quia ex applicatione frigidi medicamenti, naturalis calor suum contrarium fugiens, secum etiam ipsum sanguinem ducit, & sic per accidens repellit.

Repellentium genera, quæ, & quot sint, & eorum vsus?

Notandum etiam, quòd medicamenta repellentia duorum sunt generum, alia sunt humida, alia sunt sicca. Repellens humidum, siuè aqueum sola frigiditate repellit, & ideò est imbecillius, & cùm humiditas potiùs vim laxandi habeat, quasi vim repellendi obrundit, & hoc competit, quandò cum phlegmone adest dolor; cùm humiditas laxando demulceat, & partes à dolore exasperatas leniat.

Repellens siccum validiùs est, quia non solùm repellit, quatenùs frigidum, sed etiam quatenus siccum, partem ipsam contrahendo, constipando, & constringendo humores ab ea ad alias partes exprimit, & hoc competit, quandò patiens venas latas habet, cumque dolor non vrget, quia si vteremur vbi dolor adest, constrictione partem exasperaret, & sic dolor augeretur; cùm verò respectu aeris, & Cæli status, temperamenti totius, & partis, ætatis, phlegmonis magnitudinis, copiæ materiæ confluentis, sensus partis, valorum latitudinis, & partis situs, mitiora, vel mediocria, vel valentiora repellentia competant; ideò in tres classes repellentia tùm humida, tùm sicca distinguemus.

Si aer, & Cæli status sit calidus, cùm phlegmonem calefaciat, ideò robustiora exigit repellentia; Contrà si sit frigidus.

Si temperamentum totius, & partis sit calidum, mitiora repellentia, cùm paràm à proprio temperamento discesserit; Contra si sit frigidum, cùm magnus excessus sit factus, requirit.

Magna inflammatio valentiora repellentia exigit, cùm magna sanguinis copia repelli debeat; Contra in parua.

In pueris, & alijs teneram carnem habentibus, cùm facilè à medicamentis alterentur, mitiora repellentia competunt; Contra in adultis, senibus, & rusticis, ac alijs duras carnes habentibus.

Exquisitus etiam partis sensus, cùm validiora non tolleret, mitiora repellentia postulat; Contra obtusus.

Lata vasa similiter, cum per hæc multus sanguis influat, valentiora repellentia expetunt, cum à mitibus tanta sanguinis copia repelli non possit; Contrà verò, si angusta sint.

Sitis etiam partis decliuis validiora repellentia exigit, cùm facillima deorsùm fluant humores; Contra in parte superiori.

Et hoc idem de repellentibus astringentibus intelligendum: Cum ex mitioribus astringentibus sanguis non retrocedat, & ex valentioribus cutis inultum contrahatur, ex quo dolor exasperatur, & fluxio crescit; Quodque in parte relinquitur, ita durum remanet, vt ægrè discuti possit, vel quòd peius est, ex fortioribus astringentibus ad principalia membra humor recurrit.

Quandò verò indicationes inter se sunt repugnantes, mediocria repellentia conueniunt.

Notandum etiam, quòd repellentia medicamenta tàm humida, quàm adstringentia, frequenter mutari debent, ne ab affecta parte calefacta eandē vicissim calefaciant.

Repellentium humidorum vsus.

Sciendum etiam, quod repellentia humida quatuor modis sunt in vsu, aut folia cruda superponuntur, & si propter asperedinem, vti non liceat, decoquantur in aqua, & eorum decocto linteo madido vtimur, aut decocta, & contusa imponuntur, aut eorum suco tantùm vtimur in eo linteamadefaciendo, & superponendo.

Repellentia arpceamitiora, quæ sint?

Repellentia mitiora aquea sunt platanus, trifolium, psillum, vmbelicus veneris, endiuia, intubus, poligonum, auricula muris, lenticula palustris, plantago, violæ, cucurbitæ sucus, atriplex, oui albumen, & denique omnia frigida, quæ veluti aqueo humore sunt imbuta: Inter quæ dantur gradus, secundùm quòd

magis

magis, vel minùs refrigerandi vim habent ex quibus etiam alia medicamenta componi poſſunt.

Ex compoſitis autem ſunt oxycratum, vel illud medicamentum, quod conſtat ex mucilagine ſem. pſillij, oleo, & cera, quæ *à Gal Glauc. cap 2. proponuntur*.

Mediocria repellentia humida, quæ ſint?

Repellentia aquea mediocria ſunt ſemperuiuum, portulaca, lactuca, ſolanum, & è compoſitis eſt id, quod *à Gal. 2. ad Glauc.* proponitur, quod conſtat ex ſuco portulacæ, ſemperuiui, lactucæ, & ſolani cum tanta farina quantùm ſatis ſit ad catapl. efformandum.

Valentiſſima repellentia humida, quæ ſint?

Repellentia humida valentiſſima ſunt hyoſchiamus, mandragora, & papauer, quibus cautè vtendum eſt, & potiùs mixtis, quàm puris, & ſimplicibus.

Quæ ſint repellentia adſtringentia?

Repellentia adſtringentia ſunt omnia frigida, & ſicca, terrenæque ſubſtantiæ, & mitiora repellentia, aſtringentia ſimplicia ſunt oxyacantha, rubus, roſarum capita, vitium folia, & capreoli, vinum nigrum, & auſterum, acetum, oleum omphacinum, myrtinum roſaceum, ſandalinum, & ſimilia. Inter compoſita ſunt, quod conſtat ex oui albumine, oleo roſaceo, & aqua ſtillaticea roſarum, quo madefiant lintea, & imponantur, vel ceratum roſaceum ex cera, & oleo roſaceo compoſitum

Mediocria, ac valentiora repellentia aſtringentia, ſunt balauſtium omphacium, ſorba meſpila, cidonia mala, pira ſylueſtria, fructus, & folia myrti, & ſimilia. Inter compoſita eſt infrigidans *Gal.* quod fit ex ceræ albæ vnc. 4. olei roſ. omphacini lib. 2 nouies aqua frigidiſſima ablutis, deindè aceto lubigantur, & fiat vnguentum.

Valentiſſima repellentia aſtringentia ſunt malicorium, acacia, cyprus, quercus, cupreſſi folia, & germina, ac nuces, galla immatura, hipociſtis, ſanguis drac. bolus arm. terra ſigillata, & ſimilia inter compoſita *à Gal. 2. ad Glauc. cap* 2. maximè laudatur illud medicamentum, quod conſtat ex ſemperuiuo, malicorio, rhu, & hordei farina in vino decoctis, quod admodum repellit, & quod in parte continetur, exſiccat, circumſitaque membra roborat, vt inquit Galenus, vel defenſiuum vnguentum, vel ceratum, quod fit ex olei myrtini vnc. 3. puluere myrtillorum vnc. 1. & ſ. & ceræ q. ſ.

Med. in principij fine applicanda.

In principij fine cum aliquid augumenti ſapiat, aliqua parca portio reſoluentium cum repellentibus miſcenda, ſicuti eſt infraſcriptum.

℞. Maluarum, parietariæ, plantaginis ad m. ſ. coctis in aqua, & contuſis adde farinæ hordei vnc. 2. roſarum rub. vnc. 1. olei chamomelini vnc. 4. decocti prædicti q. ſ. miſce, & F. catapl. vel diaglaucium Gal. vel diachalciteos.

De hoc enim tempore intelligitur Gal. quandò in aliquibus locis dicit, *Quod in principio inflammationum aliqua digerentium portio cum repellentibus commiſcenda eſt, ideſt de principij fine.*

Inter repercutientia humida maximè infraſcripta à Gab. Faloppio laudantur.

℞. Olei roſ. comp. albuminis ouorum, aquæ roſaceæ lactis muliebris ad q. ſ. & madefactis linteis ſuperpone, vel

℞. Oua integra num. 3. olei roſ. violacei, lactis muliebris ad q. ſ. M. & omnia concute, & vtare ſicuti ſupradicto.

Notandum verò, quòd, & ſi inter repellentia multa olea ponantur, tamen ſimplex oleum non competit, quoniam feruorem auget, vt ferè in magnis inflammationibus fit; ideò olea cum alijs ſemper ſunt commiſcenda.

Curatio phlegmonis in augumentis.

Quando ſit phlegmonis augumentum.

INflammationis augumentum quandò ſit, optimè *Gal. lib. de totius morbi temporibus, & primo de humoribus cap 4. explicauit*, dicens, *Quum autem influxus ceſſauit, & quod in particula continetur putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem naſcitur, & fuſio magis propter calorem, vndè etiam, & ſpiritus generantur, atque ob hæc ambo particula magis, quàm anteà diſtenditur, etiamſi nihil influat; Hoc igitur ſecundum tempus eſt inflammationis augumentum.*

Quibus in locis non ſolùm declarat, quid ſit augumentum, ſed omnium, quæ in inflammatione eueniunt, etiam rationem reddit.

Dicit enim primò, quòd in particula continetur putrefieri incipit, ideſt, quod ſanguis extra vaſa prolapſus, cum ſit extra proprium locum, neceſſariò putreſcit, & ex putredine calor præter naturam naſcitur,

continetur putrefieri incipit, ideſt, quod ſanguis extra vaſa prolapſus, cùm ſit extra proprium locum, neceſſario putreſcit, & ex putredine calor præter naturam naſcitur, ex quo calore poſteà fit ſanguinis fuſio, & ex ipſius fuſione ipſe ſanguis in ſpiritum, ſiuè alitum vertitur, & ſic, & ob ſanguinis fuſionem, & ſpirituum, ſiuè alitum generationem inflammatio magis, quàm anteà diſtenditur, augetur, & magis dolet, etiam ſi nihil influat.

Cùm ergo in phlegmonis augumento non amplius ad partem affectam materia influat, & maior ſanguinis pars ſit in venis, & aliqua etiam portio ſit extra vaſa: quod eſt in venis, repelli debet; quod verò eſt extra vaſa, cùm repelli non poſſit, vt digerentibus euacuetur eſt opus, & ideo *Gal. nos docet lib. de comp. med. S. L. & 6. de locis Aff & Actius ſerm. 14. cap. 31.* In augumento miſcenda repellentia cum digerentibus eſſe, ita tamen, vt repellentia digerentia ſuperent, & hoc magis eſt obſeruandum in augumenti principio, quàm in fine, cùm augumenti finis ſapiat vigoris principium.

Gal. contradictio. Si quis verò, dicendo, obijciat, *Gal. 6. de locis Aff.* dixit, *Quouſque aliquid influit, repellentia conuenire, & in augumento contraria eſſe adhibenda quæ auctoritas ſupra allegatis contradicit.*

Solutio. Reſpondendum, quod ſibi non contradicit; Quoniam hoc in loco, quando inquit, *Concoctoria in augumento conueniunt*; Intelligendum quando inflammationes per ſuppurationem terminari volunt, quoniam tunc concoctoria in augumento maximè competunt, locis verò ſuperiùs allegatis, quando dixit, *Repellentia cum reſoluentibus in augumento eſſe commiſcenda*, Intellexit quando per reſolutionem inflammatio terminari vult, & de hoc curandi modo nos in præſentia agimus. Quale verò digereos medicamentum eſſe debeat, inquit *Gal. 13. meth. cap. 16.* dicens, *Porrò digerens medicamentum debet eſſe calidum, & ſiccum in tertio gradu, & præterea tenuium partium. Lib. verò 8. ſimpl cap. 5.* inquit, *Diaphoretica, ſeù digerentia eſſe, quæ ſanguinem influxum per halitum educunt*; Primùm enim ſanguinem attenuant, deindè in halitum, ſeù vaporem vertunt, poſteà ad ſe attrahunt, & tandem per inſenſibile ipſius cutis meatus euacuant.

Med digerens, quale eſſe debeat?

Sed cùm dixerimus, quod medicamenta digerentia debent eſſe calida, & ſicca in tertio gradu, & in hoc tertio gradu magna ſit latitudo, ideo mitiora, valentiora, & valentiſſima ſeparatim ponemus, ſicuti de repellentibus facimus.

Med digerentia, quæ ſunt

Digerentia, ſeù reſoluentia ſimplicia mitiora ſunt altea, chamemolum, parietaria, abſintium, braſſica, caricæ pingues, aqua calida, vinum giluum, ac tenue, adeps ſuillus, gallinaceus, anſerinus, anatinus, oleum vetus, chamomelinum, anethinum, butirum, radices liliorum albo-rum, galbanum, ammoniacum fermentum, farinæ lupinorum, milij, fenugræci, lolij, erui, hordei, lentium, & cicerum.

Valentiora digerentia ſimplicia ſunt menta, marubbium, puleggium, calamintha, hyſopus, anethum, origanum, thymus, timbra, peucedanum, ariſtolochiæ radix, brioniæ, gentianæ, ſaluia, ruta, abrotanum, ſemina aniſorum, fæniculi, anethi, dauci, & carui, flores ſambuci, & anthos, farina, ſem. lini, adeps taurinus, vrſinus, leoninus, oleum laurinum, rutaceum, irinum, ſiconium, & nucum, bidellium, & opoponax.

Digerentia valentiſſima ſunt nitrum, nitri ſpuma, ſulphur viuum, galanga, calx ſemel extincta, & ſimilia.

Ex his enim cum repellentibus mixtis fiunt compoſita medicamenta pro curatione inflammationis in augumento exiſtentis: Habitis reſpectibus ſuperiùs dictis, ideſt ad anni tempus, ætatem, temperamentum, & cætera, ac inter cætera *Gal. 3. de ſimp. med.* maximè laudat roſaceum; cum partim repellat: Auic. maximè laudat huiuſmodi cataplaſma.

℞. Foliorum maluæ M. 1. abſinthij, roſarum rub. an. vnc. 5. farinæ hordei vnc. 1. olei chamomelini vnc. 1. 5. coquantur, & tundantur, coquenda, & tundenda, & S. A. fiat molle Catapl. vel hoc, quod eſt eiuſdem.

℞. Paſſi vnc. 3. aquæ roſ. aceti an. vnc. 1. 5. Croci 3. 2. moderato igne parum ferueant, poſteà colentur, & lintea huiuſmodi liquore calido imbibita parti applicentur epitematum more, vel infraſcriptum.

℞. Foliorum ſolani, lactucæ, myrtillorum an. M. 1. pulegij, calaminthæ, Hyſopi an. M. 5.

coctis in aqua, & contuſis adde farinæ fenugræci vnc. 3. puluer. bettonicæ, chamomeli an. vnc. 1 olei anethini, chamemolini an. vnc. 3. præd. & decocti q. Suff. M. & S. A. Fiat catapl. Poſſumus etiam adiungere ouorum vitellos, pinguedinem gallinæ, & anſeris, & ſimilia.

Animaduertendum, quòd huiuſmodi medicamenta, quæ in augumento applicantur, tardiùs moueri, & mutari debent, quam pura repellentia, quæ in principio adhibentur.

Gal. 2. ad Glauc. cap. 2. infraſcripta medicamenta, quæ exſiccandi, & repellendi, quod influit, ſine dolore vim habent, maximè laudat.

℞. Calcitidis remiſsè cum oleo roſaceo q. Suff. & applica, vel

℞. Vini acerbi, in quo lanam mundam humectaueris, & appone, & hoc plus iuuat, inquit *Gal. tertiò verò de med. S. Loc. cap 9. Roſaceum cum integro ouo mixtum maximè laudat.*

Curatio phlegmonis in vigore, ſiuè ſtatu.

Phleg. vigor, ſiuè ſtatus quãdò ſit?

PHlegmones ſtatus, ſeù vigor eſt, quandò inflammatio ad talem gradum peruenerit, vltrà quem progredi non poteſt, ideſt, quandò inflammatio erit maximè aucta, quo tempore maximi adſunt dolores, & inſignis perſentitur calor.

Curatur verò inflammatio in ſtatu per euacuantia materiam, & ſanguinem influxum, & hoc digerentibus medicamentis fit, vt inquit *Gal. 13. meth. cap. 16. & lib. 3. ſimpl. cap 10. & 17.* vbi dixit, *In ſtatu phlegmones digerentia & reſoluentia locum habere, cum repellentia nihil notatu dignum efficere queant, ſimiliter digerentia, quæ modicè calefaciunt & quia dolorem ſedant, proſunt. & quia contenta in parte ægra digerunt, ſanant.*

Si quis verò obijciat, dicendo, *Gal. lib. 1. de comp. Med. S. L cap 4. ac etiam cap 6.* inquit, *In ſtatu inflammationis pares eſſe indicationes repellendi, & digerendi.*

Reſpondendum, quòd Gal. ibi pro ſtatu principium ſtatus intelligit, qui augumenti etiam naturam ſapit, quo tempore etiam materiæ copia intra vaſa continetur, & ideò aliqua repellentium portio cum digerentibus eſt miſcenda, præſertim quandò ob dolorem nouam fluxionem timemus, & quo magis a ſtatus principio recedimus, nec minùs repellentia ſunt miſcenda. In vltima verò ſtatus parte, ideſt in fine, cùm tota materia ſit extra vaſa, & declinationis aliquod ſapiat pura digerentia, ſed mitiora comperunt; De quibus *Galenus lib. Artis Med. cap* 40. dixit, *Digerens, quòd mediocrem caliditatem obtinet, quicquid perſummam hæret, potens eſt id medicamentum digerere & in his dolorem ſedat ac ſi multò magis humidum fuerit*, dei dè ſubiungit; *Id verò quod euacuari oportet ſi in penitioribus partibus hæreat, intendendus, atque augendus medicamenti eſt calor; ne priùs quàm profundas partes attingat, interim vires amittat; Nec tunc ex eo ſuperiores partes aliquem dolorem ſentiunt, quum omnes vacent affectu.*

Poſſunt ergo in vigoris principio ex repellentibus, & digerentibus ita componi medicamenta.

℞. Succi vmbelici ven. ſucci apij an. p. æq. & his partem foue; vel

℞. Panis tritici in aqua tepida macerati lib. 1. maluæ M. 1. roſar. pug. ij. ſubigantur, & fiat Catapl. vel

℞. Furfuris tritici q. vis, & coque in aceto, vel vino auſtero, & vtere.

In medio ſtatus prædictis medicamentis aliqua reſoluentia addi poſſunt, vt chamemolum, & ſimilia, & erunt optima, vel infraſcriptum.

℞ Maluæ parietariæ an. M. 1. ſeminis anethi, fænugræci an. vn. 5, florum chamemoli, & melloti an. p. 1. furfuris pug. 1. 5. coquantur in vino auſtero, & ſubigantur cum olei camem. vnc. 3. & S. A. F. Catapl.

Aetius ſerm. 14 cap. 31. maximè laudat maluam per ſe, & cum modico pane, & roſaceo impoſitam, & melilotum per ſe coctum; & cum pane impoſitum, & idem inquit; Præſtant in paſto coctæ palmulæ, & cum pane, & roſaceo ſubactæ, & impoſitæ, & hæc medicamenta reſoluunt, & dolorem leniunt.

In ſtatus fine pura digerentia, ſed mitiora comperunt, ſicuti infraſcripta.

℞. Florum chamemoli m. 5. 1. radicum liliorum, alb. vnc. 3. coque in aqua, & contunde, deindè adde farinæ fænugræci

liliorum alb. vnc. III. coque in aqua, & contunde, deindè adde farinæ fænugræci vn. II. olei anethini vn. 5. vini albi q. suff. M. & S. A. fiat catapl. vel

℞. Florum chamomeli, meliloti ad pugi, seminis anethi vnc. 5. decoquantur in vino, & tundantur, & cum melle q. suff. S. A. fiat catapl.

Notandum, quòd prædicta medicamenta, quæ in statu conueniunt; cum ad dolorem mitigandum, & ad quod influxit discutiendum deseruiant, cùm multæ humiditatis sint participes, tardissimè mutanda sunt.

De Curatione phlegmonis in declinatione.

Phleg. declinatio, ex quibus cognoscatur?

PHlegmonis declinatio cognoscitur, cum ex supradictis medicamentis humor in particula contentus resoluitur, ac discutitur, & tumor, ac tensio minuuntur, & dolores mitiores fiunt. Hoc enim tempore solùm discutientia competunt, & eo valentiora esse debent, quo magis progressa est inflammationis declinatio; Cum declinatio etiam in principium, medium, ac finem diuidatur. Quòd verò ita fieri debeat, probatur ex auctoritate *Gal. 8. meth.* vbi dixit, *At vbi iam phlegmones ipse veluti feruor subsederit, mitigatorijs emplastris demissis ad ea, quæ digerunt, paulatim est transeundum*, Quod etiam dixit 6. *de comp med. S. L. cap. p & 3. simpl. & p. de comp med. 5. Gen. & Aetius serm.* 14. *cap.* 31. *Competunt verò digerentia med. quia tota materia tam est extrà vasa effusa, non tamen debent esse immoderatè calida, ne noua subortatur defluxio*; Quædam verò ex his medicamentis proponit Aetius loco superiùs citato, dicens, *In declinatione verò agrestis malua pollet, & vua passulæ vinaceis detractis, cum pane, & modico melle; Item Hordei farina cum melle, & oleo adhibita.*

Similiter à principio competit spongia imbibita, & expressa in muria calida, & superposita, vel in aliquibus aquis thermalibus, quæ exsiccandi vim habent, aut calente vino, quæ omnia absque doloris excitatione vim discutiendi pollent.

In media declinationis parte spongia imbibita, & expressa in valentioribus competit, vt in decocto origani, pulegij, callaminthæ, & similia.

In vltima declinationis parte imbibi, & exprimi potest spongia in aqua, in qua calx fit extincta, vel infrascripta catapl. superponere possumus.

℞. Hysopi, Origani an. M. I. in vino generoso decoctis, & contusis adde olei liliorum vnc. IIII. pul. pulegij, farinæ fænugræci an. vnc. I. M. & fiat catapl. S. A. cum decocto prædicti vini q. suff. vel

℞. Farinæ sem. lini fænugræcian. vnc. IIII. orobi vnc. I. florum chamemoli meliloti, sambuci ad pug. 5. rosarum rub. 3. II. florum anethi scrup. IIII. pul. iridis florentinæ vnc. 5. coquantur in vino mulso, vel apij suco, deindè adde amurcæ, olei liliorum alborum vnc. IIII. violacei vnc. II. M. & S. A. F. catapl. vel

℞. Radicum altheæ lib. I. radicum liliorum alborum, florum chamemoli, meliloti ad pug. 5. furfuris pug. I. coquantur, & contundantur, & cribro traijciantur, deindè adde olei chamemolini, anethini, liliorum alborum, rosarum an. vnc. II. medullæ cruris vituli, & bouis, pinguedinis gallinæ an. vnc. I. ceræ albæ vnc. I. 5. pomorum coctorum vnc. III. 5. Omnia deindè lento igne coquantur per horæ dimidium, continuò agitando, & S. A. F. catapl. Absumpto ferè tumore, quòd supereſt, exsiccandum est, & pars discutientium vsu relaxanda, corroboranda, ac confirmanda est, quòd consequemur fotu vini austeri calentis, in quo balaustia, myrti baccæ, sumach, & similia incocta fuerint.

De Curatione Phlegmonum per suppurationem.

SI verò ob morbi difficultatem, ac pertinatiam, vel ob materiæ copiam, vel crassitudinem, & densitatem, tùm materiæ, tùm loci per resolutionem phlegmonis curari non possit, quæ curatio optima, & recta est, vt prolixè omnes Auctores inquiunt, & per suppurationem terminari

velit, quæ est altera phlegmonis curatio, vt inquit *Gal. lib. de inæquali intemp. ijs medicamentis, quæ suppurandi vim habent, naturæ opem ferre debemus, & suppuratio*, vt inquit *Gal. de simpl. med facult. cap. 2. Est, vel sanguinis, vel alterius materiæ in parte influxæ in pus versio.*

Suppuratio quid sit?

Suppurationem verò hæc duo necessariò sequuntur, Puris generatio, & huius in aliquem locum abscessio, vt inquit *Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 3.*

Quæ suppurationem sequantur?

Quomodò verò fiat pus, dixit *Gal. loco citato, & P. Prog. com. vlt. 2. aph. 47. 5. simpl. cap. 6. & P. de diff. feb. cap. 6. Quibus locis* inquit,

In inflammata particula duplicem esse calorem natiuum scilicet, & extraneum; Natiuus partem conseruat, & omnia pro partis conseruatione efficit; Extraneus corrumpit, destruit, & omnia à calore natiuo administrata pro viribus impedire quærit, & est natiuo calori omnino aduersus, & contrarius. Oritur verò hic externus calor à sanguine influxo, & extra vasa prolapso in calescente, & putrescente.

Quomodò tumor per resolutionem, vel corruptionem, vel per suppurationem terminatur?

Factæ suppurationis signa.

Cùm ergò hi dolores in inflammata parte continentur, & inter se continuò pugnent, cùm contrarij sint; Pugna, vel erit breuis, vel longa. Erit breuis, quando alter breui temporis spatio alterum superat. Erit longa, quandò neutra alterum superat. Si naturalis calor extraneum superet, tunc materia à natiuo calore victa, cùm non possit in partis nutrimentum verti (quæ est propria natiui caloris actio) quia aliena est, sensim ab eo attenuatur, & per insensibilem transpirationem euacuatur, & sic inflammatio per resolutionem terminatur.

Quot modis Pus euacuetur & quibus? Digerentia plurium generum.

Si verò extraneus calor natiuum superet, tunc materia influxa, & ipsa quoq; pars corrumpuntur, & tunc gangrenæ, sphacelique fiunt. De quâ re semper in maximis inflammationibus dubitare debemus.

At si in pugna neuter calor alterum superet, vel æquales viribus sint, vel non admodum impares, cùm vterque suum finem assequi conetur, idest natiuus digestionem, & resolutionem, & extraneus corruptionem, & putrefactionem, & cùm neuter vincat, neutrius actio in materia conspicitur, idest nec materiæ resolutio, nec corruptio, & ideò in pus materia vertitur, in quo vtriusque caloris actio apparet. Sed cum puris differentiæ plures sint, quæ ob alterum horum calorum prædominium oriuntur; Optimum pus, quòd est album, leue, æquale, & quàm minimè fætidum; Naturalis caloris prædominium significat.

Puris differentiæ quæ sint?

Est verò album, quia ita à natiuo calore venarum, arteriarum, neruorum, & membranarum fit, quæ omnia sua natura alba sunt, & sibi simile in colore faciunt. Crassum est pus, quia concoctio incrassando fit.

Optimi puris signa, & procui.

Est verò æquale, & tangenti leue, quia natiuus calor per omnes eius partes permeauit, & vniforme reddidit.

Est quàm minimè fætidum, quia natiuus calor extraneum vicit.

Si enim pus prauum sit, & optimo contrarium, vt liuidum, aut nigrum, aut rubrum, vel tenue, inæquale grumosum, & minimè fætidum; Extranei caloris prædominium indicat.

Signa suppurationis, idest, quando inflammatio per suppurationem terminari vult, sunt inflammationis magnitudo, dolorumque vehementia, & auctio, pulsatio magna, insignis tensio, & calor, & febris; cur verò hæc eueniant, superiùs diximus. Cùm verò hæc signa adsunt, & per resolutoria medicamenta inflammatio terminari non possit, adiuuanda est natura, vt quàm primùm suppuratio fiat, & naturalis calor augeri debet, vt in pugna præualeat, & optimum pus gignat, quod concoquentibus medicamentis, seù pus mouentibus consequemur, quæ calori natiuo partis, cui applicantur similia esse debent.

Phleg. suppurantis signa.

Si verò quis dicat, *Gal.* pluribus in locis, dixit, *Pus mouentia debere esse calida, & humida moderatè*; Respondendum, quòd Gal. dixit, Hoc, quia humana natura generaliter calida, & humida est; Tamen, inquit etiam, Oleum ros. in dura meninge concoquere, & pus mouere, cum tamen frigidum, & siccum sit, cum duræ meningis temperiei correspondeat.

Dubitatio de pus mouentibus solutio.

Debet ergo medicamentum suppurans simile esse temperiei partis, cui applicatur, præterea debet etiam esse emplasticum, idest tenaciter poris ipsius cutis inhærens, ne halituosi spiritus ipsius caloris transpirare possint, & sic calor in quantitate augetur, vt inquit *Galenus 5. simpl. com. 9.*

Suppurantia qualia esse debeãt & quandò applicanda?

Tempus

Tempus autem huiusmodi medicamenta imponendi est ab augumenti principio ferè vsque ad vigoris finem; In principio verò, & in fine eadem medicamenta, quæ in inflammatione, quæ per resolutionem terminatur competunt, & venæ sectio, & omnia alia præsidia superiùs dicta.

Ex maturantibus, & concoquentibus med. alia sunt simplicia, alia composita. Simplicia sunt oleum temperatum, aqua temperata, adipes, medullæ, œsypus, crocus, caricæ pingues, cæpæ coctæ, cera, ladanum, resina, pix sicca, stirax pinguis, galbanum, viscum aucupatorium, butirum, thus, farina tritici, malua, althea, branca vrsina, radices liliorum alborum, & similia.

Composita sunt hydrelæum, emplastrum factum ex hydrelæo, & tritici farina, quòd citò inflammationis ad maturitatem perducit, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. & aliquid croci etiam addi potest, vel infrascripta, quæ sunt Gal. 3. de comp. med. S. L.*

℞. Farinæ triticeæ cum oleo, & caricarum, & his S.A F. catapl. vel fiat catapl. ex pollina, & fermento caricatum, decocto, & superiùs dicto, vel

℞. Foliorum maluæ in aqua decoctorum, deindè contusorum q. vis, axungiæ suillæ q. suff. M. & S.A. fiat catapl. vel

℞. Radicum altheæ vnc. III. foliorum maluæ M. I. coctis in aqua, & contusis adde axungiæ suillæ q. suff. & S. A. fiat catapl. Cui etiam addi possunt farinæ tritici, seminis lini, & caricæ pingues, vel vti possumus diachilon simpl. cum axungia suilla, vel adipe gallinæ commixto. Omnia verò proposita medicamenta in naturis, & corporibus mollioribus, temperatisque temporibus competunt.

In durioribus verò competunt infrascripta, quæ valentiora sunt.

℞. Maluæ, branchæ vrsinæ an. M. radicum altheæ vnc 4 coctis in aqua, & contusis, adde farinæ fenugræci vnc. 3. olei communis butiri an. q. suff. M. & S. A. F. catapl. vel

℞. Farinæ seminis lini, fenugræci an. part. eq. coque in lacte vaccino, & fac catapl. quod maturat, & dolorem lenit. Vbi verò sit materia crassa viscosa, & ininfarcta infrascriptum est optimum.

℞. Decocti rad. altheæ, & caricarum ping. lib. I. farinæ triticis lib. 5. M. & simul coque, & S. A. fac catapl. vel

℞. Radicum altheæ, maluæ, rad. liliorum alborum an. M. I. farinæ tritici vnc. III. farinæ sem. lini vnc. I. axungiæ suillæ lib. 5. Coquantur herbæ in aqua, & contundantur, & cum reliquis rebus S. A. fiat catapl. vel

℞. Rad. liliorum alb. altheæ an. vnc. IIII. foliorum maluæ, branchæ vrsinæ violarum an. M. III. 5. caricarum ping. passularum mundatarum an. vnc. II. farinæ tritici vnc. III. farinæ seminis lini vnc. 5. coquantur, & contundantur, & per cribrum traijciantur, deindè adde adipis suilli vnc. III. olei chamemolini, liliorum alborum an. vnc. III. M. & S. A. fiat catapl.

Facta suppurationis signa.

Signa suppurationis iam factæ, vt superiùs diximus, sunt leuitas partis affectæ, doloris, caloris, tensionis, pulsationis, duritiei, & febris remissio; tumor remissus, breuis, & minor factus, eminentior autem euadit, & in mucronem assurgit, in qua parte ad albedinem tendit, & adest cutis à subiectis separatio, & innundatio sub præmentibus digitis persentitur. Quandò ergo hæc signa adsunt, pus per affectam particulam euacuandum est, & hoc, vt inquit *Gal. lib. artis med. cap. 95. Duobus modis fieri potest, vel sensibiliter, vel insensibiliter.*

Quot modis Pus euacuetur & quibus?

Non enim protinùs confectò Pure ad incisionem deueniendum est *Gal. præcepto 8. meth.* dicens; *Quòd si pus aliquod notabile in suppurante particula sit contentum, non expedit incidere protinus, sed digestionem moliri medicamentis ad id valentibus, Gal. igitur loco prædicto, & 13. meth. cap. 5. probat*, Digerentia, quæ tamen non nimis acria, ac valentia esse debent, quia potiùs irritarent, quam digererent. Vtque aptum medicamentum adinueniamus, considerandæ est cutis qualitas, si sit mollis, vel dura, tenuis, vel crassa, laxior, an adstrictior; Sanies similiter si sit pauca, vel multa, crassa, vel tenuis, si sit in superficie, vel in profundo, & his consideratis, vel mitiùs, vel validiùs, vel mediocre medicamentum componemus.

Digerens, saniemque resoluens mitius est infrascriptum.

Digerentia pluriũ generum

℞. Galbani ʒ. II. salis ammoniaci

3. vii. litargirij vnc. i. olei antiqui vnc. i. 5. M. & S. A. fiat empl. mediocre reſoluens, eſt huiuſmodi.

℞. Pul. ſub. Marcheſitæ, ſiuè pyritis lapidis vnc. ii. calcitidis vnc. iii. reſinæ pini vnc. v. medullæ cruris vituli q. ſuff. M. & S. A. fiat empl. vel

℞. Ariſtolochiæ, lanæ combuſtæ an. 3. i. thuris 3. ii. 5. nitri i. 5. 3. reſinæ tereb. vnc. 5. olei cherulni, ceræ an. q. ſuff. M. & S. A. fiat ceratum.

Valentius reſoluentia ſunt huiuſmodi.

℞. Aquæ calcis viuæ, & ſpongia in hac calida imbibita, & expreſſa parti ſuperpone, vel

℞. Picis, adipis taurini, baccarum lauri, calcis viuæ ad part. æqual. M. & fiat in emplaſtri forma.

Phlegmo quandò & quibus aperienda?

Niſi verò pus ob ſui copiam, vel craſſitiem, vel ob loci profunditatem, vel quid aliud reſolui poſſit, ſenſibiliter eſt euacuandum, quod apertione fit.

Cur vitanda apertio facta ex ſe ipſa.

Apertio verò pluribus fit modis, vel ex ſe ipſo, vel Medicamentis, vel ferro; Ex ſe ipſo expectando, donec pus ſua acrimonia ſuperpoſitam cutem erodat, quod fieri non debet, cùm ex hoc ſinus maior fiat, curatio protrahatur, & fruſtrà Aeger in dolore detineatur.

In quibus med. apertio faciẽda rumpẽtia medic. quæ ſint?

Medicamentis apertio fit in ijs, qui ſectionem nullo pacto admittere volunt, & ex his aliqua ſunt mitiora, & alia valẽtiora

Mitiora rumpentia, quibus in mollioribus corporibus vtimur, & quæ ſine dolore rumpunt, ſunt ſemen, & flos vrticę cum ſale trita, vel vrticæ ſemina trita, & admixta cum radice raphani; Et in puerulis cùm fortiora medicamenta non ferant, diachilon ſimpl. cum pinguedine gallinæ emollito, quamuis concoquens ſit, vtimur.

Aliud mitius rumpens eſt infraſcript.

℞. Farinæ loliji in vino decoctæ, & cum columbino ſtercore admixtæ, & parùm ſulphuris, vel ℞. Radicis narciſi cum orobi farina, & lolij, & modico melle.

Fortiora rumpentia, quæ in durioribus corporibus, & craſſiori cute & profundiori ſanie competunt, ſunt infraſcripta.

℞. Litargirij in oleo decocti vique ad eius nigredinem vnc. 5. cantharidarum præparatarum G. iiii. M. vel

℞. Saponis nigri, caricarum ping. ad part. æq. M. vel

℞. Elatherij, farinæ hordei ad part. æqu. M. cum oleo, & oui albumine, vel

℞. Fermenti acris vnc. 5. cæpæ ſub prunis coctæ vnc. ii. ſtercoris columbini ſeminis canabis ad 3. i. limaces num. iii. ſaponis nigri, axungiæ ſuillæ an. q. ſuff. M. & fiat empl. vel vtere oleo ſulphuris, vel vitrioli, quæ ſunt efficaciſſima.

Notandũ in aperientium med. vſu.

Animaduertendum tamen, quòd huiuſmodi aperientia medic. debent tantùm applicari loco, in quo volumus, vt apertio fiat, & debent eſſe magnitudinis nummi aurei, & circum circa medicamentum ſuppurans, ac reſoluens applicari debet.

Ferro etiam apertio fit, quòd tutiùs, ac meliùs eſt, quotieſcumque peritus Chirurgus, ac expertus incidat, & inſcio ægrotante, ſi fieri poteſt, hæc actio facienda, quomodò verò fieri debeat, & quid ſit in ſectione obſeruandum, & in qua tumoris parte, quibuſcumque inſtrumentis, in cura vniuerſali abſceſſuum abundè diximus.

Quomodò curandum apoſtema poſt inciſionem?

Facta inciſione, & euacuato pure, vel vnica via, ſi ſit in pauca copia, vel pluribus vicibus, ſi ſit in magna copia, dolor ab inciſione excitatus, liniendus eſt cum ouo integro, vel oui albumine ſubacto, in quo turundam imbibimus, & in inciſionem imponimus, vt aperta ſeruetur; deindè ſtuppam eodem ouo, vel oui albumine imbibitam ſuperponimus. Sic enim prima vice medebimur, & his medicamentis non ſolùm dolorem mitigabimus, ſed etiam materiam repercutiemus, ne ad affectam partem ob dolorem attrahatur.

Sequenti die, niſi materia, quæ in parte inflammata continetur, tota ſit ſuppurata, concoquente medic. quòd vulgò digeſtiuum dicitur, vti debemus, quòd ita fit.

℞. Reſinæ tereb. vel abietinæ lotæ cum aqua ſimpl. vel plantaginis, vel roſarum, ſi dolorem timeamus, niſi non lotę 3. vi. pul. ſub thuris 3. i. vitellorum ouorum num. i. M. Quando vero dolor adeſt, prædictis addere poſſumus olei hyperici 3. ii. vel iii. Si verò ſordes emanẽ, prædicto medicamento addemus mel roſaceum, vel ſyrupum roſaceum, vt optimè abſceſſus detergatur. Deterſo, & mundificato abſceſſu, carne replebimus, vel prædicto digeſtiuo, ſi ei ſarcoticos pulueres addamus, vt myrrhæ, thuris, aloes, & ſimiles, vel vng. baſilicone min. vel maior, vel de matreſilua, vel aureo, vel de tutia, vel de betonica, vel iſides, & ſimilibus,

& ab extrà diapalma apponemus, & hoc faciemus, quandò sinus non est valdè profundus. Si verò sinus sit valdè profundus, puluinaribus, & fascijs conglutinari debet.

Puluinaria ex quibus fiant? Puluinaria fiunt ex linteis duplicatis in oui albumine imbibitis, vel ex spongia imbibita, & expræssa in vino nigro austero, aut lixiuio, aut aceto, aut aqua plantaginis, aut balaustiorum; Fasciæ arctè obducuntur, incipiendo à sinus profunditate erga orificium procedendo.

Quandò glutinare volumus, videndum ne reliquiæ incoctæ materiæ supersint, quod ex aliquo apparente tumore cognoscitur, quoniam si hoc adesset, glutinatio fieri non posset, similiter tota sanies auferenda, & optimè cauitas tota abluenda, & turunda non amplius immittenda.

Lotio verò, si detersione sit opus, fit melicrato: Si purgatione, & partis roboratione, uino nigro austero; & quandò maximè glutinare exposcimus, utimur uino nigro austero, in quo sint incocta balaustia, cortices granatorum, hypocistis, & similia; si verò humore cruento, uel fætido sinus sordescat, utimur oximellite simp. ut inquit *Aetius serm.* 14. *cap.* 54.

Facta conglutinatione, uel sinu carne repleto, cicatrix est obducenda unguento de minio, vel de tutia, uel de calce, uel insperſione pulu. tutiæ præparatæ, uel pul. malicorij, uel siccis linteis, uel cerato de minio, uel diacalcitheos, & his similibus.

De Accidentium, quæ phlegmones curationem impediunt, aut retardant Curatione.

Quæ symp. phleg superuenire possint? QVartus scopus in phlegmone curanda est accidentium, siuè symptomatum superuenientium correctio, & remotio, quæ sunt Dolor, Regressus materiæ, ex qua tumor in interioribus excitatur, Putredo, & partis suppurantis corruptio, Lapidea durities, & febris.

Ex quibus febris excitetur, & quomodò curetur Febris *ex Gal. mente, lib. de curandi rat. per vena sect.* ut superiùs diximus, Euenit, quia ex parte calefacta, & inflammata calor partim post mortem continuatim progreditur, donec cordi communicetur, & hæc febris dicta, phlebotomia, & alijs medicamentis superiùs dictis, quæ etiam inflammationem curant, curari debet.

Durities, quomodò fiat, & curetur? Durities ob duas causas in inflammata parte fuit relicta, uel ob medicamentorum uehementer exsiccantium, ac digerentium applicationem, à quibus tenuiores partes resolutæ fuerunt, & crassæ in inflammata parte remanserunt, & ibi induratæ sunt, uel ob ualentiora admota, quæ sua frigiditate incrassant, cogunt, duritiemque efficiunt.

In huiusmodi duritiei curatione *Gal.* 2. *ad Glauc. cap.* 2. *&* 7. inquit, *Quòd primùm locus, vbi durities adest, scarificandus est, & sanguis educendus, deindè superponendum medicamentum, partim resoluens, & partim emolliens, sicut sunt infrascripta.*

℞. Brioniæ, aut aseri, aut cucumeris siluestris, & in aqua coque, sæpè uerò, ut *Gal.* inquit, *Has solas nonnunquam verò caricas ping. adijcito, deindè huic aquæ farinam admisceto, & aliquid adipis, præsertim anserini, aut gallinacei, aut suilli, & empl. conficito, vel*

℞. Prædictarum herbarum, rad. altheæ, post moderatam coctionem, cum pane, & adipe contere, & applica, & hoc, ut *Gal. loco superiùs citato*, inquit, *induratos tumores discutit, vel*

℞. Rad. altheæ unc. III. uolubilis M. I. farinæ hordei, sem. lini, fænugræci ad unc. II. olei anethini, uel cham. q. suff. M. & S. A. F. catapl. uel

℞. Rad. liliorum, altheę an. unc. I. S. rad. brioniæ, cyclaminis, cucumeris, agrestis an. unc. II. in albo uino coquantur, deinde tundantur, & postea adde stercoris columbini, caprini ad unc. I. S. ammoniaci in scillitico aceto dissoluti, opoponacis in oleo sesamino dissoluti, ladani, stiracis liquidæ ad unc. I. picis nauallis q. suff. M. & S. A. F. catapl. quòd plurimùm emollit, ac discutit.

Si uerò phlegmonosi tumores in scyrrhum mutari timeamus, ualenter digerentibus semper emollentia commisceb mus, ut de scyrrho dicemus.

Partis corruptio, quomodò fiat, ac curetur? Putredo, si superuenerit, ideſt si particulæ suppurantis portio al qua computruerit, quæ corruptio ob omnimodam extranei caloris uictoriam supra natiuum fiat, hæc gangrena dicitur, & sęuum, ac grauissi-

uiſſimum eſt ſymptoma.

In tali caſu protinùs profundè locus eſt ſcarificandus, & ſanguis educendus, deindè pars murta eſt abluenda, & tandem infraſcriptum catapl. uel ſimile ſuperponendum.

℞. Farinæ fabarum, orobi an. un. 11. cum ox mellite q. ſuff. coquito, & S. A. fiat catap. Reliqua in cap. de gangrena requirere.

Recurſus materiæ quomodò euocandus?

Si in phlegmone materiæ ad interiora, & nobiles, ac principes partes recurſum timeamus, medicamentis maximè attrahentibus, uel cucurbitulis, quæ uehementius à penitioribus partibus trahant, huiuſmodi materiam euocabimus, ſimiliter ſanguiſugarum ſuctio, dolor, uincula, frictio, cauteria, & ſimilia hoc efficiunt.

Attrahentia medic. quot ſint?

Medicamenta hoc efficientia, ut plurimùm eſſe debent ſubſtantia calida, ac tenui, & horum quædam qualitate manifeſta, alia occulta proprietate attrahunt, & alia aduentitio calore, & inter attrahentia ſunt dictamus, propolis, ideſt, quod in fauis reperitur molle, & pingue, quòd à cera differt, & hoc mirabile eſt, cùm etiam uenenoſam materiam, & craſſos ſpiritus uehementer attrahat. Recens item raſia arundinum radix cum melle, ſagapenum, galbanum, ammoniacum, opoponax, calx viua, cinis è uini fæce, vel aceti, ariſtolochia longa, ſinapis, tithymalus, naſturtium, piretrum, dragontium, ſal ammoniacum, allia, calamintha, narciſi radix, ciclaminus, cantharides cum polenta, & melle mixtæ, medullæ, & adipes veruſti, ſulphur cum melle, & oleo, reſina tereb. axungia, & hominis ſaliua commixtum, euphorbium vetus in moderata copia cum oleo, & cera commixtum, & ſimilia.

Qualitate occulta attrahentia ſunt, vt magnes, ferrum, ſuccinum palearum, feſtucas, cancer fluuiatilis ſagittas extrahit, & rana ſimiliter amputatis extremitatibus; Cochlearum carnes per ſe, vel cum cotrice ſuo tritę, & coagulo admixtæ, tela ſimiliter extrahunt, & hidropicorum aqua exſugunt, cum ad totius humoris exſiccationem vſque permanſerint, oſtrea etiam viua peſtiferos bubones loco transferunt, & ſcorpio contuſus, & impoſitus venenum ab eo infixum ad ſe trahit, & multa alia, quæ breuitatis cauſa relinquo.

Aduentitio calore attrahunt fermentum arſenicum, ſtercus gallinaceum, columbinum, arietinum, humanum, & quæcumque talia ſunt; Ex his enim medicamenta componi poſſunt, vel in cerati, vel cataplaſmitis formam.

Dolor quid ſit?

Si dolor in phlegmone adſit, ac vehementer vrgeat, quàm primùm tale ſymptoma curandum, ne uirium exolutio ſequatur, aut conuulſio; Dolor enim, ut inquit *Gal. Eſt triſtis ſenſatio, vel triſtis ſenſationis perceptio, vt alij voluerunt; Vel dicere poſſumus, quòd dolor eſt paſſio corruptiua ſenſus propter actionem improportionati ſenſibilis.*

Doloris cauſæ, ut *Gal.* inquit 12. *meth.* ac alibi tres ſunt.

Doloris cauſæ, quæ ſint, & quandò ſedetur?

Prima eſt actio quatuor qualitatum ſimplicium. Secunda eſt continui ſolutio, ſiuè manifeſta, ſiuè occulta. Tertia eſt venenum, vt in ijs, qui ab angue, vel ab aliquo venenoſo animali punguntur.

Quomodò uerò curetur, ac ſedetur dolor, inquit *Gal 5 ſimpl. cap. 30.* dicens, *Dolor tribus modis ſedatur, vel cauſam doloris auferendo, vel anodinis, vel ſenſum à parte auferendo. Primus modus eſt optimus, quo ſimul dolor ſedatur, & inflammatio curatur, auferendo cauſam, quæ dolorem efficit. Si ergo ex intemperie dolor ſit ortus, ſuo contrario curatur, vt in calida intemperie refrigerandum, & in frigida calefaciendum eſt; Sic de alijs.*

Si quid ſit, quòd ſolutionem continui efficiat, uel inſtrumentis, uel medicamentis extrahendum, & euacuandum eſt.

Si à ueneno fiat dolor, ſicuti humana corpora ueneno infecta curandum eſt, & hanc curationem optimè docet *Gal.* 13. *meth.* dicens, *Si ex animalis punctu, morſuue dolor accidit, à quo exorta eſt phlegmo, duplex ſanandi doloris ratio eſt, vel virus ipſum euacuando, vel quòd dolorem excitat alterando.* At uacuabis ſanè id eorum medicamentorum ope, quæ uehementer attrahunt; Alterabis ijs, quæ ſunt contraria; Vacuant itaq; tùm calefacientia omnia, tùm quæ ad ſe citrà calefactionem allicuunt, ut cucurbitulæ, & cornua quædam; ſuntq; etiam, qui ore ſuo virus attrahunt; huc pertinet cauterium, & quæ eſcaram inducunt; alterum auxiliorum genus eſt eorum, quæ qualitatem per contraria alterant, vt ſi venenum ſit frigidum, exhibemus theriacam, mitridatum, confectionem

ctionem anacardinam, vel calidissimum vinum febrem excitare valens, cùm febris frigido veneno multum resistat.

Si venenum sit maximè calidum, tunc magis refrigerandum est.

Si venenum tota substantia agat, tunc medicamentum à tota substantia requirit, vt inquit *Gal. 5. Simpl. Vbi loquitur de Vipera, quæ in pauca copia sumpta prodest, in magna est venenum*; idem de Bolo arm. & de Terra Cretensi; Ranæ à tota substantia contra venenum agunt, & maximè à Dioscoride, & Gal. commendantur, vtq; etiam venter mustulæ contra omnia venenorum genera: Ruta similiter à tota substantia agit, & scorpio venenum à se infixum extrahit, *Auic.* inquit, *Quòd terra à proprietate omni veneno competit, & ideò aliqui venenantis aquam terræ commixtam ad bibendum præbent, quæ vomitum, & aluum mouet; Sunt, & alia multa, quæ breuitatis causa relinquo.*

Quomodò punctura, vel morsus venenatus curandus?

Si pars ergo aliqua puncta, vel demorsa fuerit à venenoso animali; primùm in superiori parte arctè ligandum est, deindè pars scarificanda, & cucurbitulæ, vel cornua applicanda, vel fugatur pars puncta, vel demorsa ab aliquo homine sature, qui priùs eius os vino abluerit, vel applicetur podex gallinæ perstricto eius rostro, vt per podicem respirare cogatur. Si verò sit in parte, quæ neq; scarificari, neque cucurbitulæ applicari possint; Attrahentia med. applicanda, abluta priùs parte acri, ac calido fotu, vt rubram partem reddat, & attrahentia med. sunt huiusmodi.

Med. attrahentia quæ?

℞. Sulphuris euphorbij, & nitri, an. q. vis, & M. vel fiat Catapl. ex allijs, & cæpis sub prunis coctis cum theriaca, vel

℞ Picis nauallis vnc. I. salis nitri vnc. 5. sinapis ʒ. 2. cæparum, & alliorum sub prunis coctorum an. vnc. III. assæ fætidæ, sagapeni an. ʒ. III. stercoris columb. vnc. I. 5. aristolochiæ rotundæ, dictamni albi an. ʒ. I. olei lilio. um alb. q. suff. tritis optimè terendis S. A. F. emp. quòd calidum applicetur, & antè diem tertium, si vis, vt mirabilia efficiat.

Nisi hoc profit, aperiantur gallinæ, vel galli viui in partes duas, & calidi affectæ parti applicentur, & nisi huic cedat, vtamur medicamentis à tota substantia agentibus, & nisi hæc etiam iuuent, ad eschara candenti ferro inducendam confugimus, quod optimum est remedium. Sed ad rem nostram redeamus.

Si dolor sit tàm magnus, vt causæ remotionem impediat: tunc neglecta causa ad ea confugimus, quæ leniendo dolorem mitigant, quæ sunt calida, & humida in primo gradu, & tenuium partium, vt cùm humana natura similitudinem habeant, & huius generis sunt, Lac humanum, aut ex brutis, oleum com. antiquum butyrum, Oesopus, adeps recens gallinaceus, suillus, vitulinus, vulpinus, humanus, anguillæ, lana sordida, oleum ex ouorum vitellis, vulpinum, melinum, ex sem. altheæ, sem. lini, amygdalarum, anethi, lumbricatum, passum, vinum dulcissimum, flos cassiæ cum rosaceo mixtus, aut cum oleo chamemolino, mala dulcissima cocta, & cum croco mixta, spongia aqua dulci, vel salsa maddida, vt *Gal. 13. meth. cap 5.* inquit, *Hæc enim omnia vnctuosa & pinguina tura partem tensam & exasperatam laxando dolorem leniunt.* *Anodina medicamenta.*

Sed notandum, quòd rarò propositis vnctuosis solis vtimur. Primò, quia pinguia, & oleosa facilè inflammantur. Secundò, quia nimis partem laxant, & sic ex relaxatione fluxio magis excitatur, & dolor augetur. Ideò anodinis, quæ doloris causam respiciunt, admiscenda, & parùm aceti, vt penetrationem præbeat, addi potest. *Notandũ de Anodinis.*

Vt si dolor à tensione proueniat, fomenta, quæ vaporosos humores, tensionem efficientes vacuant, competunt, & propter intemperiem sint refrigerantia, & actu calida applicentur, vt exhalatio fiat, sicuti est infrascriptum.

℞. Aquarum rosarum, plantaginis, & olei myrtini an. q. suff. M. & fac fomentum. Si maiori refrigeratione sit opus, adde aquas semperuiui, virgæ pastoris, caphuram, & parum aceti, vel foue cum decocto hordei, lactucæ, gallæ cum modico vino nigro, & aceto, vel illiniatur pars mucilagine sem. lini cum modico aceto, & oleo myrtini, vel inungatur pars oleo rosaceo, myrtino, & nenupharino simul mixtis. Posteà per plures vices fiat fomentum cum suco solani, plantaginis, & bliti; Tertio loco applica Catapl. factum ex eisdem herbis cum mucilagine sem. psillij, & si lac admisceatur, & simul coquatur, efficacius erit.

Si

Si verò dolor oriatur à materia dura comprimente, & aggrauante, Catapl. ex pasilio, oleo rosaceo, & modica cera compositum conuenit, vt inquit *Galen. 2. ad Glauc. cap. 2. Vel id, quòd fit ex Arnoglosso, lente, pane, & oleo rosaceo.*

Si verò dolor ex calida intemperie fiat, frigida quodinis misceri debent; imponantur ergo maddida linea in vino acerbo, aut posca, aut suco lactucæ, & sempermi, vel suco psillij, cucurbitæ, vmbilici veneris, & plantaginis, vel lac cum panis mica, & oleo violaceo mixtum, & modicè coctum. Valentiora verò sint, vel mitiora secundum intemperiei magnitudinem, corporis habitum, ætatem, & cætera superiùs dicta.

Aliud notandum de Anodinis med.

Animaduertendum etiam, ne med. quæ ad dolorem leniendum imponuntur, sint dura, aut ponderosa, vt cerata, & catapl. nimium crassa, quia pondere, vel duritie dolorem excitarent.

Narcoticorum vsus, & quæ sint?

Tertio modo sedantur dolores, quandò prædicta non profuerint stupefacientibus, & narcoticis, quæ sensum partis auferunt, quibus caurè, & nisi necessitate coacti vti debemus, huiusmodi sunt, hyoschyamus opium, mandragora, & cicuta; Quibus in inflammata parte vtimur, vt plurimum refrigerent, & quia sunt crassæ substantiæ, vt penetrent, & ne ita partem lædant, vbi insigni refrigeratione non est opus, aut castoreum, aut euphorbium, aut piper, aut cinamomum admiscebimus. Comperiuntur etiam hyoschyami folia sub calidis cineribus cocta, & cum recenti axungia mixta, & imposita; idem etiam efficit belladonna, dicta, lactucæ syluestris sucus, papaueris nigri sucus, lapis memphitis, & vinum mandragoritis, vt Dioscorides inquit.

De Gangrena, & Sphacelo, siuè Syderatione. *Cap. III.*



IN Gangrenæ pertractatione eumdem seruabimus ordinem, vt in phlegmonis pertractatione fecimus, & primùm dicemus quid nominis?

Gangrena igitur est nomen commune tàm Græcis, quam Arabibus, qui etiam aliquando *Estiomenon* appellant; Quamuis proprie *Estiomenon* sit Gangrena cum vlcere continuo rodens, ac depascens, & à C. Celso *Phagedena* dicitur; Tamen gangrena apud Græcos est sine vlcere, & à Latinis *Mortificatio* etiam dicitur. *Quid nominis?*

Quid verò sit Gangrena optimè explicauit *Gal. lib. de tum prat. nat.* dicens, *Gangrena autem solidorum corporum mortificatio est, & ipsa verùm ossa nequaquàm corrumpit maximasq; sequitur inflãmationes.* *Quid sit gangrena?*

Lib. verò 2. ad Glauc. cap. 9. sic definit, *Gangrena est partis mortificatio, nundùm tamen absolutè facta ex inflammationum magnitudine proueniens*; Eodem modo *Paul. lib. 4. c. 19.* eam definit, & *Aetius ser. 14 cap. 56. Gangrena igitur nihil aliud est, nisi principium mortificationis membrè cum sensus hebetudine, sed non cum ipsius ablatione, quoniam si omninò sensu careret, esset sphacelos, & non gangrena.*

Differt gangrena ab inflammatione; quoniam in gangrena non tantus adest sensus, quantus in inflammatione: Differt verò à sphacelo, siuè syderatione, quoniam in sphacelo omninò sensus deperditus est, & corruptio tàm est in partibus mollibus, quàm in duris. In gangrena verò corruptio tantùm in mollibus partibus est, & sensus est hebes factus, vt 2. *ad Glauc.* inquit *Gal. Differt etiam ab Estiomene, quia Estiomenon est cum vlcere, gangrena verò sine vlcere.* Differt etiam Gangrena a paraglisi, quia gangrena membri corruptionem sequitur, paraglisis verò, vel motus, vel sensus deperditionem, vel vtriusq; Conuenit verò gangrena cum sphacelo, quia vtraq; passio, mortificatio est. Differunt verò solùm secundum magis, & minùs, & ideò vtriusque eædem causæ erunt. *Gangrena a quibus differat, & quibus conueniat.*

Sphacelus ergò est tàm mollium, quàm solidarum partium omnimoda mortificatio, & à Latinis etiam syderatio dicitur. *Quid sit sphacelus.*

De Gangrenæ, & Sphaceli Causis.

CVM gangrena nihil aliud sit, quàm partis mortificatio, quæ est in fieri, sphacelos verò quæ est in facto esse, & mortificatio ex nihilo alio fiat, nisi ex illius partis innati caloris corruptione; videndum ergo, à quibus huiusmodi calor corrumpi possit, & id gangrenæ, & sphaceli causa erit.

Primum

Calor, à quibus corrumpatur

Primùm enim calor ab aliqua valida intemperie corrumpi potest, vt à nimio frigore, vt ijs euenit, qui per niuosa, & frigidissima loca iter facere, vel ab immoderatis inconsultè, & temerè refrigerantibus medicamentis in inflammationis curatione adhibitis, quæ naturalem calorem destruunt; Efficit verò hoc frigida intemperies, quoniam cùm proprium frigidi sit condensare, & constipare, ideò prohibet, ne ad particulam influat, quod influere debet, ac etiam, quòd in parte continetur, ne diffluat, idest ne spiritus illuc deferantur, & per halitum resoluantur, inhibet.

A nimio, & excedente extraneo calore, qui natiuum calorem destruit, & natiuam humiditatem absumit, similiter fit gangrena, & hac de causa ingentes inflammationes propter excedentem calorem in gangrenas conuertuntur, vel ab adhibitis medicamentis nimis calidis, vt aliquandò in eresypelate fieri solet. In sclopetorum vulneribus etiam propter calidam intemperiem gangrenæ fiunt, qua partes illæ eliquantur, & naturalis calor destruitur: vel fit ex erodentium, & calidorum medicamentorum vsu, vt capitelli, risagalli, & similium, à quibus calida intemperies introducitur, quæ natiuum partis calorem destruit, & ideò *Gal. lib. de tum. præt. nat.* dixit, *At gangrena, carbunculiq; excitantur quum sanguis tanquam feruens, & inflammationi propinquus exurit cutim.*

Fit etiam gangrena ex mortu venenati animalis, vel ex vulnere venenato instrumento illato, quæ omnia calidam partis intemperiem inducunt, vel ex venenatis humoribus in corpore genitis, & criticè ad aliquam partem transmissis, vel ob malignas sordes ab vlcere defluentes, quæ partem, quam sanies illa tangit, corrumpit, dicente *Gal. 2. de Fracturis*, *Ab his enim sordibus naturalis temperies destruitur*. Ab aneurismate similiter fit gangrena, cùm ad vacua ex arterijs sanguis fluit, qui dum corrumpitur, ob feruorem illius corrupti sanguinis naturalis calor destruitur, & fit gangrena.

Fit secundò gangrena ex alimenti defectu, vt in marasmo euenit, & quandò spiritus à corde influentes à solito transitu impediuntur, vt ab arcta supra modum ligatura, ob quam meatus, per quos deferuntur spiritus, occluduntur, ita vt pars illa spiritibus destituta emori, & putrefieri cogatur, vt læpè in fracturis, & luxationibus euenit, vt 6. *meth. Gal.* inquit, *Vel ex maxima, & lunga compressione in parte aliqua facta vt lungo tempore in lecto iacentibus contingit, vel crassi humores inuenis, vel arterijs, vel neruis contenti spiritibus, quibus animalium vita tenetur, ac seruatur, intercipiunt, & gangrena efficiunt, vt Auic. P.* inquit, *Similiter gangrena fit quandò superiores arteriæ, vel venæ contusionem, vel tumorem patiuntur, vel secta sunt, propter quod spirituum transitus impeditur, cum per illa, & alimentum ad membrum deferatur.*

Tertiò, fit gangrena, quandò naturalis calor ex impedita transpiratione suffocatur, vt in maximis inflammationibus, & eresypelatibus euenit, in quibus cum maxima sanguinis, & spirituum copia, ideò caloris ita in suffocatio fit, & ex hac causa læpè gangrena oritur, dicente *Gal. 4. de artic. & 2. ad Glauc. Quòd gangrena vt plurimùm maximas inflammationes sequuntur lib. verò de tumoribus præter nat.* dixit, *Ad hæc gangrena maximis succedit inflammationibus, quæ sanè mortificatio quædam affectæ partis existit.* Quomodò verò in maximis inflammationibus fiat gangrena, optimè *Gal. lib. de inæquali intemp. explicauit*, dicens, *Quippè, quæ perspiratu tarent, celerius putrescunt, & calor ita ibi feruescens calorem præter naturam accendit, qui postea natiuum extinguit calorem, perinde, atque maximus ignis exiguam flammam, & membrum comburit & mortificari incipit, & hoc idem etiam dixit lib. de tumor. præter nat.*

Notandum tamen, quòd quamuis membri inflammatio corruptionis sit causa, tamen ad eam causam, quæ transpirationem impedit, reduci potest, siue prohibita transpiratio facta fuerit à frigidis medicamentis, siue à frigore, siue à collecti sanguinis multitudine causam habeat; cùm variæ causæ transpirationem impedire possint. Dicere ergo possumus, quòd gangrena, & sphacelus fiunt, vel denegata parti vitali facultate, vel natiuo eius corporis calore, & temperie pereunte, & omnes superiùs dictæ causæ ad hæc duo reduci possunt.

De Gangrena, & Sphaceli ſignis.

Gangrenæ ſigna vniuerſalia.

VNiuerſalia gangrenæ ſigna ſunt coloris floridi extinctio, & ad fluitiem tendens, vt inquit *Gal. lib. de tumor. præter naturam*, & hoc denotat, in tali parte vegetatiuam deeſſe facultatem, quæ vna cum ſanguine ad membrum proueniebat, cum ſanguis floridi coloris ſit cauſa.

Secundò, fit ſenſus hebetatio, & doloris ſedatio, & hoc fit, quia animalis facultas partem illam derelinquit; Tertiò, pulſatio recedit, & non ampliùs perſentitur, quia vitalis facultas non ampliùs ad illam partem influit.

Signa gang. ex nimia refrigeratione.

Signa gangrenæ ex nimia refrigeratione ſunt, quòd in primis pars affecta paulatim ſtupida fit, & ſenſus hebes redditur, proprius membri color mutatur ob frigus vitales, animales, & naturales ſpiritus intercipiens, ex quo membrum primùm gangrena afficitur, deinde totum emoritur, & ſphacelus fit, ſiue ſideratio, & aliqua præceſſit cauſa, quæ vehementer talem partem refrigerauit.

Signa gang ex medicamẽtis mortiferis, vel à veneno.

Signa gangrenæ à mortiferis medicamentis, vel à venenatis animalibus factæ ſunt: in primis enim membrum vehementer inflammatur, tumidum, & rubicundum fit, pulſatiles dolores percipiuntur, duricies tactui, & ſenſui renitens deprehenditur, caliditas ab infirmo perſentitur, paulatim poſtea locus liuidior efficitur, & inflammationis rubor, & dolor minuuntur, torporque perſentitur, & ſenſus immutatus videtur, vt 4 *de artic. Gal.* inquit, *Cæterùm ſi ſpecilli cuſpide vel nouacula acie pars pungatur, vel diſſecetur obtuſus in ea percipitur ſenſus, & vnà ſanguis effluit*, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. & com 50. lib. 7. Aph.*

Signa gangr. ob malignas ſordes.

Signa gangrenæ ortæ ob malignas ſordes ab vlcere defluentes, ſunt, ſeuiſſimus fætor, qui à partibus illis prouenit, & expirat partis denigratio, & magnum ichorum profluuium.

Signa gang. ex factis vaſis.

Signa gangrenæ ex ſectis venis, & arterijs ex anatome dignoſcuntur, cum ex illa ſciamus per partem ſectam venas, & arterias pertranſire, dignoſcitur etiam ex ſanguinis magna hæmorragia; apparet etiam quædam cutis corrugatio, quæ infra vaſa ipſa excoſa fit, & extremi membri etiam frigiditas perſentitur, cui ſimilis, cæteras partes corporis manibus contrectando, non percipitur.

Signa gangr. ex venenoſa materia criticè ad partem delata.

Signa gangrenæ ex materia venenoſa ad aliquam partem criticè delata ſunt, præcedens peſtifera morbi ciſſitia, & maligna febris, & in parte aliquandò tumor, & tenſio perſentitur, aliquandò nihil horum, ſed tantùm frigiditas in parte illa ab infimis percipitur, & ſenſus torpidus fit, & paulatim diminuitur, floridus partis color deperditur, ac immutatur, & cutis liuida redditur, & aliquandò etiam puſtulæ quædam, vel veſſicæ, ſub quibus nigra macula apparet, excitantur.

Signa gangr. ab inflammatione ortæ.

Signa gangrenæ ab inflammatione ortæ, ſunt, præcedens abſque vlcere magna inflammatio, febris continua, tumor, tenſio, partis rubedo ad flauitiem, vel nigredinem tendit, dolor, & pulſus recedunt, non finito adhuc effectu, ſed ad corruptionem tendens, in punctione, vel ſcarificatione paruus calor perſentitur, pars mollior redditur, deindè aliquis prauus odor aſſociatur, & ſi inflammatio pedem occupet, vt plurimùm in magno pedis digito incipit, deindè ſurſùm progreditur.

Sphaceli ſigna.

Signa ſphaceli, ſiue ſiderationis ſunt, nigredo membri, & mortificatus color, omnimoda ſenſus ablatio, & ſi alibi, & profundè pungatur, vel incidatur, quamuis ſanguis effluat, nihil ſentit, è quo deindè flauus, & ſubtilis humor, & admodum fætidus, & aquoſus egreditur, vt inquit *C. Celſus lib. 5. cap. vltimo*, Membrum molle, & putridum redditur, cadaueroſum fætorem ob extraneum calorem, expirat; Si pars digitis præmatur, in profundum cedit, & non ampliùs eleuatur: ſi cutis attollatur, digitiſque eleuetur, facilè à ſubiecta carne ſeparatur, cum naturalis calor deſit.

Dubitatio.

Si quis verò, dicendo obijceret, in gangrenis ab affluxu ortis, dixiſti aliquandò dolorem excitari, quomodò hoc eſſe poteſt, cùm gangrena ſit mortificationis principium, & ſenſus hebes reddatur?

Solutio.

Reſpondendum, quòd dolor, in gangrenis, ab huiuſmodi cauſa excitatis, adeſſe poteſt, & aliquandò intollerabilis eſt ob maximam luctam, & tenſionem, quæ in emoriente parte fit, cum dixerit *Hippocr.*

tunc

dolorem fieri, quandò natura alteratur, & corrumpitur.

De Gangrena, & Sphaceli Prognostico.

GAL. 4. *de articulis*, inquit, *Quamuis ob multas causas gangrena fiat, sæpè tamen inflammationis sequitur magnitudinem*, & *lib. de tumoribus præter naturam*, idem inquit, *Gangrena curatu difficillima est, & nisi curetur celerrimè, vsque adeò pars affecta extabescit, vt alias sibi continuas inuadat, atque sic hominem perimat.*

C. Celsus *lib.* 5. inquit, *Si verò cutis, & musculi non sint omninò sensu destituti, & gangrena nundùm planè teneat, sed adhuc incipiat, aliqua salutis spes adest, præcipue si sit in corpore iuuenili, & valido, & magis etiamsi musculi integri sint, si nerui, vel læsi non sunt, vel leuiter effecti eam curare non difficillimum est & aliqua salutis spes adest.*

Paul Ag. *lib.* 4. *cap.* 19. inquit, *Huius affectionis tanta vis est, vt nisi quispiam rupta omni mora præsentissimas tulerit suppetias, pars affectu promptissimæ mortis habitum contrahat, & hominem interimat gangrena, quæ fit ex humorum affluxu difficilioris curationis est, quam quæ est sine affluxu, & celerrimè interemit, nisi adsit valida virtus resistens, & gangrena tantò senior, & peior est inflammatione, quantò syderatione leuior est inflammatio.*

In Gangrena, quæ fit ex attritione, vel compressione, vel venarum, vel arteriarum incisione, siuè lanjatione, nulla curationis spes remanet, præsertim si vasa omnia membrum nutrientia dissecta fuerint, cum ob alimenti defectum membrum corrumpi, & siderari sit necesse.

Vbi item gangrena pœnitùs insedit, & in sphacelum abiit, insanabilis est, plurimiq; sub frigido sudore moriuntur.

Quando corruptio tanta est, quod quamuis pars secetur æger seruari non potest, vt quando corruptio est circa Inguina, vel circa Thoracem, vel circa aliquam præcipuam partem, præsertim vbi magna adest carnis copia; Tunc Medicus a sectione se abstinere debet, & eius Propinquis assistentibus futuram infirmi mortem prædicere debet, ne mors, quæ ex morbi magnitudine, & malignitate prouenit, Medico imputetur, vt in Prognosticis dixit Hipp.

Si uero corruptio sit in Brachio, uel in crure infra iunctura humeri cum cubitu, & infra Genu, & Femur per spatium quatuor digitorum, tunc de salute sperari potest, & membri sectio fieri debet, quoniam tunc totius salutem curare debemus, cum pars seruari non potuerit.

Sphacelus, cum pars sit omnino emortua, & vita destituta, incurabilis est, cum à priuatione ad habitum non datur regressus, vt Arist. inquit.

Gangrenis ex Venenis genitis, quam citissimè succurrendum, quoniam citissimè partis omnimoda corruptio sequitur.

De Gangrenæ curatione.

IN cuiuslibet morbi curatione expendenda, vt inquit *Gal.* 8. *& 14. meth. Idest nunquid morbus tanquam gangrena sit curandus, an tamquam sphacelus*; Similiter morbi causa semper perpendenda est, cum morbi ex diuersis causis orti diuersa præsidia exposcant; Cum ergo gangrenæ ex pluribus, & diuersis causis fieri possint, vt superiùs diximus, cuiusque curationem describemus.

De Curatione gangrenæ ab extraneo Calore, vt ab inflammatione, vel crespetatæ ortæ.

IN curatione gangrenæ ab extraneo calore ortæ (quæ sæpè fieri solet, vt inquit *Gal.* 4. *de articulis*) *Vt in maximis inflammationibus, quæ in gangrenas terminantur, euenit, cum fiant ob prohibitam transpirationem, quæ fit à multa sanguinis copia constipante, arteriasque comprimente, ita vt ad caloris euentationem attolli nequeant,*

vel à temerè adhibitis calidis medicamentis: Indicationes erunt poros aperire, & refrigerare, quam curationem optimè docuit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 9.* dicens, *Curatur autem euacuantibus nobis plurimum ſanguinis, qui impatiente membro compingitur, cuius cauſa mortificationes fiunt, reliquo autem exhibentibus tranſpirationem.*

Aut Cutem igitur vniuerſam multis profundis ſectionibus ſecare oportet, vna cum ſubiecta ſubſtantia, aut plurimis ſcarificationibus incidere. Quo maior ergo eſt Gangrena, maioribus, & profundioribus inciſionibus æget, & ſi turgidæ venæ in parte Gangrena laborante fuerint, hæ protinùs incidendę, vt ſanguinis copia in ipſis detenta ſtatim euacuetur, vt Aetio, Oribaſio, & Paulo placuit; Sed antequam huiuſmodi venas incidamus, priùs vinciendæ ſunt, ne ex hemorragia mors ſequatur. Hæc enim ſanguinis euacuatione, & pus refrigeratur, & meatus à nimia repletione obſtructi aperiuntur ob quam cauſam arteriæ moueri non poterant. Alij, vt ſanguinem euacuent, hirundines, ſiuè ſanguiſugas applicant.

Facta ſcarificatione, & euacuato ſanguine, vt ſanguis craſſior, qui alioquin ibi concreſceret, euacuetur, abluenda pars muria tepida, vt *Aetius, & Guido* inquiunt, vel aceto cum ſale, vel lixiuio, in quo lupini incocti fuerint; Deinde, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. & Aetius ſerm. 14. cap. 50. & Paul. lib. 4. cap. 19.* imponendum aliquod medicamentum ex ijs, quæ ad putreſcentia conducunt, ideſt facultate frigida, & ſicca, præcipuè verò ſicca, cuiuſmodi eſt catapl. factum ex oximellite, & orobi farina, vel lolij, niſi verò huiuſmodi farinæ adſint, fabarum adhibe, vel ipſum oximel ſolùm. Si verò fortius medicamentum apponere vis, adijce ſal, vel ſumme oximel ſquilliticum, vel mel roſatum, cui calx viua ſit admixta, aut puluere trouiſcor polidæ, paſonis, andronis, muſæ, aut Ioannis de Vigo, aut præcipitato vtere; cum, qui duras carnes natura ſortiuntur ij fortiſſima medicamenta deſiderent; mollia verò, qui teneras, vel poſt lotionem ceratum diaphinicon *Gal. 1. de comp.* Medicamentum inſtitutum applicabis, quòd maximè competit. Hæc enim medicamenta Ichoros, putredineſque abſumunt, ſuaque ſiccitate detergunt; Frigiditate verò, quòd nundum vitiatum eſt, roborant eam malam intemperiem remittendo, & putredinem arcendo.

Ad reſiduum verò eradicandum, Guido calente aceto, ſeù muſſa locum abluit, & alij Egyptiaco vnguento vtuntur, quod putrefactionem prohibet, & putrefactum ab integro, & incorrupto dirimit, & decidere cogit, & quòd ſanum eſt, conſeruat, ac tuetur. *Ægyptiac. & Vnguenti vires.*

Niſi verò his cedat, puluis dictorum trociſcorum cum aceto, vel vino commixtus apponi debet, vel aliquod aliud cauſticum medicamentum, quòd ſanum à corrupto ſeparandi cruſtamque inducendi vim habeat, & ſi neceſſitas vrgeat, ſœno ſanum à corrupto etiam ſeparari debet, præſertim vbi multa corruptæ carnis copia adeſt, ne corruptio vlteriùs ſerpat.

Alij pro ſeparatione ſani à corrupto, maximè arſenicum ſublimatum laudant, quòd confertim, & ſine dolore malum ſiſtit; Sed in hoc medicamento adhibendo, maximè attentus debet eſſe Medicus, vt in circumſtantibus partibus defenſiuum apponat, & dicto arſenico vti debet correcto, vel in puluere, vel vino diſſoluto, & id excipiat lineamento, vel goſſipio, & inter ſanum, & corruptum applicetur, ideſt in ſciſſuris per tranſuerſum factis, & niſi prima vice effectum præſtat, iterum renouari debet. *Arſenici ſublimati vſus, ac vires.*

Arſenicum ita præparatur, primùm ſuper marmoreum lapidem conteritur, & vini aliqua portione ſic molendo, in liquidi vnguenti formam reducitur, deindè exſiccatur, & quantò minùs deſiderauerimus, vt agat tantò magis, & pluries ſic præparari debet.

Circa vniuerſalia, victus ſit tenuis, & refrigerans, & aliæ res nonnaturales ſint, vt in inferiori curatione dicemus; Si vires, ac ætas patiantur, ſanguiniſque plenitudo adſit, venæ ſectio etiam facienda. Si verò parui humores in corpore redundent, aliquod medicamentum leniendo euacuans eſt inſtituendum: & cor, cum ſemper in huiuſmodi affectibus patiatur, vt inferiùs dicemus, roborandum. *Arſenici præparatio.*

Nulla sanguinis profusio sequitur, quia à parte mortua nullus fluit sanguis, neque in ea dolor excitatur, cum huiusmodi pars sensu careat, neq; conuulsio fit, pars similiter facilius causticа tolerat, cum pars iam demortua sit, atque si debilis virtus esset, non imbecillior redditur, vt si in sana parte sectio fieret.

Sursùm cutis, & caro ante incisionem trahi debet, vt posteà relaxata, & deorsùm retracta os operiat, ex quo curatio facilius absoluitur. Hoc tamen commodo carceremus, si extra carnem os prominet, quòd deindè à Chirurgo est remouendum, & si naturæ prætermitteretur, nisi post longum tempus, & cum difficultate abscederet, cum os, quòd à carne non fuerit tectum, & ab aere alteratum fuerit, abscedere fit necesse, *vt lib. de fracturis Gal.* inquit,

Priùs arctè vinciendum, vt pars obstupescat, vt non persentiatur dolor, vtque vasa etiam constringantur, ne sanguinis fluxus ab ijs fiat.

Error quorumdam Modernorum

Aliqui moderni Auctores uolunt, quòd incisio fiat cum ignito instrumento, ut simul escara incidatur, & corrupta pars à sana separetur, & ita inquiunt, sanguinis profusionis periculum deuitatur. Sed hoc secundum meam sententiam, minimè faciendum est, quoniam ignito ferro neruosæ partes etiam inciduntur, quæ nunquam ignito ferro attingi debent, ut inquit *Celsus lib. 8 cap. 3. & Hipp. lib. de artic. & Gal. in eiusdem lib comm. Qui omnes Auctores neruos igne calefacere prohibent. Si verò post incisionem ambustio fiat, neruosæ partes non comburuntur, quia statim erga suum principium contrahuntur: Melius est igitur facta incisione adurere.*

Sectio in iunctura quomodò aciendа.

Si uerò in iunctura amputatio fieri debeat, Ministris iubere debemus, ut sursùm pellem supra iuncturam quantum possunt, trahant.

Deindè arctissimè supra iuncturam pars uincienda. Hoc facto in ipso articulo membrum excidendum, deindè uasa sanguinem fundentia inurenda. Posteà tollendum uinculum, & cutis deorsùm digitis trahenda, ut totam iuncturam contegat, quòd facilè assequemur, si sursùm ualidè cutis priùs retracta fuerit. Deindè sicuti pelles consui solent, cutis suenda est, dando operam, ut omninò iunctura à cute contegatur. Posteà emplasticis medicamentis, vt superiùs fuit dictum, communies, vel post suitionem talis pars in ventrem gallinæ morientis immittenda, vt multi faciunt, & hoc fit, ne sanguinis profluuium sequatur, & dolor mitigetur.

Hac enim iuncturarum secandi regula, dolor non valdè magnus infertur, cum sensus ob vinculum arctè obductum torpidus fit factus. Neque sanguinis fit hemorragia, tùm ob vstionem, quæ fit in capitibus vasorum, tùm etiam, quoniam à cute conteguntur, quòd etiam *Gal. 5. meth.* scriptum reliquit, dicens, *Sanguinis fluxum sisti ex propriæ cutis superpositione, & sic tutò membra amputantur.*

Quandò corrupti membri separatio medic. fiat.

Si quis verò ferrum non admittat, & omninò renuat ob eius timiditatem, & animi imbecillitatem, ne mors sequatur alio pacto pars inurenda, & secanda est, vt alii qui recentiores dicunt, & hic curandi modus non est vsurpandus, nisi in maximis necessitatibus, & vbi corruptio vsque ad articulum perueniat, vt corrupta manus vsque ad brachium, & brachium vsque ad cubiti iuncturam, vel crus vsque ad genu. Cum curatio hæc fieri non possit, quandò corrupti vsque ad brachij, vel cruris, vel femoris medium peruenerit; Ita ergo faciendum.

Super sanam partem infrascriptum defensiuum applicandum.

℞. Olei rosacei omphac. myrtini, violarum an. vnc. 1. acerrimi aceti vnc. 11. succi plantaginis, solani, absintij, scabiosæ, consolidæ an. vnc. 5. bulliant simul ad succorum consumptionem, deindè adde boli, arm. sang. drag. santalorum omnium, macis, cinamomi, schenanti, ciperi an. 3. 1. ceræ q. suff. M. & S. A. fiat vnguentum.

Hoc facto pars mortua propè sanam scarificanda rectis, & obliquis scarificationibus tàm profundis, vt ad os deueniatur, deindè in scissuras arsenicum præparatum, & puluerizzatum cum sublimato pari pondere ponatur, & ibi tàm diù detineatur, quousque operetur, & si prima vice non proficiat, nouæ scissuræ faciendæ, & reiterandus dictus puluis: Pars iam mortua, & corrupta infrascripto spadrappo contegenda, quod vim exsiccandi

candi valentissimam, & separandi viuam à mortua habet.

℞. Aloes, myrrhæ, acaciæ, galliæ muschiatæ, aliptæ muschiatæ, corticum granatorum, nucum cupressi, nucis miristicę, sandalorum omnium, ligni aloes, cimi aluminis rocchæ ad ʒ. i. M. & simul omnia optimè terantur, vel

℞. Huius pulueris vnc. i. picis nauales, resinæ pini, colophoniæ an. vnc. ii. thuris masticches, stiracis liquidæ an. vnc. i. gummi arabici, tragaganthi an. vnc. 5. Mi postea ad ignem liquatis pluries intingatur linteum, & detineatur, postea exsiccetur, & sic teruel quater fiat, quousque medicamentum imbiberit: Si verò medicamentum sit nimis durum, portiuncula hirci mi lebi addi potest.

Notandũ in iis, quod aliquod membrum fuit amputatum.

Post membrorum amputatorum curationem, ac sanationem, animaduertendum, vt per multos annos, Veris tempore larga fiat sanguinis missio, vel purgatio, ne ex pletora aliquod prauum symptoma succedat, cum omnia membra suo munere fungantur, & sanguinis copia, vt ante membri amputationem gignatur, & quòd pro amputati membri nutritione esse debet, continuò retinetur. Ideò periculum est de alicuius vasis abruptione in aliqua præcipua parte, uel de aliquo alio prauo symptomate, nisi illum natura per hemorroidales uenas, uel per nares, uel per menstruas purgationes transmittat.

De Carbunculo, siuè Antrace. *Cap. IV.*

Quod nominis?

Carbunculus à Latinis, à Græcis Antrax, ab Arabibus uerò Ignis sacer, Ignis perficus, Pruna, & Althoin uocatur, & quamuis Authores aliqui inter carbunculum, & antracem differentiam fecerint, tamen idem significant, & non differunt nisi secundùm magis, & minùs, & secundum maiorem, uel minorem seuitiam, & malignitatem, & magis, & minùs, vt inquit *Arist. in prædic. non facit differre specię*

Aliqui etiam ex Arabibus inter carbunculum, Ignem persicum, & prunam, etiam differentiam fecerunt, quamuis idem significent, vt manifestè patet in Auicenæ scriptis, qui in curatione Ignis sacri eadem medicamenta adhibet, quæ Gal. in carbunculi curatione.

Cur dicatur Carbunculus, & aliis nominibus uocetur?

Dicitur carbunculus, quia in medio habet crustam carbonis extincti instar, atq; in pluribus carboni assimilatur: Dicitur antrax, quia anteriora petit, ideſt cor; Dicitur Ignis sacer, uel Persicus, uel Pruna, quia instar ignis, & pruna circumstantes partes urit, vt inquit *Gal. 6. Aph 45.*

Carbunculi definitio.

Quid sit Carbunculus? *Gal loco cit. optimè declarat*, dicens, *Carbunculus est vlcus crustosum cum magna vicinarum partium inflammatione.*

Quinto, verò de Comp. Med. S. Gen. inquit, *Carbunculus est vlcus crustam citò cum valida phlegmone circumstantium particularum existens; Eodem etiam modo definit Paul lib. 4. cap. 25.*

Carbunculus, *quod morbus sit?*

Carbunculus ergo est tumor maximè adurens, & nigram crustam habens. Ex dictis igitur, & *ex Gal lib. de diff morborum cap* 12. colligere possumus, *Carbunculum esse morbum compositum ex vlcere, & tumore*, cum dicat *Gal. loco citato, Carbunculus semper cum vlcere inuadit*; Quatenus est ulcus, est morbus in solutione continui: Quatenùs est tumor, est morbus in compositione, & præcipuè in magnitudine aucta. Partes affectæ, quum sit ulcus, & tumor erunt organicæ, & compositæ partes; Quatenùs uerò calidus, & feruens tumor est, simplices partes affectæ erunt. Quòd uerò inter tumores enumerari debet, inquit *Gal. 10. & 14. meth. & 2. ad Glauc & in lib. de tumor. præt nat. 6. verò aph Vlcus appellauit, vt cognoscamus differentiam inter carbunculum, & inflammationem, seù phlegmonem.*

Partes à carbunculo affectæ.

De Carbunculorum differentijs.

Differentiæ carbunculorum à pluribus sumi possunt, vel ab ipsorum essentia, vt à benignitate, vel malignitate, siuè seuitia, & benigni dicuntur illi, in quibus mitiora sunt symptomata; seui verò, & maligni, in quibus grauia, & seua insunt symptomata; Alij verò sunt Carbunculi, qui sunt pestiferi

omnia membrum nutrientia dissecta fuerint, cum ob alimenti defectum emori membrum sit necesse. In tali casu ne partes illi contiguæ corrumpantur, cum incisa illa omnia esse videris, antequam aliud adhibeas medicamentum, totum membrum excidere debes, & ita facere est necesse, cum ablata via sit, per quam spiritus, & alimentum pro vita, & nutritione necessarium ad tale membrum deferantur.

De Curatione Gangrenæ à Septico Med. excitatæ.

QVandò gangrena à septico med. excitata fuerit, primùm id remouendum, deindè inducta temperies alterantibus medicamentis est corrigenda.

De Curatione Gangrenæ à malignis sordibus ab Vlcere defluentibus excitatæ.

SI Gangrena ex malignis sordibus ab vlcere delatis orta fuerit, curandum vlcus, vt praua, & maligna vlcera curari solent, & præcipuè cum medicamentis putredinis causam remouentibus, sicuti sunt medicamenta purgantia, quibus sæpè mali humores in corpore contenti educi debent, & pars corrupta valentibus medicamentis superiùs dictis tollenda, vel vnguento egyptiaco solo, vel cum lupinorum decocto, & sale mixto, quod hicinis applicari debet, & nisi huic cedat, valentioribus vtere. Considerata priùs totius, & partis natura, Aetate, temperamento, & cæteris aliàs dictis; cum neruosæ partes fortia non ferant medicamenta propter exquisitum sensum. Carnosæ verò, & humidæ partes cùm facillimè putrescunt, fortiora exigunt, & cùm hæc medicamenta applicantur. Defensiuum parti sanæ corruptæ proximè applicare mirum in modum conducit. Hoc facto escaræ casus procurandus tetrapharmaco, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. aut alio simili med. Ita ergo curanda huiusmodi gangrena, cùm remoueri, ac curari, & æger viuere non possit, nisi pars illa corrupta auferatur*, vt dixit *Gal. 7. Aphoris. & 14. meth. & 6. de comp. med. S. Gen.* dicens, *Insanabiles partes à corpore esse ammouendas, quæ ferro exciduntur, interdum igne, nonnumquam verò adducentibus med.*

Cognoscitur verò corruptam carnem esse remoram, quoniam Pus album, leue æquale, & minimè fœtidum apparet, & caro bona, firma, & solida nascitur. *Signa corruptam carnem esse remotam indicantia dubitatio.*

Si quis dicendo, obijciat in curatione gangrenæ, ideſt pro escara remouenda humida, & concoquentia medicamenta applicare iussisti, quæ omnium ore non conueniunt. Respondendum, quòd tunc non ampliùs gangrena curatur, cum iam corruptio ablata sit, sed escaræ casus. *Solutio.*

Quandò post escaræ casum aliqua inflammatio remanet, quæ ex tot calidorum vnguentorum fuerit excitata, vngu. ex pompholige succurrendum, quòd inflammationi, & calidæ, & siccæ intemperiei succurrit, neque post causticorum medicamentorum remotionem calida medicamenta applicanda, sed frigida, cum ex calidis medicamentis intendatur corruptio, augeatur inflammatio, & adustio, deindè fiat.

Si verò propter maximam corrumpentis humoris malitiam morbus seuiret, ad ferrum confugiendum, & putrefactam carnem nouacula, vel forcipibus à sana separanda, illam ad viuum vsque secando, vt medicamenta vim suam faciliùs exercere possint, & semiputridam carnem exsiccare, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. & Paul. lib 4. cap. 19. Post corruptæ carnis abscissionem aliquod ex supradictis medicamentis, quòd escaræ inducendæ vim habeat, imponendum, vel simplex calcitis vel illa alba efflorescentia, quæ supra calchantum adinuenitur, vel auripigmentum, aut aeris erugo, & similia, quorum acrimonia combustione, vel infusione aceti acerrimi per integrum diem obtunditur.* Vbi hæc medicamenta imponuntur, linteo aliquo frigido medicamento imbibium, vt inflammatio prohibeatur, superponendum, *vt 3. de comp. med. S. Gen. Gal.* docet, *Animaduertendum etiam quòd dum fortia medicamenta applicantur, vt corpus sit optimè purgatum, quoniam nisi sit purgatum, de facili phlegmo excitatur*, vt inquit *Gal. S. meth. Cum acria medicamenta ab vniuerso corpore ad affectam partem humores attrahant, qui attracti non ita facilè remoueri possunt, vt loco citato Gal* inquit xi.

meth. & 3. de comp. med. S. Gen. & lib. de ſangu. miſſ. & Auic. 4. 4. cap. de vlceribus putridis, inquit,

Si ob morbi ſeuitiam ad fortiora medicamenta confugere ſis coactus, antequam purgans medicamentum adhibeas, horum coctionem expectare non curabis, quoniam corrupti humores coctionem non admittunt quod dixit etiam Gal. x *meth. Qui abſque vlla præparatione tumorem linguæ patienti fortia Catapotia exhibuit, Dandum ergo illis purgans pharmacum. Si verò pauca prauorum humorum copia in corpore adſit, & non valdè malignum ſit, vlcus, corpuſq; plethoricum non ſit, mitiora medicamenta admoueri poſſunt*, vt inquit, *Gal. 1. de comp. med S. Gen. & 11. meth* hoc idem docuit, dicens,

Si pauca fuerit humorum malitia, & vlcus paruum, debiliora admouebis medicamenta abſque noua aliqua purgatione, vt ſunt infraſcripta.

℞. Eruginis æris ſcrup. 1. tutiæ præp. minij an. 3. 1. M. & fiat ſubt. pulu's.

Competit etiam lotio vlceris cum aqua aluminoſa, quæ optimè putredini reſiſtit, & maximè ſalutaris eſt.

Aqua fortis vſus & vires.

Vbi verò magna putredo eſt, vſus aquæ fortis etiam maximè eſt vtilis, quæ quam citiſſimè, & pauciſſimo cum dolore corruptum, & putridum a ſano ſeparat. Non excitat dolorem, quia eius acredo à putridi vlceris humiditate remittitur. Vſus verò huiuſmodi aquæ ſit ita; Inuoluatur ſpecillo goſſipium, vel filamenta, & huiuſmodi aqua imbibantur, deindè putrida caro tangatur, aliquantiſper continendo, vt facilius actuetur, atq; ita madefactum vlcus ſiccis filamentis repleatur, & circum circa, & ſupra aliquod medicamentum, quòd dolorem leniendi vim habeat, imponendum, qui ex contracta intemperie, vel ex medicamentis acredine fuerit excitatus, ſicuti eſt infraſcriptum.

℞. Albumina ouorum num. 1 1. quæ optimè contundantur, boli armenij, oximellitis S. an. vnc. 11. M. & hoc lotes lum illinies, & ſic medeberis, quouſque corrupta caro ſeparetur, & morbi vis remittatur. Vbi mitiùs medicamentum competit, aqua tartari conueniens eſt; Vbi verò validiùs, oleo ſulphuris, vel chalcanthi, vel ex ſupradictis aliquo vti poſſumus.

Inducta eſcara, vng. pomphol cis, vt decidat, curandum, & ſi aliquandò vlcus abluere voluerit, infraſcripto decocto abluas.

℞. Aquæ plantaginis, vel chalibeatæ, in qua incoquantur roſæ, hordeum, champhura, & alumen rocchæ, & ſi tendo aliquis ſit detectus, pars vna aloes hepaticæ, & dimidia pars tutiæ præparatæ adiungi debet.

Si verò tanta ſit morbi ſeuitia, vt medicamentis non cedat, & continuò vlteriùs ſerpat, candenti ferro (corrupta carne priùs abſciſa) inurendum, vt *Aetius ſerm. 4, tract. 2.* inquit, *Et hæc actualis inuſtio partem roborat, citiſſimè malitiam aufert, paruo dolore afficit, nec malam temperiem, ſicuti potentialis inducit, vtque Galen. 14. meth* inquit,

Vſtionis actualis vires.

Si hæc actualis vſtio fiat, citò, citò, & iucundè optimè operatur, & igne nullum remedium eſt præſtantius; Sed cauendum ne plus, quam par ſit pars inuratur; Terminus ergò inuſtionis erit, quouſque caro illa mollis durior ſolidiorque fiat, & quouſque putrida illa caro perfectè exſiccata fuerit, & quandò erit exſiccata tactu cognoſcetur.

Vſtionis terminus.

Poſtea ſuperponenda dolorem lenientia, ſicuti eſt porri ſuccus *à Gal 2 ad Glauc.* magnoperè laudatus, vel oui albumen cum aceto, & cum roſacea aqua concuſſum; Deindè, vt eſcara decidat, butyrum cum ſulphuris pulu. mixt. deſuperponendum, vel emplaſtrum factum ex farina triticea, vel hordeacea hydre leo commixta, aut vngu. tetrapharmaco, aut quid ſimili, & ſi qua putredo remanſerit ſuperiùs dictis medicamentis remouenda.

Notandū.

Notandum tamen, quòd in omni gangrena partis ſanæ maxima cura habenda eſt, ne corrumpatur, & ideò defenſiuis medicamentis cuſtodiri debet, quæ refrigerant, & exſiccant, & putredini ſint contraria, vt eſt id, quòd Auicena maximè laudat, quòd fit ex bolo armenio, & terra ſigillata cum aceto mixta, & epithematis forma circum circa partis impoſitum, vel circumliniatur membrum argilla aceto ſubacta, & diſſoluta, vel quid ſimili.

De Curatione ſphaceli ſiuè ſideration is.

SI Gangrena in ſphacelum degenerauerit, & carnem, neruos, & oſſa vitio affecerit, vt aliquandò fieri, dixi

Galen.

Galen. 2. de fracturis, & *membrum spiritibus vitalibus, animalibus, & naturalibus sit priuatum, & curationis nulla spes remanserit, & corruptionis, proximè sana partis periculum impendeat*; Tunc membrum abscindendum: Cumque hoc solum præsidium remanserit, licet miserum hoc tentandum, inquit *Celsus lib. 7. cap. 33. & Hipp. 4. de artic.* inquit, *Quando membrum denigratum, & emortuum fuerit ne quod sanum & integrum est, corrumpat, totum membrum abscindendum, & non solùm hac de causa membrum amputandum, sed etiam, quia cor ob putredinis communicantiam grauiter afficitur.*

Membrum totum quãdò amputandum, & cur?

Sectio membrum, vbi facienda, & Authorum controuersia.

Sectio autem secundum *Celsum loc cit. Potiùs in sana parte fieri vult, quam aliquid corruptæ relinquere, ne pars corrupta sanam corrumpat.*

Gal. 2. ad Glauc. vult, *Vt in sectione potiùs aliquid corruptæ partis relinquamus quam sanam incidamus*, & hoc inquit, *Fieri debet, vt conuulsio, sanguinis fluxus, & intensus dolor euitetur.*

Paul. Aeg. lib. 6. cap. 84. vult, *Vt sectio fiat inter sanam & corruptam partem, sana omninò parte intacta.*

Quid ergò dicendum in tot grauissimorum Authorum controuersia?

Solutio. Respondendum, neque perpetuò esse secandum in parte sana, neque etiam semper inter corruptam, & sanam partem membrum esse secandum.

Quandò enim timemus, ne vlteriùs corruptio serpat, & non benè putredinis confinia cognoscere possumus, tunc vtilis est in sana parte sectionem facere, vt *Celsus* inquit, *Si verò certò sciamus corruptionem, non vlteriùs procedere, tunc inter sanam, & ægram partem transuersim membrum secundum est, obseruatis inferiùs dictis præceptis.*

Notandũ. Monet etiam nos *Celsus*, ne in articulo fiat sectio, sed infrà articulum per spatium quatuor digitorum; supra verò nunquam facienda, nisi in maximis necessitatibus, ob magna vasa, quæ secari debent, ne æger ex hemorragia, & spirituum resolutione pereat, vt ferè semper euenire solet.

Præcepta in membri amputatione obseruanda. Præcepta obseruanda, quandò ad huiusmodi operationem veniendum est, hæc sunt, *Vt corpus sit optimè purgatum pro humoris exigentia, Vires sint validæ, Aegroti animus sit ad talem operationem propensus, & Medicus se ad hanc operationem faciendam accingere non debet, nisi rogatus, & periculum, quod eminet, prædicere debet.*

Aliqui non parui nominis Medici per tres horas, antequam ad opus manus admoueant, dant infirmo sirup. 1. vel 3. 5. sequentis Opiatæ cum vnc. 111. aquæ lactucæ, vel ninpheæ cum vnc. 5. syruppi de papauere ad sensum sopiendum, quę etiam competit ad extremos dolores, & vigilias non tantùm per os assumpta, sed etiam sorinsecus admota, vel commixta cum vnguentis, vel oleis, vel aquis, vt ad dolores aurium, vel articulorum, & cum ad dolorem assumitur, quantitas debet esse minor, quandò verò de foris admouetur, vel cum alijs medicamentis commiscetur, parum est periculi de quantitate. Sic ergò componitur.

Opiatæ compositio ℞. Piretri, euphorbij, spicæ nardi an. scrup. 1. croci sirup. 5. lacrimæ papaueris scrup. 1111. seminis albi hioschiami scrup. v. sem. papaueris albi ʒ. v. & scrup. 11. mels crudi optimi q. suff. M. & S. A. fiat opiata, quæ tantùm sit in vsu post sex menses, antè verò nequaquam.

Instrumenta omnia sint parata, & medicamenta, quæ tali operationi deseruire debent: Infirmus commodo loco collocetur, vt commodè Medicus operari possit, vtque optimè, & firmissimè vinculis, & ministris compræhendi, & detineri possit, ne pars illa in operatione facienda vacillet. Deindè partis sanæ cutis, & caro sursùm trahenda, & quantum fieri potest, sursùm reducenda. Hoc facto, parùm supra confinium pars sana arte vincienda, & vinculis liganda sursùm ad sanam partem ascendendo per 5. vel 6. digitos. Sursùm caro, & cutis reducenda, vt facta membri amputatione, cutis, & caro deorsùm trahi possit, vt aliqua ex parte, vel in totum os tegatur; arctè vinciri debet, vt sensus stupidus reddatur, vtque venæ, & arteriæ adstringantur, ne magnus sanguinis fluxus sequatur.

Facto hoc per distantiam crassitiei digiti à sana corrupta caro vsque ad os secetur, deindè os à Periostio denudetur, & instrumento falcato, & crasso pars comburatur, deindè aliquo alio simili instrumento, & vstionis terminus sit, quandò æger dolorem persentit, & quandò sanguis

Vstionis terminus, quòd re debeat?

guis non ampliùs fluit, & quandò eſcara latis craſſa eſt.

Antequam os ſeccetur inuſtio competit, non ſolùm ob hemorragiam euitandam, ſed etiam, vt maior oſſis portio appareat; Tota ergo ſemiputrida caro ignito ferro exſiccanda, quo ad conſumpta fuerit, & ipſa inuſtio ad ſanam vſque partem peruenerit. Poſt hoc os ipſum proximè carnem, quam poteris maximè, acutiſſima ferra ſecabis, nec poſt ſectionem os nudatum, & detectum relinquatur. Rursùs poſteà alijs idoneis ignitis inſtrumentis, quæ in extremitate globulum quemdam habeant, oliuæ, vel ſpheruiæ ſimilitudinem referant, vaſa illa, quæ in ſana parte ſunt adducenda; Deindè oſſis ſuper cilium cauterizandum.

Animaduertendo ne medulla inuratur, quoniam ſi hoc fieret, de facili os inflammaretur. His omnibus ritè factis, vincula omnia abſcindenda, & deorsùm cutis, & caro reducenda, vt os operiat. Deindè pars combuſta puluere aduſti chalcanti, vel ſarcocollæ, & chalcanti puluere ſimul mixto, vt craſſiorem cruſtam contrahat, inſpergenda, vel pulu. boli armenij orient. & aloes, qui non ſolùm ſanguinem compeſcunt, ſed etiam à putredine neruos, tendines, vaſaque tuebuntur.

Deindè, vel pilo leporino, vel ſtuppa infraſcriptum med. applicandum.

℞. Pulueris ſub thuris, boli armi an. vnc. 5. aloes ʒ. 5. album. ouorum q. ſuff. M. & applica, vel aliquod aliud medic. quòd ſanguinem ſiſtendi, doloreque leniendi vim habeat.

Super partem ſanam defenſiuum applicandum, & membrum retentiua faſciatura obuoluendum, & accliuè ſituandum, ne facilè ad exciſam partem ſangnis confluat.

Tertia die ablatis medicamentis, & poſca, vel vino nigro priùs madefactis, vt faciliùs remoueantur, Gal. retrapharmacum ſuperponendum, quo penicillos ex molliſſimis filamentis concerptos illiniemus, vt eſcara remoueatur, vt *Gal. 2. ad Glauc. & 3. de fracturis* nos docet, *Et huiuſmodi penicilli retrapharmaco illiniti rursùs hyperconis oleo, tùm ad dolorem leniendum, tùm ad coctionem adiuuandam madefieri etiam poſſunt. Gal. & Paul. Facta vſtione, ſuperponebant Porri ſuccum cum ſale, ea ratione, vt ſi quæ putredinis reliquiæ remanſerint, in totum remoueantur, & in Porri abſentia, ſi hæc ſuſpicio adſit, paſtillis in gangrenæ curatione dictis vti poſſumus, qui valentiſſimè ſiccant putredinemque arcent, abluta priùs parte acerrimo calente aceto.*

Signa, quòd à putredine ſimus tuti, ſunt, quòd putredo non latiùs ſerpit, dolor ceſſeſcit, febris diminuitur, & omnia prauæ ſympt. remittuntur. *Signa abolitæ putredinis.*

Alij ad eſcaram remouendam butyro ſimpl. vel axungia ſuilla ſimpl. vtuntur, quòd non probo cùm valdè emolliant, ſed, vt ſuperiùs diximus, cum ſulphure commiſceri debent.

Alij, digeſtiuo ex reſina tereb. oui vitello, & roſaceo mele compoſito vtuntur. In oſſis cauitate ſicca linamenta imponenda, vt humiditatem continuò ab eo defluentem abſorbere poſſint, quæ niſi exſiccaretur, & ibi retineretur, oſſis inflammationis cauſa eſſet. Supra os infraſcriptum ceratum imponendum.

℞. Reſinæ tereb. picis colophoniæ an. vnc. 5. olei de ſpica vnc. 1. pulu. dictaminis albi, iridis, peucedani, orobi opoponacis, euphorbij an. ʒ. 5. ceræ albæ q. ſuff. M. & S. A. fiat Ceratum.

Facta concoctione, nullo ſuperueniente ſymptomate, leuiter abſtergente medicamento mundificabis, deindè ad ſarcotica, ablata eſcara deueniendum, & ſi hyems fuerit, vti poſſumus vnguento iſidis, aut apoſtolorum, aut de gumma elemi: æſtate vti poſſumus vnguento de ceruſa, vel de tutia; mediis temporibus, vnguento de matreſilua, vel de bettonica.

Si verò exquiſitus partis ſenſus adſit, vt eſſe ſolet, niſi adſit inflammatio, prædictis vnguentis oleum amigd. dulcium admiſcendum, ſi inflammatio adſit, oleum roſaceum, vel oui vitellum commiſcendum. Tandem ad epulotica deueniendum medicamenta, vt ad ceratum de minio, aut diapalma, aut veteris puluere de tutia, aut cornu cerui vſti, aut æris vſti, & loti cum linamentis ſiccis, & his ſimilibus, inſtituta antea ea victus ratione, quæ maximis vulneribus affectis competit. Hæc enim curatio inter cæteras optima mihi videtur, quoniam ſi aliquam portionem corruptæ partis relinquamus, & in ea ſectionem faciemus, hæc omnia commoda ſequuntur.

Nulla

De Curatione Gangrenæ ab affluxu materiæ venenosæ, vel à venenatis animalibus factæ, vel à mortiferis Medicamentis.

GAngrenæ ex materia venenosa ad aliquam partem delatæ affluxu, vel à mortiferis medicamentis, vel ab animalibus venenatis factæ, quàm citissimè succurrendum est, ne pars tota emoriatur, & si gangrena ab humorum prauorum copia proueniat, hi priùs sunt euacuandi, & si corpus plectora laboret, venæ sectio facienda, aluo priùs lenita, viribus, ac ætate consentientibus, præcepto *Hipp. 4. de rat. vict. in acut. cap. 19. & Gal. de curandi rat. per sang. miss. & meth. 6. & pluribus alijs in locis*, & hoc etiam faciendum, quia sanguinis missio etiam febri prodest, & cum æqualiter omnes humores euacuent, etiam prauos educit; deindè purgans medicamentum, quòd humores peccantes euacuandi vim habeat, propinandum est. Posteà ea medicamenta ægrotantibus sunt danda, quæ manifestis, & occultis qualitatibus humoribus gangrenam efficientibus oppugnant. Sed cum omnis putredo à calido, & humido fiat; Ideò medicamenta refrigerantia, & exsiccantia esse debent, vel quæ manifesta, & occulta qualitate, vel tota substantia hoc efficiant, & corroborent, & huiusmodi sunt thriaca, mitridatum, bolus arm. orient. terra sigillata, conserua buglossæ, rosarum acetositatis, citri, acetosæ, & similia. His etiam scopis dicta, & alijs rebus nonnaturalibus satisfaciemus: Aer ergo debet esse frigidus, & siccus, & nisi sit natura, arte fieri debet, thalamum suffumicando cum aceto, sandalis citrinis, cinamomo, aqua rosarum, & alijs aromatibus; Victus sit tenuis, & frigidus, & siccus, vt hordei ptissana, & si virium imbecillitas adsit, recentia, oua concedi possunt, vel ius paruæ pullæ, & similia: Pro potu sumat aquam hordei cum syrupo acetoso simpl. vel cum succo citri commixtum. Procordis roboratione antidota, & conseruæ superiùs dictæ per tres horas ante cibum offerri debent, & cordi alia epithemata etiam, & inunctiones vtiles sunt. Maneat in quiete, somnus sit moderatus, deuitentur affectus, & animi passiones, aluus lubrica seruetur, & nisi sit natura, fiat arte, idest clisteribus, glandibus, & his similibus.

Medicamenta corroborantia, & veneno resistentia.

Si verò simul maligna febris adsit, syruppi huiusmodi febribus conuenientes institui debent, sicuti est de acredine citri, de succo acetosæ, oxisaccarum, acetosus simpl. & sim. cum conuenienti decocto mixti.

Quoad topica, si dolor adsit, leniendus, & eisdem medicamentis vti possumus, quæ in phlegmonis curatione præposuimus, vbi etiam agitur de calore leniendo orto à punctura, vel morsu venenosi animalis, & recta curandi ratio traditur, quibus euacuatur virus, vel manifesta, vel occulta qualitate alteratur. Nolo tamen sub silentio præterire medicamentum quoddam facile paratu, quod optimum est, vt pluries sum expertus in morsu, vel punctione venenati animalis. Post enim partis scarificationem, & cucurbitularum applicationem, licet totum membrum sit tumefactum, infrascripto empl. obducendum,

Medicamentum optimum in venenoso ictu, vel morsu.

℞. Terræ cimoliæ, idest cretæ, aceti, succi semperuiui, vel lactucæ an. q. vis M. & fac in emplastri formam. Hoc enim medicamentum, quamuis repellens videatur, ictibus tamen cuiusuis animalis venenosi sua frigiditate aduertatur, cum venenati animalis morsus calidus sit, vt inquit *Gal. & C. Celsus, & ratione terræ, à qua animalia virus contraxerunt, etiam competit.*

De Curatione Gangrenæ à frigore ortæ.

Si verò à frigore orta sit gangrena membrum affectum aliquo decocto actu, & potentia calido lauandum, ac fouendum, quo illarum partium obstructiones, spirituum descensum prohibentes, remoueat. Curandum ergò est, vt spirituum viæ aperiantur dicti decocti, & leues in summa membri partes scarificationes faciendæ, vt innatus calor euenetur; decocti igitur fiant ex scordio, scabiosa, alapis, vel rapis, lupinis, floribus anethi, camemoli, & similibus, vel vngatur pars oleis actu, & potentia

tentia calidis, vt de lateribus, & de terebentina, conducit etiam ſemen vrticæ, naſturtij, theriaca, mitridatum, trociſci de vipera, ſal, muria, aqua calcis viuæ, vnguentum ægyptiacum, præſertim ſi cum mitridato, vel theriaca, vel theriacali aqua commiſceatur.

De Curatione Gangrenæ ortæ à frigido medicamento temerè adhibito.

SI ſuperuenerit Gangrena ob frigidum medicamentum loco affecto ſuperpoſitum, vt aliquandò in phlegmone, & ereſypelate euenire ſolet, cum nigredo apparuerit, non ampliùs pars illa phlegmone, vel ereſypelate laborat, vt elegantiſſimè dixit *Gal. 1. de comp. med. S. Gen. cap. de natura diapheuicini*. Tunc enim aqua calida abluendus, ac fouendus locus eſt, deindè ſcarificandus, & poſteà diapheuicinum in veteri oleo eliquatum admouendum, *vt citato loco* inquit *Gal.* & illa curatio competit, quam pro gangrena ob magnam inflammationem orta ſuperiùs propoſuimus.

De Curatione Gangrenæ ex alimenti defectu ortæ.

GAngrena, quæ ex alimenti defectu fit, vt in diù ectricis febribus, & maraſmo vexatis euenire ſolet, in partibus extremis excitatur, quia hæ partes ſunt nimis debilitatæ, & eorum calor eſt valdè diminutus ob diſtantiam à corde, qui eſt caloris fons, & origo, & cùm eis alimentum non diſtribuatur, ideò emoriuntur. Vt ergò hæ partes reſtaurentur, vtque alimentum ad huiuſmodi partes attrahamus curare debemus, & quæ hoc efficiunt, calida actu, ac potentia eſſe debent, ſicuti eſt oleum amigdalarum amararum, oleum viperinum, muria, in qua etiam fit coctum ſordium, vel pix liquida cum lolij, aut hordei farina ad cataplaſmatis formam inſpiſſata, ſuccus apij, thus, thuris manna, & ſimilia, quæ etiam putredini reſiſtunt, leues etiam frictiones cum inunctionibus ſupradictis maximè conducunt, ſicuti etiam picatio, quæ non ſolùm dolore attrahit, ſed etiam vi vacui.

De Curatione Gangrenæ ex arcto vinculo ortæ.

QVandò ex arcta faſcia, vel adſtricto vinculo membrum corrumpi inceperit; faſcia, vel vinculum ſtatim remouendum, deindè leuis fiat ſcarificatio, quamuis nullum vitium in ſanguine ſit, & tantùm conſtipatio adſit, quæ ſpirituum deſcenſum impedit; Non ergò gratia ſanguinis euacuandi tantùm in membro peccantis ſcarificatio fieri debet, ſed vt inflammatio, quæ gangrenam ſequitur, remittatur, & ad naturale temperamentum membrum reducatur, cum, & lotione, & ſcarificatione calor, & ſpiritus, & ſanguis ad membrum attrahatur.

Facta ſcarificatione abluenda, & fouenda eſt pars aqua ſalſa, & poſtea aliquod medicamentum corruptioni reſiſtens ſuperponendum, vt ſuperiùs diximus: Vel apponatur calx lota cum muris ſtercore commixta, vel inſpergatur pars infraſcripto puluere.

℞. Pulueris aloes, conſolidæ Maiar. vnc. 1. tutiæ præp. vnc. III. matricariæ, ſcordij an. vnc. II. M. & ſicuti diximus, vtere.

De Curatione Gangrenæ ex craſſis humoribus ortæ.

SI verò ex craſſis humoribus in membro corrupto fiat, quòd rarò accidit craſſi humores attenuandi medicamentis ad id aptis, vt oximellitæ, vel decocto hyſopi, pulegij, origani, & ſimilibus, vt 10 *methodi docet Gal.*

Deindè aliquod purgans medicamentum, & conueniens, vt cauſam remoueat, dandum eſt. Quo ad Topica, vt viæ in affecto membro obſtructæ aperiantur, cataplaſmata ex farinis potentia calidis, & oximellite confecta, & ſimilia applicanda, & ſi morbus exigat etiam ſcarificatio eſt ſummè vtilis.

De Curatione Gangrenæ, ex attritione, vel Compreſſione, vel venarum, & arteriarum inciſione.

CVM in curanda gangrena ex attritione, vel compreſſione, vel venarum, & arteriarum inciſione nulla ſpes adſit, præſertim ſi vaſa

omnia

pestiferi, & epidemici, qui sunt diuersi à supradictis, & aliam aduentitiam malignitatem adiunctam habent, quam, quæ à tumore prouenit, *vt* 3. *Epid.* inquit *Hipp.*

A parte affecta carbunculorum differentiæ sumi possunt, quoniam ij carbunculi, qui in nobilibus partibus propèque nobiles partes oriuntur, seuiores sunt, ac etiam maioris periculi, quam qui in partibus ignobilioribus, & à nobilibus partibus longinquis.

A causis etiam sumuntur carbunculorum differentiæ, quoniam si tempore pestis carbunculi oriantur, pestiferi sunt, cum à venenata causa proueniant; Similiter quo maior efferuefacti sanguinis fuerit copia, eo maiores carbunculi fiunt, & quo magis ad atram bilem talis sanguis accedit, eo seuiores, & maligniores fiunt carbunculi, & quo minor erit efferuefacti sanguinis copia, & magis ab atræ bilis natura distat, eo minores, & mitiores erunt carbunculi, vt illi, qui magis ad rubedinem tendunt ex sanguine minùs adusto, & efferuescente fiunt, citrini, & fusci, à sanguine magis adusto; nigri verò à sanguine maximè adusto, & efferuescente oriuntur.

Ab effectibus etiam sumi possunt differentiæ, vt à sæuioribus, vel mitioribus symptomatibus superuenientibus; Alij similiter crustosum vlcus cinericei, vel nigri coloris habent; Alij oriuntur cum pustulis illis similes, quæ ex igne excitantur, quibus ruptis crustosum vlcus subest, vt inquit *Gal.* 2. *ad Glauc, cap.* 1. Alij cum vna tantùm pustula oriuntur. Alij cum pluribus milij seminibus similes, quibus ruptis crusta subest; Alij verò sine pustulis oriuntur, *vt* 14. *meth cap.* 10. inquit *Gal. Tamen plures sunt, qui cum pustulis, quam qui sine his fiunt.*

De Carbunculorum causis.

CArbunculorum causæ, aliæ sunt internæ, aliæ externæ; causæ externæ sunt praua victus ratio, vt inquit *Galenus de cibis boni, & mali succi, vel Cœli, syderumque infaustus positus, & coniunctio, & aeris venenata constitutio ex vaporibus putridis ex terra, aut aquis in aerem expiratis, & ideò Paul. lib.* 4. *cap.* 25. dixit, *Oriuntur autem ex populatim grassante aliqua causa carbunculi.* Quandò ergò populariter carbunculi vagantur ex vniuersali causa proueniunt.

Internę causæ etiam duæ sunt, antecedens, & coniuncta. Antecedens carbunculi causa, vt inquit *Gal.* 3. *de temperamentis cap.* 3. *& 3. de causis sympt. cap.* 1. *Est cachochimia, ideſt redundantia prauorum succorum in toto corpore, quæ prouenit vel ex intensa aëtoris caliditate, vel à cibis calidis, & praui succu.*

Quæ verò sit carbunculi coniuncta causa, inquit *Gal.* 14. *meth cap.* 10. dicens, *Carbunculus fit à sanguine quidem satis calido, & ad atræ bilis naturam per adustionem conuerso*; Quomodò verò superassetur sanguis, inquit *Gal lib de tumorib. præt. natur.* dicens, *siquidem sanguis vel statim ab initio, vel in ipso feruore superassatus, & melancholicus fieri videtur.* Similiter 2 *ad Glauc. cap.* 1. inquit, *At verò sanguis influens calidus sufficienter fuerit, & crassus, quomodocumque membrum inuaserit hoc exurendo, vlcus cum crusta excitat, quòd nihil aliud est quàm carbunculus lib. de tumoribus præter natur.* similiter inquit, *Gangrenæ & carbunculi excitantur, cum sanguis tanquam feruens, & inflammationi propinquus exurit cutim*; *Idem* 2. *de præsagio ex pulsu cap.* 1. inquit, *Carbunculus fit ex sanguine putrido, & fœtido*; *Paulus etiam loco citato*, inquit, *Cum sanguis copiosior, atra bile infectus, & feruidus cuipiam corporis parti incubuerit carbunculi excitari solent*; *Aetius ser.* 14. *cap.* 58. inquit, *Carbunculi ex sanguine atrabiliario efferuente, & ad partem aliquam irruente generatur.* Coniuncta igitur. Carbunculi causa est sanguis crassus, & feruentissimus ad affectam partem influxus, sicuti ex supradictis Authoribus patet.

Si quis verò obijciendo, dicat, *Gal. lib. de atra bile cap.* 4. *& 5.* dixit, *Vbi igitur per febres ardentes melancholicus humor in cutem ipsam propellitur, carbunculus producitur, quod etiam confirmatur* 1. *de differentijs febr. cap* 4. *Ergò Galenus sibi ipsi non constat cum in his locis dicat, Carbunculos fieri ex atra bile, in superioribus verò ex feruenti, & crasso sanguine.*

Respon-

Bilis atra quod modis intelligatur.

Respondendum, quòd apud Galenum, ac etiam alios Authores per atram bilem tria intelligi possunt. Primùm vera atra bilis, quæ fit ex superassato sanguine, seù flua bile superassata, quæ si in terram cadat, illam fermentat ampullas excitando, de qua mentionem fecit *Gal. lib. de atra bile, & 3. de locis affectis.* Secundò, sumitur atra bilis pro humore melancolico, qui in hepate generatur ex parte chili magis teraestu. Tertiò, atra bilis, dicitur, sanguis crassus ad atræ bilis naturam vergens, qui tamen in sanguinis latitudine continetur, & de hac tertia atra bile intellexit *Galenus*, quandò dixit, *Quòd carbunculus fit ex atra bile, quòd aeclarat in* . *de diff febr. cap.* 9. dicens, *Ita autem hoc loco volo sumi atra bilis, ideſt sanguis crassus, & ad atræ bilis naturam vergens.*

Coniuncta pestilentis carbunculi causa est non solùm sanguis crassus vrens, & feruentissimus, sed putrescens, ac etiam venenatus, vt idem inquit *lib. de atra bile propter humoris feruorem. Varij autem colores in carbunculo fiunt, quia cum sit humor inflammatus, & ardens, vt est rerum igniarum natura, semper ardor & flamma superiores partes petit, vndè fit, vt in basi rubeat, supra basim, vbi maior est ardor, nigrescat in apice, vbi maximum incendium propter vstionem fit, vessica excitatur, Gal 2. ad Glauc.* inquit, *Quòd non solùm, quòd circumiacet in efferuescentem inflammationem attollit, sed etiam grauis aduenit dolor, adeò aggrauans, vt videantur agrotantes à vinculo vehementer adstringi. Quæ omnia signa etiam Paul. lib. 4 cap. 25. enarrat; Celsus lib. 5. cap.* 28. addit ad supradicta, *Quòd pars affecta dura, & arida redditur, neque in eo loco cutis eleuari potest, sed inferiori, quasi carni affixa est, somnus vrget, & aliquando horror, si verò in capite sit carbunculus aliquandò delirium aduenit ideſt quando cerebri membranæ inflammatur*, vt inquit *Gal. lib. 1. de coacis prænot. cap.* 8.

De Signis Carbunculi non pestilentis.

CArbunculi non pestilentis signa sunt, Tumor magnus, & semper cum vlcere crustoso inuadit, vt inquit *Gal lib. de morbor. diff sed bullæ, quemadmodum in ambustis vlcus præcedunt*, vt inquit *Gal lib. de tum. prat. nat. & acutissimam febrem inferunt crusta vlceris carbunculorum nigra, vel cinerulenta apparet, Color circumstantis partis ad nigredinem tendit & veluti pix, vel bitumen splendet, vt Gal loco citato*, inquit, *Similiter, quòd continuum est concalescit*, vt inquit *Gal 14. meth quo in loco etiam* inquit, *Cæterùm inter initia, quibus hoc insistet, pruritus quidam præcedit, & qui scabunt omninò particulam, mox oritur pustula vna vel plures, vel cinericea, vel nigra, quibus ruptis vlcus cum crusta gignitur; Omnibus præterea his circumscripta caro in summam peruenit inflammationem, colore magis quam phlegmone nigricat, & necessariò sic affecti febricitant. Quod aduenit,*

De Pestilentis Carbunculi Signis.

PEstilentes Carbunculi non solùm supradicta signa habent, sed etiam infrascripta adduntur; In primis enim propter putredinem fœtidus carbunculus redditur, & cum vesica abrumpitur, vlcus pestiferum, & fœtidum efficit, constitutio circumstantis aeris pestilens est, febris quædam mitis, ac blanda apparet, & ferè imperceptibilis, tamen pestilens est, & malingna corporis, & animi inquietudo adest, ita vt ferè semper ambulent, donec mortui cadunt, floridi faciei coloris deperditio adest, lingua est nigrigans, vel flauescens, appetitus prostratio, nausea, vomitus, spirandi difficultas, vox rauca, capitis dolor, vertigo, somnus aliquandò adest profundus, aliquandò continuæ vigiliæ, vrina ignea tenuis, vel turbulenta, dejectiones liquidæ, & cholericæ, sudor multus, vel tepidus, vel frigidus fœtor malus, & cadauerosus

ab

ab ijs expirat, tremor cordis, & palpitatio, & animi deliquia eueniunt, & cum sunt propè mortem etiam syncope apprehenduntur.

De Carbunculi Prognostico.

GAL. 5. *de comp. med. S. Gen. & lib de tumoribus præter naturam* inquit, *Ob eorum malignitatem Carbunculi non solùm acutissimam febrem inferunt, sed etiam in discrimen vitam trahunt*, 3. *verò epidem. com.* 12. inquit *idem Gal. Carbunculi pestiferi pernitiosissimi sunt, & qui non sunt pestiferi, etiam sunt periculosi cum à vitiosis humoribus oriantur*; *Celsus lib.* 5. *cap.* 28. inquit, *Si carbunculus circa stomacum, & fauces incidat, subitò spiritum sæpè elidit.*

Paulus lib 4. *cap.* 2. inquit, *Carbunculi, qui tantùm cuti inhæserint, breui circumscribuntur, qui verò in membranis, & neruis gignuntur, longo tempore durant, & subiectas partes ad affectionis consensum trahunt, ita vt inflammationes erysypelatosæ in ipsis excitantur; non paucis in suppurationem vertuntur, plurimis febres superaccendunt.* Idem etiam inquit *Aet. serm.* 4 *cap* 58.

Auic inquit, *Licet omnis carbunculus sit acutus morbus, periculosus, & contagiosus, omnium tamen pessimus est & maximè lethalis qui in emunctorijs, & propè principalia membra enascitur; Quoniam periculum adest, ne illa materia venenosa carbunculum efficiens ad interiora recurrat, & principalia membra afficiat, quòd cùm euenit, prauasymptomata superueniunt, & pauci euadunt.*

Idem Author inquit etiam, *Quod ille carbunculus qui primum ruber est, deindè citrinus fit, minùs periculosus est, qui verò liuescit, aut nigricat, maximè est periculosus.*

Sciendum etiam, quòd si symptomata carbunculum concomitantia magis, atque magis semper intendantur, vt vomitus, profundus somnus.

Inquietudo, maxima æstuatio, largus sudor, pulsus paruus, & submersus, & prauus faciei color fiat, mors prædici potest. Si verò symptomata plurimùm remittantur, salutem sperare possumus. Similiter si carbunculus aliquam acutam febrem sequatur periculosissimus est. Non ita tamen periculosus est, si carbunculo febris superueniat.

Item si carbunculus statim delitescat, & symptomata eadem, vel maiora sequantur, tunc mors est prædicenda, quoniam indicat virtutem debilem, & ad illam materiam emendandam inhabilem.

Omnis carbunculus pestilens pœnæ læthalis est, & quo minor est, eo deterior quo verò plures sunt, & latiores, eo magis de salute sperandum.

De non pestiferi Carbunculi Curatione.

IN curando carbunculo non pestifero, quinque intentiones habere debemus, Prima, in dieta, & in optima aliarum rerum nonnaturalium institutione consistit. Secunda, in auersione fluentis materiæ, ac corporis purgatione. Tertia, in cordis corroboratione, ac confirmatione. Quarta, topicis, siuè localibus medicamentis consistit. Quinta, circa symptomatum correctionem, ac lenitionem versatur.

Quoad primam, Victus conuenit tenuis, frigidus, & humidus, & qui putredini, ac veneno maximè aduersetur, vt inquit *Aetius serm.* 14 *cap.* 58.

Conuenit ergo ptisana hordeacea, lactuca cocta, endiuia, borrago, panatella cocta in aqua, & si vires sint debiles, ius paruæ pullæ, in quo incocta sit acetosa, vel agresta concedi potest. Pro potu Celius aquam copiosam præbet, cui admiscere possumus aliquem syrupum refrigerantem, & putredini resistentem, ficuti est syrupus de acredine citri de succo limonum, de omphacio, aut violaceus simpl. Possumus etiam pro potu succum malorum punicorum concedere.

Aer nisi sit natura frigidus, alteretur cum aceti, vel rosaceæ aquæ aspersione, vel frondibus arundinum viridium, vel salicum, vel vitium, & his similibus, & huiusmodi victus, & aer competit, ut sanguineæ massæ feruor extinguatur. Maneat in quiete, cum quies ad refrigerationem faciat, & motus calorem augeat.

Somnus breuis sit, ne ex longo somno materia ad partes intrinsecas concentretur, ac reuocetur, & ex somno etiam calor, ac spiritus, cum contrahuntur, postea fluxiones augent, & ideò clamoribus, & blandis sermonibus à somno excitari debent. Fugiant iram, ac mœrorem, ac alias animi passiones, & quantùm fieri potest, læti viuant.

Cogitationes, imaginationes, lectionesque venereas etiam fugiant, & aluus lubrica seruetur, & nisi sit natura, fiat arte, saltèm tertio, quoque die clisteribus, vel glandibus, vel his similibus fæces educantur.

Secunda intentio perficitur venæ sectione vsque ad animi deliquium inclusiuè si æger patiesse possit; vt inquit *Hipp. 23. 1. Aphoris. Ideò si vires ac ætas patiantur neque quid aliud obstet, iuxta illud Hipp. dictum 1. Aph. 6. Extremis morbis extrema exquisitè comparata remedia optima. Quod verò leuissimi venæ sectio competat*, inquit *Gal 14. meth. cap. 10. & 2. ad Glauc. cap. 2. & Paul. lib. 4 cap. 25. & Actius serm. 14. cap. 28.*

Ex qua verò parte sit mittendus sanguis, vel ex eadem, vel ex opposita diuersæ Authorum sunt opiniones, & vnusquisque pro sua parte bonas rationes adducit: Tamen pro huius litis determinatione dicemus, quòd in carbunculi principio, quandò adhuc materia fluit, ab opposita parte pro reuulsione facienda, venæ sectio competit. Quandò verò iam fluxa est, ab eadem parte, derivationis, & euacuationis gratia venæ sectio conuenit, seruata semper rectitudine, & semper magis à longinquiori reuulsio, & à propinquiori, derivatio competit; ante venæ sectionem semper clistere. Aluo lenita, nisi satis fluat.

Si quid verò venæ sectionem prohibeat in materiæ fluxu, parti oppositæ cucurbitulæ applicandæ, extrema fricanda, fouenda, ac vincienda.

Purgans etiam medicamentum, ac leniter humorem melancholicum euacuans, si vires patiantur, elapsis duobus à venæ sectione diebus competit, ne vnà cum sanguine ad affectam partem confluat. Debet verò leniter purgare, ne maxima fiat humorum agitatio, quæ plurimùm obesset.

Deindè instituendi sirruppi refrigerantes, & adustionem remouentes, ac putredini resistentes, in quorum decocto semper ponenda scabiosa, cum à proprietate suæ essentiæ carbunculi resistat.

Galenus, & alij dicti classici Authores nullum verbum de purgatione fecerunt, quis vsque ad animi deliquium sanguinem euacuari iusserunt, ne omninò vires prosternerentur. Sed in quibus vsque ad lipotimiam sanguinis mitti non potest, vel cum nostro ævo hac sanguinis missione non vtamur, ideò purgatio conuenit, & vtilis est.

Tertiam intentionem assequimur roborando, ac firmando cor; cui rei attentus debet esse Medicus, cum in omni carbunculo vapores quidem tetri, ac venenosi cor petant, & ideò epithematibus cordialibus, vnguentis, potionibus, electuarijs, rebus odoriferis, & his similibus roborari debet.

Epithemata fiant cum aquis melissæ, buglossæ, rosarum, violarum, verbenæ, scabiosæ, acetosæ, lactucæ, nymphææ, vino aromatico aceto, & his similibus.

Pulueres fiant diamargarit. frigidi, de gemmis, de bolo arm. cornu cerui, rasura eburis, corallo camphura, croco orient. epithemat. cord. temp. floribus cardiacis simul tusis, & his similibus.

Vnguenta fiant ex oleo rosaceo, vnguento albo, aceto ros. aqua rosacea, quibus coctis ad aceti consumptionem, additur pulu. sandalorum, omnium coralorum rub. & parum croci, & S. A. fit vnguentum.

Potiones similiter fiunt ex dictis aquis cordialibus, & succis, & vino albo, nisi febris obstet, habita temporis ratione, vt in æstate frigidiores exhibeantur, in hyeme calidiores, quibus aquis addi potest sirup. de succo limonum, de acredine citri, de buglossa, capil. ven. acetosæ, theriaca antiqua, mitridatum, confectio alchermes, de hyacintho, pulueres electuarij de gemmis, diamarg. frigidi, de bolo arm. de terra sig. & his similia, &

dosis

dosis esse debet, vt vnc. IIII. aquarum, vel succorum vnc. I. syrupi, & dram. II. Pulueris; respondeant, confectiones verò, & theriaca, vel mitridatum sit vsque ad dram. I.

Electuaria cordialia, quibus sint

Electuaria cordialia fiunt cum conserua buglossæ, borraginis rosarum, florum citri, quibus addi potest pulvis corallorum alborum, & rubeorum, species diatriasandalorum, diarodon Abb. diamarg. frig. theriaca, & similia, odoriferum fiat huiusmodi,

℞. Pul. rosarum, santalorum omnium an. dram. I. caphuræ parùm M. cum aqua rosarum, q. suff. & fiat odoriferum.

Aliqui verò maximè commendant theriacam, vel mitridatum cum vino albo per sex horas ante cibum exhibitum, nisi febris obstet; Si verò febris adsit, miscent cum aqua scabiosæ,

Quarta intentio circa topica, siuè localia versatur, & circa hoc, quòd sit faciendum, optimè nos docet *Gal. I 4. meth. cap.* 10. dicens, *Imponi verò sibi ægra particula quod ad humorum inflammationem spectat, refrigerantia desiderat.* Propter crassitudinem tamen humoris, atq; etiam malitiam, nec fluxionem auertere vnquam poteris, & si quandò id feceris, aliud quidpiam, quòd in alto sit, corpore offendes, atque nec affluere is permittendus est; quin potiùs inquirenda remedia sunt, quæ cum modicè reprimendo etiam digerere possint; Tale autem est tùm cataplasma, quòd ex plantagine conficitur, tùm quòd ex cocta lente, scilicet miscentibus nobis his, tenetam micam panis, & miscellanei, & in clibano cocti; Etenim panis omninò puri, substantia in cutis meatibus hærere est apta. Furfureus autem crassiorum est partium. Super ipsum verò vlcus valens aliquod imponendum medicamentum, cuiusmodi est andronis, pasonis, & polidæ, vel pastillus, qui describitur à *Gal. 5. de comp. med. S. Gen. Qui liquari cum vino aliquo dulci ad sordium crassitudinem debent.* Quæ autem pharmaca reliquis adhiberi vlceribus solent, nempè quæ concoquant, & pus moueant, ea nunc adhibenda non sunt, quoniam ita particulæ putredinem augerentur (cum carbo semper putrescendo serpat) sed suprascripta medicamenta siccantia, & putredini resistentia applicanda.

Scarificare etiam huiusmodi tumores, inquit *Galen. loco citato*, *Post sanguinis missionem, alienum non est, sint autem incisiones altiores mediocribus propter infestantis humoris crassitudinem.*

Rhasis vult, vt ante scarificationem pars aqua calida foueatur.

Inflammatione cessante vlcus ad cicatricem, sicuti cætera vlcera perducendum.

Gal. item 2. ad Glauc. cap 2. inquit, *Carbunculi, vt maligna vlcera acria medicamenta, quæ igneas vires habeant quale est, misi, calcitis arsenicum calx atque sandracha postulant; Sæpè verò, vbi ista cesserint, admouemus ignem & talia medicamenta semper super ipsam crustam sunt apponenda, & circumiacentia loca tangere non expedit, alioqui dissolues, ea exulcerans, quæ minimè expedit, sed andronis trociscis potiùs vtendum est.*

Si quandò verò inualuerit rubor, plurimaque inflammatio medicamentum ipsum vino dulci diluendum est, vel plantaginis succo. Quemadmodum si magnus tumor simul infestet, vino quidem acerbo in principio, postmodùm verò aceto, catapl. etiam ex orobi farina, & oximellite confectum est apponendum, *Galen. lib 5. de comp. Med. S. Gen.* inquit, *Quod carbunculis competunt eadem medicamenta, qualia vlceribus putridis, ac depascentibus, & præcipuè infrascripta laudat.*

℞. Nitri rubri, arsenici, sandrachæ, calcitidis, atramenti sutorij, diaphrigis an. part. equal. M. & aceto leuiga, postea ijs tritis vtitor.

Paulus similiter lib 4 cap. 25. post sanguinis missionem maximè profuodas scarificationes, ob humoris crassitiem, laudat, & medicamenta à Galeno proposita; Adiungit verò, quod super vlcus poni etiam potest radix dragunculi, vel aristolochiæ, vel laserpitij liquor, vel cyenaici, singula ex aceto seruè illinita, & inquit, *Quæ ereſypelatis naturam sortita sunt præsidijs eidem vitio conuenientia adhiberi debent.*

Quæ verò partes ad affectionis consensum duci creduntur, lana succida Oeneleo imbuta, irrigandæ sunt. Si verò durities perseueret Melina Serapionis vtendum, & danda opera est, vt quamprimùm ad suppurationem veniant carbunculi, quòd citò fiet, si bis in die, semel in nocte cataplasmata, remediaque alia permutentur.

Sed quo radicitus carbunculos euellas, locaque continuè vicina confirmes, mala punica acerba minutim discissa in aceto elixato, vbi tabuerint, leuigato, linteoq; illito superponito, vbi aruerint aceto humectato.

Ad suppurationem perducit carbunculos, & diffringit nucis basilicæ veteris nucleus, vel etiam non veteris interiùs farctum, cupressi folia, & virgulta, recentesque, & teneriores galbuli cum polenta, vua passula acinis excussis, ficus aridæ in vino elixæ, papaueris cornicularis flores, liquor laseroitij cum ruta exiguoque melle, pix liquida cum vuis passulis, & adipe suillo.

Celsus lib. 5. cap. 28. inquit, *Nihil melius est in carbunculo, quàm protinùs adurere, neque id graue est*, inquit ille, *non enim sentit, quoniam ea caro mortua est, finisque adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est, tùm deindè vulnus sicuti cætera adusta curandum est.* Si quis verò adustionem ignito ferro renuat, vel vitium sit in summa cute, possunt succurrere quædam, vel excedentia tantùm, vel etiam adurentia, & validiùs, vel minùs validum medicamentum adhibendum est, pro carbunculi magnitudine. Ex igne enim, & adurentibus, ac erodentibus medicamentis crusta sequitur, vndique à viua carne deducta, quæ secum trahit, quicquid corruptum erat. Et si medicamentum, vel ignis satis perfecerit, ex hoc cognoscitur, quia protinùs à viua corruptam partem resoluit, & ideò in circumferentijs eius causatur circulus, qui nihil aliud est, nisi separatio corruptæ partis à sana, & tunc putrefactiua, & escaram remotiua apponi debent, nisi carbunculus à medicamento, vel ab vstione fuerit mortificatus, vndiq; vitiosa caro excedit, & vessicationem circa locum, & propè sanam carnem videbis, & hoc est signum, quòd carbunculus etiam augetur, & in hoc casu ad fortius medicamentum confugiendum, vel ad validiorem vstionem.

Mortificati, vel non mortificati carbunculi signa.

Ad crustam tollendam, & escaram remouendam Aetius folia verbenæ rectæ, & cupressi laudat, fimum gallinaceum aridum cum veteri axungia, ac etiam radices liliorum alborum ad cataplasmatis formam appositas, quas radices, inquit, *non solùm crustam tollere, sed etiam è toto vlcus sanare*; ad escaram etiam remouendam vtilissimum est infrascriptum cataplasma.

Escara in carbunculo remouentia.

℞. Altheæ, maluæ, violarum an. M. S farinæ triticeæ, hordei an. vnc. III. coque, & tere, deindè adde butiri, adipis suilli an. vnc. II. vitellorum ouorum numero 2. M. & S. A. fiat cataplasma.

Ablata escara vlcus est detergendum syrupo de rosis siccis, vel rosaceo melle, terebentina, farina hordei, vel succo apij, & his similibus, deindè vlcus carne replendum, tandem verò cicatrix inducenda.

Primùm igitur, vt in compendium omnia redigamus, post venæ sectionem pars affecta calida aqua fouenda, vt Rhasis inquit, *Deindè scarificatio satis profunda, competit post scarificationem pars calida aqua salsa abluenda, ne in scarificationibus sanguis coeat, ac concrescat, sed foras egrediatur.* Posteà Galenus cataplasma reprimens, ac resoluens in partibus vlceri circumstantibus applicandum, iubet, super ipsum vlcus medicamentum valdè exsiccans, putredinique resistens, superponendum, vt trocisci, & alia medicamenta superiùs dicta, nisi verò his cedat, ferro ignito adurendus est carbunculus; Si verò magnus tumor adsit cataplasma ex farina orobi, & oximellite confectum apponendum. Si verò durities perseueret, vt Paulus inquit, quamprimùm suppurandi carbunculi medicamentis ab eo propositis, vel infrascriptis, qui sunt optimi.

Totius curationis compendium.

℞. Rutæ M. I. fermenti vnc. II. caricarum ping. num. IIII. piperis dragm. I. salis drag. I. 5. M. & S. A. Fiat catapl. quòd manè, & vesperi renouetur, & hoc biduo carnem corruptam à sana separat, vel

Suppurantia carbunculos.

℞. Passularum mundatarum, caricarum

culum, si serpat, causticà medicamenta applicanda, sicuti sunt pastilli andronis, musæ, & pasonis, vnguentum ægyptiacum, vel alumen, & flos aeris cum aceto mixtis, & dicta medicamenta, sicuti diximus, sæpè mutanda, & si medicamenta hæc nihil proficiant, ad actualem ignem deueniendum, quo satis erassa escara inducenda. Hoc facto escaræ casus vngendus, vt butyro, loto, melle mixto, vel terebentina cum oui vitello, & alijs superiùs dictis.

Deindè tale vlcus optimè detergendum, posteà carne replendum, & tandem cicatrix inducenda, sicuti de non pestilenti carbunculo superiùs diximus.

De Pernionibus. *Cap. 5.*

Quid nominis? Quòd sint pernionis?

PErniones à Græcis Chimetlon dicuntur, & à vulgaribus, Pedignoni.

Pernio igitur est ille tumor, siuè inflammatio, quæ fit tempore hyemis in digitis manuum, & pedum, ac etiam in calcaneis, qui etiam vulgò dicuntur *Speronate*, *ò vero Bugnze*.

Part. affectæ.

Partes à pernionibus affectæ, præcipuè sunt digiti manuum, vel pedum, & aliquandò calcanei, & præcipuè pueris eueniunt, &

Pernionum duplex est differentia; alij enim sunt exulcerati, alij non.

De Pernionum causis.

CAusa procatartica, siuè externa pernionum, vt plurimùm est frigus, quòd refrigerando, & aliquem dolorem excitando, est in causa, vt non solùm pars illa imbecillis reddatur, & ad recipiendum fiat aptior, sed ex dolore ad partem sanguinis attractio fiat, *Cum dolor*, vt inquit, *Gal. lib. de venæ sect. & 2. de diff. feb. cap. vlt. ac alijs in locis, Sanguinem ad se attrahat, & frigus similiter est causa, nè contenti humoris diffl atio fiat, & ideò humor ille corrumpitur, & vlcus sequitur.*

Causa antecedens est sanguis ille, qui ad fluendum paratus erat.

Coniuncta causa est sanguis in parte contentus, qui tumorem, ac inflammationem excitat, ac efficit.

De Pernionum signis.

PErnionum signa sunt tumor, & rubor cum mediocri inflammatione, interdum pustulæ oriuntur, deindè exulceratio sequitur, dolor autem est modicus, prurigo maior est, nonnunquam humor exit, sed non multus, qui referre, vel pus, vel saniem videtur, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 28.*

De Pernionum prognostico.

HI tumores, & si nullum vitæ periculum inferant, tamen nisi curentur, diù perdurare solent, & actiones impediunt.

De Pernionum curatione.

IN hac curatione nemini est dubium, quòd optima victus ratio competit, sicuti etiam in omnibus alijs morbis; frigus deuitari, & affecta pars in quiete detineri debet.

Ex medicamentis his tumoribus conuenientibus; Alia sunt præseruatiua, alia curatiua, & ex curatiuis, alia exulceratis pernionibus competunt, alia non exulceratis.

Medicamenta à pernionibus præseruantia.

Præseruatiua medicamenta sunt sal cum melle tritum, manibus, ac pedibus assiduè indè perfrictis; aliud non solùm perseuerans, sed etiam curans.

℞. Succi citrorum cum sullo adipe commisceto, & ad vnguenti formam redigito, & quotidiè ad hyemis initium digitos illinito.

Præseruat similiter frequens ablutio decocti raparum, vel

℞. Atramenti sutorij, florum mali punici, aluminis scissi an. vnc. 5. mirrhæ, turris an. dragm 11. ceræ vnc. 5.

adipis ſuilli vnc. 1. olei mirtini q. ſuff. M. & S. A. F. vngu. Vel

℞. Aluminis ſciſſi dragm. x. ſpumæ argenti vnc. 1. myrrhæ dragm. 1. ouorum albumina num. 11. vini, & myrtini olei an. q. ſuff. M. & fac in vngu. formam, vel

℞. Aluminis rotundi vnc. 5. calcis viuer dragm. 11. ceræ vnc. 1. roſacei, & myrtini olei q. ſuff. vel vnc. 1111. præpara, & vtere etiam ad attritus facit, vel

℞. Spumæ argenti dragm. x. ceruſæ dragm. 111. adipis ſuilli recentis vnc. 11. S. vitellorum ouorum aſſatorum num. 2. pulueris thuris dragm. 1. argenti ſpumam, ceruſam, & oua, cum aceto terito, & poſteà adijce alia, ac ad vſum ſeruato, & vſus tempore cum roſaceo dilutum adhibito.

Perniones contra exulcerationem curantia.

Pro curatione antequam exulcerentur, vt inquit *Celſus*, *Fotus aquæ calidæ, in qua rapæ incoctæ ſint, aut aliqua herba ex reprimentibus. Si nundùm vlcus eſt aperum Aes, quàm maximè calidum, quis pati poteſt, admouendum eſt, vel*, vt inquit *Aetius ſerm. 14. cap. 73.*

℞. Sulphur viuum cum melle coquito, & imponito, vel

℞. Myrrhæ vnc. 1111. aluminis liquidi vnc. 11. aceti q. ſuff. & fac in vnguenti formam, quòd eſt oribaſij, & non ſolùm pernionibus minimè exulceratis competit, ſed etiam ad omnes feruidas eruptiones, vel

℞. Succi vuæ acerbæ lib. 5. thuris dragm. 1. S. ceræ vnc. 1. M. & coque ad ſuccì ferè conſumptionem, deindè in mortario ſubige, & vtere; aliud valdè vtile.

℞. Ceruſæ, ſpumæ argenti, aluminis liquidi an. lib. 5. myrrhæ thuris an. vnc. 1. S. vitellorum ouorum aſſatorum num. VIII. adipis ſuilli veteris lib. 5.

Arida cum aceto terito, in quo malicorium incoctum ſit, & vbi ſtrigmentitiam compagem habuerit, adipem adijcito, ac ſimul probe ſubigito, ac in plumbeo vaſe ad vſum ſeruato; Vſu poſtulante roſaceo, aut myrtino oleo dilu to, ac illinito, & valet quoque ad reliquas inflammationes; hyoſchyami ſuccus aſſiduè illitus eodem die dolorem, ac inflammationem ſeuare inquiunt.

Competit etiam ceratum factum ex oleo, in quo incoctum ſit alium cum cera q. ſuff. amurca etiam illita prodeſt, & thus coriarius.

Similiter decoctum cyclaminis, item rhois coriarij, betæ, ac lupinorum amarorum, & marina aqua calida per ſe maximè competunt.

Ad exulceratos perniones, inquit *Celſus*, *quòd maximè vtile eſt alumen aqua portione cum thure contritum, vino adiecto, aut malicorium in aqua coctum, deindè contritum.* Si ſumma detracta pellicula eſt, hic quoque meliùs lenia medicamenta proficiunt. *Aetius* maximè laudat vnguen. roſaceum in magno rapo ad ollæ ſimilitudinem excauatum, vel in raphani radice ad feruentem cinerem liquefactum, & adhibitum. *Perniones exulceratos curantia.*

Vel ℞. Cancrorum fluuiatilium vſtorum, & melle, & roſaceo vngu. exceptorum, vel

℞. Vmbelici ven. & malicorij in vino cocti, & contuſi, & roſaceo vnguento commixti, & vtere, vel

℞. Rutæ, medullæ taurinæ, vngu. roſacei M. & vtere: Quòd vt inquit *Aetius*, *Etiam ad antiqua vlcera, & oſſa articulorum denudata conducit.*

Aliud, quòd ad cicatricem perniones ducit, & confert etiam ad papularum eruptiones, excoriatas intertrigines, & deſquamata.

℞. Ceræ, adipis ſuilli an. vnc. 1. ſpumæ argenti, vel plumbaginis, corticis pini an. vnc. 11. manna thuris vnc. 1. olei roſacei q. ſuff. M. & S. A. fiat vng. vel

℞. Olei omphacini, adipis taurini hyoſchiami an. vnc. 111. ſpumæ argenti dram. 111. colophoniæ vnc. 1. mellis dragm. 111. M. & S. A. fiat vnguentum, & hæc de pernionibus ſatis.



De

rum ping. nucum rancidarum, vel assatarum, farinæ hordei an. vn. II. M. & in rubro vino coquantur, deindè adde pinguedinis suillæ vnc. II. vitellorum ouorum num. II. & S. A. Fiat catapl. & nisi rumpatur adde coctam cepæ fermentum, vel sabinam, vel

℞. Theriacæ dragm. I. axungiæ suillæ dragm. II. succi scabiosæ, vel symphiti modicum cum sale, & oui vitello. Fac catapl. & applica.

Aliqui inquiunt, quòd diuino quodam miraculo, symphitum, siuè consolida maior, ac etiam minor inter duos lapides contrita carbunculos sanat; miranda etiam referunt de herba, vulgò scabiosa, dicta.

Si verò carbunculus non adeò malignus fuerit, quòd ex mitioribus symptomatibus cognoscitur, post venæ sectionem, si necessarium sit, infrascripta medicamenta applicare possunt, quæ optima sunt.

℞. Fermenti vnc. III. caricarum ping. num. IIII. salis q. suff. M. & applica, vel

℞. Cepam excauatam, & theriaca reple, & sub prunis coque, & applica.

Vel ℞. vitellorum ouorum numero II. fuliginis dragm. 15. salis 55. M. & applica.

Partes adiacentes, vt dixi, quæ consortij lege afficiuntur succidis lanis ex oleo, vel ex rosacea aqua, aceto, & bolo arm. irrigandæ.

Ad radicitùs etiam carbunculum euellendum, & à partibus sanis dirimendum catapl. ex malo punico acido applicandum. Hoc facto, & cessante inflammatione, curandum, vt escara decidat, deindè, vt reliqua vlcera curandum, vt superiùs diximus.

Symptomata carbunculo superuenientia & eorum curatio.

Quinta intentione symptomatibus occurrimus, sunt autem capitis dolor, vigiliæ, delirium, febris vehemens, ingens sitis, linguæ ariditas, ac nigrities, nausea, vomitus, inappetentia, cordis tremor, & palpitatio.

Capitis dolori, quo modo occurrendū?

Capitis dolori vehementer ægrum torquenti, ac vigilijs occurrimus applicatione infrascr. med. fronti, ac temporibus appositi.

℞. Olei rosacei vnc. IIII. lactis mulicbris vnc. II. aceti parum M. & applica, quòd etiam in delirio competit, vel vtere oxirodino facto ex aceto, & oleo rosaceo, & aqua rosacea.

Delirij curatio.

Si delirium infestet, curandum, vt phrenitis; Debemus in primis corpus purgare, deindè vti reuellentibus, ac diuertentibus, vt clisteribus frictionibus, ligaturis, & similibus; Capiti etiam applicandum oleum rosaceum, violaceum, nenupharinum, semper aliquid. Aceti miscendo, cum maximè ad penetrationem conducat.

Febrem sudantia.

Febribus restitimus venæ sectione, dieta syrupis, & alijs præsidijs superiùs dictis, & tandem vt putrida febris curanda.

Sitim tollentur.

Cum sitis afficit, ℞. Radicis buglossæ saccaro condita vnc. 15. conseruæ acetosæ, florum nimphæ an. dragm. VI. specierum electuarij, diamarg. frigid. corallorum rub. semi citri an. vnc. 5. saccari rosacei q. suff. M. & fiat conditum, vel vtatur aqua hordei cum syrupo de suco limonum de acredine citri, violarum, vel acetosæ.

Linguæ nigredini succurrentia.

Ad nigredinem, & ariditatem linguæ infrascripti orbiculi succurrunt.

℞. Seminis psillij dragm. II. sem. cidoniorum drag. I. 5. gummi tragacthi scrup. IIII. saccari canditi in aqua rosarum dissoluti vnc. I. 5. M. & fiant orbiculi lupinis similes, ex quibus aliquem ore teneat, vel

℞. Mucilaginis sem. psillij, & cidoniorum in aqua rosarum extractæ an. vnc. III. saccari canditi vnc. I. 5. M. & fiant orbeculi, quibus vtatur vt supra.

Nauseæ curatio.

Si adsit nausea, & ob bilis ad ventriculum recursum, tunc vomitus est prouocandus, si æger facilè vomat: Sin minùs per inferiora euacuetur, vt cum rhabarbaro, aloe lota, & his similibus; Vomitus verò excitetur cum aqua anethi tepida, cum oximellite 5. vel syrupo acetoso simpl. commixta, vel decocto raphani, vel his similibus.

Si verò materia sit viscosa, in primis præparanda, & incidenda, deindè hiera est vacuanda.

Si vomitus afficit, faciendum, vt inquit *Hipp.* I. *Aph.* 2, *ideſt considerandum, an talia euacuentur, qualia conueniunt, & si æger benè tolleret, ac ci conferat. Si verò ex vomitu lædatur sedandus vomitus,*

tus cum decenti decubitu, idest, vt ventriculus quietus maneat.

Similiter tàm per intrinsecùs assumpta, quàm per extrinsecùs applicata roborandus, ac confortandus ventriculus; intrinsecùs roborantia sunt succus malorum punicorum, cotoneorum, mespilorum, & similia; extrinsecùs vtimur oleo mastichino, absinthite, melino, nardino, mentaceo, & nucis miristicæ: emplastro de crusta panis, de dactilis, & his similibus.

Ad innappetentiam eadem etiam præsidia competunt.

Cordis palpitationem tollentia.

Cordis tremori, ac palpitationi electuario de coagulis succurrere possumus, quòd ita fit.

Electuarium de coagulis.

℞. Coaguli hedini, coaguli ceruini an. vnc. 11. 5. vini maluatici odoriferi dram. 11. testiculorum coctorum in posca facta cum aceto temperato, & cum aqua buglossæ vnc. 1. 5. electuarij triasandalorum, electuarij diarodon, Abb. an. vnc. 11. saccari rosacei vnc. vi. pulueris vnionum, smaragdi an. scrup. 1. syrupi rosacei, vel de corticibus citri, q. suff. M. & S. A. fiat electuarium molle, de quo sumat æger coclearе vnum competenti hora, & hoc electuarium etiam competit syncopi, ac delirio.

De pestilentis carbunculi curatione.

IN hac etiam curatione plures intentiones habere debemus: Prima in dieta conuenienti consistit: Secunda in peccantis materiæ euacuatione; Tertia in cordis corroboratione; Quarta in venenatæ, ac pestilentis materiæ extractione consistit.

Circa primam, secundam, ac tertiam intentionem idem faciendum, ac in carbunculo non pestilenti, præter quam phlebotomia vsque ad animi deliquium, cum in pestilenti carbunculo statim vires collabantur, ac prosternantur, & ideò venæ sectio aliquandò non conuenit: Antidota similiter danda sunt, quæ veneno resistant, cum scordio, bolo orientali, syrupo acetositatis citri, & his similibus.

Topica, quibus quartam intentionem assequimur, sint, quæ maximè attrahant, & sua proprietate venenis resistant, vt sunt trocisci viperini, theriaca, mitridatum, vel attrahentia catapl. vt infrascripta.

℞. Farinæ S. lini, chamemoli an. vnc. 11. charicarum ping. num. x. fimi columbini M. 1. squillæ axungiæ parum olei anethini, chamemolini, & liliorum alborum an. q. suff. M. & S. A. fiat catapl. vel

℞. Melilori fenugræci, seminis lini an. vnc. 11. succi lapatij parum, sinapis vnc. 1. olei chamomelini, anethini an. q. suff. M. & S. A. F. catapl. vel

℞. Farinæ cicerum, lupinorum, seminis lini, chamomelini an. dragm. 1. apij M. 1. squillæ parum, fimi columbini M. S. olei anethini q. suff. M. & S. A. fiat catapl.

Quæ verò vim causticam habent; magis attrahunt, sicuti arsenicum, flammula, calx viua, & cætera superiùs enarrata, cucurbitulæ cum scarificatione admotæ, etiam maximè conducunt, & applicatæ hirudines.

Atque etiam salsæ calentis ablutio ad putredinem tollendam maximè conducit.

Debemus etiam curare vt attracta materia euacuetur, & ideò statim, vt vessica apparet, optimum est illam incidere, vt virus illud expiret, & eliciatur, vt inquit *Gal. 14. meth. vel vessicatorium, vel causticum medicamentum statim apponendum, vt aperto tumore venenum diffletur.* Vt verò putrescens materia exsiccetur, vel incendium remittatur, atque venenum compescatur infrascriptum medicamentum applicandum.

℞. Lentium elexitarum, panis furfuracei an. vnc. 1. pul. gallarum, scordij an. vnc. 111. succi plantaginis vnc. 11. M. & S. A. fiat catapl. quòd sæpiùs tàm in die, quàm in nocte mutandum, vt venenum citiùs educatur, cum tale cataplasma venenum ad se attrahendi vim habeat, & si intollerabilis dolor accidat; applicetur cataplasma factum ex lacte vaccino, vel caprino, pane furfuraceo, & succo plantaginis; Et circum circa carbunculum, ne vicinas partes appræhendat, defensiua medicamenta applicanda, sicuti est plantaginis succus cum lentibus in aceto coctis mixtus, vel bolus armena, sanguis draconis, oui albumen, & acetum simul mixtis, & super vlceratum carbunculum,

De Phygethlo, siuè Pano.
Caput 6.

Quid nominis ?



Hygethlon à Græcis dictus, à Latinis Panus vocatur, & ita à Latinis dicitur, quia cum pane similitudinem habet, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 28. quo loco ita definit*; *Phygethlon est tumor non altus, sed latus, in quo quoddam pustulæ simile inest. Gal. lib. de tumoribus præter naturam*, ita definit, *Phygethlon est glandulosarum partium inflammatio*, & 2. *ad Glauc. cap. 1.* inquit, *Phygethlon est inflammatio eresypelatis particeps*, *Paulus Aeg.* sic definit *lib. 4. cap. 22. Panus est glandulæ inflammatio suppurare incipiens*; Possumus igitur sic definire.

Phygethlon, siuè panus, est phlegmone in adenum locis emergens, maximè verò in ceruice, in alis, & in inguinibus, vt plurimùm post febres, aut post alicuius partis dolorem, quæ fluxionem in adenis proritant, eueniens.

Quæ in inguinibus oboritur, Bubo propriè dicitur, de quo inferiùs dicemus.

Partes affectæ.

Partes, quæ in huiusmodi inflammationibus, sunt adenæ, siuè glandulæ, vt omnes suprà dicti Authores inquiunt, & præcipuè ceruicis alarum, & inguinum.

Differunt verò pani ab alijs tumoribus, vt inquit *Gal. lib. de tum. prat. nat. caliditate, & ortus celeritate.*

De Phygethli causis.

PHygethli causæ duæ sunt, internæ, scilicet, & externæ; Externæ sunt vlcus, dolor, collisio, vel quælibet alia externa causa talem fluxionem ad glandulas proritandi vim habens.

Interna, & antecedens causa est sanguinis copia, vel mala qualitas, qua mediante natura ad expulsionem faciendam ad imbecilliores partes, & emunctoria; quemadmodum sunt glandulæ, irritatur.

Causa coniuncta est sanguis ad bilis naturam accedens, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. huiusmodi tumorem excitans.*

De Phygethli signis.

SIgna Pani sunt tumor, calor, durities, dolor, distensio, vehemens, & maior, quàm pro tumoris magnitudine: Interdum etiam febricula, idque tardè maturescit, neque magnoperè in pus vertitur sitim, vigiliamque infert, interdum nihil horum in cute deprehendi potest, maximèque, vbi altiùs pus mouetur, & cum siti punctiones aliquæ intùs persentiuntur.

Signa crudi pani sunt pulsatio, grauitas, ardor, distensio, dolor, rubor, & durities, & si maior abscessus sit, horror, & febricula permaner.

Signa, quòd ad suppurationem tendit, sunt, quòd tumor, rubor, & omnia alia symptomata augentur.

Signa suppurationis iam factæ sunt, quòd omnia symptomata se remiserint cutis prurit, aut subalbida est, aut subliuida fit.

De Phygethli Prognostico.

QVO ad prognosticum, inquit *Celsus loco superiùs citato*, *Phygethlon, quòd de subito durius non est melius est.*

Paul. Ag. lib. 4. cap. 22. inquit, *Phygethlon, siuè panus qui fit ex Vlcere, dolore, vel collisione, vel ex aliqua alia externa causa periculo vacat.* Atqui febribus superuenit, sicut præcipuè pestilenti tempore fieri solet, siuè in fœnoribus, siuè sub alis, colloue proueniat, pessimus, ac periculosissimus est.

De Phygethli curatione.

PRO phygethli curatione, optima institura dieta, fiat venæ sectio, nisi quid obstet, ac etiam si opus fuerit, conuenienti pharmaco corpus à prauis humoribus, ac redundantibus purgetur.

Quo ad topica, siuè localia medic. vt inquit *Aegineta lib. 4. cap. 21. S. Phy-*

gethlon

gethlon fiat ex vlcere, dolore, colliſione, vel ex qualibet alia procatartica cauſa, inter initia, quemadmodùm quæuis inflammatio, præſidijs refrigerantibus, & conſtipantibus repelli debet, vel ſpongiæ in poſca madidæ impoſitu, vel laneæ ex vino, & ex oleo omphacino, vel myrthino, vel alijs reprimentibus in phlegmonis curâ dictis; Deindè diſcutientia competunt.

Phygethlon verò in febribus, vel omni ò humorum copia proueniens nullo pacto repellentia deſiderat, ne in profundum materia recurrat; Sed ad diſcutiendi facultatem habentia confeſtim deuenendum eſt, quæ, vt inquit *Gal. 6. Simplicium, Mitiora eſſe debent, quo loco laudat attriplicem, alſinem, & maluæ folia cataplaſmatis inſtar. Similiter ceratum humidum ab eo deſcriptum eodem lib. cap. 1. Celſus lib. 5. cap. 28.* inquit, *Si panus mollis eſt, auertendus ſi materiæ aditus eſt, per cataplaſmata, quæ ſimul reprimant, & refrigerent.*

Si iam durior eſt, ad ea eſt deueniendum, quæ digerant, & reſoluant, qualis ſunt caricæ contuſæ, aut ſex mixta cum cerato, quòd ex adipe ſuilla coctum ſit, aut cucumeris radix, cui ex farina duæ partes adiectæ ſint, ante ex muſſo decoctæ; Licet etiam miſcere æques portionibus ammoniacum, galbanum, propolim, vſcum, ponduſque adijcere myrrhæ dimidio minùs, quam in prioribus ſingulis erit. Reſoluit etiam fomentum ex decocto chamemoli, vel anethi, altheæ radix vino elixa. Gutta ammoniaca cum melle eliquata, & impoſita, viſcus cum reſina, atque cerato. Quòd per hæc diſcuſſum non eſt, vt matureſcat eſt neceſſe. Idque quo celerius fiat imponenda farina hordeacea, ex qua cocta rectè miſcetur, vel aliud maturatiuum catapl. Et quandò huiuſmodi tumor ad ſuppurationem tendit, non protinùs incidendus, ſed medicamentis reſoluere, ac diſſipare tentandum, vt inquit *Paulus, Si diſſipare non poſſit & matura iam ſuppuratio ſit ferro, vel medicamento aperienda, & pus educi, ac euacuari debet.*

Deindè hous detergi, poſteà carne repleri, & tandem cicatrizzari debet, & commodè, vel ſuper linamenta, vel ſine his imponitur lenticula ex melle, aut muſicorium ex vino coctum, quæ, & per ſe & mixta idonea ſunt.

Si in partibus circumſtantibus durities adſit, talis durities emolliendæ, vel maluæ contrita, vel ſemine lini, & fœnugræci in paſſo coctis ad cataplaſmatis formam redactis, & ſuperpoſitis. Quicquid verò ſuperponitur non adſtringi, ſed mediocriter delegari debet.

Si ex aliquo vlcere proueniat panus, vlcus rectè curandum, cæterùm glandula inflammatione oppreſſa, lanis oleo quodam relaxante imbutis mitigatur, membrumq; vniuerſum ipſis circumuoluitur.

Medicamenta rumpentia ſunt propolis, lupini amari cum aceto illiti, cucumeri ſilueſtris radix, therebentina excepta, radix capparis conſimiliter, nitrum item cum fermento, vel caricis, & ſimilia.

De Bubone. *Cap. 7.*



VM in phygethli pertractatione dixerimus, quòd phygethlon, ſiuè panus, quòd fit in inguine, propriè Bubo dicitur, ideò de Bubone nunc verba faciemus.

Illa igitur inflammatio, quæ fit in emunctorijs, & præcipuè in inguine tàm à Græcis, quàm à Latinis Bubo dicitur. Vtque *Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. & 1. de diff. febr. cap. 5.* inquit, *Bubo eſt glandularium, ſiuè glandulaſarum partium inflammatio,* *Bubo, quid ſit?* *& xi. meth.* inquit, *Buboneſſe affectionem corporis glandulaſi, & quandoq; peſtiferæ febri aſſociatur.*

Bubo igitur eſt tumor, ſiuè inflammatio glandularum, & præcipuè inguinum. *Partes affectæ.*

Pars affecta in bubonibus ſunt glandulæ, ſed non omnes glandulæ, quæ in corpore adinueniuntur, Bubonibus tentari poſſunt, ſed tantùm illæ, quæ ſunt in emunctorijs, quæ à natura imbecillæ ſunt factæ, vt facilè humores à principe parte tranſmiſſos, recipere poſſint, & huiuſmodi ſunt poſt aures in axillis,

in axillis, & in inguinibus, & quæ sunt post aures sunt cerebri emunctoria, quę in axillis cordis, quæ in inguinibus hepatis emunctoria sunt.

Differentiæ. Differt Bubo, ab alijs glandularum inflammationibus, vt à phygethlo, & phymate, quia phygethlon, vt inquit *Gal. lib. de tumoribus præter naturam*, *Caliditate, & ortus celeritate à Bubone differt*; & *2. ad Glauc. cap. primo*, inquit, *Differt phygethlon à Bubone, quia in phygethlo cum sanguine parùm bilis admixta est. Differt verò à phymate, vt eodem loco* inquit *Gal. Quia phyma cum vehementia quadam ad suppurationem festinat, quòd non facit Bubo.*

Sciendum item, quòd Bubones plurium sunt generum: Alij enim sunt critici; alij symptomatici, & horum; alij sunt contagiosi; alij verò non, qui verò sunt contagiosi; alij sunt pestilentes, quia pestilentes febres sequuntur, & nunquam sunt sine ea; alij non sunt pestilentes, qui venerei, siuè Gallici Bubones appellantur, cum à Gallica lue proueniant.

Primùm ergò de non contagiosis verba faciemus, deindè de alijs.

De Bubonum Causis.

BVbonis non contagiosi, nec non etiam contagiosi causæ, vel sunt internæ, vel externæ; Externæ sunt cibus, & potus, & aliæ res non naturales, quæ sanguinem augere possunt, vlcus, dolor, & collisio alicuius extremæ partis, quæ sunt in causa, vt ad emunctoria sanguis transmittatur.

Interna, & antecedens causa est sanguis in toto corpore, vel in aliquo principali membro redundans, & naturæ molestus, vel ob copiam, vel malam qualitatem, qui ad fluendum est paratus, & hæc est materialis causa. Efficiens verò causa est principalium partium robur, quæ ad sua emunctoria expellunt, vt inquit *Galenus 1. de differentia febr. cap. 4.*

Pestilens Bubonis causa est aeris viciati, & putridi inspiratio, nec non viciatus succus in corpore ad putrescendum habilis.

Gallici Bubonis causa est coitus, vel commertium cum infecto tali lue.

Coniuncta causa est sanguis, qui in emunctorio est iam influxus, & actu Bubonem efficit.

De Bubonum signis.

SYmptomatici non contagiosi Bubonis signa sunt, tumor, rubor, dolor, calor, tensio, renitentia, aliquandò etiam pulsatio persentitur, & nonnunquam ephemera febris est coniuncta, & huiusmodi inflammatio in emunctorijs existit.

In critico Bubone etiam prædicta signa adsunt, adiungitur verò, præcedens morbus, & per bubonem præcedentis morbi subleuatio, & paulò post etiam à præcedenti morbo liberatio. Adsunt etiam alia signa bonæ crisis, quæ à *Galeno 1. aphorism. comm. 20. & lib. 3. de Crisibus cap. 3. enarrantur*, quæ sunt hæc, *Vt crisis facta sit in die decretorio, & critico. Recto tramite concoctione præcedente, vt æger facilè tolleret, vt peccans humor euacuetur, & huiusmodi crisis priùs fuerit indicata.* *Bonæ crisis facta.*

Gallici Bubonis signa, sunt, non solùm tumor, dolor, rubor, calor, & alia dicta de symptomatico bubone, sed coitus cum homine infectò, & absque vlla alia præcedenti causa incipit. Aliquandò etiam alia Venereæ luis signa apparent, vt penis vlcera: gonoreæ, dolores vagantes, & noctu magis affligentes, pilorum defluuium, maculæ instar lanuginis in toto corpore efflorescentes, & alia huius luis signa.

Pestiferi Bubonis signa sunt, quod correptus pessimis cibis se nutrierit, vel cum peste infecto, vel in pestilenti aere versauerit, pestilentemq; aerem attraxerit, continuò vagantur pestiferi Bubones, color Bubonis, vel est citrinus, vel liuescens, vel ad nigredinem tendens. Adest pestifera febris, vt inquit *Galen. 1. simpl. cap. 2. Æger caliditatem non persentit.* Omniaque alia signa talem febrem incomitantia adsunt, vt capitis dolor, grauitas,

tas, propenſio mira ad ſomnum, vel continuæ vigiliæ deliria; torvus, ac varius oculorum aſpectus, appetentiæ deiectio, creber variorum humorum vomitus; immenſa ſitis, oris amaritudo, linguæ nigrities, & ariditas, reſpirationis difficultas, & aliquandò fœtidus alitus, animi anxietas, & inquietudo, ac triſtitia, pulſus frequens, exiguus, & profundus, vt inquit *Gal. 3. de præſag ex pulſibus cap. 4. Vrina tenuis, & aquoſa, vel veluti iumentorum turbida, craſſa, & fœtida*: Aliquandò etiam optima videtur, ægeſtiones fœtidiſſimæ ſunt, vt inquit *Gal. 3. epid ſect. 3. com. 58. Et vt plurimum fluxus ventris biliosus, & variorum colorum in bubone, præſertim adeſt, extrema algent, interiora vruntur, totius corporis grauitas, laſſitudo, & ſegnities, coloris mutatio ad fuſcum, vel citrinum fœtidus ſudor appareat, & animi deliquia, & ſyncopæ.*

De Bubonum Prognoſtico.

GAL. 13. *meth.* inquit, *Si totum corpus pletoricum ſit, vel prauo ſucco redundet, difficilis Bubonum curatio redditur; Si ſanum planè facilis.*

Bubones ergò non contagioſi, neque peſtiferi, qui tantùm fiunt vt naturæ expellentis ſanguinem peccantem ad emunctoria, cum ineſtima parte ſint, & imbecilla, nullius ſunt periculi. Si verò huiuſmodi bubones diutiùs protrahantur, quamuis ex ſua natura non ſint periculoſi, facillimè in fiſtulas terminantur, quæ non ſolùm ſunt curatu difficiles, ſed etiam periculoſæ. Ideò quandò ex vno foramine plura fieri incipiunt, feſtinanter Bubo curandus.

Bubones, qui fiunt in axillis, vt plurimùm, & citiùs ad ſaniem perueniunt, cum ex calidiori materia, & cordis ſuperfluitate fiant, & pars illa, etiam ob cordis vicinitatem calidior ſit, & ideò etiam facillimè reſolui poſſunt.

Bubones, qui in inguinibus fiunt, tardiùs ad ſuppurationem perueniunt, quia iſtæ partes non ſunt ita calidæ, & materia Bubonem efficiens frigidior eſt, cum ab hepate proueniat, quod corde frigidius eſt, & ideò difficiliùs reſoluuntur.

Illi Bubones, qui fiunt poſt aures; ſunt tardioris maturationis, ac reſolutionis, & minorum ſymptomatum, cum à frigidiori materia, ac craſſiori fiant, quæ difficilius, & tardius maturatur, ac reſoluitur, ac etiam in frigidiori ſunt parte.

Gallici Bubones ſunt curatu difficiles, ſed non ratione Bubonis, ſed venereæ infectionis ratione, tamen ſalubres ſunt.

Peſtiferi Bubones periculoſiſſimi ſunt, & ſæpè feſtina mors ſequitur, & ideò ſemper mors prædicenda, cum multi prima die, alij ſecunda, alij tertia, & rari vltrà quartam viuant.

Color niger in peſtilenti Bubone peſſimus eſt, & pauciſſimi euadunt.

De Curatione Symptomatici, & non Contagioſi Bubonis.

IN Bubonibus ortis tantùm per viam expulſionis, & minimè criticis, neque peſtiferis, ſed tantùm ob ſanguinis redundantiam, vel malam qualitatem ad expulſionem naturam irritantem. Quatuor intentiones habere debemus.

Prima, conſiſtit in conuenienti Dieta, ac alijs rebus nonnaturalibus. Secunda, in antecedentis materiæ euacuatione. Tertia, in materiæ coniunctæ correctione. Quarta in ſymptomatum lenitione conſiſtit.

Primam intentionem aſſequimur cum debita adminiſtratione ſex rerum nonnaturalium, ideſt, vt cibus, & in qualitate, & in quantitate ſit temperatus. Motus deuitetur, & circa alia, vt in phlegmonis curatione diximus, ſe gerat.

Secunda intentio completur venæ ſectione, vt è toto corpore ſanguis redundantia euacuetur, vt inquit *Galen. 13. meth. Et ſi corpus prauis etiam ſuccis redundet, purgans medicamentum dandum eſt, cum ſuccorum vitium purgationem indicet, vt Gal. loco citato* inquit, *quod laudat etiam Auic. Syruppi etiam competunt, vt in phlegmonis curatione diximus*,

Quo ad alias intentiones aſſequendas,

Gal. 13.

Gal. 13. *meth.* inquit, *Ipſi verò ædeni, qui Bubone vrgeri cæperit, prima quidem die imponi debet lana oleo calente madens, ſed citrà ſalem*; Et hoc fieri debet, vt dolor mitigetur, qui ſæpè in bubonibus excitari ſolet, & ad ſe curationem trahit.

Poſſumus etiam iniungere oleo amigdalino, chamomelino, & anethino. Si dolor his non ſedetur, infraſcriptis medicamentis vti poſſumus.

℞. Farinæ fenugræci, ſeminis lini, hordei an. vnc. 3. pinguedinis gallinæ, butyri an. vnc. 4. olei chamomelini, anethini, liliorum alborum an. vnc. 2. croci dragm. 1. vitellorum ouorum num. 4. decocti maluæ, & altheæ q. ſuff. M. & S. A. fiat catapl.

Vel ℞. olei chamomelini, anethini, pinguedinis gallinæ an. q. vis, ceræ q. ſuff. M. & S. A. fiat in vnguenti formam.

Sanguis, qui in affecta parte continetur euacuari debet, quòd fit; vel repellentibus, vel reſoluentibus, ac digerentibus. Sed cum in bubonibus repellentia non conueniant, vt inquit *Auicena*, *Oribaſius*, *ac alij boni Authores*, *quoniam materia verſus principale membrum*, *cum ægri periculo pellerctur*; Digerentia ergo, ac reſoluentia conuenientia ſunt, quæ nimis calida eſſe non debent, quia ad partem affectam humores traherent, niſi corpus ab excrementis fuerit mundum; Competit igitur cataplaſma farinæ tritici cum melle, quòd eſt anodinum, vel farina hordei cum melle, quòd magis digerit, ac reſoluit, vel

℞. Farinæ hordei, olei chamomelini, aquæ, & parùm ſalis M. & S. A. fiat catapl. In ſtatu verò cum materia reſolui aptior erit, validiora competunt, ſicuti infraſcripta.

℞. Farinæ hordei, ſeminis lini, an. vnc. 11. ammoniaci vnc. 1. olei anethini, chamomelini an. q. ſuff. M. & S. A. fiat catapl. vel

Maximè etiam eſt vtile poſt vniuerſalia præſidia fomentum factum cum ſpongia in lixiuio cum modico ſale, quòd maximè reſoluit. Diachilon etiam cum gummis competit, cum reſoluat, & humectet, vel

℞. Farinæ lupinorum, milij an. vnc. 2. radicum altheæ in vino coctarum, & contuſarum vnc. 3. olei chamomelini q. ſuff. M. & S. A. fiat catapl.

Vel fiat catapl. cum ſolijs parietariæ, petroſelini, radicibus cucumeris aſinini, omnibus in vino coctis cum pauco croco adiecto.

Niſi verò materia reſolui poſſit, & ad ſuppurationem tendat, quòd ex ſuis ſignis dignoſcitur, vt ex aucto dolore, calore, rubedine, & alijs de phlegmonis curatione dictis: tunc maturantia, & pus mouentia conueniunt, quorum multa in phlegmonis cura deſcripſimus, vel cum digerentibus maturantia miſceri debent, cum in ſuppurationibus non ſtatim ad ſectionem ſit veniendum, vt inquit *Oribaſius*, *& Paulus lib.* 4. *cap.* 22. & tale eſt infraſcriptum.

℞. Ceparum ſub prunis coctarum num. 2. vitellorum ouorum ſolidorum num. 1. rad. altheæ, rad. maluæ in aqua coctarum, ac contuſarum an. vnc. 1. pinguedinis ſuillæ, butyri an. vnc. 2. decocti prædictarum radicum q. ſuff. M. & S. A. fiat catapl.

Si verò facta maturatione, pus ob copiam, vel craſſitiem, vel ob quid aliud digeri, ac euacuari non poſſit. Ferro potiùs quàm cauſtico bubonem aperire oportet, & pus per plures vices euacuandum, & recordandum, quòd ſectio in inguine, & in axillis per tranſuerſum fieri debet, vt ſuperiùs diximus, cum ex harum partium inflexione ex ſe ipſa naturaliter cutis applicetur, ac vniatur.

Facta ſectione, & pure euacuato imponenda turunda aliquo concoquente, & dolorem, leniente imbibita, vt oui albumine cum vitello commixto, vel ſeuo candelæ, vel his ſimilibus: deſuper etiam applicanda ſtuppæ maddidæ medicamento, quòd dolorem leniendi vim habeat, ſanguinemque ſiſtat, vt eſt oui albumen: poſtea vti poſſumus digeſtiuo facto cum reſina therebentina, oui vitello, & puluere thuris, & de foris, poſtea applicare poſſumus diachilon ſimplex, vel cum gummis; pure euacuato, vlcus detergendum cum eodem medicamento adiungendo medicamentum roſaceum, & hordei farinam, vel quolibet alio detergente. Mundificato, & derſo vlcere, carne replendum, cum

ſarcoticis ſuperiùs pluries dictis, replere ſinum carne conſolidandum, & cicatrix epuloticis inducenda, vt cum litargyrij ſiccis, vel aere vſto, & loto, puluere cornu cerui vſti, malicorij, acaciæ, vel alijs epuloticis ſuperiùs dictis.

De Critici Bubonis curatione

SI Bubo criticus fuerit, ideſt ſi prouenerit ab expulſione à natura facta ad emunctoria degrauante ſe ab humoribus febrem, vel aliquem alium morbum facientibus; conſiderandum ſi huiuſmodi criſis fuerit perfecta, nec ne, ſi natura perfectè per bubonem morbum iudicauerit, & perfectè ægrum à morbo liberauerit, tunc *Hippocratis ſententiam ſequi debemus*, dicentis, 1. *aph.* 20. *Quæ decernuntur, decretaque ſant iuſtè, nec mouere, nec aliud quidpiam nouare, ſiue medicamentis, ſiue alijs irritamentis fiat, ſed omittere oportet.*

Cur in criticis à bonibus quam commouendũ?

Et lib. de humoribus, etiam dixit, *Quæ perfectè iudicantur, ne moueas nec medicamentis, aliſſue irritamentis, quicquam moueri moliaris.*

Cauſa eſt hæc, quoniam ſi aliquod medicamentum ægrotanti præbeas, cum natura ſeſe à prauis humoribus exonerauerit, bonos educes, vel irritamento natura ad aliquam immoderatam euacuationem ſtimulatur, & ſic vires cum maximo ægrotantis vitæ diſpendio proſternes, & ideò neque medicamenta, neque irritamenta ferre poteſt.

In tali ergo caſu rorum negotium naturæ permittendum; Num verò ſit perfecta criſis, ex ſignis ſuperiùs dictis dignoſci poteſt, & æger ab initio à morbo liberabitur. Si criſis perfecta non fuerit, & natura perfectè per bubonem morbum non iudicauerit, *Gal. comm.* 20. 1. *Aph. & 2. de humoribus*, inquit, *Nos debere opera naturæ ſupplere, & ita addere, quod ad perfectam criſim deeſſe videtur, ne morbi recidiua fiat iuxta illam aphoriſticam Hippocratis ſententiam*, dicentis, *Quæ poſt criſim relinquuntur, recidiuos morbos facere, conſueuere, cum Medicus ſit naturæ auxiliator.* Attrahendus ergo eſt humor ad glandulas; *ex Hippocratis ſententia* 1. *Aph.* 21. dicentis, *Quæ educere oportet, quò maxima vergere videbuntur, ducito vijs, ac locis vtiliter conferentibus, & hoc aſſequemur applicatione cucurbitularum, vel attrahentium medicamentorum*, vt inquit *Auicena*, *Cucurbitulæ ergò ſiccæ competunt, & ſcarificatæ, quoniam ſi ſcarificentur maiorem attractionem facient.* Medicamenta attrahentia ſunt diachilon cum gummis, reſina pini, ſapo niger, fermentum ſimiliter cum veteri ſuilla axungia, vel vrſino, vel leonino adipe, & alia medicamenta inferiùs in venerei, & peſtilentis bubonis curatione deſcripta.

De Gallici, ſiuè venerei Bubonis Curatione.

IN venereo, ſiuè gallico bubone nunquam repellentibus vti debemus, neque reſoluentibus, ſed omni opera curandum, vt ſuppuret, cum in dies videamus, quòd ſi hi bubones matureſcant, & ad ſuppurationem deueniant ſæpè ægrotantes à venerea lue euadere. In ijs verò, in quibus, vel repellentibus, vel reſoluentibus vtimur in venereum luem incurrere, & cauſa eſt, quia repellentibus materiam infectam, quam natura quærit expellere ab intimis, ac præcipuis partibus ad æſtimas, & ignobiles, retrudimus; Reſoluentibus verò ſubtiliores partes euacuamus, & craſſiores intùs remanent, ibique concreſcunt. Ad ſuppurationem igitur huiuſmodi bubones pro viribus perducere debemus, vt non ſolùm ſubtilis materia contagioſa, ſed etiam craſſa, & non ſolùm contagioſa, ſed quiuis humor in corpore redundans, commodè euacuari poſſit.

Eadem etiam de cauſa, neque venæ ſectio à principio facienda.

Neque dandum medicamentum purgans, ne naturæ motus impediatur.

Attrahentia ad affectam partem,

Si verò natura ad expulſionem tardior, ac imbecillis videatur. Attrahentibus eſt adiuuanda, vt fomento aquæ, & olei calentibus, vel decoctione lilij, malux,

coierit, Maleficus autem, curatuque difficilis, cum altiùs radicibus actis in cutem erumpit, *Gal. lib. 5. de comp. med. S. L.* inquit, *Nonnulli quidem furunculi, Varosi, Duri, & ægrè coctiles; Alij verò inflammati, quibus aliquandò febres consistunt, & tumor excrescit in magnitudinem, & in pus transmutatur.*

Pars in furunculis affecta, vt plurimùm est cutis, & aliquandò partes cuti subiectas occupat, vt inquit *Gal. lib. de tumoribus præter naturam, & Paul. lib. 4. cap. 23.* Furunculus in carnosis partibus plerumque proueniat.

De Furunculi causis.



Furunculi causæ plures sunt, vt de alijs tumoribus diximus, idest externæ, & internæ; Externæ sunt victus, ratio, & aer, præsertim in epidemicis.

Internæ etiam duplices sunt, antecedens, & coniuncta causa furunculi. Antecedens est sanguis ille rasus in corpore genitus, qui aptus est à natura ad extremas corporis partes transmitti, & furunculos parere. Coniuncta causa est ille crassus, & vitiosus sanguis, qui actu furunculos efficit.

Quòd verò ex tali materia fiant furunculi, dixit *Gal. 5. de comp. med. S. L.* inquiens, *Furunculi fiunt ex crasso sanguine, & vitioso, non perindè tamen, atque in carbunculo exusto, quem à reliquo partiore natura se exercens, tanquam infensum, atque inutilem in corporis summa propellit.*

Quo circà, vt phlegmone multitudinis, sic furunculus chachochimiæ soboles est, & *Paulus loco superiùs citato*, inquit, *Furunculus fit ex crassis humoribus; Epidemici etiam furunculi ex crassa materia fiunt, sed maligna, & venenosa.*

De Furunculi signis.

Signa furunculi sunt exigua ab initio inflammatio cum pustula, & vessica sensim increscens cum dolore, & rubore, dum statim attigerit, qui qui circa octo, vel nouem, vel decem dies absoluitur tuberculum in acutum tendit, & columbini oui magnitudinem non excedit: aliud signum adiungit *Celsus*, dicens, *Qui vbi suppurauerit, & adapertus est, & exit, super adapparet pars carnis in pus versa, & pars corrupta subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant.*

Signa furunculi epidemici, & pestilentis ex venenosa materia prouenientis, sunt, quòd huiusmodi furunculus est niger, vel viridis, venæ etiam multoties circa locum apparent, adest pestifera febris, & alia praua symptomata.

Differt furunculus à phymate, quia minor est, & acutior, & rubentior, & dolore grauior; Differt etiam à simplici carbunculo, quia hic non suppurat, & furunculus ad suppurationem venit. Differt à phlegmone paruitate, ac materia, quia phlegmo à probo sanguine oritur, furunculus verò à crasso, & vitioso.

De Furunculi prognostico.

Cornelius Celsus lib. 5. cap. 28. inquit, *In furunculo nullum periculum est, etiam si nulla curatio adhibeatur, maturescit enim per se, atque erumpit, sed dolor efficit, vt potior medicina sit, quæ maturius liberet.*

Dicendum ergò, quòd furunculus periculo vacat, nisi epidemicis temporibus in carbunculum, aut antracem degeneret.

Similiter ratio fit, vt furunculus solitarius erumpat, sed ferè multis corpus scater, atque inquinatur.

Hipp. 6. epid. sect. 1. inquit, *Ex tuberculis autem incolumiora sunt, ac minùs verenda, quæ extrà extuberant, & acutæ sunt fastigiata, & æqualiter maturescunt non dura, neque bifida, sed deorsùm vergentia.*

De Furunculi curatione.

IN furunculi curatione tres intentiones habere debemus; Prima in victu, & alijs nonnaturalibus rebus conſiſtit; Secunda in antecedentis materiæ euacuatione; Tertia in coniunctæ materiæ correctione, ideſt circa localia conſiſtit.

Circa primam, & ſecundam intentionem idem faciendum eſt, quòd in aliarum inflammationum curatione dixmus, cum dicit *Galenus 5. de comp. med S.L. Curatio furunculorum, vt plurimùm eadem, quæ inflammationum exiſtit.*

Circa tertiam intentionem, cum à craſſa materia furuncli proueniant, numquam repellentibus vti debemus, ſed vt inquit *Gal. 3. de naturalibus facultatibus*, Furunculus coquendus appoſitione frumenti, ieiuno ore manſi, & ad cataplaſmatis formam redacti, & applicati, quod etiam inquit *Paul. loco citato*, vel diachilon cum gallinaceo, vel anſerino adipe, applicabis, vel

℞. Vuas paſſulas exceptis acinis, & cum ſale ad cataplaſmatis formam redactis & applica, vel

℞. Vuarum paſſularum mundatarum vnc. 2. caricarum pingu. num. 2. ſeminis, vel radicis bugloſſæ vnc. 5. ſalis dragm. 2. mellis q. ſuff. M. & S. A. fiat cataplaſma, vel

℞. Caricarum ping. num. 6. farinæ ſeminis lini vnc. 2. foliorum, vel radicum bugloſſæ M. S. fermenti, pollinis an. vnc. 5. nitri dragm. 1. butyri recentis vnc. 3. coquantur coquenda in mulſa, & contundenda contundantur, & S. A. fiat cataplaſma, vel

℞. Picis nauallis vnc. 1. adipis ſuilli vnc. 5. adipis taurini, Oeſopi an. vnc. 2. reſinæ pini vnc. 5. omnia ſimul liquentur, & adde ceræ vnc. III. M. & S. A fiat ceratum.

Si verò dolor vrgeat, & materia ſuppurationi ſit rebellis, ſequentibus vtere.

℞. Rad. liliorum alborum vnc. 2. foliorum maluæ, violarum an. M. 1. coctis, ac contuſis, adde farinæ tritici hordei an. vnc. 1. pinguedinis ſuillæ vnc. 5. butyri recentis vnc. II. vitellorum ouorum num. 2. M. & S. A. fiat cataplaſma, vel

℞. Radicum bugloſſæ vnc. 1. liliorum alborum vnc. 2. foliorum maluæ, violarum, branchæ vrſinæ an. M. 5. M. & bulliant in iure capitis veruecis, poſtea contundendæ, & adde farinæ hordei, ſeminis lini an. vnc. 1. S. axungiæ ſuillæ non ſalitæ pulli, butyri recentis an. vnc. 1. vitellorum ouorum num. 1. croci G. 6. olei violacei q. ſuff. M. & S. A. fiat cataplaſma.

Aperto furunculo fiat huiuſmodi deterſiuum, ſiuè mundificatiuum.

℞. Reſinæ thereb. vnc. 1. vitellorum ouorum num. 1. ſucci apij dragm. 3. pulueris thuri dragm. 2. farinæ hordei dragm. 1. S. mellis roſacei q. ſuff. S. & fiat in vng. formam.

Poſt mundificationem carne repleatur, & tandem cicatrix inducatur.

Si verò ex venenoſa materia proueniat furunculus; Curandum, vt venenoſa materia foras extrahatur, cum applicatione cucurbitularum, ſcarificatione, & alijs ſuperiùs dictis; Deindè prædicta maturantia applicanda, & facta maturatione aperiatur, vel ferro, vel medicamentis ſuperiùs dictis, deindè curetur vt ſupra.

De Epinyctidis. *Cap.* 10.

EPinyctidis, vt inquit *Celſus lib 5. cap. 28 & Paulus lib. 4. cap. 9. & Aetius ſerm. 14. cap. 61.* Eſt puſtula peſſima, colore ſubliuida, vel nigra, vel rubicunda, vel alba; circa quam vehemens inflammatio ſuboritur cum ingenti dolore noctu magis affligens, & cum adaperta eſt; intus mucoſa exulceratio reperitur. Color eſt humori ſuo ſimilis, & ab ea ſub cruenta ſanies emanat. Dicta verò à Græcis fuit Epinyctis, quia ferè ſemper noctu oritur, Arabes, eſſere, ſere, vel laire appellarunt.

Affectæ partes ſunt eminentes corporis partes.

Si quis verò dicat *Hipp. 2. Aph. 29.* inquit, *Cum morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue.*

Respondendum, quòd *Galenus in illius Comm.* inquit, *In mortiferis morbis non est vena secanda.*

Si quis dicendo obijciat virtutem esse debilem, aut videri propter grauitatem, & copiam humorum, ergo materia est euacuanda,

Virtutis debilitas, ex quibus fiat.

Respondendum, quòd in bubonis principio adest virtutis debilitas, quæ tribus de causis aduenit: Primùm euenit ex grauitate, & humorum copia, quæ calorem suffocat, sicuti lucerna ex olei copia suffocatur,

Secundò fit propter resolutionem, quæ accidit, quandò humiditas deficit, qua partes aluntur, aut si talis humiditas adsit, est corrupta, & praua, vt contingit in hydrope, in qua naturalis humiditas absumitur, humiditas verò excrementosa redundat,

Animaduertendum etiam, quòd quamuis in corpore adsit sanguis, nisi is sit bonus pro corpore nutriendo, tamen fit virium resolutio.

Tertia causa est, quòd in corpore est venenosus affectus, qui virtutem afficit, & corpus corrumpit, & sic huiusmodi affectio cor potens corrumpit.

His ergò præsuppositis, dicendum, quòd inchoante bubone adest virium debilitas, quæ ex omnibus illis causis contingere potest, quoniam sanguine per contagium affecto, ratione contagij, etiam cor afficitur, & ideò necessariò vires conlabuntur. Sed deficientibus viribus non conuenit phlebotomia, & ratio est, quia illa grauitas est ob cachochymiam, & tunc non conuenit venæ sectio,

Si quis dicendo obijciat, optimus sanguis præcessit, ergo plenitudo, ergo vena secanda,

Respondendum etiam si plenitudo præcesserit, & bonorum humorum copia, non conuenit phlebotomia, & ratio est, quia ex contagio bona sanguinis pars corrumpitur: At phlebotomando naturalem calorem iugulamus.

Si iterùm dicendo obijciat. Si totus sanguis esset corruptus, non ne esset vena secanda.

Respondendum, quòd sic, sed hoc difficulter accidit, ideſt, quòd totus sanguis putrescat, & stet vita, dato quod corpus secundis humiditatibus possit nutriri.

Dico ergo, quòd in corruptione illa totius sanguinis phlebotomia conuenit, verum credo, quòd cum tali habitu non stet vita. Ratio est, quia euacuata illa materia, natura alleuiata criticè operatur, & expellit. Sed cum natura transmittit materiam ad inguina, tunc inchoante bubone non debemus sanguinem mittere, quia tunc natura criticè operatur, sed debemus med. & antidotis euacuare, vt docet *Gal. 9. simpl. cap. de terra, vbi loquitur de Armenica Gleba.*

Concludendum ergò, quòd venæ sectio in pestilenti bubone non conuenit propter virium imbecillitatem, quæ oritur ex infectione, quæ per contagium primum fit in sanguine, deindè in corde, & ideò necessariò vires prosternuntur. Non competit etiam, quia naturam à proprio opere impediremus, quæ expellere quærit criticè, quòd sibi noxium est.

Solutiones rationum aduersariorum.

Aduersariorum verò rationes ita solui debent, ad primam negatur, quòd morbi magnitudo venæ sectionem indicet, & ratio est, quia si aliquo morbo parum sanguinis extrahatur, tunc illa venæ sectio non indicat magnum morbum, quia si magnus morbus indicat magnum auxilium, tunc phlebotomia debet esse cum magna sanguinis copia, & hoc modo *loco citato Galenus intellexit.*

Si quis dicat, quòd in pestifero bubone praua adest materia, quæ resistuum humorum corrumpit, ergo vena secanda est.

Respondendum, quòd Galeni authoritas vera est, sed *Gal. lib. de curandi rat. per sangu. miss. cap. 9. & 2. aph. 29. intelligit, si vires constent.*

Ad secundam, respondetur, quòd quandoque aliqui corripiuntur bubone pestifero sine febre, vt testatur *Gal. 3. epid. comm. 59. & 9. simpl. cap. de terra Samia, ergo ratio illa nulla est.*

Ad tertiam, dicendum, quòd falsum supponunt, quòd pestilens febris semper sit ex obstructione, immò quandoque ex pororum dilatatione fit,

Ad Quartam, dicendum, quod ad venæ sectionem faciendam non solùm satis est sanguinis copia, ac abbundantia, sed

opus est, vt virium adsit robur, quòd in huiusmodi bubonibus deest, ergo non facienda.

Ad Auicenæ authoritatem, dicendum, *quòd hæc Authoritas suspecta est.*

Ad Rhasis authoritatem dicendum, *quòd liber ille non est Rhasis, qui continentis librum scripsit, sed alterius Rhasis, & idèo hæc authoritas nihil valet.*

Ad alias authoritates, dicendum, *quòd hi Authores sunt locuti de præseruatione à peste, & non de curatione, cum multum distet.*

Præseruatio à curatione, & sic Authoritates, & Aduersariorum rationes soluuntur.

Cur à purgantibus abstinendum?

In pestifero bubone curando purgatio similiter est periculosa, quia purgantia à principio exhibita valdè naturam turbant, & vires in tali bubone sunt debiles, & huiusmodi medicamento natura à proprio opere etiam distraheretur. Aliqui verò purgantia medicamenta concedunt, his peccantes humores euacuando, cum dicant virium imbecillitatem prouenire ex humoribus peccantibus, & mala qualitate affectis; Sed credo, quòd melius sit, ab his se abstinere.

Cor verò roborari, ac confortari debet potionibus, antidotisque veneno resistentibus, similiter epithematibus, pulueribus cordialibus, vnguentis, electuarijs, & alijs in cura carbunculi superiùs dictis.

Si aliquod symptoma ægrum affligat, vt sitis debemus iubere ne supinus, neque aperto ore iaceat, quia talis arsio pessima euadit, & medicamenta in carbunculi curatione dicta offerenda, vbi etiam pro diuersis symptomatibus diuersa præsidia sunt descripta, & inferiùs describentur dante Deo, vt in erysipelatis curatione.

Attrahentia.

Circa quartam intentionem, omnibus viribus curare debemus, vt veneficam materiam ad emunctorij partem attrahamus, quòd fit vesicantium medicamentorum applicatione, cucurbitularum siccarum, & scarificatarum, hyrudinibus affectæ parti, vel illi propinquis adhibitis, vel infrascriptis cataplasmatibus.

℞. Caricarum ping. num. VI. passularum vnc. 5. salis fossilis dragm. II. nigellæ dragm. I. olei chamomelini q. suff. M. & S. A. fiat in emplastri formam, & calidum buboni superponatur, vel hoc, quòd efficaciùs operatur,

℞. Cæpam magnam, & eius capite amputato, eam excauato, & posteà reple theriaca, adiectis parùm saluiæ, & rutæ succis, & foramen cepæ luto obture, & posteà sub prunis optimè coque, & quando fuerit cocta, eius cortices auferantur, & subindè in mortario contundantur, & cum ad emplastri consistentiam fuerit redacta, calida buboni imponant, vel

Farinæ fenugræci, seminis lini, florum chamomelini an. vnc. 5. radicum altheæ, liliorum alborum an. vnc. I. caricarum ping. num. VI. foliorum dictamni veri dragm. III. radicum valerianæ dragm. II. seminis sinapis dragm. I. 5. simi columbini vnc. 5. oleorum chamomelini, lileacei an. vnc. I. 5. M. & S. A. fiat catapl. vel

℞. Diachilonis simpl. vnc. II. ammoniaci, galbani an. vnc. I. contusis omnibus redigantur in emplastri formam, & superponantur, vel

℞. Farinæ seminis lini, florum chamomillæ an. vnc. II. caricarum pinguum. 10. simi columbini M. I. axungiæ suillæ parum, olei anethini, vel chamomelini, vel liliorum q. suff. M. & S. A. fiat catapl. vel

℞. Meliloti, fenugræci, seminis lini an. vnc. II. sinapis vnc. I. succi lapatij, olei chamomelini, vel anethini an. qu. suff. M. & S. A. fiat cataplasma, vel

℞. Farinæ cicerum lupinorum, seminis lini, florum chamomeli an. vnc. I. apij M. I. squillæ parum, simi columbini M. 5. olei chamomelini, vel anethini q. suff. M. & S. A. fiat cataplasma,

Vel alijs calidissimis medicamentis valentioribus ad emunctoria venenosa materia est attrahenda, vt sunt cantharides, succus tithymali, ranunculus contusus, & appositus, vel flammula.

Vbi satis materia fuerit attracta, nec amplius suspicio sit, vt venenum introrsum reuertatur, maturatiuum medicamentum applicandum, vt attracta materia ad maturationem perducatur, quod fit emplastrum infrascriptis.

℞. Ra-

Maturantia medicamenta.

℞. Radicum altheæ coctarum, & per cribrum transmissarum vnc. 1. butyri recentis, axungiæ suillæ an. vnc. v. res. thereb. vnc. 5. croci scordei an. scrop. 5. M. & S. A. fiat catapl. vel

℞ Radicum altheæ per cribrum transmissarum vnc. 11. foliorum maluarum vnc. 1. cæpe liliorum vnc. 5. dictami, scordei an. dragm. 1. 5. M. & S. A. fiat catapl. & dicta catapl. vel similia ter saltem in die, ac nocte renouari debent, cum his tumoris venenum attrahatur, & quantò magis permutantur, tantò melior fit attractio. Vbi maturauerit statim aperiendus, & priùs quàm omninò matureſcat, cùm pestiferi tumores priùs quàm ex toto matureſcant, sint aperiendi, quum quàm citissimè fieri possit, venenum sit educendum, vt aperiatur, ergò imponendus subindè fimus anserinus cum oleo communi, vel chamomelino dissolutus, vel causticis vti licet medicamentis, aut instrumento aureo, vel chalibeo ignito sectio, ac inustio facienda; inustione, ac apertione facta superponenda est theriaca, vel mytridatum emplastri modo, vel aliquod ex medicamentis in carbunculi curatione dictis.

Apertio, quandò faciendà?

Et huiusmodi bubo, quantum est possibile apertus est seruandus, ne ob principalium partium transmissionem recidiua fiat, & rectè mundificandus ab omni sorde, res. thereb. cum melle, & scordeo, quod maximè pestilenti putredini resistit. Cessante posteà materiæ fluxu sarcoticis sinus carne replendus, & tandem epuloticis consolidandus.



De Phymate. *Cap.* 8.



Hyma est nomen commune tàm Latinis, quàm Græcis, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. & 13. method. Phyma est tumor glandularum, qui statim augetur, atque ad suppurationem festinat.*

Phyma ergo est tumor adenum simplici phlegmone, atque phygethlo aliquantò minor, ac planior, & minùs rubens, ac dolens.

Affectæ partes sunt glandulæ, siuè adenæ.

De Phymatum causis.

CAusa phymatis est sanguis non sincerus, sed pituitosus, & ideò ex hoc oritur, quòd inflammatio sit minùs molesta, quàm phlegmonis, & ratione etiam pituitæ facilè putrescentis, citò ad suppurationem perducitur, & ideò phlegmonis oedematosi est princeps.

De phymatum signis.

SIgna phymatum sunt, quòd huiusmodi tumores in glandulosis partibus eueniunt, & tumor est planus, rotundus, nec multum eleuatus, parùm rubens, & ferè doloris expers; statim etiam augetur, & ad suppurationem citissimè festinat.



De Phymatum prognoſtico.

Cornelius Celſus lib. 5. cap. 28. inquit, *Phyma ſæpè in pueris naſcitur, & facilius tollitur, in iuuenibus rarius oritur, & difficilius curatur, vbi ætas induruerit, ne naſcitur quidem, & nullius eſt periculi.*

De Phymatis curatione.

IN phymate curando tres intentiones habere debemus; Prima, conſiſtit in bona ſex rerum nonnaturalium inſtitutionum; Secunda, in peccantium humorum euacuatione; Tertia, in topicis verſatur.

Circa primam, & ſecundam intentionem, quicquid in phygethli curatione inſtitutum fuit, faciendum eſt.

Pro tertia intentione conſequenda, loco affecto pus mouentia imponenda ſunt naturæ morum imitando, iuxtà illam Hippocratis aphoriſticam ſententiam primi libri; Quo natura vergit per loca conuenientia, ibi ducere oportet, vtque inquit Oribaſius; pus mouentia huiuſmodi ſunt,

Pus mouentia.

℞. Radicum altheæ, atriplicis, parietariæ, adianti an. M. 5. M. & vino coque, & contunde, & calidum applica, vel

℞. Ammoniaci in melle emolliti, & appone, vel infraſcriptum, quòd maximè ad diſcutiendum, & ſuppurandum valet.

℞. Corticum radicis capparis vnc. 1. 5. caricarum pingu. num. 10. farinæ lupinorum vnc. 11. fermenti acris vnc. 5. M. & coque in aceto, & oleo liliaceo, vel amigdalino dulci ad aceti conſumptionem, deindè contundantur, & cribro traijciantur, & adde nitri dragm. 111. & fiat cataplaſma, & ſi cæpam addideris, magis ſuperabit, vel infraſcriptum apponatur, quòd diſcutit, ac emollit.

℞. Ammoniaci bidellij an. vnc. 1. 5. ladani puri, res thereb. an. vnc. 1. propolis, olei antiqui an. q. ſuff. aceti modicum M. & ſimul eliquentur, & S. A. fiat empl.

Suppurato phymate, vt Galenus inquit, non ſtatim ad inciſionem deuenien-dum eſt, ſed vtendum diſcutientibus, quo in caſu Sextus Simplitius laudat abrotanum tritum, farinam hordei, vrticam parietariam, radicum altheæ, & ammoniacum melle emolitum.

Niſi verò pus diſcuti, ac reſolui poſſit, ferro, vel cauſtico aperiendum, & ſicuti de phygethlo, & bubone diximus, curandum.

De Furunculo. *Cap. 9.*



FVrunculus à Latinis dictus, à Græcis Dothien vocatur. *Quod nomen?*

Furunculus eſt tuberculum in acumen protuberans cum inflammatione, & dolore, oui columbini magnitudine excreſcens, dicitur verò tuberculum à ſimilitudine tuberis, quòd in terra naſcitur. *Quod rei?*

Cornelius Celſus lib. 5. cap. 28. ſic etiam definiuit, dicens, *Furunculus eſt tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximèque, vbi iam in pus vertitur.*

Species furunculi plures ſunt; Alius enim eſt benignus, ac mitis, qui ſolùm cutem obſedit: Alius malignus, qui altius deſcendit, vt inquit *Galenus libro de tumoribus præter naturam, Ex malignis furunculis, & alij ſunt peſtilentes.* *Furunculi ſpecies.*

Alij verò non. Qui verò peſtilentes, ac epidemici ſunt, vna cum peſtilenti febre eueniunt, & peſſimi ſunt; *Paulus ſimiliter lib. 4. cap. 23.* inquit, *Furunculorum, alius eſt clemens, alius maleficus;* Clemens quidem cum in ſola cute coierit,

maluæ, altheæ, violarum semini, & fenugræci, vel cucurbitulæ affigantur, vel aliquod ex infrascriptis medicamentis superponatur, & corpora etiam maximè exerceri debent.

℞. Emplastri diachilon. Freati vnc. 4. res. therebentinæ drag. 1. amurcæ, olei liliorum an. vnc. 1. 5. M. & S. A. fiat ceratum, vel

℞. Diachilon magni cum gummis vnc. 4. cum oleo irino q. suff. M. & F. ceratum, & si galbani drag. 1. addatur, magis attrahet, vel

℞. Ammoniaci, bidellij in acri aceto dissolutorum an. vnc. 1. res therebentinæ lotæ vnc. 1. 5. florum chamomeli, sambuci an. pug. 5. pulueris iridis florentinæ vnc. 5. olei chamomelini, vel liliacei q. suff. M. & S. fiat cataplasmatis forma.

Sapo etiam niger pertinaces bubones trahendo ad suppurationem perducit.

Attracta materia curandum, vt quam primùm suppuret, medicamentis ad id aptis, quorum formulas in superioribus descripsimus.

Suppurato huiusmodi bubone potiùs ferro, quàm causticò aperiendus.

Neque valdè lata apertio fiat, ne pars debilitetur, neque ferrum altiùs immittendum, ne purgatur arteria, vel vena, quæ sub illis glandulis pertranseunt, & apertio fiat, vbi pus continetur, sed in loco decliuiori, vt facilius pus expurgari possit; Deindè detergendus, & apertus seruandus, quousque purgetur, idest spatio quindecim, vel viginti, vel triginta dierum, pro maiori, vel minori copia, vbi debito tempore apertus seruatus fuerit, carne replendus, & cicatrix obducenda.

Sed animaduertendum, quòd antequam ad cicatricem huiusmodi bubo perducatur, nisi quid obstet, vt fiat venæ sectio, & purgatio pro humorum redundantium natura, & optima victus ratio instituatur, alioquin ægro in venereum morbum incidendi periculum imminet. Quæ etiam competunt, quandò diù frustrà suppuratio tentata fuerit.

Si verò huiusmodi bubones ita sint contumaces, vt nullo pacto dictis præsidijs ad suppurationem deduci possint, & frustrà omnia fuerint tentata, & diutiùs bubones in eodem tenore perseuerant, tunc causticum medicamentum applicandum, vt quid funiculo simili excitetur, per quod non solùm materia in bubone contenta, sed etiam totum gallicum virus commodissimè purgari potest, & postremò ad purgationem, & ad alia vniuersalia deueniendum.

De pestilentis Bubonis curatione.

IN pestilenti bubone curando quatuor intentiones habere debemus: prima in sex rerum non naturalium institutione consistit: Secunda in cordis roboratione: Tertia in symptomatum lenitione, ac correctione: Quarta, circa localia, ac venenosam materiam attrahentia, ac euacuantia consistit.

Primùm igitur, si aer sit corruptus, relinquendus, & in sanum prodeundum, nisi fieri possit, est corrigendus; Cum extrinseca causa semper sit corrigenda, vt inquit *Gal. 1. de differentijs febrium cap 4. Corrigitur verò lignorum odoratorum incisione, cum ignis mirum in modum aerem emendandi, ac corrigendi vim habeat, vt fieri tussit Hippocrates in magna illa Atheniensium peste, vt narrat Galenus libro de theriaca ad Pisonem cap. 17. Et si his lignis careamus, aerem rerum odoratarum incendio rectificare debemus, ex quo odore etiam spiritus recreantur, ac reficiuntur, quale est huiusmodi.*

℞. Corticum malorum apiorum, vel communium, cotoneorum, corticum citri an. vnc. 5. santalorum omnium, rosarum rubearum, caphuræ, charabæ an. drag. 1. foliorum myrti, fructum myrt. an. vnc. 5. maceris, ladani an. drag. 1. seminis florum violarum vnc. 1. nucum cupressi vnc. 2. tritis terendis, M. pulueres cum pice colophonia, & mastice ad ignem, & S. A. fiant pastilli.

Vel super carbones infrascripti pulueres aspergantur.

℞. Roris marini M. 5. saluiæ, bettonicæ, absinthij, maioranæ, origani, an. M. 1. & omnia terantur, & fiat puluis, vel

℞. Baccarum iunepri vnc. 1. myrrhæ drag. 3. thuris, mastices an drag. 3. seminis radicis gareophillatæ dragm. 1. rutæ vnc. 5.

corti-

corticum cupressi dragm. 1. seminis radicis angelicæ satiuæ lauendulæ aa. vnc. 1 ½. tritus omnibus fiat pulvis.

Papaueres super carbones imponant baccas iunepri, vel iuneperina ligna fissa. Diuores possunt etiam super carbones aspergere lignum aloes, puluerem gallitæ muich. gareophillorum, & similium.

Cubiculus similiter sæpè aqua rosacea, vel aceto rosaceo aspergatur.

Victus sit ex cibis boni succi, & facilis concoctionis, qui bonum procreent sanguinem, & putrefactioni resistant, cum quibus semper misceendus succus limonum, vel mali citri, aut malorum aurantiorum, aut omphacium, aut acetum; competit ergo ius paruæ pullæ, perdicum phasianorum, veruecis hedorum, & aliorum consimilium, auiculæ montanæ, oua sorbilia, & tremula, vt inquit Rhasis, & Serapio, qui in febris pestilentis curatione oua ob putredinis malitiam concedunt.

Et huiusmodi victus tenuis esse non debet, quia statim vires colliduntur, & quia etiam ferè totus sanguis corruptus est, & ideò nouorum spirituum refectione egemus, vt vires conseruare, ac fouere possimus. Conuenit etiam coquere cum ferculis, & carne, holera acetosa, vt calendula, betonicam, acetosam; Cortice citri contriti etiam vtiles sunt, vt flores eius, aut auranticorum similiter conditi, cum hæc omnia putredini resistant: Panis sit optimus, & biscoctus, si digeri possit, melior est. Potus sit aqua, in qua incoctum sit cinamomum, vel coriandulorum semina cum syrupo de succis limonum, vel de acredine citri, vel acetoso simpl. Victus ergo ratio sit exsiccans, robora ns, refrigerans, vtque putredini resistat.

Circa somnum, & vigiliam, secundum quod varijs symptomatibus æger fuerit correptus, modò somnus, modò vigilia imperanda. Cum ergo caput repletione, aut torpore afficitur, tunc somnus non competit, sed vigiliæ imperandæ; Si verò adsint vigiliæ, & deliria, & alia similia, tunc somnus est vtilis, & ideò modò somnus, modò vigilia, secundum dispositionum diuersitatem conuenit.

Quies imperanda, cum motus spiritus calefaciat, animi passiones, quantum fieri potest, deuitentur. Aluus quotidiè, si vires fuerant, euacuetur, aut saltem alternis diebus cum clisteribus, & venus, sicuti mors deuitanda.

Circa venæ sectionem, vtrum in pestifero bubone competat, nec ne, magna inter Authores est dissensio, & pro parte affirmatiua ita arguunt. *Vtrùm in pestifero bubone venæ sectio competat. Pro parte affirmatiua.*

1 *In omni morbo magno est mittendus sanguis*, vt inquit, *Hipp. 4. Acut. text. 19 & Gal. de curandi rat. per sanguinis miss. cap.*

Bubo est morbus magnus: Ergo venæ sectio conuenit; Secundò arguunt.

2 *In omni febre putrida conuenit venæ sectio*, vt inquit *Galenus 2. method. cap. 14. 9.*

Sed in bubone semper est febris putrida; Ergo necessariò vena secanda est.

3 *Ex corrupto item ambiente non solùm corruptio sanguinis communicatur, sed etiam labes ista obstructionem efficit, qua talis corruptio fouetur. Sed febris ex obstructione pro eius remotione, vt quantitas minuatur; Phlebotomia eget*, vt inquit *Gal. 8 meth cap 4.*

Sed talis obstructio datur in bubone; Ergò vena secanda est.

4 *Phlebotomia saltem conuenit, cum apparent signa sanguinis prædominantis. Quòd dignoscitur ex vrina crassa opaca, & rubea, aut ex præcedenti pleno victu; Sed huiusmodi signa in bubone sæpè apparent.*

Ergo in bubone, quandò talia signa apparent, venæ sectio conuenit.

5 *Similiter omnes infrascripti Authores in pestifera febre venæ sectionem iubent. Sed pestiferus bubo cum pestifera febre semper est coniunctus; Ergo in pestifero bubone venæ sectio competit.*

Anic pr. 4. Rhasis in lib. de peste cap. 6. Paul. Aeg. lib. 2. cap. 36. & Auenzoar lib. 3. Theyssr num. 3. hanc opinionem confirmant.

Rationes pro parte negatiua, ideſt, quod in pestifero bubone venæ sectio non competat. *Rationes pro parte negatiua.*

Vbi adest bubo, non adsunt vires; Vbi vires non adsunt, venæ sectio non competit; Ergo venæ sectio omittitur causa bubonis per accidens, per se verò ratione virium, quòd etiam Aduersarij concedunt.

Si

De Epinyctidis causis.

EPinyctis fit ex exusto sanguine; sed nullius pestilentiæ particeps, qui sanguis exustus ex externa, procatartica causa, vt ex erroribus in sex rebus nonnaturalibus commissis, vel ex interna, vt ex hepate nimis calido prouenire potest.

De signis Epinyctidis.

EPinyctidis signa sunt, quòd istæ pustulæ sua sponte surgunt, colore sunt rubicundæ, vel subliuidæ, vel subnigræ, vel albidæ, noctu graui dolore affingunt, interdiù verò non magnoperè cruciant, & ratio est, quòd noctu pori clauduntur aeris frigiditatis causa, cuius ratione materia retinetur, & ideò cùm exire non possit, dolorem efficit. Dolor similiter est maior, quam pro eius magnitudine; Cum faba maior non sit, sponte exulceratur, & cum rumpitur, mucosam exulcerationem efficit, & ab eo subcruenta emanat sanies, & carbunculi speciem repræsentat, sed eius pustula minor est, quemadmodum, & tumor, ac etiam leuior existit, cùm nullius pestilentiæ sit particeps.

De Epinyctidis Prognostico.

HÆ Pustulæ maximè eueniunt in puerili ætate, rarò in medio corpore, sæpè in eminentibus partibus, & Verno tempore, vt inquit *C. Celsus loco citato, & nullius sunt periculi, nisi in curando error aliquis committatur, quamuis prauos humores in corpore redundare indicent.*



De Epinyctidis Curatione.

TRES intentiones in epinyctide curanda habere debemus, prima in sex rebus nonnaturalibus consistit. Secunda in antecedentis materiæ euacuatione. Tertia circa localia, siuè topica, dicta, versatur.

Circa primam intentionem, inquit *C. Celsus, & alij Authores.*

In omni pustularum curatione, primum est multum ambulare, atque exerceri, & si quid ista prohibeat, gestari secundum est cibum minuere, & ab omnibus acribus, acidis, salsis, & extenuantibus se abstinere, fomentatio item, & lauacrum, & insolatus interdicuntur, eædemque nutrices facere oportet, si lactans puer ita affectus est.

Circa secundam intentionem, nisi quid obstet, vena secunda est, ac etiam si humorum chachochimia adsit, purgatio facienda.

Pro tertia intentione consequenda, Paulus, & Aetius locis superiùs citatis, liquorem laserpitij, aqua dilutum laudant vim absque erosione siccet, vel cicutam leuigatam, vel brassicam crudam cum aqua, vel apium cum polenta contrita, vel folia herbæ appollinaris cum melle leuigata, vel solanum ex se ipso, vel cum coriandro viridi mixto, vel viuæ folia cum aqua decocta, vel ad antum cum melle tritum, vel vuas passulas mundatas, & contusas superpone, vel plantago contrita, vuæ passulæ cum ruta, & cucumeris sativi folia cum aqua; Egregiè prodest calx cum oleo ad mellis consistentiam subacta, aut

℞. Sulphuris viui, spumæ argenti, an. part. equ. cum vino, q. suff. terito; Lenticula item cocta, & emplastrum è pollinæ tritici vtiliter imponitur. Post lenticulæ appositionem: herba, quæ sanguinalis, vel viridi coriandro curatur, inquit Celsus.

Vlcera ex pustulis facta tollit argenti spuma cum semine fenugræci mixta sit, vt his inuicem rosa, atque intubi succus adiectus, donec mellis crassitudo fiat,

Post

Poſt epinyctidis igitur excoriationem liquida emplaſtra conueniunt, & caue ne acria, acida, aut ſalſa adhibeas, vt *Aetius* inquit.

De Thermintho. *Cap.* 11.



Erminthus tuberculi ſpecies eſt, & epynictidi ferè ſimilis, cui ſupernè, & infernè nigra puſtula incumbit, qua rupta infernè deſquammatio ſimilis apparet, hoc autem diſſecto pus inuenitur.

Cum terminthus ex eadem cauſa, quòd epinyctis, ideſt ex feruido, & præaſſato ſanguine oriatur, ac fiat, & eadem pars afficiatur.

Ideò eadem curatio ei conuenit, & idem prognoſticum, quòd epinictidi, & ſigna ex eius definitione ſumi poſſunt. Quòd verò ita curari debeat, inquit *Aetius ſerm.* 14. *cap.* 62.

De Eſtimatibus, ſiuè Exanthematibus. *Cap.* 12.



Eſtimata ab Hipp. exanthemata à Galeno dicuntur, Plinius Papulas appellauit, & Latini puſtulas, morbillos, & variolas *Hipp.* 3. *Epid.*

Eſtimata dixit, ideſt ab erumpendo, quòd ſcilicet ſponte è cute erumpant, ac in ea floreant.

Exanthemata, ſiuè Eſtimata ſunt tumores ſponte in cute florentes, & ſic ſunt dicti, quia gemmarum modo, & florum tument.

Duorum verò exanthemata ſunt generum; alia enim ſunt ſublimia; alia verò lata: Sublimia, Latini Morbillos vocant; Lata, Variolas appellant.

Pars affecta eſt cutis, cum hæ puſtulæ oriantur à natura à prauis humoribus corporis profundum expurgante, & ad cutem tranſmittente.

De Exanthematum cauſis.

COniuncta Exanthematum cauſa, ſunt humores cutim in tumorem attollentes, eandemque exulcerantes, & ſublimia Exanthemata à calidiore, & tenuiore humore, & ex ſanguinis feruore prodeunt, atque extuberant, lata verò à frigidiore, & craſſiore ſanguine, & hæc eſt materialis, & coniuncta cauſa; Antecedens verò cauſa eſt expulſio reliquiarum ex menſtruo ſanguine, quo altus fuit fetus, ſeparatarum naturalis excretricis opere functa, vel prauorum humorum ex qualibet alia cauſa genitorum, vt alij voluerunt, & huius ſeparationis cauſa eſt ſanguinis ebullitio, in qua ſanguis purificatur, quemadmodum vino in eius ebullitione accidere, dixit *Auicena in prima. Quarta cauſa verò ebullitionem efficiens eſt, vel occulta aeris qualitas, & praſens Cœli ſtatus, & aduerſa conſtitutio, vt aer calidus, & humidus, qui ſanguinis ebullitionem efficere poteſt, vel aer prauus attractus à prauo, tetroque vapore ab vlceribus, & puſtulis emanans, & ijs ad patiendum paratis contagium praſtans.* Efficiens verò cauſa eſt naturæ, ac eius expultricis facultatis robur materiam, ac humores redundantes, naturamque degrauans à penitioribus partibus ad cutim propellens, ſicuti *Haly Abb. lib.* 8. *ſua Theorica, & Auenzoar lib.* 2. *tract.* 7. inquiunt. *Cum autem poſt natiuitatem natus incipit innaleſcere, & fortificari; natura fortior facta, hunc malum humorem, & corruptum ad exteriora expellit.*

De Exanthematum ſignis.

FVturarum Variolarum ſigna, ſunt timor in dormiendo, facies, & oculorum rubedo, lacrymarum fluxus, narium, & aurium pruritus, vniuerſi corporis punctiones, grauis,

uis, & vehemens capitis, & dorsi dolor, ac etiam lumborum, difficultas respirationis, tussicula, pandiculationes, & oscitationes crebiæ, mutatio de loco ad locum, capitis grauitas, dolor gutturis, & pectoris, patiens sæpè supinus iacet, sæpè mouet pedes, tremit, & resilijt, vox rauca fit, & cum his vehemens febris comitatur. Vbi egrediuntur, tumet facies, clauduntur oculi, tumet quoque vniuersum corpus, ac deforme redditur, multæ maculæ in facie apparent, quæ vel in sublime eleuantur, vel in latum extenduntur.

Quæ sublimia sunt, cutem in manifestum tumorem attollunt, atque exulcerant, ac pruritum excitant; Quoniam cum in latitudinem sint distenta, humor difflare potest, neque etiam ex acri humore proueniunt, & ideo *Hipp. 6. aph. 5.* dixit, *Latæ pustulæ non admodum pruriunt*. Postquam vero iam apparuerint, aduenit dolor in faucibus, ac gingiuis, & vox rauca fit, & spiritus difficultas adest, si asperæ arteriæ, & pulmonum partes fuerint affectæ, & pestilentiæ conditionem sequuntur; Tempore concoquuntur, & albescunt, eorum materia iam in pus versa, quæ tamen in squammas ficcescit.

Si vero pustulæ asperam arteriam exulcerauerint, deglutitio impeditur. Si vero intestina exulcerauerint, dissenteria consequitur, & ventris tormina.

De Exanthematum Prognostico.

PAucissimi admodùm sunt, modo ad legitimam ætatem perueniant, qui hunc morbum effugiant.

Difficulter exanthemata erumpant, atque extuberant ijs, quibus cutis est crassa, & densa. Similiter latorum difficilior est exitus, cum à crassiori, & tenaciori materia oriantur, cum difficulter cutim penetrare possint. Si vero ob humorum crassitiem, & cutis densitatem exanthemata foras protrudi nequeant, quam sæpissimè mortem afferunt.

Contra pauci admodùm in sublimium exanthematum eruptione pereunt, nisi in victu, & curatione aliquis error committatur, cum ex tenuioribus humoribus, ac promptè erumpentibus oriantur.

Exanthemata magna ex parte infantibus eueniunt, & iuuenibus, rarissimè senibus. Et minùs periculosa sunt exanthemata rubicundi coloris. Deteriora, immo pessima sunt atri, vel viridis coloris. Et faciliùs curantur lactentes pueri, quàm non lactentes propter lactis alterationem, quæ in nutrice fieri potest.

Bonum item euentum in variolis expectare debemus, cum febris non valida antecedit, & cum nunquam est intensa, & si ad pustularum exitum diminuatur, si celerrimè efflorescant, decenter materia expellatur, citoque maturentur si paucæ sint, & commodè eleuentur, & citò digeri incipiant.

Malum vero euentum indicant, si plurimæ erumpant pustulæ, & inter eas aliquæ cinericeo, vel nigro colore adsint, & quo plures ex his apparuerint, eo peius erit; Si plures etiam pustulæ simul coeant, & non eleuentur, vel si eleuatæ fuerint antequam matureſcant, deprimantur, pessimum est signum; Similiter si intensa, & ingens febris prosequatur, & raucedo vocis, & spirandi difficultas cum sicca tussi, & intestinorum tormina adsint, praua sunt signa. Cùm ventris dolores, intestina esse malè affecta indicent: Raucedo vero, & difficultas respirationis, & tussis, asperam arteriam, & pulmones.

De Exanthematum curatione.

IN Exanthematum curatione pro diuersa ægrotantis ætate, & secundum diuersam causam, diuersæ intentiones habendæ.

Si enim infantibus exanthemata erumpere incipiant, nunquam naturæ motus impediendus, sed potiùs adiuuandus.

Aer ergo moderatè calidus sit, & frigidus deuitetur; cum denset cutem, & exanthematum eruptionem prohibeat. Muniatur ergo probe vestibus, ac fragulis in frigido aere, & cum exanthemata

erumpere incipiunt, inuoluatur puer in rubeis pannis, ideſt de ſcarlato, vt ex eorum aſpectu humores ad exteriora trahantur; Minimè tamen faciendum, ſicuti quidam ignari ſolent, qui ponunt infantes in hypocauſtis ſupra modum calidis, & ita eos pannis inuoluunt, vt ex nimio calore ſint in cauſa, vt ſyncope apprehendantur, ac ſuffocentur.

Victus infantium lactentium non ſit, niſi ſolum optimum lac, & puerorum non Lactentium non ſit, neque nimis tenuis, neque admodum plenus, curent, vt aluum lubricam habeant, & hoc aſſequemur in ijs, qui cibum capiunt, miſcendo eorum cibarijs aliquam mellis portionem, aut reſina thereben, ciceris magnitudine mundenda, vel fiant ſuppoſitaria ex ſapone, aut ex betarum radicibus, vel fiant cliſteres cum hordei decocto, butyro, & oleo violaceo. In magna quiete pueri teneantur, & in ſomno, & vigilia moderatè, & ſecundum conſuetudinem ſe habeant, & propè os vas aqua plenum maneat, vt frigidum aerem reſpirent, quod vitales partes, quam maximè recreat.

Nutricis lac alteretur cum iure, in quo bullierit endiuia, aceroſa, & lactuca, vel exhibeatur ptiſſana hordeacea; Et ex his fercula ablactatis parentur, vel ex recenti oui luteo cum dicto iure, & limonum, vel aurantiorum ſucco, vel malorum punicorum. Pro potu vtantur aqua hordei cum ſucco limonum, vel citri, vel aurantiorum pomorum, vel malorum punicorum ſucco vtantur, & vino ſe abſtineant tàm ablactati pueri, quàm nutrices; cibus ſit ſobrius, & optimi nutrimenti, & à carne ſe caueant, taliſque victus adultis etiam inſtituatur.

Valentiora medicamenta neque nutrici, neque pueris competunt, neque etiam adultis, propter periculum, quòd inſtat, ne medicamentis diſſenteria excitetur, præſertim in ſublimis exanthematibus, cum ab acri materia prouenians, ſed aliquando nutrici florum caſſiæ fiſtulæ vnc. 1. dari ſolet. Si natura benè exanthemata excreuerit, totum opus naturæ committendum, iuxtà dictum Hipp. primo aph. 20. dicentis; Quæ decernuntur, decretaque ſunt iuſtè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, ſiuè medicamentis, ſiuè alijs irritamentis fas, ſed omittere oportet.

Si adultus exanthematibus corripiatur, à principio antequam appareant, ſi corpus plethoricum fuerit, venæ ſectio facienda, in minoribus natu, ideſt ab octauo anno vſque ad decimum quartum, cucurbitularum humeris natibus, & coxis applicatio cum aliqua ſcarificatione à principio maximè eſt vtilis, & pauca ſanguinis quantitas extrahenda, ætatis reſpectu.

Si verò prauorum humorum copia in alto extiterit, leuis purgatio primum tentanda eſt niſi verò in profundo adſit humorum copia, euacuatio per cutem facienda eſt, medicamentis, quæ excalefaciunt, & diſcutiunt, & hoc præſertim faciendum in latis exanthematibus, quæ à frigidiori, & craſſiori humore proueniunt, quod nobis innuit Hipp. 6. epid. part. 2. aph. 18. dicens, Latæ puſtulæ, quales hyeme Simon habuit, non admodùm pruriunt. Hic ſanè cum ad ignem vngeretur, vel calida lauaretur, iuuabatur; Vomitiones non expediebant. Puto itaque eum, qui calidis abbundè fouiſſet, prodeſſe potuiſſe. Ex qua ſententia manifeſtè apparet humores craſſos ad cutem repentes non eſſe per medicamenta ad profundum trahendos, ſed per cutem calidis medicamentis, & fomentis eſſe euacuandos. Si autem agrè, & tardè à natura humores ad cutim expellantur aliquo medicamento, quòd obſtructiones tollat, adiuuanda ſicuti ſunt infraſcripta.

℞. Radicum apij, feniculi, petroſelini an. vnc. 5. ſeminis aſparagi, aniſorum ruſci an. dragm. 2. caricarum ping. num. 6. calaminthæ M. 1. coquantur in ſufficienti aqua ad medietatis conſumptionem, & colentur, & dicto decocto adiungantur ſaccarum q. ſuff. & dulce reddatur, & ſyrupo acetoſo ſimpl. fiat potio, de qua dentur manè, aut velperi vnc. 3. plus, vel minùs ſecundùm ætatis rationem, vel

℞. Caricarum ping. num. 5. lentium excorticatarum, laccelloræ an. dragm. 3. tragaganthi, ſeminis feniculi an. dragm. 2. capillorum ven. M. 5. aquæ lib. 1. 5. M. & coquantur ad tertium, vel medietatem, poſteà colentur, & ſi corpus puerile fuerit, doſis ſit vnc. 1. 5. in au-

rora

rora, ſerò per horas duas ante cœnam, & continuetur duobus, vel tribus diebus, donec foras egrediantur, vel

℞. Lentium ſemicoctarum abiecta prima aqua vnc. 2. caricarum ping. num. 2. ſeminis feniculi dragm. 3. cap. ven. M. 5. M. S. A. fiat decoctum, & exhibeatur vt ſupra.

Quandò verò variolæ foras prodeunt abſque ægri alleuiatione, & lingua nigricans fit, & magna ſequitur inflammatio, tùm à calefaciente regimine cauendum. Sed cum in variolis aliquæ partes, vt oculi, nares, os, fauces, pulmones, & aliæ internæ partes malè affici ſoleant, ideò his eſt ſuccurrendum.

Oculos c. Variolis tuentia. Ne oculi igitur malè afficiantur à principio, & in morbi progreſſu madefactendi infraſcriptis medicamentis, quæ optima ſunt.

℞. Aquarum roſarum, plantaginis an. vnc. 3. in quibus pluries ignitum aurum extinguatur, deindè ſumach. contuſi dragm. 3. per noctem infundatur, & poſteà parùm croci orient. addatur, & vtere, vel

℞. Aquæ roſarum, in qua parum ſucci portulacæ, vel licij ſit diſſolutum, & ſæpè madefac oculos, vel vtatur ſieph. albo cum opio, vel ſine, cum aqua roſarum. Competit etiam lac Chalibeatum cum aqua roſarum mixtum.

Ad nares præſeruandas. Ad nares præſeruandas confert aceti odoratus, vel rob agreſtæ, vel fiat infraſcriptum errinium.

℞. Roſarum rub. dragm. 2. ſandalorum alborum, rub. an. dragm 5. hordei M. 1. M. & in aqua q. ſuff. coquantur, & fiat errinium.

Competunt etiam pulueres ſandalorum dictorum, & roſarum rub. in nares inſufflare.

Ad Os, & guttur præſeruãdum. Pro dolore oris, & gutturis, & his partibus præſeruandis vtatur ſyrupo de rubes, myrtino, vel diamoron cum aquis roſarum, ſolatri, & plantaginis, quibus fiat gargariſmus, vel cum decocto lentium excorticatarum, quibus actu frigidis vti debemus, ad hoc etiam maximè confert malorum punicorum ſuccus.

De præſeruatione Pulmonum.

Pulmones a variolis præſeruãtia. ℞ Lentium excorticatarum, ciceruum rub. in duabus aquis priùs bullicatorum an. vnc. 2. ſumachi vnc. 5. ſeminis papaueris albi fortiter conquaſſati vnc. 3. bulliant cum aqua roſacea q. ſuff. & cum pauco aceto vſque ad ſpiſſitudinem coquantur, deindè coletur, & de iſto ſic præparato fiat portio, vel exhibeatur.

Loch. ex lentibus, & ſemine papaueris, vel offeratur cochlearę vnum ſyrupi de papauere, aut iuleb violacei.

Inteſtina a variolis tuentia. Inteſtina, & aliæ internæ partes ſtipticis cuſtodiantur, præſertim ſi venter fluere incipiat: in fine verò trociſci de ſpodio exhibeantur.

Variolas exſiccantia. Poſt verò plenam exanthematum eruptionem, ac maturationem tota curatio in exſiccando conſiſtat, quòd infraſcriptis medicamentis fieri debet.

℞. Aquæ roſarum lib. 1. tamariſci, roſarum rub. lentium an. dragm. 3. croci, canphuræ an. dragm. 5. ſandalorum rub. ſcrup. 2. ſalis dragm. 5. M. & S. A. fiat decoctum, deindè coletur, & ex ea variolæ cum cotone, vel pluma madefiant; Hoc enim decoctum maturat, exſiccat, & eas decidere facit, vel

℞. Aquæ communis lib. 1. ſalis com. vnc. 5. lupinorum, hordei an. pug. 1. croci orient. parùm M. & S. A. fiat decoctum, deindè colo transfundatur, quo variolæ cotonæ, vel pluma madefiant.

Dolorem lenientia. Pro leniendo dolore illato ab exſiccatione cruſtarum, & ad vlcera ab excoriatione variolarum relicta competit vng. de ceruſa.

Nærium vlcera curantia. Si autem in naribus vlcera remanſerint infraſcripto vng. curentur.

℞. Olei roſacei vnc. 1. 5. chimiæ auri drag. 1. cer. q. ſuff. M. & S. A. fiat vng.

Poſt variolarum exſiccationem, ac curationem cum veſtigia faciem deturpantia remaneant; Ideò medicamenta pro his delendis in medium ſunt offerenda, & ſunt infraſcripta.

Variolarum veſtigia dolentia. ℞. Pedis vituli, radicum ſerpentariæ an. lib. 5. florum fabarum lib. 1. 5. conquaſſentur, & addita aqua roſacea, & aqua limonum an. vnc. 3. in alembico ponantur, & deſtillentur, cum qua deſtillatione facies abluatur, vel

amilli, ſarcocollæ, dragaganthi, ceruſæ, litargirij, maſticis an. dragm. 5. vnguenti albi, camph. vngu. citrini, vnguenti ſuſci an. vnc. 1. aquæ roſarum vnc. 5. M. & omnia in vnguenti formam incorporentur, cum quo facies noctu inungatur, & manè abluatur facies cum aqua hordei commixta cum ſucco limonum, vel

℞. Pinguedinis gallinæ, ſuis an. vnc. 1. mucilaginis dragaganthi, gummi arabici an. dragm. 3. aquæ florum fabarum, aquæ limonum an. vnc. 5. M. in vngu. formam, & vtere vt ſupra, vel

℞. Farinæ hordei, lupinorum, fabarum an. q. vis M. & coque in aqua fluminis, & fac paſtillos, quibus ſaponis more vti debes, poſtquam manus, & faciem ablueris, ac fricueris; Poſt iterum manus, & facies aqua, in qua inſerbuerint ſerpentariæ folia, & limonum ſuccus ablues.

Prodeſt etiam humana pinguedo, & vrſina, & alia multa, quæ breuitatis cauſa relinquo.

De Tumoribus, & Puſtulis à bile, ſiuè bilioſo ſanguine ortis, & P. de eryſipelate exquiſito.

Cap. 13.

POST pertractationem tumorum, tuberculorum, ac puſtularum à ſanguine ſuborta ſũ, ordo poſtulat, vt de tumoribus, & alijs à bile ortis, verba faciamus, ſicuti *Gal lib de tumoribus præter naturam*, fecit, & cauſa eſt, quia bilioſi tumores maximam ſimilitudinem cum tumoribus à ſanguine ortis, habent, vt inquit *Gal. 14. meth. cap P.* his verbis,

Haud longè verò abeſt à phlegmone alius morbus eryſipelas dictus, qui quidem ex ſucco bilioſo ortus, tumorem caloremque ſortitur communem. A bile ergo fiunt eryſipelas, phlictena, herpes, & lichen, ſiuè impetigo. *Tumores à bile orti.*

Eryſipelas ab aliquibus etiam ignis ſacer dicitur, vt à Paulo, ab Aetio, & à Galeno, vtque colligitur à *Galeno 2. ad Glauc. cap. P. Eryſipelas eſt tumor præter naturam ex feruente tenuique ſanguine conflatus.* *Eryſipelatis nomina.*

Vel eſt tumor præter naturam ex ſanguine, & flaua bile calidioribus, quam oportet, mixta fluxione factus: Vel ſic definire poſſumus. *Quid ſit Eryſipelas*

Eryſipelas eſt tumor præter naturam non admodum eleuatus, ac magnus à bile proueniens, qui externam cutis partem, & corium ſubiectæ partis, vt plurimùm, occupat, & aliquandò etiam partes cuti ſubiectas, vt muſculorum ſuperficiem; Quæ definitio colligitur a *Galeno 2. ad Glauc. cap P. 14. meth. cap. P. de tumor. præter naturam cap. p. & lib. 7. ſimplicium.*

Cum ergò eryſipelas ſit tumor, erit morbus in compoſitione, & præcipuè in magnitudine aucta, & cum à bile, ſiuè feruenti ſanguine proueniat, erit etiam morbus in intemperie. Non erit verò morbus in ſolutione continui, ſi exquiſitum ſit, cum in exquiſito eryſipelate fiat tenſio, aut compreſſio, aut partium non diuulſio, ſicuti in plegmone fit. *Qui morbus ſit eryſipelas?*

Species eryſipelatis plures ſunt, vt inquit *Gal. 14. meth. cap. p.* ſic dicens, *Quòd interdum eryſipelas cum ſuperna cuticulæ exulceratione accidit, vbi ſcilicet bilis ipſa craſſior, ſimul, atque acrior exiſtit: interdum autem ſine hac accidit, ſimiliter eryſipelas, vel eſt exquiſitum, vel non eſt exquiſitum*: Exquiſitum eryſipelas eſt, quòd ex bile, vel tantùm ex feruenti ſanguine, ac tenui prouenit: eryſipelas non exquiſitum, ſiuè ſpurium, plurium eſt generum, ſecundùm humoris diuerſitatem, qui cum feruenti, & ſubtili ſanguine commiſcetur. Quoniam ſi cum exuberanti bile ſanguinis portio permiſceatur, eryſipelas phlegmonoſum vocatur, ſi pauca pituitæ portio, eryſipelas oedematoſum dicitur; ſi pauca atræ bilis quantitas admiſceatur, eryſipelas ſcirrhoſum nominatur. No-

men

minatur. Nomen igitur tumori inditur ab eo, quòd in miſcella exuberat; Sed vbi neutrum vincit, tunc tumor medius ex eryſipelate, & phlegmone, vel Oedemate, vel ſcirro dicitur, vt inquit *Gal. 14. meth. lib. de tum. præter natur. 2. ad Glauc. cap. p. & Actius ſerm. 14. cap. 59.*

Differt verò eryſipelas à phlegmone, vt inquit *Gal. 14. meth. cap. p. & 2. ad Glauc. cap. p. Colore, quia phlegmonis color eſt rubicundus ad nigredinem, vel viriditatem vergens, & huiuſmodi eſt ob craſſum ſanguinem, qui in profundo exiſtit; Eryſipelas verò habet colorem pallidum flauumue, vel ex pallido flauoque colore mixtum.*

Secundò, in phlegmone magna pulſatio adeſt, & altè in corpus demittitur; eryſipelas potiùs in cute exiſtit ob tenuitatem ipſius pallidæ bilis, & parua, vel nulla adeſt pulſatio. Tertiò, diſtinguitur ob magnitudinem tumoris, quia inflammatio partem in tumorem inſignem attollit, eum, & cutem, ac ſubiectas partes occupet; Eryſipelas verò modicè partem in tumorem eleuat, ita vt tumor ferè ſub aſpectum non cadat, non ſolùm cutem, vt plurimùm occupet, cum à tenuiori humore proueniat, qui de facili per cutem diſpergitur, & ideò in magnum tumorem non attollitur, & hoc intelligendum de exquiſito eryſipelate. Quartò, diſtinguitur eryſipelas ab inflammatione, ſiuè phlegmone caliditate, quæ longè maior eſt, in eryſipelate, quàm in inflammatione, & cutis comburri videtur, & aliquandò veſſiculæ excitantur, & febres etiam maiores fiunt, cùm bilis ſanguine calidior ſit. Quintò, differt eryſipelas ab inflammatione colore, qui minor eſt in eryſipelate, cùm tantùm vna cauſa, ex qua excitatur, adſit, nimirùm intemperies, non autem altera, ideſt continui ſolutio à diſtendente, comprimente, ac diuellente materia prouenies. Similiter dolor in eryſipelate eſt pungitiuus, in inflammatione tenſiuus, & aggrauatiuus. Sextò, diſtinguitur ex duritie, & mollitie, qui inflammatio tactui non cedit, ſed renititur. Eryſipelas verò, ſi tangatur tactui cedit, & hoc prouenit, quia eryſipelas ex ſubtili materia fit. Inflammatio verò ex craſſa. Septimo, rubedo, quæ in eryſipelate adeſt, ſi digito tangatur, & leuiter fricetur, ſtatim abijt, & cutis ſub digito alba fit, deindè verò ſtatim redire ſolet eadem rubedo, ob tenuiſſimum ſanguinem, à quo fit, in inflammatione verò hoc non accidit; Octauò, diſtinguitur, quòd in eryſipelate nulla adeſt tenſio, vt in phlegmone apparet: Nonò, diſtinguitur, quòd eryſipelas creſcit, loco dimouetur, ſerpit, & vicinas partes ſemper rubicundas facit. Inflammatio verò ſemper in vno figitur loco, & ab eo nunquam diſcedit, ac dimouetur. Decimò, differt, quia eryſipelas potiùs in cute exiſtit ob tenuitatem ipſius flauæ bilis; Inflammatio verò altè in corpus demittitur, & non ſolam ſubiectarum partium eſt paſſio, ſed etiam cutis.

Pars igitur ab eryſipelate affecta, vt plurimum eſt cutis, & aliquandò etiam partes cutis ſubiectæ, *vt Gal. 14. meth. cap p. oſtendit*, dicens,

Eryſipelas potiùs in cute exiſtit ob tenuitatem ipſius pallidæ bilis; à corpore quidem pro naturæ modo ſe habente amaræ bilis ſuccus exalat inſenſibiliter. Vbi verò, vel is longe copioſior, vel craſſior, quàm pro modo naturæ redditur, vniuerſus ad cutem compulſus fuerit, eam tùm perurit, tùm in tumorem attollit, aliquid etiam ſubiectæ partis occupans. Hic itaque affectus eryſipelas nuncupatur, quòd etiam inquit *2. ad Glauc. cap. p. vbi ſcriptum reliquit, quòd exquiſitum eryſipelas cutis ſolius eſt paſſio, & in omnibus quidem externis partibus excitari poteſt, vt plurimùm oritur circa nares, & faciem, cum hæc pars facillimè à tenuiſſimo ſanguine ſuffundatur, tùm ob bilis leuitatem, tùm ob faciei raritatem; vel in cruribus, quia natura à bilioſo ſanguine ſtimulata, facilè ad inguina, vt ſua emunctoria, eum tranſmittit, qui poſteà in crura deſcendit, & idcò quibus fit eryſipelas in cruribus, prius dolet inguen eiuſdem partis, & aliquandò etiam glandulæ tument.*

Poteſt verò oriri eryſipelas tàm hyeme propter cutis conſtipationem, quam æſtate propter humoris bilioſi copiam, qui tunc temporis dominatur.

De cauſis exquiſiti Eryſipelatis.

ERyſipelatis cauſæ plures eſſe poſſunt, vt de alijs tumoribus diximus, aliæ enim ſunt externæ, aliæ internæ; Externæ eryſipelatis cauſæ ſint omnes illæ, quæ ab extrinſeco prouenirunt, & bilem generare poſſunt, vt cibus, & potus ad bilem gignendam aptus, aer calidus, & æſtiuus, nimius motus, vigiliæ, vehemens, & diuturna ira, & ſimilia vulnus, vlcus, luxatio, fractura, quibus aliquandò eryſipelas ſuperuenire poteſt, vt inquit *Celſus lib. 5. cap. 26. Frictiones violentæ, inſolatio, ignis, & attrahentium medicamentorum admotio.*

Internæ cauſæ duplices ſunt, vel enim ſunt antecedentes, vel coniunctæ; cauſæ antecedentes, ſunt nimia bilis copia, quæ in corpore, vel hepatis caliditate, vel ex ſex rebus nonnaturalibus coadunata eſt.

Quæ verò ſit cauſa coniuncta, inquit *Gal. lib. de atra bile*, dicens, *Cum itaque flaua bilis in vnam quampiam decumbens partem, generat eryſipelas*; idem etiam inquit *lib. de tumoribus præter naturam 14 meth. cap 9. & 2. ad Glauc. cap 9.* dicens, *Quòd ſi ex ſanguine & flaua bile calidioribus, quam oporteat, mixta ipſa fluxio fuerit, aut ex ſanguine quidem, ſed feruido, & ſubſtantia tenuiſſimo.* Eryſipelas hic affectus vocatur, *& lib. de venæ ſectione*, inquit, *Eryſipelas fit ex bilioſi humoris affluxu, & Paul. lib. 4. cap. 21.* inquit, *Tumor ex feruente tenuique ſanguine excitatus, priuatim & propriè eryſipelas vocatur. & Aetius ſerm. 14. cap. 59.* inquit, *Flaua bilis tenuior, & acrior facta vna cum ſanguine ad aliquam corporis partem irruens eryſipelas efficit.* Exquiſitum ergo eryſipelas ex bile flaua, vel feruenti ſanguine, qui à recentioribus cholera naturalis dicitur, procreatur, & hæc eſt eryſipelatis cauſa coniuncta.

Sed cum bilis plures ſint ſpecies, ideſt porracea, vitellina, eruginoſa, & flaua, videndum, à qua harum eryſipelas fiat, & bilis, vt inquit *Gal. lib. de atra bile, vel in ventriculo, vel in hepate generatur porracea enim, & vitellina, & eruginoſa bilis in ventriculo à vitioſis aſſumptis cibis gignitur vt ſunt cepæ porrum, allium, ſinapis, naſturtium, & ſimilia, à quibus humoribus eryſipelas minimè fit, cum huiuſmodi humores per venas non progrediantur*; Sed fit eryſipelas à bilioſo humore, qui in hepate gignitur. Sed cum hic etiam duplex ſit, ideſt alter alimentalis, & excrementitius alter, alimentarius eſt tenuiſſima, & calidior, & ſiccior ſanguinis pars, quę in ſanguinea maſſa continetur. Bilis excrementitia eſt, quæ in fellis veſſicam, ſiuè ciſti fel demittitur, ac excernitur, vt poſtmodùm ad inteſtina tranſmittatur, vt ad ſtimulandam naturam ad excretiones faciendas deſeruiat: Ab hac ergo excrementitia bile eryſipelas non fit; Sed ab huiuſmodi, quotieſcumque ciſti fellis meatus obſtruuntur, icterities, ſiuè regius morbus fit.

Quod à tali excrementitia bile eryſipelas non fiat, probatur, quoniam quando hæc excrementitia bilis per totum corpus diffunditur, & icterities oritur, vt plurimùm non adeſt febris. Eryſipelas vero ſemper eſt cum febre; Similiter dum hæc bilis per totum corpus diffunditur, nullum dolorem excitat, ſed tantùm cutem fluam, ſiuè citrinam reddit; Eryſipelas vero dolet, & eius color rubicundus eſt, ſed clarus. Differunt etiam loco, quoniam icterus totum corpus occupat, eryſipelas vero vnam tantùm partem, & hi morbi tandem inter ſe diſtincti ſunt. Superest igitur, vt eryſipelas fiat à tenuiſſimo ſanguine, ac proindè ab alimentali bile, vt inquit *Galenus 2. ad Glauc. cap. primo, Quæ à ſua natura recedit, & in partem aliquam influit.* Duobus modis vero à ſua natura bilis recedit, vel quantitate, vel qualitate; Quantitate cum plus iuſto in corpore augetur. Qualitate duobus modis à ſua natura recedit, vel ſua ſubſtantia, ideſt cum bilis acrior, ac calidior redditur, & corrodendi vim habet, & ex hac herpes fit, vel cum alijs humoribus permiſcetur, vt ſiccum ſanguine fit eryſi-

pelas

pelas phlegmonosum; Si cum phlegma fit erysipelas oedematosum; Si cum melancholia fit erysipelas scirosum; Quorum superiorum erysipelatum, cum curatio mixta sit nos non verba faciemus, cum hæc curatio ex inflammationis, siuè oedematis, siuè scirri, & erysipelatis curatione summi possit.

Sed tantùm de exquisito erysipelate, quòd in externis partibus oritur, & à naturali bile solùm in quantitate peccante pertractabimus.

Fluxio ergò biliosa est coniuncta, & proxima erysipelatis causa, quæ vel à mittente particula, vel recipiente, vel ab vtraque excitatur; A mittente particula biliosus humor expellitur, quia huiusmodi pars ab humoris biliosi copia irritatur, cuius causæ, vt diximus, sunt vel internæ, vt iecoris nimia caliditas, vel externæ, vt sex res nonnaturales. A recipiente biliosus humor attrahitur propter dolorem, cuius causæ sunt, vt diximus, vulnus, frictiones, acre medicamentum, ignis, motus, & similia.

Quandò ergò in corpore adest magna biliosi humoris copia partes principes, & validæ à tali copia grauatæ ad minùs principales, & ignobiliores transmittunt, & hæc ad minùs principales, & minùs nobiles, & huiusmodi fluxio non cessat, quousque ad cutim ignobilissimam partem, & totius corporis cloacam transmittitur. Faciliter verò omnes alias partes penetrat, quia huiusmodi humor tenuissimus est, & partes illæ satis raræ, ac porosæ sunt. Detinetur verò in cute, quia hæc pars satis densa est, & propter humoris tenuitatem per cutim dispergitur, & in vna parte non coadunatur.

De signis exquisiti erysipelatis.

SIgna exquisiti erysipelatis sunt, Color rubicundus ad flauitiem tendens, si digitò leuiter tangatur, ac fricetur huiusmodi color statim euanescit, & posteà recurrit, tumor similiter paruus est; Si verò magnus sit tumor, noti, & spurij erysipelatis est signum, calor validus est, & ferè cutem exurens, & vessicas aliquandò excitans, febris ingens, & exurens, dolor est pungitiuus, ac mordens. Pulsatio similiter parua, ac leuis est, vel nulla. Tactui mollis est, & ei non remittitur. Tensio non adest. Serpit quidem herpetum more, atque priori derelicta sede, in vicinas partes sensim obrepit, & rubicundas sibi vicinas partes efficit, & sæpè cum in crura irruit, ab inguinis tumore incipit. Quandò ergò hæc omnia, vel quamplurima signa aderunt, exquisitum erysipelas vocari debet.

De Erysipelatis prognostico.

ERysipelas est magis, vel minùs periculosum secundum partium, quas appræhenderit diuersitatem, quoniam si propè principes partes, vel in principibus partibus erit, maximè est periculosum. Si verò in ignobilioribus, & à præcipuis partibus distantibus, erit sine periculo, nisi aliquis grauis error committatur, sed vt plurimùm faciem, & crura occupat.

Erysipelas in facie, vel ceruice periculosum est, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 26. & Paul. lib. 4. cap. 23. & Actius ser. 13. cap. 19.*

Quoniam periculum est ne bilis ad interiora recursu, vel phrenitis, vel angina sequatur, quòd ex *Hippocrate 25. aphoris. 6.* probatur, dicente, *Erysipelas foris intrò conuerti malum, intus verò foras existere bonum, & hoc etiam intelligendum de quolibet alio affectu*, vt inquit *Galenus in eius commentario, Nec alia ex causa ex erysipelate ægrotantes pereunt, nisi ex materiei ad interiora recursus, & ideò omnia medicamenta, & alia, quæ hoc efficere possunt, deuitanda, vt medicamenta nimis repercutientia, & aer nimis frigidus, quæ nimis refrigerando, & constipando*

hoc

hoc efficiunt. *Similiter Hippocrates 7. aph 19.* inquit, *Ab iſſis nudatione eryſipelas malum, quamuis rarò adueniat*, vt inquit *Gal. in eius comm.*

Malum eſt etiam, quandò vlceribus, vulneribus, luxationibus, & fracturis ſuperuenit.

Item Hippocrates 20. eiuſdem libri, inquit, *Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio malum, cum hoc tantùm in malignis eryſipelatibus accidat*, vt inquit *Gal. in eius comm. in quibus adeſt pororum obſtructio, cum ergo calor, & humor exalare non poſſint, ideò intùs detinetur, & ſolidas partes corrumpit, ac deſtruit.*

Gal. comm. 26. lib. 6. epid. inquit, *Si eryſipelas, vel nigredo quædam, aut puſtula, aut mentis alienatio ſuperueniat, ita malum eſt, vt nullus ſpei relinquatur locus.* Sed benè verùm eſt, quòd ibi de peſtilenti eryſipelate loquitur.

Exquiſitum eryſipelas, vt plurimum per inſenſibilem tranſpirationem terminatur, rarò per ſuppurationem.

Liber verò 3. de morbis vulgaribus comm. 9. inquit *Gal. Eryſipelas, quòd à naturali bile oritur, periculo vacat, quoniam bilis naturalis malignitatem non habet, & ideò nec vehementem dolorem, nec ſeua ſymptomata inferre ſolet, & cum huiuſmodi humor in externis partibus ſit indicat natura robur, & ſe ab humorum copia, ac redundantia leuaſſe.*

Hipp. 5. aph 42. inquit, *Si prægnanti fiat in vtero eryſipelas, periculoſum eſt.*

De exquiſiti Eryſipelatis curatione.

IN eryſipelate curando quatuor intentiones habere debemus, Prima, in recta victus, ac aliarum rerum nonnaturalium inſtitutione conſiſtit. Secunda, in peccantis materiæ euacuatione. Tertia, circa topiça, ac localia verſatur. Quarta, accidentium, ſiuè ſymptomatum correctione, ac mitigatione perficitur.

Pro primo ſcopo aſſequendo aer ſi æſtiuus ſimus temporibus frigidus, ac humidus eligendus, & niſi ſit natura, arte paretur, vt aſperſione pauimenti cum gelida aqua, vel floribus roſarum, violarum, foliis, ac ramis ſalicum, vel vitium, & his ſimilibus. In hyeme verò cum ex cutis conſtipatione eryſipelas fieri poſſit, potiùs calidus aer eſt eligendus, vel temperatus. Cibus, & potus ſit frigidus, & humidus, & ſi bilis ſit ad modum tenuis, quæ incraſſandi ſimul vim habent ſunt offerenda: Competit ergo lactuca, acetoſa, portulaca, cucurbita, blitum, malua, endiuia, ptiſſanæ hordeaceæ ſuccus, panis in aqua maceratus cum modico aceto, & ſimilia; Pinguia verò, & vnctuoſa, dulcia, acria, & calida omninò deuitanda. Potus ſit aqua ſimplex, vel hordei, vel aliqua ſtillaticea aqua, quæ refrigerandi vim habeat, poteſt etiam ſuccus malorum punicorum concedi cum aliqua prædictarum aquarum dilutus, à vino in totum ſe, tamquam ab infeſtiſſimo inimico abſtineat. Quies maximè competit, & motus deuitandus, præſertim immoderatus, & vehemens; Circa ſomnum, & vigiliam ſic faciendum. Si eryſipelas faciem occupet vigiliæ imperandæ, ne ex lungo ſomno cerebrum repleatur, & facies, vt pars propinqua poſteà offendatur. In partibus verò reliquis ſomnus moderatus competit. Animi tranquillitas maximè eſt vtilis, & ita contentiones, ſollicitudines, curæ, & aliæ animi paſſiones, quæ bilis cumulum efficere poſſunt deuitandæ, aluus mollis ſeruetur, & venus deuiteur.

Pro ſecunda intentione, ſiuè ſcopo aſſequendo, animaduertere debemus, vtrùm eryſipelas ſit magnum, vel paruum, exquiſitum, vel ſpurium, quoniam, vt inquit *Galenus 2. ad Glauc. in eryſipelatis curatione*, Si ingens ſit eryſipelas non neceſſariò in his ſanguis mittitur, ſed ventrem per inferiora purgare ſufficit, medicamento, quòd propriam flauam bilem educat, & ſi exigua ſit affectio, neque hoc neceſ-

farium erit, sed acri clistere aluum exonerare sufficit.

Debemus etiam affectam partem considerare, quoniam propter periculum, quòd instat, ad maxima præsidia, & quæ celerrimè agant, confugiendum, vt est venæ sectio, & hoc præsidium præcipuè competit in illo erysipelate, quòd occupat ceruicem, faciem, & caput, quoniam in harum partium erysipelate periculum est ne partes tonsilis adiacentes in consensum attrahantur, & inflammare anginam gignant, ac suffocationem efficiant, vel ob periculum, quòd inest, ne materia erysipelas efficiens retrocedens, & intùs recurrens phrenitim efficiat, & si *Gal. sanguinis missionem in 2. ad Glauc. & 14. meth. 3. interdicere videatur, ac purgans medicamentum proponat*, tamen *C. Celsus lib. 5. cap. 26. Paul. lib. 4. cap. 21. & Aetius serm. 14. cap. 59.* sanguinis missionem, dummodò vires ferant, ac ætas, & alia requisita, in ceruicis, faciei, & capitis erysipelate iubent, propter periculum, quòd instat, vt superiùs diximus, & ideò efficax præsidium adhiberi debet, vt est venæ sectio; Ad Galeni authoritates adducentes, dicerem Galenum non interdixisse sanguinis missionem, cum nullibi dixerit, in erysipelate inconueniens esse sanguinem mittere; Sed dixit, *Non necessariò in erysipelate sanguis mittitur*.

Concludendum igitur, quòd in erysipelate etiam exquisito capitis faciei, ac ceruicis, propter periculum, quòd instat, cephalicam venam esse secandam. In aliarum verò partium exquisito erysipelate cholagogum medicamentum dandum esse, vt bilis erysipelas efficiens euacuetur, & ne ad maiorem ebullitionem, ac feruorem bilis deducatur sanguinis missione, cum sanguis sit frænum bilis.

Quòd verò sanguinis missio, etiam in magno erysipelate prædictarum partium exquisito competat, *ex Hippocrate probatur, qui 4. de ratione vict. in acutis*, inquit, *In acutis morbis sanguinem detrahes, si adsit magnitudo morbi, florens ægrotantis ætas, & virium adfuerit robur*.

Et hoc idem inquit *Gal. lib. propriò de curandi rat. per sanguinis miss. cap. 9. Erysipelas in dictis partibus est morbus acutus, & magnus*.

Est morbus acutus, quia celeris est motus, & cum vitæ periculo, vt superiùs diximus, Est etiam magnus morbus tùm ratione magnitudinis erysipelatis tùm ratione præstantiæ partis affectæ.

Gal. item 4. meth. 6. inquit, *Quod si valens sit morbus cum virium robore nemo est, qui sanguinem non mittat, erysipelas in his partibus est vehemens morbus, vt superiùs diximus, Ergo sanguinis missio non prætermittenda*. Idem etiam dixit *13. meth. 21. & in comment. 2. lib. de fracturis 31. ac alijs in locis Gal.*

Possumus etiam dicere, quòd phlebotomia in harum partium erysipelate competit, & si non tanquam proprium, ac particulare præsidium, saltem tanquam vniuersale, cum omnes humores simul euacuet, cum in exquisito erysipelate euacuatio propria sit, medicamentum bilem euacuans.

In phlegmonoso erysipelate, quamcumque partem occupet, venæ sectio, ac purgatio competit, nisi parua sit affectio, in qua acris clister, vt inquit *Gal. loco superiùs citato pro curatione sufficit*.

Purgantia medicamenta, quibus in erysipelate curando vti debemus, sint mitiora si composita, vel si simplicia sint, & omnia impetosæ calida fugienda, vt eleuterium, scammonium, & scammoneata omnia, cum vehementiores febres in erysipelate accendantur; Competit igitur rhabarbarum, cassia, tamarindi, syrupus ros. sol. & huius generis.

Si verò in corpore bilis copia remanserit, quia non solùm hic humor quantitate est molestus, sed etiam qualitate, idest intensa caliditate, ac etiam ratione febris concomitantis, & hepatis calidæ intemperiei bilem generantis; ideò syrupi refrigerantes instituendi, vt de cicoria simpl., de endiuia, de papauere, de succo acetoso, rosaceum simpl., & his similes, cum decocto, vel aquis refrige-

rantibus

rantibus, & ex dictis ſyrupis pauca portio cum decocto, vel refrigerantibus aquis eſt commiſcenda, cum omnia dulcia in eryſipelatis curatione ſint deuitanda.

Tertiam intentionem refrigerantibus, ac reprimentibus aſſequimur, cum purum, & exquiſitum eryſipelas qualitate, ideſt inſigni caliditate, ac feruore magis offendat, quàm materiæ copia, ac quantitate, quòd ſcriptum reliquit Galen. 14. meth dicens, Ergo omnibus, qui ſic præter naturam conſiſtunt tumoribus, communis indicatio vacuatio eſt, quæ nimirùm duplex adminiſtratur; vna repellentium ad alias partes, altera per alium igerentium. At quoniam eryſipelas non quantitate modò affligit, ſed etiam ob vehementem inflammationem qualitate ipſa cruciat, requirit ampliorem refrigerationem, quàm phlegmone. Cauendum tamen eſt interim, ne in principes aliquod membrum, ipſam bilem repellas; Ac proindè, quemadmodum in phlegmonis curatione, poſt totius corporis euacuationem repellentibus auxilijs vtimur: Sic facies in erysipelate, & refrigerationis terminus eſto coloris mutatio; Etenim quandò paruum erysipelas eſt ſtatim cum hoc conquieſcit. Cognoſcitur etiam ſatis partem eſſe refrigeratam, quoniam calor præter naturam eſt remotus, ac extinctus, & æger partem temperatam ſentit.

Animaduertendum verò ne refrigerantia medicamenta aſtringentia ſint, quoniam ex his acres vapores rètinerentur, & partem corrumperent, vt inquit Galen. P. de comp. medicamenta S. Gen. cap 4.

Narcotica verò, ac ſtupefacientia etiam cautè ſunt adhibenda, ne ſua frigiditate partis calorem extinguant. Vnctuoſa etiam medicamenta, deuitanda, quia facilè inflammatur, poroſque conſtipant, ac obſtruunt, & vaporum exitum prohibent.

Refrigerantia quandò, & quam dudum his conuenient

Quomodò verò, & quam dudum his refrigerantibus medicamentis vti debeamus, nos docet Galen. p. de comp medicamentum S. Gen. dicens, Igitur in exactis erysipelatibus ea, quæ aduentitia ſua frigiditate auxiliantur, vbi cæperint incaleſcere, ſunt mutanda. Poſteà verò cum incendium conquieuerit, aut ſi nec perfectum planè ab initio erysipelas fuerit, aut amplius aſcititiam frigiditatem deſiderabimus.

Refrigerantia igitur, ac particularia præſidia, poſt totius corporis euacuationem, ac poſt vniuerſalia præſidia, competunt, vt ſuperiùs dixi Galen. Præterquam ſi erysipelas caput, faciem, ac ceruicem occupet, in quarum partium erysipelate nunquam refrigerantia competunt, propter periculum, quod inſtat ne ex recurſu materia ad internas partes, vel angina, vel phrenitis ſequatur, & in his partibus Aetius laudat nidum hirundinis tritum, & cribratum melle exceptum, & penna illinctum, cum citò diſcutiat.

In erysipelate verò ab externa cauſa excitato, vt à partis calore, vel percuſſione, cum fluxio à parte recipiente, mediante dolore, vel calore fuerit excitata, tutò à principio abſque illa præcedente euacuatione refrigerantia applicare poſſumus. Quòd non faciendum, ſi ab interna cauſa fuerit ortum, præter quam in duobus caſibus, quorum alter eſt. Si erysipelas partes à principibus maximè diſtantes occupet; Alter eſt, ſi extraneus calor valdè vehemens ſit; In huiuſmodi caſu etiam ſi nulla præcedens euacuatio fuerit facta, propter periculum, quòd inſtat, ne natiuus partis calor deſtruatur, atque inſignis calor temperetur, ad leuiter refrigerantia recurrere debemus, vt eſt decoctum trifolij, vmbelici veneris, & ſimilium, & poſt horum refrigerantium medicamentorum appoſitionem vniuerſalis euacuatio quam primùm facienda. In exquiſito ergo erysipelate refrigerantia, & humectantia competunt, vt inquit Aetius ſerm. 14. cap. 59. & Galen. pluribus in locis.

Quæ verò iſta ſint, Gal. 14. meth ſcriptum reliquit, dicens, Refrigerant porrò, ſolanum, ſemperuiuum, portulaca, vmbelicus ven. pſillium, altercum, lactuca, intibum, paluſtris, lenticula, & alia id genus, vt ſunt poligonum, cucurbita, mandragora, pomorum ſuccus, violæ, glaucium, papaueris ſuccus, &

ſimilia

& similium, & post horum refrigerantium medicamentorum appositionem, vniuersalis euacuatio quam primùm facienda. In exquisito ergo erysipelate refrigerantia, & humectantia competunt, vt inquit *Aetius serm. 14. cap. 59. & Gal. pluribus in locis*.

Refrigerantia, quæ sint?

Quæ verò ista sint, *Gal. 14. meth.* scriptum reliquit, dicens, *Refrigerant porrò solanum, semperuiuum, portulaca, vmbelicus ven. psillium, altercum, lactuca, intibum, palustris, lenticula, & alia id genus, vt sunt poligonum, cucurbita, mandragora, pomorum succus, violæ, glandium, papaueris succus, & hyoschiami, & ex his, & similibus varia composita medicamenta parari possunt, vt sunt infrascripta.*

℞. Olei violacei vnc. 2. aceti vnc. 1. albuminum ouorum num. 2. M. & vtere, vel

℞. Aquarum, vel succorum plantaginis, lactucæ, semperuiui an. partes æquales, aceti parum M. & si valentius vis refrigerans, adde pro qualibet libra aquæ, vel refrigerantis succi, opii, & croci orientalis G. V. vel vnc. 1. succi hyoschiami. Si verò dolor sit acerbissimus.

℞. Radicum, & foliorum hyoschiami sub prunis concoquito, & cum vng. populeo misceto, vel

℞. Seminis papaueris albi dragm. 2. seminis hyoschiami dragm. 1. & cum populeo vnguento misce, vel

℞. Vnguenti albi camph. vnc. 1. 5. populei vnc. 6. M. cum succo hyoschiami, vel semperuiui q. suff. & vtere.

Possumus etiam vti ceruſa cum succo solani, aut cimolia creta, aqua pluuiali commixta, & alia *à Celso lib. 5. cap. 26. proposita*; huiusmodi verò refrigerantia, non solum humida esse debent, sed etiam vbi cæperint incalescere, sunt mutanda, vt inquit *Gal. P. de comp. medic. 5. gen. Postquam verò inflammatio conquieuerit, & desierit; vult Galenus loco superiùs citato, Vt resoluentia imponantur, antequam pars liuescat, vt est cataplasma ex hordei farina confectum; Si verò liuor iam occupauerit*, inquit *Gal. Incisa prius cute imponatur, profundendùsque locus plurimùm quidem ex aqua calida, sed, & marina aqua, & muria conducit interim*; Quin etiam ipsi cataplasmati eiusmodi aqua, vel acetum, vel oximel miscetur. Nullum autem valenter calefacientium est medela erysipelatis: priùs quàm id, quòd mutatur, desinat esse, quòd anteà fuerat, atque alterum iam illique contrarium euaserit, *lib. verò P. de comp. med. 5. Gen.* inquit, *Post quam verò incendium conquieuerit, aut si nec perfectum planè ab initio erysipelas fuerit, haud amplius adscitiam frigiditatem desiderabimus*; Verùm ijs succis diluemus phinicinum emplastrum, vt moderatè refrigerent, ab ijs iam, & lini seminis, & chamomeli succum miscebimus, ipsoque solo, sed fuso posteà vtemur emplastro, nil aliud illi miscentes; hæc omnia inquit *Gal Vel discutientia leuiora fiant, miscendo farinam hordei, altheam, maluam lentium farinam, oleum rosaceum, & similia, sicuti sunt infrascripta.*

℞. Virga pastoris M. 2. coquatur in aqua chalibeata, & postea terantur, & M. cum farina hordei, vel lentium, & rosacei olei modicum, & S. A. fiat catapl. vel

℞. Cæruſæ lotæ dragm. 6. litargirii auri vnc. 1. succi plantaginis, lactis muliebris an. vnc. 1. 5. olei rosacei omphacini vnc. 4. cretæ albæ q. suff. M. & S. A. fiat vnguentum. Si aliquandò autem ob refrigerantium vsum erysipelas ipsum liuidum euaserit, solùm phenicinum empl. veteri oleo liquatum id discutere potest, quo tempore partes liuidæ aqua foueantur calida, atque etiam scarificentur, & sunt, qui calcis viuę non nihil ipsi pharmaco immiscent, inquit *Gal. P. de comp. med. sec. gen.*

Vltima intentio est accidentium correctio, quæ plura in erysipelate euenire possunt; vt febris, capitis dolor, vigilia, sitis, bullæ, vel vesicæ, vlcus, nigrities, durities, dolor, materia ad interiora recursus, & similia, quibus sic occurrendum.

Ad capitis dolorem.

℞. LActis Muliebris vnc. 3. aceti vnc. 2. olei rosacei vnc. 4. albuminum ouorum num. 2. M. & ex hac mixtura liniantur frons, & tempora; Vel vtere oxirodino facto ex oleo

ex oleo roſaceo, aqua roſacea, & aceto, vel

℞. Seminis, & corticis papaueris albi, ſeminis lactucæ an. ſcrup. 4. curiandri præparati dragm. 3. granorum tinctoriorum ſcrup. 1. florum, violarum, nimpheę, roſarum rubearum an. P. S. ſantalorum omnium ſingulorum dragm. 1. terantur, & cum panno ſerico rubeo fiat frontale, quòd vapore aquæ roſaceæ, & aceti ſuffiatur, & fronti, ac temporibus applicetur.

Ad ſedandam ſitim.

℞.  Onſeruæ violarum vnc. 2. conſeruæ radicis bugloſſæ vnc. 1. conſeruæ florum nimpheæ, conſeruæ florum cichorij an. vnc. 5. ſpecierum diagraganthi frigidi ſcrup. 4. ſaccari roſacei q. ſuff. M. & fiat conditum, & auro cooperiatur, quo vratur cum aqua hordei, dum ſitit, vel vratur hordei aqua cum ſyruppo violato, vel roſaceo, vel acetoſo, vel de aciditate citri, vel de ſucco limonum commixta, vel ſæpè os poſca abluatur.

Ad Bullas, Veſſicas, & Vlcera.

SI verò Bullæ, & Veſſicæ in eryſipelate excitentur, maximè vtile eſt infraſcriptum vnguentum, quòd etiam virulento vlceri confert.

℞. Olei violacei, roſacei an. vnc. 2. vnguenti roſacei vnc. 1. 5. litargirij auri, argenti an. vnc. 5. tuitiæ dragm. 2. ceruſæ dragm. 6. caphuræ dragm. 5. ſuccorum ſemperuiui, plantaginis an. vnc. 5. M. & S. A. fiat vngu. vel

℞. Succi ſolani, ſummitatum rubi an. vnc. 1. olei roſacei dragm. 3. ceruſæ, litargirij an. vnc. 5. aceti parum M. & fiat linimentum.

Si verò eryſipelas ſit vlceratum, vti poſſumus diapalma cum oleo roſaceo diſſoluto, vel vnguentum de tutia, vel albo, vel de litargirio, quibus etiam addi poteſt aliquid plumbi vſti, & loti, vt efficacius agant, aut aliquo conſimili.

Ad Nigritiem.

SI verò nigrum eryſipelas, vel ob nimis refrigerantia admota, vel propter aliam cauſam fuerit factum, neque dum ſerpit, inquit *Celſus lib. 5. cap. 26. Imponenda ſunt, quæ putrem carnem lentus exedant, repurgatumque vlcus ſic, vt cætera nutriendum eſt, ſi magis putre eſt, iamque procedit, ac ſerpit, opus eſt vehementibus erodentibus.*

Sin hæc quidem eueniant, aduri locus debet, donec ex eo nullus humor feratur. Nam quod ſanum, eſt ſiccum eſt, cum aduritur: poſt vſtionem putris vlceris, ea ſuperponenda, quæ cruſtas à viuo reſoluant, & eas eſcharas Græci vocant, vbi exciderint, purgandum vlcus, maximè melle, & reſina eſt, ſed quouſque alijs purgari poteſt, quibus purulenta curatur, eodemque modo ad ſanitatem perducendum eſt, inquit hic Author.

Ad Duritiem.

DVrum eryſipelas ſi verò fiat, ſequens eſt optimum.

℞. Olei roſacei, violacei, pinguedinis gallinæ, butyri an. vnc. 2. ſeui caprini, vitulini an. vnc. 1. 5. medullæ cruris vituli vnc. 1. mucilaginis altheæ, maluæ, pſillij an. vnc. 6. bulliant ad mucilaginum conſumptionem, deindè adde litargirij auri vnc. 4. ceræ albæ q. ſuff. M. & S. A. fiat molle ceratum, vel fiat catapl. ex foliis ſolatri contuſis cum axungia ſuilla, & recenti butyro. Durum verò eryſipelas, vt plurimùm fit, vt inquit *Gal. 14. meth. ob nimiam refrigerationem.*

Ad

Ad Dolorem sedandum.

SI dolor maximè ægrum affligat, quòd sit tribus de causis, vel ex mala partis intemperie calida, vel ratione materiæ distendentis, vel aggrauantis, & comprimentis, vel ratione vtriusque, debent illa præsidia adhiberi, quæ in phlegmonis curatione dicta fuere: Vt si dolor ex intemperie fuerit ortus alterantia conferunt: Si ex materia distendente, & aggrauante. Resolutiua applicari debent. Sed si dolor ex intemperie cum materia fuerit excitatus, infrascriptum Medicamentum applicandum.

℞. Foliorum, & radicum hyoschiami an. M. 5. inuoluantur in linteo, & sub prunis coquantur, & cum populeone vngu. vel axungia non salita misceantur, & calidum applicetur.

Ad recursum materiæ ad interiora.

SI verò humor, & materia erysipelas efficiens retrocedere velit, per foras attrahentia euocari, ac detineri debet, vt in phlegmonis curatione diximus.

Ad Vigilias.

CVM vigiliæ maximè corpora exsiccent, vires prosternant, bilemque acriorem reddant, ac bilioſum humorem augeant: ideò his etiam occurrendum rebus placidè somnum conciliantibus, vt est diacodion, vel syrupus de papauere, aut emulsio seminum papaueris, hora dormitionis exhibitis; Conferunt etiam tibiarum, & pedum lotiones factæ cum decoctione capitum papaueris albi, florum violarum, foliorum salicum, & vitis albæ domesticæ; Narium etiam interiùs iniunctio cum oleo nenupharino confert, & frontis, ac temporum, & volarum manuum, & plantarum pedum, ac brachiorum, pulsuum cum populeone, vnguento.

Ad Febrem.

FEbri occurrimus refrigerante, ac humectante victu, & aliis ex rebus nonnaturalibus, sanguinis missione, pharmacis, syrupis, & aliis pro erysipelatis curatione superiùs dictis.

Ad refrigerandum hepar.

CVM verò in erysipelate, vt plurimum hepatis calida intemperies adsit, ex qua multa bilis copia gignitur, ac conseruatur, & ideò affectum auget, huic etiam succurrendum est cum refrigerantibus epithematibus factis cum speciebus epithem. Frigidarum hepatis, cum speciebus, diarodon abbatis, trisandoli, santali rubri, cum aquis cicorij, endiuiæ, acetosæ, solani, absinthij, lactucæ, & his similibus, cum pauca aceti portione, vel vnguentis infrascriptis.

℞. Vnguenti sandalini vnc. 1. oleorum nimphæ, de semine cucurbitæ, succi endiuiæ an. dragm. 2. 5. spicæ nardi G. 6. trociſci de spodio scrop. 1. seminis endiuiæ, seminis portulacæ an. scrop. 1. aceti parum M. & S. A. fiat vng. quo hepatis regio inungatur, vel

℞. Vngu. albi Gal. vnc. 1. spicæ nardi, sandalorum omnium an. scrop. 1. pul. rosarum rub. nimphæ, violarum an. scrup. 5. M. & S A. fiat vng.

Vel fiat infrascriptus sacculus lunatus, & vapore aceti, & rosaceæ aquæ suffiatur, & hepatis regioni applicetur.

℞. Rosarum rub. violarum, nimphæ an. pug. 5. corallorum rub. santali albi, & rubei an. scrup. 4. sem. lactucæ, endiuiæ an. dragm. 1. spodij dragm. 5. omnia in puluerem redigantur, & ex his repleatur sacculus.

Si verò erysipelas non sit exquisitum,

ſed ſpurium, ideſt, vel phlegmonoſum, vel oedematoſum, vel ſcyrroſum, mixta curatio eſſe debet, & è contra exuberans eſt pugnandum non neglecta interim alterius indicatione, vt inquit *Gal. 14 meth. Ideò in his ad cuiuſcumq. curationem recurrere debemus, & mixtam curationem inſtituere, & hæc de eryſipelate ſatis.*

De Phlictenis. *Cap. 4.*

PHlictenæ, & Phlictides à Græcis dictæ; Pabuliæ, puſtulæ, & veſſicæ à Latinis dicuntur, & vulgò, igois ſilueſter.

Sunt ergò phlictenæ veſſicæ quædam repentè emergentes, neque multum dolorem inducentes ſub flaui humoris copia diſtentæ, ac repletæ, bullarum modò liuidæ, & illis ſimiles, quæ ab aqua feruida, vel ab igne ambuſtis erumpunt.

Cum in phlictenis igitur cuticula eleuetur, ac in tumorem aſſurgat, erit morbus in compoſitione, & præcipuè in magnitudine auctus. Cum verò veſſicæ rumpuntur fit moribus in ſolutione continui.

Pars affecta eſt cutis, & præcipuè cuticula, à Græcis Epidermis dicta.

De Phlictenarum cauſis.

CAuſæ, ex quibus phlictenæ fieri poſſunt, plures ſunt, vt de alijs tumoribus diximus, ſcilicet, internæ, & externæ, vt inquit *Hippocrates de humidorum vſu verſus finem; Externæ ſunt cutis irritamenta, ſplenia, arctiora, inſolita aſperorum veſtimentorum geſtatio, & ſudoris exitus, aut vbi quis ex frigore de repente ad ignem, aut ad calida lauacra acceſſerit; Internæ, vel ſunt antecedentes, vel coniunctæ, antecedentes ſunt biliioſorum humorum, ac feruentium repletio, qui à natura ab eorum copia, ac mala qualitate irritata ab internis partibus, ad externas, & ad cutem tanquam ad totius corporis cloacam expelluntur, qui cum ſubtiles ſint, facilè carnoſas partes, quæ ſunt rarę, pernadunt, ac pertranſeunt, in cute verò retinentur, & ibi veſſicas excitant, quia hæc pars denſior eſt.*

Coniuncta verò cauſa eſt biliioſus humor feruidus ſub cuticula coadunatus; mulieribus verò ex menſtruarum purgationum ſub cutem recurſu fiunt, vt loco ſuperiùs citato Hippocr. inquit.

Patet igitur phlictenas ſemper à feruentiſſima bile gigni, quæ ignem viribus ſuis adæquat, & ideò meritò vulgus ſilueſtrem ignem appellat; Si verò aliquandò cum hic tumor etiam oriatur ex materia magis craſſa, oritur, quæ cutem penetrare non potuit, & hic tumor cum loco, tùm materia, à phlictenis differt.

De Phlictenarum ſignis.

PHlictenarum ſigna ſunt manifeſta, quoniam veſſicæ his ſimiles, quæ ab igne, vel feruida aqua ambuſtis emergunt. Non multum dolorem inducunt, repentè eueniunt, ſunt liuidæ bullarum inſtar, & quandò rumpuntur ſubflaui humoris copia paulatim effluit, cruſtulæque obdureſcunt, dum ſaneſcunt. In carnoſis verò, & tenera carne præditis rubicundæ ſunt.

De Phlictenarum Prognoſtico.

PHlictenæ, vt inquit *Aetius ſerm. 14. cap. 53. ad biduum aliquandò, & triduum durant.* Hæ ſimiliter mulieribus, quibus menſtrua deſecerunt, aut quibus non rectè profluunt, eueniunt: Sæpè in cruribus oriuntur; Infantibus verò aliquandò in toto corpore: Verum viris rariſſimè accidunt, & niſi rectè phlictenæ curentur, aliquandò in herpetem excedentem degenerare ſolent.

De

De Phlictenarum curatione.

QVO ad phlictenarum curationem, tres intentiones habere debemus; Prima, est victum, & alias res nonnaturales instituere; Secunda, antecedentem materiam, ac peccantes humores digerere, ac euacuare; Tertia, circa coniunctæ materiæ remotionem, ac circa localia, siuè topica versatur, ac consistit.

Quo ad primam, & secundam intentionem idem faciendum, quod in erysipelatis curatione diximus, *Et victus, vt* inquit *Aetius serm. 14. cap. 63. debet esse non solùm refrigerans, & humectans, sed etiam aluum emollions, & vrinas proliciens, & omninò acria, & salsa deuitanda.*

Circa tertiam intentionem, *Hipp. lib. de humidorum vsu* inquit, *Aqua frigida prodest papulis rubicundis, quales alia, atque alia parte sublatæ erumpunt, quales per splenia arctiora emergunt;* Quæ verò ex frigore fiunt, aut quæ exasperantur instar milij, deindè exulcerantur eas frigida lædit, calida verò prodest.

A principio quandò aliquis pruritus, aut rubedo apparere incipit, pars linimento facto ex bolo arm. pul. coriand. & rosacea aqua illinienda, aut fiat linimentum cum puluere myrti, ceruſa, & aceto.

Paul. lib. 4. cap. 10. inquit, *Phlictenas, quæ non sponte sua erumpunt, doloremque grauiorem afferunt, acu peracuta parte, cui humor subesse videtur, perforato; indè humorem suspensa manu exprimito, cutem circonfusam, quamuis impleatur, finito: Conueniente vulnere, pustula denuo compungatur, consimilique modo exprimatur, seruandaque vt priùs cutis ambiens, donec id, quod sub ipsa exulceratum est, in cicatricem contrahatur.* Quo circa priùs quàm pustulæ aperiantur, ideſt quandò pustulæ augentur, lentem elixam cum aqua eliquatam illiniendum, inquit, Aut mali punici frondes calido cinere tepefactas applicandæ, locosque attingendos. Sed si fiat eruptio, & vlcus oriatur, adipem suillum liquefactum, spumaque argenti admixtum, & in linteolum infarctum superimponendum; Vel *lilij* radix in aqua cocta, & contusa cum ceruſa admixta, vel

℞. Spumæ argenti, sulphuris viui an. vnc. 2. pulu. myrti vnc. 1. M. & cum aceto leuiga, & adiecto vino, & oleo rosaceo fiat in vngu. formam, & applica. Et hoc non solùm phlictenis prodest, sed etiam epinyctidi conducit.

Medicamentum simile ex plumbagine, & ouis confectum ad omnes calidas eruptiones est vtilis, vt ad papulas, manantia capitis vlcera, incipientesque furunculos, exustiones, & similia.

Aetius verò loco superiùs citato, post vesicarum perforationem, ac humoris exclusionem laudat emplastrum ex tritici polline factum. Post quam verò non ampliùs humor effluit, emplastrum ex hordei farina applicari iubet; Conferunt etiam phlictenis infrascripta emplastra.

℞. Lentium, foliorum, vel cocticum mali punici foliorum myrti an. M. 1. M. & in aqua coque, & postea contunde, & cum oleo rosaceo q. suff. S. A. fiat empl. vel

℞. Farinæ lentium, fabarum, puluerís malicorii an. vnc. 2. misce, & cum oleo rosacao q. suff. S. A. fiat emplastrum, vel

℞. Hordei mundi M. 5. lentium M. 2. fumariæ M. 5. maluæ m. 2. 5. coque S. A. in fabrorum ferrariorum aqua, & deindè contunde, & adde olei rosacei, myrtini an. vnc. 2. ceræ albæ vnc. 1. pinguedinis vituli vnc. 3. misce, & omnia simul coque, semper miscendo, & postea super affectam partem applica, vel

℞. Misce panis vnc. 4. lentium, arnoglossæ balaustiorum, rosarum rub. an. M. 1. foliorum maluarum, lactucæ an. M. 5. M. & coque in aqua, deindè contunde, & per setatium traijce, deindè adde farinæ hordei q. suff.

Olei rosacei vnc. 2. pinguedinis gallinæ vnc. 1. & dum refrigeratur, adde vitellorum ouorum num. 3. lactis caprini vnc. 2. misce, & S. A. fiat emplastrum, & applica, & est optimum. Possunt etiam fieri vnguenta cum puluere malicorij,

gallarum rosarum rub. myrtillorum cum oleo rosaceo, & cera q. suff. quæ tamen minùs emplastris valent.

Si verò phlictenæ in serpentia vlce degenerent ad herpetis excedentis præsidia recurrendum est.

Si verò caro inphlictenis sit corrupta, quæ carnem absumendi corruptam facultatem habent sunt applicanda. Remota corrupta carne, munificatoque vlcere, carne repleatur, & tandem consolidetur. & epuloticis medicamentis cicatrix inducatur.

Curatio Phlictenarum in Puerulis.

SI in puerulis phlictenæ oriantur, quemadmodum ex praua victus ratione aliquandò oriri solent, in his confert lotio decocti. Rosarum, aut lentium, si magis adstringere volumus, myrtum, vel malicorium addere possumus. Si verò in his maiora vlcera fiant emplastrum factum ex plantagine, intibo, & pane competit, aut ex flore polentæ cum portulaca, & semperuiuo, aut veneris vmbelico, aut hyoschiamo, vel

℞. Recrementi plumbi, & amili an. part. æqu. & cum solani succo, & oleo rosaceo q. suff. M. & illinito.

Competit etiam cadmia cum aqua dissoluta, aut cimolia cum vino.

Vel ℞. Ferri recrementum, & cum vino tento, ac illinito, & si plura desideras, *vide Aetium serm. 4. cap. 21.*



De Herpete. *Cap. 15.*



HErpes à Græcis dictus, ab Arabibus Formica corrosiua appellata fuit, & à Celso sacer ignis dicitur, à recentioribus pustulæ malæ cholericæ appellantur, & ab aliquibus papulæ. Herpes à Græcis fuit dictus ab effectu, & symptomate, quoniam continuò serpit, vt inquit *Galenus 2. meth cap. 2.*

Herpes est tumor, siuè pustulosa inflammatio cum pruritu, & rubedine, partem in quam serpit exulcerans. Vel dicere possumus, quòd herpes sit tumor, quidam paruus exurens, cutem serpentibus & minimis pustulis exasperans, ac erodens, miliarem herpetem sic definire possumus; Miliaris herpes est tumor paruus cum quodam ardore cutem serpentibus pustulis Milio, aut absimilibus exasperans.

Cum ergo sit tumor, erit morbus in compositione, & præcipuè in magnitudine aucta, cum verò partem exulceret, erit morbus in solutione continui.

Herpetum species, vt inquit *Aetius serm. 14. cap 60. Tres sunt, Vna est, quæ solum serpendo, &, vt ita dicam, ambulando solam cutem exedit, & hæc dicitur herpes absque vlla addictione, & tantùm generis nomine vocatur. Secunda species herpes exedens, vel depascens, siuè ethiomenos à Græcis, siuè fera dicitur; Tertia miliaris herpes nominatur, à similitudine, quoniam in superficie parua pustula, & milio similes excitantur.*

Gal. 2. ad Glauc. cap 9. Solùm duas herpetum species esse dicit, idest Miliarem & exedentem, sed hoc parum refert, cum eadem curatio competat miliari herpeti, & simpliciter dicto, & eadem pars sit affecta, & ex eadem causa proueniat, & ideò de hoc non est litigandum.

In prima, & tertia herpetis specie pars affecta solùm est cutis superficies, siuè cuticula dicta. In secunda pars affectæ

In prima, & tertia herpetis specie pars affecta solùm est cutis superficies, siuè cuticula dicta. In secunda pars affecta est tota cutis, cum totam cutem vsque ad subiectam carnem exulcerer. Pars igitur ab herpete affecta est cutis, & minimè partes cuti subiectæ, sicuti omnes Authores attestantur, & C. Celsus inquit *lib. 5. cap. 28.*

Sacer, ignis fit maxime in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipuèque in plantis, atque hoc quoque malo ferè corpora seniora tentantur, aut quæ mali habitus sunt, sed in cruribus maximè,

De Herpetum causis.

EFficiens, & coniuncta causa herpetem efficiens est biliosus humor sincerus, & superuacuus, & ardentissimus, qui sensim nulloq; fluxionis impetu à venis expurgatus tenuitate partes omnes, præcipuè carnosas transgreditur, dum densiorem cutem attingat, in qua tandem decumbit, ac detinetur ob eius densitatem, & cum ab exquisita fiat bile, ideò cutem exurit, & aliquandò pustulas Milio similes efficit, aliquandò verò exulcerat, & propinquas partes populatur, ac depascit, vt inquit *Gal. lib. de tum. præt. nat. 4. & 14 meth. & 2. ad Glauc. cap. pr. & Aetius serm. 14. cap. 60. & Paulus lib. 4. cap. 20. & C. Celsus lib 5. cap. 28. & denique omnes boni Authores.*

Antecedens causa nemini est dubium quin sit huius biliosi humoris in corpore abbundantia. Procatarcticæ causæ possunt esse omnes illæ, quæ huius biliosi humoris cumulum efficere possunt, *vt cap. de erysipelate diximus.* Tamen sciendum, quòd miliaris, & simplex herpes à subtiliori, & dilutiori bile, & minùs acri fit, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. & lib. de tumor. præter naturam, vbi etiam scriptum reliquit: Quòd in hac herpetis specie aliquid pituitæ esse admixtam ei videri.*

Herpetem verò exedentem à meraciissima bile, & crassiore, & ideò exulcerat, ac erodit, & semper proximam cutem inuadit, rituque serpentis bestiæ ad vicinas partes progreditur, easque depascit, ac populatur, vt inquit *Gal. 2. meth.*

Prouenit ergo herpes ab eodem humore, à quo erysipelas, sed in hoc differunt, quòd erysipelas fit à bile naturali, herpes verò à bile præter naturam redundante; ideſt quòd bilis, quæ herpetem excitat, est tenuior, ac calidior, mordacior, acriorque reddita, & ideò est præter naturam; Et hoc colligitur ex *Gal. lib. de tumoribus præter naturam, & 14. meth.* inquit, *Serpens Vlcus, quod herpes dicitur, eiusdem est generis cum exulcerato erysipelate; Etenim herpetem biliosus procreat succus sub cute hærens: Quo fit, vt eatenùs affectus is eiusdem sit cum erysipelate generis, atque huiusquoque magis, quod exulceratum est. Differt autem ab erysipelate humoris tenuitate, est enim admodum tenuis, qui herpetem excitat. Ex eo autem, quòd alter humor, altero sit tenuior, & crassior, vlcerum differentiæ, quæ ex profunditate spectantur, proueniunt, vt in phagedenico vlcere, à quo herpes differt,* vt inquit *Gal. lib. de tumor. præter natur.* dicens, *Iam verò, qui affectus ex vlcere, & tumore circumambientem constat, phagedena vocatur.*

Depascitur etiam herpes circumuicinas partes, solius tamen cutis exulceratio existit, phagedena verò, vna cum cute attingit etiam, & subiecta. Quæ vlcera omnia cachoetæ, hoc est maligna, vocantur, & cachoetæ vlcera sunt, quæ ritè, decenterque omnibus administratis, non sanantur, vt *Gal.* docet

Differt ergo herpes ab exulcerato erysipelate, quamuis magna similitudo adsit, & ab vlcere phagedenico, vtque omnes differentias adducam ab erysipelate differt, quod erysipelas conspicua defluxione de repente emergit. Herpes verò sensim, multoque tempore, nec conspicua fluxione efflorescit. Secundò, herpetis pustulæ magis aridæ sunt, & quibus ruptis pauca, vel nulla materia profluit. Ex erysipelate exulcerato multa humiditas, & pus, & sani segreditur. Tertiò, herpes pruritu, erysipelas verò dolore, ac ardore torquet. Quartò, cum erysipelate semper febris est coniuncta, & breuiter

uiter, & ſponte aliquandò ſoluitur, contra in herpete non adeſt febris, & diuturna herpetis ſemper curatio exiſtit. Quintò differt, quòd eryſipelas fit à naturali bile, herpes verò à bile præter naturam, & bilis eryſipelas efficiens eſt craſſior, herpetem verò procreans eſt ſubtilior.

Differt à phagedena, quia herpes ſolùm cutem depaſcit; phagedena verò etiam partes ſibi ſubiectas, & in phagedena non ſolùm adeſt vlcus, ſed etiam circumiacentium partium tumor, quòd non adeſt in herpete.

De Herpetum ſignis.

HErpetis ſimpliciter dicti ſigna ſunt, quòd pars affecta ad rubedinem tendit, vel ad rubedinem cum flauitie commixtam calida redditur, adeſt pruritus, & ſcalpendi deſiderium, & ſolùm ſerpendo cutem exurit.

Miliaris herpetis à ſimilitudine dicti, ſigna ſunt, vt inquit *Gal. 14. meth. cap. 2. & Celſus lib. 5. cap. 28. Quòd non ſolùm pars affecta ad rubedinem tendit, aut eſt rubore, & pallore mixta, & ſæpè rubor cum calore eſt, & adeſt pruritus, ſed etiam puſtulæ milio ſimiles, aut etiam maiores in ſumma cute excitantur, quæ etiam aliquandò exulcerantur, & ab his proſluit materia quædam, quæ eſt quid medium inter ſaniem, & pus, deindè primis puſtulis ſaneſcentibus, denuò aliæ ſerpendo oriuntur, & ſenſus quaſi punctura formicæ percipitur.*

Signa herpetis exedentis ſunt, quod ſerpendo erodit, tamen ſolam cutem depaſcit, & partes cuti ſubiectas non attingit, vt phagedena efficit, latè diffunditur, & parua vlcera, & foramina multa efficit. Pars affecta eſt ſubliuida inæqualiter tamen, mediumque ſaneſcit, extremis procedentibus, ac ſæpè id, quod iam ſanum videbatur, iterùm exulceratur. At circum circa proxima cutis, quæ vitium receptura eſt, timidior, & durior eſt, & colorem habet ex rubro ſubnigrum.

De Herpetum prognoſtico.

GAL. 4. *meth.* inquit, *Quæcumq; verò vlcera exedunt, ea tùm cachoetæ ſunt, tùm malorum ſuccorum ſoboles.*

Ex maligna magis, vel minùs bilis natura magis, & minùs periculoſus eſt herpes; In Cancrum item herpes degenerans malum.

C. Celſus lib. 5. cap. 28. inquit, *Omnis ſacer ignis, ſiue herpes, vt minimum periculum habet ex his, quæ ſerpunt. ſic propè difficillimè tollitur, præſertim quando iecoris intemperies adeſt, quæ difficultatem auget.*

Herpes miliaris difficilioris eſt reſolutionis exedente herpete, ac præcipuè ſi ex venerea lue ortum habeat.

De Herpetum curatione.

IN herpete curando, quatuor intentiones habere debemus. Prima eſt victum, & alias res nonnaturales inſtituere. Secunda eſt antecedentem materiam auertere, & humoris in affectam partem confluxionem inhibere. Tertia eſt quidquid

in

in affectam partem confluxit, & ibi inhæsit vacuare. Quarta est sanare vlcus.

Primam, ac secundam intentionem assequimur victu instituto, ac aliis rebus nonnaturalibus in erysipelatis curatione, cum eiusdem sit generis. Similiter humorum auersio fit eisdem medicamentis, præter quam in miliari herpete, in quo cum colagogis aliquid phlegmagogi medicamenti miscendum est, dicente *Galeno* 2. *ad Glauc. cap.* 2.

Herpetes autem quantum ad totius corporis euacuationem attinet, vt erysipelas curare oportet. Si verò pletoricum corpus sit, etiam venæ sectio fieri potest facienda etiam reuulsiones, derivationes, & similia, & hoc est præceptum Galeni 4. *meth.* vbi inquit, *Quòd in herpete, ac in omni alio diuturno vlcere peccantes humores per aluum euacuare oportet, Hippocrates præcepto lib. de vlceribus.*

Si igitur valenter etiam num fluxio irruat, reuellere ad contraria studebimus, atque si in superioribus vlcus consistat, per inferiora purgantes. Sin autem in inferioribus sit, superioriorem ventrem euacuantes. At si iam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit, quam, & in propinquiora translatio, & purganti medicamento tùm accessus, tùm attractus, è vicino sit promptior. Dicit etiam 14. *meth Gal. Si quis igitur toto priùs purgato corpore, mox quæ influentem humorem reprimunt, regerunique, medicamentis vtatur, tam curauerit herpetem. Si neutrum horum fuerit. Sed tantùm ea, quæ cicatricem inducunt, adhibuerit, vtique exulceratam cuticulam sic sanauerit; Proximè tamen illi, quæ minùs exulceretur, non consuluerit. Postmodùm verò illa, quoque cicatrice inclusa, qua ipsi continua est, exulceratur. Idque longo spatio, ceù malo ipso serpente fit, donec humor, vndè oritur sit inanitus; Vacuandus itaque est per huiusmodi affectus, semper his, qui redundat humor aliquandò medicamento, quod flauam purgat bilem. Sapè eo, quòd nigram, modò eo, quòd mixtæ sit facultatis, quodque simul bilem, & pituitam educat, veluti in miliari herpete.* Et inferiùs inquit, *Cæterùm an generationem vlceris in ijs, quæ extrinsecus admouentur, exuperare debent, quæ repellendi facultatem habent. Vbi verò non ampliùs confluit in ægrotantem particulam vitiosus humor, quæ digerunt. Si quidem exiguum vitiosi humoris, etiam si quis ad viscera reprimat, leue damnum committet, at si eius quantitas sit momentanea, in principio aliquod membrum aliquandò procumbit.* Ac inferiùs inquit, *In herpete, quoniam tenuis est humor, qui ipsum creat, abundè est etiam aluum soluisse, vel vrinas per ea, quæ id modicè efficiunt, citasse. In miliari ergo herpete, quum dilutior sit bilis, & attrahi promptior, blandiori medicamento. In erysipelate verò, quia crassior est humor, ideò vehementiori medicamento est opus,* 2. verò *ad Glauc. cap.* 2. inquit *Gal.*

Quamuis tàm in erysipelate, quàm in herpete eadem curatio conueniat circa sex res nonnaturales, & circa vniuersalia, id est circa purgationem, quatenùs ex flaua bile vterque constat. Quatenùs verò ad particularia præsidia, partim communem, partim diuersam.

Omnes enim refrigerari volunt, sed erysipelata frigida, & humida exposcunt herpetes verò refrigerari, & exsiccari, minimè tamen humectari volunt, herpes verò exedens magis exsiccantibus gaudet miliari, cum profundiora vlcera fiant, & humore tùm vbertore, tùm crassiore oriatur.

Perinitia igitur vacuato corpore, exedenti herpeti, ac etiam miliari imponenda sunt, quæ influentem humorem reprimunt, ac exsiccant, quales sunt vitium caprecli, solanum, folia oleastri, & salicum, balaustbia, malicorium, calices glandium, rubi, & canini rubi cacumina, & arnoglossum, quorum vti possumus succis, aquis stillatitijs, & decocto. Quibus si addamus hordei, vel lentium farinam, catapl. conficere possumus, quod materiam, quæ iam influxit, vacuabit, & sic tertiam intentionē assequemur. Deindè intendenda est medicamenti vis admiscendo lenticulam, quæ edenda est melle, & polenta. Eadem vtilitate infra-

scrip-

ſcripto cataplaſmate vti poſſumus, quòd potenter exſiccat, & quantum ex vſu eſt, fluentem humorem reprimit, & quod iam affectum partem obſidet, euacuat, huiuſmodi autem ſit ex arnoglosſo, lenticula oommeſtibili, pane, roſaceo, malicorio, rhu, ſiuè ſumach, & polenta, lenticula enim, & arnoglosſum exſiccando euacuat, panis detergendo, ac digerendo. Repellunt verò roſaceum, arnoglosſum, & lenticula ſtringendo citrà dolorem, vel infraſcriptum, quòd magis digerit, applicare poſſumus.

℞. Malicorij, balauſtiorum an. vnc. 2. thor M. 2. Farinæ hordei vnc. 3. coquantur S. A. in vino auſtero, & terantur, & fiat catapl. vel

℞. Arnoglosſæ, capreolorum vitis, ſummitatum rubi, oleaſtri an. M. 1. balauſtiorum pug. 2. miſce, & fiat decoctum, de quo ℞. vnc. x. & adde farinæ hordei vnc. 1. farinæ lupinorum vnc. 5. olei nimpheæ, vel roſacei vnc. 1. 5. coquantur, & fiat puls, quæ applicetus. Niſi amplius defluat humor ad reſoluendum, quod iam influxit, ſufficienter ſiccantibus, & diſcutientibus omniq; acredine carentibus vti debemus, ſicuti eſt infraſcriptum.

℞. Succorum plantaginis, ſolani an. vnc. 1, ſucci rad. lapatij vnc. 5. balauſtiorum pug. 1. roſarum rub. dragm. 1. 5. aluminis dragm. 1. aceti vnc. 2. miſce, & bulliant ad acetum, & ſuccorum conſumptionem; deindè per horam vnam in plumbeo mortario terantur, addendo litargir. j vtriuſque an. vnc. 2. ceruſæ vnc. 1. tutiæ drag 2. & ſi magis exſiccare deſideras, adde ferri ſcoriæ præparatę dragm. 2 floris aeris dragm. 1. vel calcis lotæ quantumlibet, & in vnguenti formam redige, vel

℞. Lanæ ſuccidæ vſtæ, & pul. dragm. 2. corticis pini vſti, & loti drag. 1. 5. adipis caprini vnc. 1. olei mirtini vnc. 3. ceræ qu. ſuff. miſce, & S. A. fiat vnguentum.

Plurimùm quoque commendatur liquor, qui ſua ſponte, vel ignis vi expreſſus è vitis caudice exudat, Oribaſius laudat d lutum ex aceto, aut ſolani, & plantaginis ſucco, ſimiliter lini ſemen oleo, & vino incoctum, & tritum, ſimiliter prodeſt cimolia terra cum ſolani ſucco ſubacta, & ad vnguenti formam redacta.

Quoad quartam intentionem, ſi humor ſua acrimonia vlcus effecerit, cum omne vlcus exſiccari exopter, medicamento non aſpero, nec mordente, neq; irritante faciendum. Præter quam vbi malignum, & putridum fuerit, vt inquit *Hipp lib. de vlceribus*, ſequenti decocto vlcus abluemus, ac fouebimus, quod partem roborat, vlcus detergit, & humoris fluxum prohibet.

℞. Burſæ paſtoris, centinodiæ, plantaginis, ſolani an. M. 1. calicum viridium glandium, vel nucum cupreſſi an. paria x. baccarum, & foliorum mirti, malicorij, balauſtiorum an. vnc. 1. acaciæ hypociſtidis an. dragm. 6 myrrhæ, thuris an. dragm. 5. miſce, & fiat decoctum in aqua fabrorum. A foto verò aliquid ex ſuperioribus medicamentis admouebis, vel infraſcr.

℞. Citoniorum, gallæ an. dragm. 3. myrrhæ, thuris, aloes an. dragm. 2. 5. aluminis fiſſi dragm. 2. radicum ariſtolochiæ rot. vulgaris an. dragm. 2. 5. calaminthæ dragm. 1. 5. trita in vino ſubauſtero excipiantur, & fiant paſtilli, qui aqua mellis diſſoluti illimiantur. Valet etiam medicamentum, quòd ex terra lemnia bolo armenio, aqua roſacea, & aceto componitur, mirificè verò confert infraſcriptum,

℞. Lanæ ſuccidæ intrà ollam combuſtæ, & in puluerem conuerſa, & diſſolue cum aqua roſacea, & redige in ſcriptorii atramenti formam, & bis in die pluma illinito. Paulus maximè laudat plumbi recrementum cum ſucco rutæ, vel myrtino ceratum exceptum. Item, quod ℞. lanæ ſuccidæ vſtæ vnc. 5. ceræ vnc. 1. recrementi plumbi drag. 3. ſeui caprilli aqua loti vnc. 1. olei myrtini vnc. 1. 5. M. & S. A. fiat vngu. vel

℞. Puiueris maltcorij ex dulci malo punico, ſpumæ argenti an. dragm. 6. lanæ ſuccidæ vſtæ, corticis pini vſti, & loti an. dr. 3. ceræ vnc. 1. 5. ceruſæ vnc. 1. thuris aluminis ſciſſilis an. drag. 1. miſce cum vino, & myrtino oleo q. ſuff. & S. A. fiat vngu.

Si

Si verò humor vsque adeò acris fuerit, vt superioribus medicamentis non cedat, sed phagedenicum vlcus excitet, ad valentiora recurrendum est, vt sunt trociſci, andronis, polidæ, muſæ, paſonis, Ioannis de Vigo, qui nigro vino, ac austero sunt dissoluendi, vel albo, nisi nigrum haberi possit. Nisi hi pastilli adsint, possumus etiam arsenico sublimato optimè trito, & cum albo vnguento commixto, vti, & eo elichinia imbuere, vel vti possumus myſi, vel calcitide, vel calce, vel sandraca, & partes circum circa, vel vnguento defensiuo, vel oxicrato, ne ob dolorem noua fluxio fiat, muoſendæ, & tandem nisi his med. cedat, & continuò vlcus serpat, ad ignitum ferrum deueniendum.

De miliaris Herpetis curatione.

HErpetes miliares, & qui tantùm summam cutem exulcerant, vt inquit *Gal. 2 ad Glauc. cap. 2. Nisi diù perdurauerint, nullo horum, ideſt ſuperiorum acrium medicamentorum vti debemus, cum fortiter adurant, & vehementer exſiccent.* Verùm istis sufficiunt, quæcunque vim glaucij habent, ideſt menthæ, quæ quidem aqua diluenda sunt, aut aceto, si nihil ex aqua profecerint. Quod si etiam solani succo intinxeris, vel arnogloſſi plus etiam conferes. In principio igitur competit emplastrum de arnogloſſa cum puluere malicorij, vel balauſthiorum, & gallarum viridium, vel catapl. de duobus malis punicis, succus radicis lapatii acuti in aceto diù macerati, & cum dictis pulueribus, & alumine, cum lapathum molliat, & exsiccet, & acetum bilem extinguat. Possumus etiam medicamentum parare ex gallis tamariſci fructibus, malicorio, bolo armenio an. vnc. 1. & omnia cum vnc. 3. aquæ roſaceæ, & aceti vnc. 1. misceantur.

Ad discutiendum verò competit succus asphodeli, vel succus similacis asperæ, vel vti possumus gummis prunorum in aceto acerrimo dissolutis.

Vel possumus etiam iubere, vt pars affecta foueatur marina aqua, vel muria, in qua etiam incoctum sit malicorium, alumen, & sulphur.

Competit etiam, vt superiùs diximus, aqua è vitibus destillat, & si cum ea sulphur citrinum aduſtum, & flos aeris an. partes æqu. commiſceatur, & cum vino pontico q. suff. fiat linimentum; quòd in declinatione multùm confert, & maximè saniem exsiccat, vel

℞. Spumæ argenti vnc. 1. 5. minii dr. 3. boli armenii, terræ sig. rutiæ præparatæ an. dr. 2. ceruſæ vnc. 5. succi ſolatri vnc. 1. 5. olei myrtini vnc. 1. caphuræ G. xv. ceræ albæ q. suff. M. & S. A. fiat vnguentum.

Quandò verò puſtulæ rumpuntur, & pus exit, detergentibus, & exsiccantibus vti debemus, quorum formulæ plures in superioribus fuere descriptæ.

Si verò caro etiam putrida subsit, medicamentis ad id aptis tollenda, quæ tamen minimè noxia sint, vt est infrascriptum.

℞. Reſinæ terebent. vnc. 2. fuliginis, thuris an. drag. 1. 5. squamæ aeris dr. 5. litargirij, aluminis an. dr. 1. argenti spumę dr. 2. misce, & vtere, vel applica vngu. triapharmacum, cui quinta pars thuris sit adiecta, vt inquit Celsus, *vel Mercurium præcipitatum, quòd maximè talia vlcera rectificat*; Multa alia præsidia ponit Aetius *serm. 14. cap. 60. & Paul. lib. 4 cap. 20. & alij boni Authores, quos videre potes, satis itaque sic locos monſtraſse.*

Circa vniuersalia idem, quòd in aliis Herpetibus, vt superiùs fuit dictum, faciendum, præter quam cum colagogis medicamentis phlegmogoga sunt commiſcenda, cum hæc herpes à bile, & pituita simul mixtis oriatur.



De

De Impetigine. *Cap.* 16.



Mpetigo à Latinis dicta, Lichen à Græcis, ab aliquibus Serpigo, à nonnullis, acutis aſperitas dicitur, & vulgò etiam ab aliquibus volatica nominatur. *C. Celſus lib. 5. cap. 28. per impetiginem quid aliud intelligit, quàm Græcorum Lichenas, cum quatuor impetiginum ſpecies faciat, de qua re nullam mentionem vllus Græcorum fecit, & ibi etiam ponit, ſigna diuerſa à Græcorum Lichenis. Sed credo, & firmiter teneo, quòd Celſus Græcorum Lichen papulam vocauerit, quarum duas dicit eſſe ſpecies. Altera mitis eſt, altera fera, & hoc ſit notum ex ſignis, cum dicat, altera eſt, ideſt mitis, in qua per minimas puſtulas cutis exaſperatur, & rubet, leuiterque roditur, medium habet pauxillo leuius, tardè ſerpit; idque vitium maximè rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. Altera autem eſt quàm Agrian, ideſt feram Græci appellant; In qua ſimiliter quidem, ſed magis cutis exaſperatur, exulceraturque, ac vehementius & roditur, & rubet, interaum etiam pilos remittit.*

Impetigo eſt cutis aſperitas dura, & ſicca cum ingenti prurigine.

Cum ergo cutis aſperitatem impetigo faciat, nemini eſt dubium, ſit morbus in compoſitione, & præcipuè in ſuperficie, cum eam aſperam reddat. Pars affecta eſt cutis, & vt plurimùm oritur circa ceruicem, & faciem, quamuis etiam in aliis partibus aliquandò oriatur, cum forma plurimùm rotunda, vt anulus.

De Impetiginum cauſis.

GAL. 5. de comp. med. S. Loc. & Paul. lib. 4. cap. 3. & Aetius ſer. 8. cap. 16. inquiunt, *Quòd impetigo ex mixtis quibuſdam generatur humoribus, ſeroſis nimirùm tenuibus, & acribus ſuccis cum craſſis mixtis, qui humores ad cutim tanquam ad totius corporis cloacam tranſmittuntur, cutemque corrumpunt*, vt inquit *Auicena, & huiuſmodi humor eſt vehementer calidus, & propter hoc in impetigine adeſt pruritus, ac ardor; Antecedens cauſa eſt predictorum humorum in corpore abundantia: Procatarticæ cauſæ ſunt omnes illæ, quæ predictorum humorum cumulum efficere poſſunt.*

De Impetiginum ſignis.

Impetiginum ſigna ſunt, quòd cutis aſpera redditur, dura, & ſicca, pruritus adeſt maximus, & circumtenſio, proſerpit, & loco dimouetur, & aliquandò per totam faciem, & oculos ipſos contingit, ſæpè accidit in hyeme, vt inquit *Auicena, Eo quòd frigus coarctat, & conſtipat, taleſque materias ad cutem deriuat.*

De Impetiginum prognoſtico.

Impetigo, niſi rectè curetur, de facili in pſoram, & lepram tranſit, vt inquit *Gal. loco ſuperiùs citato, & Paulus, & Aetius*, & huic addit *Celſ. Quòd papula, ſiuè impetigo, quæ minùs rotunda eſt difficiliùs ſeneſcit; Recens impetigo, ac mitis curatu eſt faci-*

facilior, quam quæ diuturna, & fera existit.

De Impetiginis curatione.

IN curanda impetigine tres intentiones habere debemus; Prima, in victu, ac alijs rebus nonnaturalibus consistit; Secunda, in peccantium humorum euacuatione; Tertia, in localibus consistit. Sed in curatione diligenter ea, quæ mitis est à fera impetigine, & quæ recens ab ea, quæ longiori tempore durauerit, discernenda, vt Aetius inquit,

Circa primam intentionem, victus humidus conuenit, cum impetigo ab aduſtis humoribus & per conſequens ſiccis oriatur, & ideò non ſolùm humectantia ad intra conuenient, ſed etiam ad extra, & ea omnia fugienda, quæ huiuſmodi humores procreare poſſunt.

Secundam intentionem aſſequimur medicamentis huiuſmodi humores præparantibus, & poſteà euacuantibus, quæ non deſcribam, vt prolixitatem fugiam, cum quilibet mediocriter in arte medica exercitatus optimè ſciat quæ ſint iſta medicamenta, & ſi cum huiuſmodi humoribus etiam ſanguis peccet, venæ ſectio etiam facienda.

Tertius ſcopus topicis, ac localibus completur, corpore euacuato, in recenti, ac mitiori impetigine imponere poſſumus parietariæ folia cum aceto trita, aut ammoniacum cum parietariæ ſucco in aceto tritum, vel braſſicæ ſuccum, aut quòd deſtillat ex eius caule, dum aduritur illitum, cortex ſimiliter radicis oxylapati commanducatus, & impoſitus, portulacæ ſuccus aſſiduè illitus maximè prodeſt.

Puerorum impetigines, vt inquit *Paulus*, *Sanat hominis ieiuni ſaliua continuè affricta, his etiam prodeſt gummi pruni illitum, ſordes ceræ, vel apium; infraſcriptum ſimiliter linimentum impetigines optimè perſanare ſolet.*

℞ Reſinæ tereb. in aqua roſarum lotæ vnc. 1. olei roſacei vnc. 5. ouorum lutea num. II. ſuccí duorum malorum arantiorum dulcium M. & fiat linimentum.

Similiter liquor, qui ex viridibus oleæ lignis, dum aduruntur, deſtillat, eſt vtilis, ammoniacum item, & thus cum aceto trita, aut cum parietariæ ſucco. Confert etiam ſuccus ſeminum agreſtis, maluæ aſſiduæ illitus, & infraſcriptorum oleorum inunctio, vt olei frumenti, iuneperini, de ouorum vitellis, & de tartaro, & antequam pars inungatur, fricari debet. Mel ſimiliter coctum, & colatum ſuprapoſitum, per ſe, impetigines detergit, vel cum fabacea farina, vel aceto commixtum. Similiter pix humida cum myrrha æquali portione commixta maximè prodeſt; Confert etiam thus cum oleo roſaceo, & aceto diſſolutum. Illinitio acetoſitatis citri etiam maximè eſt vtilis. Similiter leporis ſtercus, vel vulpis liquefactum cum aceto, ſi ex eo inungatur impetigo, ſanat eam.

Si verò impetigo diuturna ſit, & fera valenter ſiccantibus, ac abſtergentibus inquit *Gal. 5. de componendo medicam. S. Loc.* vbi multa medicamenta proponit, quæ quiſque ex ſe ipſo videre poteſt; vide verò infraſcriptum vnguentum confert.

℞. Reſinæ terebentinæ in aqua roſarum lotæ vnc. 1. olei roſacei vnc. 5. butiri recentis, axungiæ ſuillæ an. dragm. 3. ſulphuris viui dragm. 2. ſalnitri drag. 1. 5. aluminis zuccherini, ſalis foſſilis ani dragm. 1. ſeminis ſtaphidis agriæ, litargirij an. ſcrup 2. vitellorum ouorum nu. 2. ceræ qu. ſuff. M. & S. A. fiat vnguentum.

Viticis etiam folia cum aceto trita, & illita proſunt, aut aſphodeli radix in aceto cocta, & trita, ſi affricetur, confert.

Aetius ſerm 8. *cap.* 16. quam plurima proponit medicamenta, & inter cætera maximè laudat infraſcript. vng. ſiuè liquidum empl.

℞. Picis, ſiuè reſinæ colophoniæ radicis hellebori albi tritæ, olei roſacei, ceræ an. part. æquale M. & S. A. fiat vnguentum, vel, vt ille inquit, liquidum emplaſtrum. Cætera quiſque ex ſe

ipſo

ipſo videre poteſt; inquit etiam idem Author.

Si his medicamentis impetigo non cedat, excoriatoriis vtendum erit, quorum multa proponit, vel infraſcripto vtamur, vel huic ſimili.

℞. Litargirii, nitri, aeris vſti, foliorum viticis an. dragm. 1. calcanthi ſcrop. 1. ſulphuris viui, hellebori albi an. drag. 5. eruginis ſcrop. 2. vnumquodque ex ſe ipſo conteratur, & in puluerem redigatur; Deindè cum cera, & oleo roſaceo q. ſuff. M. & fiat vnguentum. Poſt excoriantium remotionem, detergentibus, ac mundificantibus vti debemus, ficuti eſt mundificatiuum ſimplex. Mundificatiuum compoſitum, vnguentum viride, apoſtolorum, vel quid ſimile. Poſt mundificantium vſum, cicatricem inducentibus vti debemus, vt eſt vnguentum de ceruſa, de minio deſiccantium rubrum, de tutia, de calce, & ſimilia. Et qui plura deſiderant, videant Galenum, Aetium, Paulum Aeginetam, alioſque Authores ſuperiùs citatos, qui plurima medicamenta pro impetigenis curatione deſcribunt, & hæc de impetigine ſatis.

De Tumoribus à pituita ortis, & primum de Oedemate exquiſito.

Cap. 17.



VM vſqueadhuc de calidis tumoribus, tuberculis, & puſtulis verba fecerimus, modò de iis, qui à frigida materia ortum ducunt, pertractabimus, & primùm de iis, qui à pituita, cum hic humor magis melancolico humore in corpore redundet, & frequentius à pituitoſis humoribus orti tumores in corpore oriantur, & primùm de Oedemate dicemus.

Oedema à Græcis dictus, ab Arabibus vndimia nominatur, ab aliquibus verò zimia, & phlegmaticus abſceſſus, ſiuè molle apoſtema vocari ſolet; Hipp. ac alii antiqui Authores, vt narrat Gal. de Medici officina, ac aliis in locis per oedema, omne tumorum genus intelligebant.

Nos autem, per oedema, particularem tantùm, ac vnam tumoris ſpeciem, vt Gal. ac alii recentiores Authores intelligemus; Vtque inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 3. & 14. meth. cap. 4. Oedema eſt mollis quidam tumor, atque doloris expers, ex pituitoſa ſubſtantia, vel ſpiritu vaporoſo ortus, qualis in cadaueribus, & hydropicorum, ac tabidorum pedibus, plerumq; cernitur: Auic. 3. 4. tract. 2. cap. 2. Huic definitioni addit, quòd huiuſmodi tumor eſt ſine calore.*

Ita ergo definire poſſumus, oedema eſt tumor frigidus, pituitoſus, mollis, & laxus doloris, ac caloris expers, & albidi, vel ſubflaui coloris.

Sed cum duplices ſint oedematis ſpecies, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 4. ideſt oedema, ſymptoma, vt in hydropicorum pedibus, ac tabidorum accidere ſolet, & oedema morbus, ideſt qui fit propter pituitæ in aliquam partem influxum, & affectionem organicam facit.*

De hac enim ſecunda ſpecie non ſumus verba facturi. Quæ affectio, cum ex tumorum genere ſit, eſt morbus in compoſitione, & præcipuè in magnitudine aucta, & oedema morbus etiam duplex eſt, vel enim eſt ſimplex, & verum, ac exquiſitum oedema, quòd ex ſolo pituitæ affluxu fit, vel ſpurium, & nothum; oedema, quòd ex humore pituitoſo mixto cum aliquo alio humore fit, triplex eſt, ideſt oedema phlegmonoſum, eryſipelatoſum, & ſcyroſum.

Partes ab oedemate affectæ ſunt cutis, & ſubiecta caro, & aliæ partes laxæ, quæ pituitoſam fluxionem receperunt, & præcipuè manus, & pedes, quæ partes à caloris fonte ſunt remotæ, & ex ſui natura, ideſt ex compoſitione etiam frigidæ ſunt, & humoris etiam grauitas eſt in cauſa, vt hæ declines partes fluxionibus facilius tententur.

Differt verò oedema in phlegmone, ſiuè inflammatione mollitie, & laxitate, & quia eſt doloris, & caloris expers, ac etiam colore, cum ad albedinem tendat inflammatio verò ad rubedinem. Differt etiam à ſcyris mollitie, & laxitate, & ſcyri

pitui-

ptius hæc aquosa materia irruat, quam in partes alias, sunt; Quia hæ partes à calidissimis partibus, & caloris fonte longe absunt, vt inquit *Gal.* 2. Pronosticorum, & hæ partes etiam pauca caloris copia sunt à natura donatæ, & ideo sunt debiles, frigidæ, & densæ, & ideo facilitèr, & prompte hanc materiam recipiunt, quæ postea recepta ob partium densitatem etiam retinetur, & minime resoluitur.

Differt vero aquosus tumor à vero oedemate, quoniam dum comprimitur comprimentis vestigium ac foueam non relinquit. Distinguitur à flatuoso tumore, quoniam percussus non tympani sonitum reddit, veluti flatuosus tumor, ab inflammatione, & erysipelate distinguitur quinta in tumoribus adest dolor, minime vero in acquoso tumore. A scirro verò distinguitur, quia tactui non renititur, veluti scirrus.

De Aquosi Tumoris Causis.

AQuosorum tumorum causæ plures esse possunt, vt de alijs tumoribus diximus.

Aliæ enim sunt externæ, aliæ internæ. Causæ externæ sunt, vt nimius aquæ, vel vini, vel alterius liquoris potus, cum aquosus humor portionis fit excrementum, vt omnes Medici affirmant, vel aquosi cibi.

Internæ causæ sunt natiui caloris inopia, & coctricis facultatis imbecillitas, aut iecoris, aut lienis imbecillitas, frigida intemperies, & vitiosa constitutio, vel renum attractrix facultas debilis, qui, vt debent serosam humiditatem non attrahunt. Serosa ergo humiditas cum à renibus non attrahatur, in corpus refunditur; excretricemq; facultatem stimulat, & hæc aliquam partem ad cutem, tanquam ad totius corporis cloacam expellit, & ita aquosos tumores efficit.

Coniuncta verò causa est aquosus humor, qui actu tumorem efficit.

Notandum tamen quod à maiori frigiditate aquosus tumor fit, quam flatulentus, vt inquit *Gal. Com.* 11. *lib.* 4. *Aph.* dicendo, *A maiori frigiditate aquosus hydrops generari videtur quem ascitem appellant, à minori verò timpanias, neq; enim mutari in aerem flatuosum humiditas sine aliquo calore potest. Sciendum etiam, quod raro inuenitur aquosus humor in aliqua parte inclusus absq; aliqua flatulentæ materiæ portione, quemadmodum, vt superius dixi, flatulenta materia raro absq; aquoso humore in particula aliqua concluditur.*

De Aquosorum Tumorum Signis.

TVmorum aquosorum signa sunt, quod huiusmodi tumores sunt laxi, & laxiores etiam, & molliores, & minus tactui renitentes legitimo, & exquisito oedemate. Quamuis præmentis digiti vestigium non remaneat, sicuti in oedemate. Si percutiantur, vel premantur, instar murmurantis aquæ sonitus redditur; Huiusmodi similiter tumores sunt minus turbidi. exquisito oedemate, & si quis ad lucem ipsos intueatur, perlucentes, & splendidi apparent, Similiter huiusmodi tumores, cum à salsa materia fiant, ferè continuo cum pruritu fiunt.

De Aquosorum Tumorum Prognostico.

AQuosi tumores qui ob hepatis vel lienis vitium fiunt, periculosi sunt non tumoris ratione, sed principium partium male affectarum.

Aliqui verò aquosi Tumores, qui ob harum partium vitium non oriuntur non

ſunt periculoſi, ſed difficilis ſunt curationis.

Illi verò aquoſi tumores, qui in toto corpore eueniunt, & veſſicis ſant ſimiles, & ſudamina appellantur, omninò periculo vacant, & non ſunt omninò difficilis curationis.

Tumores item aquoſi magis ſunt periculoſi fluuoſis tumoribus, cum a maiori caloris debilitate, vt ſuperiùs dixi, fuerint orti.

Si corpus ſimiliter ſeroſis humiditatibus fuerit repletum, periculum eſt, ne in prædictas partes aquoſi tumores fiant.

De Aquoſorum Tumorum curatione.

IN huiuſmodi tumorum curatione quatuor intentiones habere debemus. Prima, in victu, & alijs rebus nonnaturalibus conſiſtit. Secunda, in aquoſi humoris tàm per aluum, quàm per vrinarios meatus, vel per ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem euacuatione. Tertia in concoctionis rectificatione, ac affectarum partium roboratione. Quarta, in euaporatione, & exſiccatione contentæ in particula aquoſæ humiditatis conſiſtit.

Quo ad primam intentionem, cum bona curatio per morbificarum cauſarum ablationem fiat. Ideò ſi a nimia potione talis tumor fuerit ortus, vel ab aquoſis cibarijs ab his abſtinendum, & ſiccantibus vti debemus.

Potus igitur pauciſſimus ſit optimiq; vini. Deuitet verò herbas virentes, & alia in ſuperiori curatione dicta, & in victu nulla alia differentia à fluuoſi tumoris cura adeſſe debet, niſi quod in hac magis calefacientia conueniant, & ſimiliter diuretica, vt cicerum, petroſelini, ſaluiæ, calamenthi, & ſimilium decoctum motus, & labores vtiles, vigiliæ, ieiunia, & alia in ſuperiori curatione dicta.

Secundam intentionem medicamentis per aluum aquoſos humores euacuantibus, ac etiam per vrinam ducentibus, præcipuè aſſequemur, ac etiam meatus referantibus, ac ſudorem excitantibus, & per inſenſibilem tranſpirationem reſoluentibus. Quæ verò ſint iſta medicamenta breuitatis cauſa relinquemus, cum ſuperfluum ſcribere ea iudicemus, quæ quilibet mediocriter exercitatus phyſicus optime ſciat, & ad eum pertineat.

Tertiam intentionem partium malè affectarum roburatione aſſequemur, vt ſunt nutritoriæ partes, & præcipuè ventriculus, & hepar, quæ medicamentis interius aſſumptis, & de foris applicatis, vt in fluuoſi tumoris curatione fuit dictum, confirmari poſſunt, proderit etiam vſus theriacæ veteris mitridati, aureæ Alexandrinæ, & ſimilium, & de foris non ſolùm vnctiones in ſuperiori curatione dictæ ventriculo erunt vtiles, ſed etiam infraſcriptum empl. quod calidum applicari debet, & antequam primum fuerit exſiccatum, aliud eodem pacto paratum applicandum, & hoc ſaltem per horas tres ante cibum faciendum.

℞. Panis recenter ex clibano extracti, & in vino nigro macerati, q. v. s Pulueris galangæ, piperis, gareophilorum, nucis miriſticæ, maſtices, ſeminis anethi cumini, rutæ, chamemoli an. q. vis M. & cum prædicto pane ad catapl. formam reducito, & calidum applica. *Empl. Ventriculũ roborans.*

Alia etiam vnguenta pro ventriculo roborando ſcribi poſſent, quæ breuitatis cauſa relinquo, cum vnuſquiſq; ex oleis, & alijs in curatione inflationis dictis ex ſe ipſa componi poſſit: pro hepate roborando in huiuſmodi formam vnguenta inſtitui poſſunt.

℞. Vnguenti ſandalini vnc. 1. ſeminis apij, petroſelini, endiuiæ an. drag. 5. trociſci de caphura ſcrup. 1. ſpicæ nardi, ſquinanthi an dragm. 1. olei nardini, de abſinthio an. vnc. 1. 5. & cum pauca aceti portione S. A. fiat vng. quo hepatis regio inungatur.

Quarta intentio, cum in coniunctæ, ac contentæ in particula aquoſæ materiæ euaporatione, ac exſiccatione conſiſtat; Ideo exſiccantibus, reſoluentibus, ac digerentibus medicamentis perficitur, & cum his etiam cutem rarefacere debemus, vt facilius euaporatio fiat.

Nun-

hæc est glaucium ipsum in posca liquatum, & medicamentum nostrum, quod ex eo conficitur, quodq; non oedemata modò, verum etiam multo magis, tum erisipela, tum phlegmones incipientes sanat, ac potissimum calidas. His enim medicamentis, & expræssiuo vinculo, siue fasciatura, & humores reprimuntur, ac etiam digeruntur.

Notandum. Animaduertendum verò, vt spongia, siue elichinium, vel stuppa, vel duplicatum linteum, vel quid simile, quod posca madefiat, totum membrum circumambiat, vt ab omnibus partibus materia expellatur, & à mitioribus inchoandum, vt ille inquit, idest à posca aquosa, nisi huic medicamento cedat, plus aceti adiungendum, in durioribus corporibus præsertim, & in carnosis partibus. In neruosis verò, & tendinosis minus aceti competit, cum acetum neruosis partibus sit inimicum.

Nisi etiam his cedat aliquid aluminis admiscendum esse inquit, cum repellendi, ac digerendi simul facultatem habeat, & nisi his etiam medicamentis tollatur, ad fortiora recurrendum est. Madefacienda ergo est spongia, vel elichinium, vel canabina stuppa in aqua calcis, cui myrti succus sit admixtus ex Auic. sententia, & nisi etiam his tollatur, solis digerentibus vti debemus, vt inquit *Gal. 2. ad Glauconem.*

Hæc enim omnia mixtam facultatem reppellendi ac digerendi habent, acetum enim non solum sua frigiditate reppellit, sed incidit, attenuat, suaq; siccitate resoluit; Spongia noua, vel præparata exsiccat, & resoluit, aqua ad aceti acrimoniam retundendam ponitur, & fasciandi, ac vinciendi modus maxime reprimit, & ad superiora exprimit, & humorum fluxum prohibet.

In oedematis ergo principio repercutientia, ac digerentia comperunt, in augumento plus discutientium adhibere debemus; In statu verò, non amplius fluente materia, solis resoluentibus, ac fortioribus vtemur; In declinatione verò, si per resolutionem terminare velit, maxime resoluentia, ac exsiccantia comperunt.

Medicamenta in principio conuenientia sunt, non solum à Gal. proposita, sed etiam infrascripta.

℞. Aquæ salsæ, lixiuij barbitonsorum, & parum aceti M. & hac compositione spongiam madefac, & exprime, deinde applica, vt Gal. docet, vel *Med. in principio conuenientia, & alijs temporibus.*

℞. Olei rosacei, aceti an. part. æquales, salis parum, & vtere spongia, vt supra.

In augumento competit etiam infrascriptum emplastrum.

℞. Aloes, mirræ, acaciæ, fiel. memitæ, ciperi, croci orient. boli armenij an. part. æqu. omnia in puluerem redigantur, & succo brassicarum, & aceto q. suff. S. A. fiat empl. vel madefiat spongia infrascriptis compositionibus.

℞. Olei rosacei vnc. 6. aceti vnc. 1. 5. salis, sulphuris an. dragm. 3. M. vel

℞. Succi mirti, muriæ, decocti cicerum an. q. suff. & adde parum sulphuris M. & vtere vel affecta pars infrascripta comp. tepida spongia foueatur.

℞. Lixiuij acerrimi è cineribus, ficus vitis, brassicæ, & tartari q. vis, & adde parum olei, & aceti, salis, & aluminis, & M. deinde post fotum applica infrascriptum catapl.

℞. Brassicæ M. 2. & suprascripto lixiuio coque, deinde contunde, & in cataplasmatis formam redige, & applica; vel

℞. Nucum cupressi, squinanthi, farinæ hordei, lupinorum an. vnc. 5. aluminis vnc. 5. seminis papauetis cornuti dragm. 3. aloes, mirrhæ an. dragm. 1. croci scrup. 1. succi brassicæ, & aceti q. suff. M. & fiat catapl. & si addamus acaciæ, hipocistidis an. dragm. 2. stercoris columbini, & caprini an. drag. 3. valentius aget.

In statu verò, & declinatione infrascripta conferunt.

℞. Sulphuris, farinæ fabarum an. vnc. 1. 5. stercoris columbini drag. 10. mel. lis vnc. 1. succi scabiosæ, vel decoctionis asphodeli q. suff. M. & S. A. fiat catapl. quod post suprascriptum fomentum calidum applicari debet, vel

℞. Radicis cucumeris agrestis vnc. 2. origani, vel brassicæ M. 1. farinæ hordei vnc. 1. M. & S. A. fiat catapl. vel fiat catapl. ex bubulino stercore, sulphure, melle, aceto, & cum decocto brassicæ, aut origani.

Vel ℞. Sulphuris, mirræ, ſalis an. partes æqu. & cum oleo roſaceo, & aceto q. ſuff. fiat linimentum.

Vetus axungia cum mirra mixta, & applicata etiam confert, vel

℞. Olei coſtini, rutacei, anethini laurini an. vnc. 1. aceti parum, M. & vtere cum ſpongia, vt ſuperius fuit dictum. Comperit etiam emplaſtrum factum ex cimolia terra, vel gipſea cum decocto bettonicæ, ſaluiæ, roris marini parum aceti, & ſalis.

Niſi vero oedema per reſolutionem terminari poſſit; Sed per ſuppurationem, quod raro in exquiſito oedemate accidit, ad ſuppurantia, ac pus mouentia deueniendum eſt, vt ſunt infraſcripta. *Suppurantia.*

℞. Maluæ, brancæ vrſinæ, achanta dictæ, rad. altheæ, liliorum cœleſtium geparum aſſatarum, limacum, fermenti, ſem. lini an. q. vis M. cum axungia, & butiro q. ſuff. & S. A. fiat catapl. vel

℞. Succi ebuli, ſambuci, lapatij, acuti, leu ſtici, marathri an. q. vis M. & coque, & vna cum dialthea, melle, oleo, & butiro adinuicem incorporentur, & S. A. fiat catapl. vel

℞. Radicum altheæ vnc. 4. rad. liliorum vnc. 2. caricarum num. 10. florum chamomeli, melilori an. pug. 1. farinæ hordei, fenugræci an. vnc. 1. pinguedinis pulli, butiri recentis, olei liliorum, chamomelini an. vnc. 1. M. & S. A. fiat catapl. vel

℞. Radicum altheæ, liliorum an. vnc. 4. radicum brioniæ, cucumeris agreſtis an. vnc. 2. olei liliorum, vnc. 6. coſtini, vnc. 4. vini vnc. 3. M. & coque ad vini conſumptionem, deinde tere, adde farinæ ſeminis lini, fenugręci an. vnc. 2. fermenti vnc. 1. 5. pinguedinis anſeris, anetis an. vnc. 3. miſce & S. A. fiat cataplaſma.

Ad hoc etiam confert diachilon cum gummis, & eminentiori loco ſtercus columbinum, ſemen ſinapis, limaces galbanum ſimul mixta ſuperponi poſſunt, vt cutis ſubtilior reddatur, & vomica fiat, præſertim in timidioribus teneraq; carne præditis. Sed melius eſt, maturato apoſtemate, illud aperire, vel ferro candente, aut non candente aut cauſtico medicamento, cum tardiſſimè ſponte aperiatur, & ſic pus euacuari debet. Deinde infraſcriptis deterſiuis apertum foramen detineri debet.

℞. Reſinæ terebinæ vnc. 1. 5. thuris dragm. 3. mellis parum miſce, & vtere, & in dies ad maiorem deterſionem mellis quantitas augenda, vel deterſio fiat vnguento apoſtolorum, vel infraſcripto. *Detergentia.*

℞. Galbani, ammoniaci, reſinæ terebinæ picis, ſeui vaccini, olei, antiqui an. partes æqu. diſoluantur gummi in aceto, & cum reliquis ad ignem diſſoluantur, & fiat vng.

Deterſo vlcere, carne repleatur Med. ad id aptis, & carne repleto, ad cicatricem perducatur medicamentis alias ſuperius dictis.

Quarta intentio completur pro natura ſuperuenientium ſympromatum, vt ſi dolor infeſter, relexantibus, ac doloremleniendi vim habentibus, vti debemus, vt eſt oleum chamomelinum, anethinum, liliorum, rutaceum, vel applicare debemus lanam ſuccidam paſſo, & oleo imbibitam, vel vtemur infraſcripto vng. *Anodina.*

℞. Olei chamomelini, anethini, de abſintio, de ſpica an. part. æqu. & cum cera q. ſuff. miſce, & S. A. fiat vnguentum.

Si verò in duritiem oedema habeat, ſequentia proſunt.

℞. Galbani, bdellij, ammoniaci in aceto diſſolutorum an. vnc. 1. 5. ſeui bubulini vnc. 4. picis vnc. 2. reſinæ terebinæ vnc. 3. mirrhæ dragm. 3. corticis thuris dragm. 2. olei veteris vnc. 5. miſce, & S. A. fiat vnguentum, vel

℞. Mucilaginis alteæ, ſeminis lini, fenugræci an. vnc. 4. farinæ hordei vnc. 3. pinguedinis gallinæ, olei liliorum, butiri an. vnc. 1. croci ſcrup. 1. vitellorum ouorum nu. 2. coquantur mucilagnes, & farina lento igne, deinde adde reliqua, & ſi vis, vt valentius agat, adde ammoniaci, bdellij, galbani in aceto diſſolutorum, & liquidæ ſtiracis an. vnc. 1. & omnibus duris, ac frigidis tumoribus proderit. Et ſi plura deſideras, ad ſcirri curationem recurre.

Sed ſi oedema alicuius præcedentis morbi ſymptoma ſit, morbus, à quo

proue-

prouenit, in primis curandus, cum omne symptoma, veluti vmbra corpus suum morbum, sequatur, vt inquit *Gal. 2. Meth. 1. & oedema oxirodino perfricandum, aut cum oleo, & sale simul mixtis*, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 3. aut eximellite, aut oxirodino salem habente*. Sic enim dolorem ex distensione ortum leniemus, tumoremque remittemus. Si verò ex aliqua alia extrinseca causa oedema prouenerit, talis causa remouenda, deinde, vt dictum est oedema curandum.

De Flatuoso Tumore. *Cap. 18.*



VM hic tumor cum oedemate aliquam conuenientiam ac similitudinem habeat, & ex oedematum genere sit, ideo post oedematis tractationem de hoc agendum iudicauimus.

Quid nominis. Flatuosus tumor, siue flatuosum oedema à Græcis emphistimata dicitur, ab aliquibus, vt ab Auic. inflatio, & apostema ventosum nominatur.

Quid sit flatuosus tumor. Flatuosus tumor, siue inflatio est tumor ille, qui ex flatibus intra membranas alicuius membri, aut sub ipsa cute conclusis oritur; Vel sic definire possumus, flatuosus tumor est, qui ex flatulento spiritu in aliqua parte coaceruato gignitur, vt inquit *Gal. 14. Meth. cap. 7.* Auic. flatuosorum tumorum duas species ponit; *Species flatuosi tumoris.* Altera, quæ à leui vapore fit, & est species quædam tumefactionis, quæ circa oculos diù dormientium, vel in chachexia accidit, & de hac nos verba facturi non sumus, cum symptoma sit, & non morbus; Altera est, quæ à ventoso vapore fit, quæ ab Auic. ventosum apostema, siue flatuosus tumor dicitur, & de hac noster sermo erit, & huiusmodi flatuosi tumoris plures sunt species; Alij enim sunt cum dolore; Alij sine dolore, iuxta intumescentis membri proprietatem, ac materiam contenta.

Aliquando sunt vagantes, aliquando consistentes, alij sunt magni, alij parui, aliqui profundi, aliqui superficiales, alij maligni, alij benigni.

Differt vero inflatio, siuè flatuosus tumor ab oedemate, vt inquit *Gal. 14. Meth. cap. 7. & Paul. lib. 4. cap. 28. quia oedema est tumor laxus, & digitis cedit, vtpote à pituita exortum, & pramentis digiti vestigium retinet; Inflatio verò maximè tangenti renititur, & pramentis vestigium non retinet, & sonitum, veluti tympanum reddit, cum à flatuoso spiritu insensibili cauitate, ac nonnumquam collectio, quam maxima oriatur. Cum ergo ex tumorum genere sit, erit morbus in compositione, & præcipuè in aucta magnitudine.*

Partes affectæ, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 7. & Aetius serm. 15. cap. 2 & Paul. lib. 4. cap. 28. sunt periostia, cum sub his membranis ossa vestientibus flatus contineatur, vel sub cute, vel sub peritoneo, vel in ventriculo, vel in intestinis, vel in viscerum membranis; Interdum sub membranis musculos circumdantibus, quemadmodum, & sub membranosis tendonibus; Nonunquam autem, & in spatijs, quæ cogitatione percipiuntur, tùm musculorum, tùm aliarum corporis partium, & ad hunc quidem modum musculus ipse spiritu impletur.* Sed præcipue in musculis fit inflatio ex precedente contusione, vt Aetius inquit. *Sæpè verò articulos flatuosus tumor occupare solet, cum hæ partes viscida pituita sint refertæ, ob tendines, ligamenta, & membranas, quibus sunt compositæ hæ partes, & ob partis densitatem, & paucam caloris copiam, quam articuli habent.*

De Flatuosorum Tumorum Causis.

FLatuosorum tumorum causæ plures esse possunt; Aliæ enim sunt externæ, aliæ internæ. Externæ, siuè primitiuæ, & procatarcticæ causæ dictæ sunt; Aer frigidus, humidus, ac nebulosus, vt flante austro esse solet, cibi similiter crassi succi, &

ægre coctibiles, vt viſcidi, crudi, & pituitoſi, ac flatulenti, vt legumina, caſtaneæ fructus, omnia dulcia, lac, caſeus caro bubulina, paſtumina, rapæ, & ſimilia, cibus ſimiliter, & potus in maiori copia ſumptus; & crapulæ, nimium otium, longus ſomnus, otioſa, & deſidioſa vita, aluus adſtricta, aliqua etiam euacuatio ſuppreſſa, quæ prius fuerit conſueta, vt hemorroidum, vel menſtruarum purgationum, percuſſio ſimiliter, ac contuſio, flatuum generationis cauſa eſſe poteſt, affectæ partis calorem debilitando, & hac etiam de cauſa in tali parte pituita gignitur, cum probè ibi alimentum concoquatur, & ideo crudus humor generatur, qui poſtea à debili calore inflatum vertitur, & ſic generatio flatuoſæ materiæ, duæ potiſſimæ cauſæ adſunt, ideſt efficiens, & materialis.

Interna cauſæ duplices ſunt: aliæ enim ſunt antecedentes, aliæ coniunctæ: Antecedentes cauſæ ſunt omnes illæ, quæ talem flatulentam materiam gignere ſunt aptæ, vt pituitoſus humor, & caloris diminutio & his partis denſitas additur, quæ talem flatulentam materiam tranſpirare non ſinit. Pituita vero, vel à cerebro, vel à ventriculo, vel ab aliqua alia parte frigida, & humida temperie laborante gignitur. Fluit etiam aliquando pituita à venis maioribus ad minores, & à minoribus ad minimas & tandem ad frigidas partes in quibus dum conſiſtit, in flatum vertitur vel in tali parte in qua flatus gignitur ex caloris imbecillitate fuit genita, vel flatus in maioribus vaſis aliquando gignitur, & per ea excurrit donec ad partem in qua poſtea quieſcit perueniat & ibi flatuoſum tumorem excitat. Quod vero ita flatus gignatur, inquit Gal. 3. de ſymptomatum cauſis, dicens; Quemadmodum enim frigidiſſima conſtitutio, maxime ſpirante borea aerem ſeniorem reddit, ac rurſus calidiſſima æſtatis conſtitutio efficit aerem nos ambientem puriſſimum; Mediæ vero conſtitutiones nebulas pariunt ſic in animalium corporibus a ſolo moderato imbecilloque calore flatulentum gigni excrementum, contingit etenim, vt abſolutum frigus vaporem, haud quaquam excitat ſic vehemens calor excitatus magna ex parte cibum ipſum comminuit, quam vaporis generationi conueniat, niſi forte is ſua natura ſit flatulentus. Generatur ergo flatus ex humida materia tanquam materialis cauſa, & calore minori quidem, quam qui eam materiam ſenſibili tranſpiratione digerere poſſit & hæc eſt cauſa efficiens eiuſmodi enim debilitatus calor ſuſcitare quidem vaporem ex humida materia poteſt, ſed minime poteſt digerere. Si vero calor ſit ita imbecillis, nullus flatus gigni poteſt, cum materiam illam humidam alterare nequeat, & ideo in flatum vertere non poteſt.

Si vero validus calor ſit, quamuis materia craſſa, ac viſcida adſit, & flatus gignantur, tamen totam illam flatulentam materiam digerit, & per inſenſibilem tranſpirationem reſoluit.

Si verò materia tenuis ſit, flatus non gignitur, ſed ab eo in alitum digeritur, cum plus attenuet, quam pro flatu gignendo requiratur. Temperatus verò calor, & humoris proportioni reſpondens, tantum vaporis ſuſcitat, quantum digerit, & ideo flatum non gignit. Si autem cum debili calore, & humida materia adſit meatuum, per quos flatus euaporatur, denſitas, maior inflatio fiet, cum alioqui ipſa per ſe cum mediocritate, tùm caloris, tùm vaporis partem inflare poſſit. Quemadmodum contra ſi calor ſit languidus, & vaporis copiam excitet, & caro cutiſque admodum rara ſit, nulla, aut exigua inflatio fiet. Tres igitur ſunt cauſæ inflationum materia humida, debilitatus calor & partis denſitas. Coniuncta cauſa eſt flatulenta materia quæ in ſenſibili cauitate retinetur, qua flatulenta materia vix vſquam ſola, & citra humoris permixtionem colligi poteſt, tumoremque excitat.



De signis Flatuosi Tumoris.

TVmoris flatuosi signa sunt; Quod huiusmodi tumor præmenti digito renititur, & aliquando talis tumor alio euagatur, & si percutiatur, veluti tympanum, seu vter flatu plenus, sonitum reddit. Aliquando etiam adest dolor excrucians, & obambulans, qui tensiuus est, cum ob tensionem quæ in membranis fit, oriatur; In tumoris summitate lucidus quidam splendor apparet; In sensibilique cauitate flatus continetur, & quo maior est cauitas, eo maiorem sonitum percutiendo reddit; Persæpe etiam per corpus totum flatus, modò huc, modò illuc discurrens, ac extensiuum dolorem pariens persentitur; Et hæc omnia signa traduntur à *Gal. 14. Meth. à Paulo Aeg. ab Auicenna, & ab omnibus alijs Autoribus locis superius citatis*,

De Flatuosi Tumoris Prognostico.

SI flatuosus tumor cum continuo dolore, ac molestia per corpus discurrat, periculosus est, quia materiam, ac venenosum fomitem arguit, & tunc præcipuè talia incommoda eueniunt, quandò flatulenta materia non discutitur, sed ex ea fumosa exalatio oritur.

Flatuosus tumor similiter valdè magnus, præsertim in articulis, periculosus est ob sui magnitudinem, & affectam partem debili calore præditam. Si flatulenta item materia in musculis contineatur, curatu est difficilis, cum in omnes fermè. Musculi partes spiritus dispergatur, constringatur, & intercludatur ab ambientibus pelliculis, & pluribus alijs corpusculis vsq; ad cutem prætensis, vt inquit, *Aetius Sermon. 15. cap. 2.*

Flatuosi verò tumores parui, & in quibus supradicta conditiones non adsunt, minimè sunt periculosi. Tandem flatuosi tumores hyeme frequentius, æstate minus eueniunt.

De Flatuosorum Tumorum Curatione.

IN curatione flatuosi tumoris, cum tria instent, materia humida, caloris imbecillitas, & meatuum densitas, ideo tres intentiones habere debemus; Prima erit conuenientem victum instituere, qui talem humidam materiam non gignat; Secunda erit pituitosam, & humidam materiam præparare, concoquere, & euacuare, & calorem debilem viscerum, ac aliarum partium roborare; Tertia erit flatulentam materiam in parte contentam extenuare, & meatus recludere; Quarta etiam addi potest quæ erit symptomatibus succurrere, ac subuenire.

Pro prima intentione consequenda, aer calidus, & tenuis eligatur, cibi sint calidi, & sicci, attenuantes, & flatus discutientes, vt panis, cui sal, aut cuminum, aut feniculum sit admixtum, carnes potius sint assæ, quàm elixæ, quæ sint pullorum, perdicum, auicularum montanarum, veruicis, vituli lactentis, & hedi, siluestres etiam, & minimè paduloſæ carnes assæ conueniunt, quæ omnes carnes semper aromatibus sunt condiendæ, vt flatus discutiant attenuent, & calorē, ac concoctionem addiuuent. Pro potu conuenit, vinum album, vel subrubellum aromaticum, vt vinum græcum, glaret-

clarettum, & ſimile, & potus moderatus ſit; Motus ſimiliter, modò dolorem non excitet, competit, & vigiliæ; bono, ac hilari animo ſit, vtq; aluus lubrica ſit, curet.

Secundam intentionem aſſequemur. Si pituita in corpore redundet, medicamentis huiuſmodi pituitam præparantibus, extenuantibus, & incidentibus, ſicuti eſt ſyruppus de hyſopo, de pulegio, de duabus, & quinque radicibus, biſantius, oximel, & ſimiles cum decocto conuenienti, vt viticis, nimpheæ rutæ, petroſelini, feniculi, & ſimilium. Præparati, inciſi, ac extenuati humores phlegmagogo medicamento euacuandi. Si verò cum pituitæ redundantia, pletora adſit, venæ, ſectio etiam competit, minimè verò, ſi ſanguis non exuberet.

Calor vero diminutus ſimiliter roborandus, & ſi adſit ventriculi frigida intemperies, vel cuiuſuis alterius viſceris, à qua pituita gignatur, non ſolum præſcripto victu eſt corrigenda. Sed etiam medicamentis interius aſſumptis, & de foris applicatis. Per os ergo per tres horas ante cibum aſſumere poteſt diacimimum, diagalanga, diacalaminthæ, diatrionpipereon, diamuſcum, aromaticum roſatum, & ſimilia, vel inſtaſcriptam trageam, quæ maxime a bonis Autoribus ad flatus diſcutiendos laudatur.

Tragea ad flatus diſcutiendos.

℞. Aniſorum, maratri, carui, dauci, cimini, baccarum lauri contuſorum, & in puluerem redactorum an. vnc. 1. glicirrizæ raſæ, zinziberis albi, galangæ an. vnc. 5. garephilorum, cubebarum, piperis lungi, ſeminis rutæ an. dragm. 2. aniſorum ſaccaro incruſtatorum vnc. 3. ſaccari vnc. 6. pul. pul. & S. A. fiat tragea.

Ventriculum roborantia, & calefacientia.

Ad extra ſimiliter ventriculus infraſcriptis medicamentis roborandus; Inungendus ergo oleo de ſpica, de coſto, de ruta, maſtichino, nardino, & his ſimilibus, vel huiuſmodi pars rebus flatum diſcutientibus, ac eam roborantibus fouenda; Ita ſimiliter roborandum quodlibet aliud viſcus, cui diminutus ſit calor, & pituitoſi humoris cumuli ſit cauſæ, & pro ratione iacturæ eius reſarciendum eſt, & ſecundum quod magis, vel minus calor fuerit debilitatus, valentiora, vel imbecilliora medicamenta ſunt inſtituenda.

Quomodo verò tertiam intentionem aſſequi debeamus, ac etiam, quartam, optimè docent *Paul. Aeg. lib. 4. cap. 28. Aetius ſerm 15. cap. 2. Gal. 2. ad Glauc. cap. 6. & 14. Meth. cap. 7.* dicendo, *Scopus autem omnium inflammationum communis eſt, vt quod præter naturam eſt, vacuetur, in quocumq; loco id contineatur. Proprius verò ſcopus, vt tenuiſſimis, & calidis poteſtate medicamentis, atque in ventriculo quidem inflatiſque viſceribus; oleum, quod tenuium ſit partium, quodque rutam habeat incoctam, aut ſemen cumini, aut apij, aut petroſelini id præſtabit, aliquando verò cucurbita magna bis terue ſine inciſione circa ventriculum affixa tàm cito hominem à moleſtia liberat, vt admirabilis ſit ea celeritas, & ferè incantationi ſimilis; At in artubus, & muſculis, qui ſubcute, aut etiam membranis, quæ oſſa veſtiunt, inflatione orta, ſi citrà dolorem ſit liquor aliquis tenuiſſimarum partium, vt lixiuium noua ſpongia exceptum abundè proderit.*

Sin dolor quoq; vrgeat, vngenda pars eſt oleo, quod relaxandi, remittendiq; vim habeat. Accidunt verò huiuſmodi affectus, vbi vel muſculus, vel membrana, quæ os circuit, eſt contuſa. At ſuper membrana, quæ os veſtit, antedicta ſpongia lixiuio imbuta imponenda eſt; Vehementiora enim medicamenta, quam muſculus admittit propter lungiorem diſtantiam, ac maiorem denſitatem; Ad muſculos ſimul inflatos, & ob contuſionem dolentes; Medicamentum, quod mahis mitiget, eſt adhibendum, quoniam exc lidorum, & acrium vſu, vt inquit *Aetius*, *partes exacerbantur, auctis inde inflammationibus muſculi magis leduntur, doloreſque intenduntur. In principio ergo mitigatoria augenda ſunt, in declinatione verò diſcuſſoria, neq; repentè ab vno ad aliud tranſeundum eſt, ſed paulatim mitigatorijs detractis diſcuſſoria augenda.*

Anodina.

In principio ergo competit ſapa cum vino, & aceti pauxillo mediocrique olei portione omnibus vna modice calefactis atque ſuccida lana exceptis foueantur; Quod ſi ſuccida co mi-

Med. in principio conuenientia.

commoditas non adsit, ipsius oesypus iniiciendus supradicta miscella est. Præ omnibus verò curandum est, vt hæc calida permaneant, & neque sinendum, donec frigeant. Forinsecus itaque calida lana adhibeatur, & vbi calorem eius ager amplius non percipit, noua statim applicetur. Ceratum etiam, quod ex oesypo componitur ad idem non inidoneum fuerit; Debent etiam contusi musculi leniri Med. cui mixta facultas sit, quæ simul concoquat, digerat, & modice astringat. Quandoquidem si nihil adstrictionis sortiatur, auget aliquando phlegmonas, præcipuè in iis corporibus, quæ sunt pletorica. Igitur si dolor vehementer vrgeat, mitigatoria magis medendi ratione vteris. Sin verò ille absit, maiori vi contra inflationem instabis per valentiora Med. cuiusmodi sunt lixiuium, & acetum, post hæc vinum. Quoties ergo de mitigando non laboras, illorum plus in mixtura coniicies. Rursus vbi repellere studes, vini nigri, & austeri, plus quam ipsorum immittes. At si digerere mauis, lixiuij plus indes, acetum verò si his miscebis ad ambo erit vtile, propterea, quod mixtas habet facultates. Quod si musculus prorsus sine dolore sit, licet in lixiuij penuria, pro illo aphronitrum immittere, idq; minimè lapidosum, sed spumosum magis. Oleum etiam de cherua extractum etiam pro re est. Sed animaduertendum, quod Med. pro patientis membri diuersitate sunt varianda secundum quod magis vel minus densum fuerit, calidius vel frigidius, acuti, vel obtusi sensus, pro maiori, vel minori flatulenti spiritus crassitie, & pro ratione eius magis profundi vel superficialis.

Inflationes autem inueteratas, primo quidem aliquo ex iis, quæ ex lixiuio constant fouebis, vt est infrascriptum, quod valentissimè flatus discutit, vel simile.

℞. Rutæ, pulegij, anisorum, betonicæ, calaminthæ an. q. vis M. & fiat decoctum cum aqua, ex quo fiat lixiuium cum cinere vitis, vel quercum, & sæpius coletur, donec linguam pungat, & spongia, vel linteis pars foueatur. Secundo, verò strigmentis gimnasiorum feruefactis, & mox colatis pollinem calcis viuæ inspergito, vsq; ad luti crassitudinem, ac tandem hoc catapl. affectæ sedi admoueto. Salutare etiam his est Med. quod ex siccomoro, idest fico aegiptia conficitur.

Serapio ceratum ex puluere hysopi, oleo anethino, & cera maxime laudat. Iuuat etiam emplastrum de baccis lauri, vel de semine sinapis; Vtque summatim dicam, omnia flatus discutientia, quæ sunt calefacientia, & exsiccantia conducunt, vt sunt omnia aromata, semina anisorum, dauci, feniculi, apij, petroselini, cumini, carui, seseleos, baccæ iuneperi, lauri, parietariæ, centaurium, flores chamemoli, anethi, stechadis, olea similiter, vt irinum, laurinum, rutaceum, costinum, nardinum, de spica, recinum de euphorbio, anethinum, chamomelinum, de nucibus, de piperibus, ex quibus simul commixtis, & etiam alijs secundum exigentiam additis varia Med. componi possunt, vt sunt infrascripta.

℞. Olei rutacei, amigdalarum amararum, chamomelini, anethini vnc. 1. vini albi vnc. 3. seminis anisorum, dauci, feniculi, cumini, ammeos, rutæ, carui an. dragm. 1. bulliant ad vini consumptionem, & exprimantur, & expressioni adde ceræ qu. suff. misce, & fiat vnguentum sacculi, etiam vtiles sunt, vt infrascriptus.

℞. Milij lib. 1. 5. salis lib. 1. foliorum artimisiæ, sampsuci an. M. S. seminis feniculi, carui, cumini an. vnc. 1. florum stechadis, calamenthi, roriſmarini an. pug. 1. omnia in sartagine torrefiant, & duo sacculi fiant, qui generoso vino irrigati calentes vicissim applicentur, postea vnum ex suprascriptis vnguentis applica, vel infrascriptum.

℞. Olei nardini, anethini, de castoreo an. vnc. 4. aquæ vitis vnc. 1. 5. pulueris radicis gentianæ dragm. 1. foliorum agrimoniæ, calamenthi, origani an. dragm. 5. rubiæ tinctorum drag. 3. squinanti, mastices an. dragm. 1. 5. spicæ nardi, croci an. scrup. 4. ceræ q. suff. M. & fiat vng.

Infrascriptum etiam optimum est, & vbi cætera non profuerint, valde vtile fuit adinuentum, præsertim in flatuoso genuum tumore, etiam si à gallica lue fuerit ortus.

℞. Fe-

℞. Fecis ceræ nouæ ex prelo, quæ, propolæos dicitur lib. 1. 5. micæ panis furfuracei lib. 5. roſarum rub. vnc. 2. M. & in vino albo bulliant, deinde contunde, & adde piperis, gareophilorum nucis miriſticæ, zinziberis an. dragm. 2. 5. cumini, aniſorum feniculi, ammeos an. vnc. 5. olei chamomelini, anethini, rutacei an. vnc. 2. M. & S. A. fiat catapl. & calidum applica, & ſi pars in ſuperficie ſcarificetur, valentius aget, vel

℞. Calcis viuæ, terræ cretæ an. q. vis M. & coque in aqua, & vino pari portione, & ſuper locum fac linimentum, vel

℞. Stercoris columbini, & coque in vino, & fac empl. & calidum applica, & valentiſſime agit.

Si vero flatuoſus tumor in profundo ſit, cucurbitula abſq; ſcarificatione, vt attrahat, applicanda. Ad hoc etiam conducit lixiuium ſarmentorum vitis, vel aqua calcis linteo, vel ſpongia applicata. Sed pars prius oleo anethino inungenda.

Si autem flatulentia modo huc, modò illuc diſcurrat, vt ſæpe facere ſolet, ſequere eam cum medicamentis dictis.

Cæterum ſi flatulentus ſpiritus, qui inflationem committit, fumoſus prauus, & corruptus fuerit, & à venenoſa materia excitatus, cum vehementi calore, & intollerabili dolore, & per membra diſcurrat. Nullum tutius, ac melius conſilium dari poteſt, quam quod vbi in quapiam parte conſtiterit, pars ipſa protinus infra ſupraq; deligetur, & in medio nonacula, vel candente ferro tumor aperiatur, ita vt facile prauus ille vapor, ac venenoſus egredi poſſit.

Quando incidẽdus flatuoſus tumor.

Deinde hians plaga aloe, bolo armenio ex oleo roſaceo, & aceto diſſolutis implenda. Tranſactis poſtea tribus, vel quatuor diebus, vlcus carne implendum, deinde ad cicatricem perducendum.

Aliqui hanc operationem ruptorijs, ac cauſticis efficiunt.

Quando hoc accidit etiam per os theriaca laboranti prabenda, & quando inciſio facienda corpus ab excrementis debet eſſe purgatum, & victus ratio tenuior eſſe debet, & hac de inflatione ſatis.

De Aquoſo Tumore. *Cap. 19.*

IN oedematum genere etiam eſt aquoſus tumor, qui etiam apoſtema aquoſum, vel aqueum, & illegitimum oedema dicitur, Gal. *vero 3. de ſympt. cauſis cap. 2. puſtulas humidas vocauit*, dicendo. *Quid nominis.* *Quid rei*

Si in toto corpore ſeroſa excrementa redundent, hydropem facere, in partibus verò corporis excitare puſtulas.

Tumor aquoſus eſt ſeroſi, & aquoſi humoris in aliquo corporis membro laxa, & doloris expers tumida collectio.

Sunt ergo aquoſi tumores, qui ex ſeroſa humiditate proueniunt, vt ſi intra peritoneum, aquoſa materia contineatur, illa hydropis ſpecies erit, quæ aſcites dicitur, & de hac hydropis ſpecie nos verba facturi non ſumus, ſed tantum de illis aquoſis tumoribus, qui in alijs partibus oriuntur, & in aliquo tantum membro aquoſa materia concluditur; Qui aquoſi tumores aliquando ab affecta parte denominationem ſumunt, vt ſi in cute oriantur, ſudamina appellantur, ſi in capite, ideſt inter cranium, & cutem, aquoſa materia continetur, vt in puerilis nuper natis, hydrocephalus dicitur, ſi in vmbelico hydromphalos, ſi in teſtibus, vel ſcroto aquoſa hernia, ſiue hydrochili nominatur.

Partes ab hoc tumore affectæ ſunt, cutis totius corporis, caput, iunctura, vmbelicus, teſtes, ſcrotum, & pedes; Præcipue verò, & ſæpe crurium, & brachiorum iunctura ab huiuſmodi tumoribus infeſtantur. *Partes affecta.*

Cauſæ verò cur in has partes promptius

scyrri pituitosi à crassa, & lenta pituita fiunt, oedemata verò à tenui pituita, vt inquit *Gal. lib. de tumoribus præter naturam*, Vbi etiam inquit, *Quod oedema ab aneurismate differt, quoniam oedema lungè maius, & latius est aneurismate, nisi quando grumus adnatus coalitus ex aneurismate sphacelum, hoc est sideratione efficiat.*

Quòd verò ab huiusmodi pituita fiat oedema, inquit *Galen. lib. de tumoribus præter naturam*, dicens, *Oedema verò tenui pituita, quemadmodum crassa, & lenta, altera quædam scyrrorum species, & lib. de venæ sectione* dixit, *Si pituitosior sit fluxio, tumor laxus, & si biliosus, erysipelas dictus fuit.* Idem etiam inquit, 14 *meth. & Paul. lib. 4. cap. 27. & Aetius serm. 14. cap. 1.*

De exquisiti Oedematis causis.

OEdematis efficientes causæ, vt de alijs tumoribus diximus, plures esse possunt, idest procatarcticæ, siuè primitiuæ antecedentes, & coniunctæ, siuè continentes. Primitiuæ causæ esse possunt, vt casus, percussio, aer nimis frigidus, ac humidus, cibi pituitosi, nimiæ crapulæ, lungus somnus, nimium otium desidiosa vita, & similia, quæ pituitæ cumulum efficere possunt.

Antecedens causa est pituitosi humoris in corpore exuberantia, quæ apta est in partem aliquam decurrere, genitaque fuit ex procatarcticis causis dictis, vel ex aliqua principum partium frigida, & humida intemperie, vt cerebri, vel ventriculi, & potissimùm iecoris.

Coniuncta causa est humor pituitosus naturalis, & proprius in parte tumore obsessa infarctus, & accumulatus. Dixi, quòd à naturali, & propria pituita fit, vt distinguatur ab illa pituita, quæ vomendo, vel excreando, vel è naribus emulgendo educitur, quæ improprè est pituita. Sed vera, & naturalis pituita est illa, quæ in iecore gignitur, quæ est frigidior, & humidior pars sanguineæ massæ, consistentia tenuis, colore alba, gustu, vel insipida, vel subdulcis.

Oedema quandò fiat?

Fit verò oedema, quandò natura à copia huius naturalis pituitæ se aggrauatam persentit, & expultricem facultatem ad expulsionem irritat, & eam semper à maioribus vasis ad minora, & tandem ad musculosam partem, & cutem detrudit, vbi ob harum partium densitatem retinetur, & ibi oedema excitat.

De Exquisiti Oedematis signis.

VEri, & exquisiti oedematis signa sunt, tumor laxus ad albedinem tendens, qui si digitis præmatur, tactui cedit, & aliquantis per digiti vestigium, ac fouea remanet, ex tactu, & compræssione nullus dolor excitatur, & nulla pulsatio, neque calor percipitur.

De Oedematis Prognostico.

OEdemata hyeme præsertim generari solent, & frequentiùs senibus, mulieribus, & crapulæ deditis accidunt, vt inquit *Rasis 7. ad Almansorem cap. 12.*

Oedema, quod est morbus, & non symptoma, est morbus lungus, cum sit frigidus morbus, & à debili calore difficulter superari, & concoqui potest, vt inquit *Gal. 1. Prognost. com. 24. Sed si mollis sit, & sine dolore, est cum minari periculo*, cum dicat *Gal. 2. Prog. comm. 46. Quod fluxiones ex sanguine, vel ex pituita sunt benignè.* Si verò durum sit oedema, & cum dolore, est periculosus morbus.

Oedemata quot modis terminentur

Oedemata pluribus modis terminari possunt, vel per resolutionem, vel per suppurationem, vel per indurationem. Per resolutionem, siuè insensibilem transpirationem sæpiùs terminantur, sæpè etiam indurari solent, & in nodos con-

ucrii

uerti raro per suppurat. terminantur, quoniam oedema frigidus affectus est, & in suppuratione calor requiritur. Si verò in calidis partibus sit, per suppurationem aliquando terminatur, & citius.

De Exquisiti Oedematis Curatione.

IN Oedematis morbi curatione, quod à pituitæ affluxu sit, quatuor intentiones siue scopos habere debemus; Prima est sex rerum nonnaturalium optima institutio ac administratio. Secunda pituitosorum humorum præparatio, & euacuatio. Tertia in topicis, ac localibus consistit. Quarta in accidentium siue symptomatum correctione.

Quo ad primam intentionem, cum hic morbus ab humore frigido, & humido proueniat, exiccantia, calefacientia, & attenuantia conueniunt; aer ergo ad calidum, & siccum tendat, sic victus, & panis sit biscottus, carnes sint montanarum auium, pullorum, siluestrium animalium, & potius sint assæ, quam elixæ, & cum pipere, & cinamomo condiantur, vinum sit tenue, album, & non admodum generosum, & parce commedat, & bibat, vt bona digestio fiat, vtq; calor illas superfluas humiditates absumere possit; motus competit, nisi partes infernæ sint oedemate affectæ, somnus sit breuis, deuitentur omnes animi passiones, & venus, & curetur, vt aluus lubrica seruetur.

Quo ad secundam intentionem, videndum ne amplius in corpore pituitæ copia gignantur, & si aliquod adsit præcipuum membrum, quod ob eius frigidam intemperiem hoc efficiat, talis intemperies medicamentis interius assumptis, & exterius applicatis corrigenda. Pituita verò, quæ iam genita est, & in corpore redundat, imprimis præparanda ac concoquenda siruppis ad id aptis, deinde phlegmagogis medicamentis euacuanda, ac etiam per vrinam prouocantia, & per diureticas vias proijcienda ac educenda. Quæ verò sint medicamenta talia membra corroborantia: pituitam concoquentia ac euacuantia, breuitatis causa non ponam, cum quilibet mediocriter in medica arte exercitatus optime sciat. Nullum verò verbum de venæ sectione faciemus, cum in exquisito oedemate nullo pacto competat, cum tantum pituitosi humores sint, qui hunc morbum pariunt, & nulla in corpore plethora adsit, & ex venæ sectione magis totius corporis habitus refrigeretur, & sic esset in causa, vt maior pituitosi humoris cumulus fieret. Faciendæ etiam reuulsiones ad contrarias partes frictionibus, balneis inunctionibus, & his similibus prohibendo, ne humor ad affectam partem confluat.

Vt verò tertiam intentionem assequamur, si materia in venis etiam contineatur, talis humor procul ab affecta parte propellendus, & hoc repellentium vsu assequemur; & huiusmodi repellentia in frigidis humoribus repellendis, non solum frigida esse debent, vt inquit *Gal. lib. de Med. Sec. loc. Sed etiam astringentia, & exsiccantia. Si verò humor oedema efficiens iam sit extra vasa, duas intentiones habere debemus; Altera est vt materia, quæ iam est extra vasa digeratur: altera vt fluxio sistatur.* Hoc vero assequemur curatione, quæ ponitur a *Gal. 2. ad Glauc. cap. 3. & 14. Meth.* Quibus in locis inquit, *At si ex pituitoso humore in particulam influente oedema consistit, abunde aliquando satisfacit spongia recens potabili oxicrato madida. Deligare vero ipsam debes ab inferiori parte incipiens, ac supra desinens, si vero recentis copia non adsit, antiquam detergès expurgabisq; Nitro, Aphronitro, & acqua lixiua.* Quod si sic oedema non subsideat, vbi rursus deligabis, pusillum aliquid aluminis conijcies, & nouam spongiam admouebis, aut etiam elechinion mollæ madensq; ex posca, quæ aluminis nonnihil receperit, sit autem fascia mediocriter adstricta, veluti in ossium fractura fieri solet.

Ac primæ quidem fasciæ iniectionis, quæ scilicet inferne incipiunt, magis arctandæ, quæ deinceps sunt, sensim remittendæ.

Inquit etiam, quod idoneum Med. ad

hæc

Nunquam verò in hac curatione repellentibus vti debemus, quamuis materia faciliter ob sui tenuitatem repelli possit. Causa est, quia hæc aquosa humiditas omninò naturæ est inutilis. In reliquis verò tumoribus repellentibus vtimur, quoniam humores, qui repelluntur, sunt naturales, & ideò vtiles esse possunt.

Conueniunt ergo medicamenta Gal. in oedematis curatione descripta, & potest pars affecta priùs illiniri oleo rutaceo calido, vel chamomelino, anethino, & similibus. Deinde foueri spongia imbibita in calido lixiuio cinerum sarmentorum, brassicarum, ficus, ilicis, quercus, & addito sale, & tartaro, vel aphronitro, vel sulphure. Potest etiam in huiusmodi lixiuio addi aristolochia rotonda, & ammoniacum, & bdellium, nisi verò his cedat, ad valentiora recurrendum, vt sunt infrascripta.

℞. Salis nitri dragm. 10. piperis, baccarum lauri an. vnc. 1. olei laurini vnc. 6. ceræ q. suff. misce, & fiat linimentum, vel

℞. Radicis ireos, cucumeris agrestis, nucum cupressi, cineris radicum brassicæ, sulphuris an. dragm. 2. crosocollæ, nitri an. dragm. 1. olei anethini, & ceræ q. suff. M. & S. A. fiat vnguentum, vel infrascriptum, quod est Auicennæ in scrophularum curatione, quod quàm citissimè omnem duriciem resoluit, & ego pluries sum expertus,

Med. duriciem optimè resoluens.

℞. Seminis sinapis, seminis vrticæ, sulphuris, spumæ maris, aristolochiæ rotundæ, bdellij an. vnc. 1. ammoniaci, olei antiqui, ceræ an. vnc. 2. M. & S. A. fiat in vng. formam, & confert etiam in flatulento tumore,

Nisi verò prædictis medicamentis, & similibus resolui, ac curari vllo pacto possit, ad ferrum est recurrendum, cum nullum aliud præsidium meliùs, ac citiùs excogitari possit. Aperiendus ergo huiusmodi aquosus tumor ferro. Deindè tale vlcus detergendum, deinceps carne replendum, & tandem ad cicatricem perducendum, vt in quolibet alio sordido vlcere fieri solet. Quæ verò sint ista medicamenta, quilibet mediocriter chirurgiæ peritus ex se ipso scit, & ideò non ponemus, præsertim cum horum pluries superiùs meminerimus.

In illis aquosis tumoribus, qui per totum corpus oriuntur, & sudamina appellantur, exsiccantes aquæ termales vtiles sunt, & multa alia Med. leuiora superiùs descripta.

De Hydrocephalo.

Cap. 20.



VM superiùs in aquosorum tumorum pertractatione de hydrocephalo, de hydromphalo, & de hydrochili mentionem fecerimus, & omnes aquosorum tumorum species esse, dixerimus; Ideò de vnaquaq; horum tumorum specie verba faciemus, & primum de hydrocephalo.

Hydrocephalus igitur, siuè hydrocephala affectio, ab aliquibus etiam aquosum capitis apostema, siuè aquositas, quæ in capite reperitur, dicitur, *Quid nominis.*

Hydrocephalus est tumor aquosus, vel totam exteriorem capitis partem, vel maiorem eius portionem in tumorem attollens. *Quid rei.*

De Hydrocephali Causis.

CAusæ hunc tumorem facientes; Aliæ sunt externæ, aliæ internæ; Externæ sunt plaga, aut contusio, ex quibus vasa abrupta, & dilacerata fuerunt, & sanguine ex ipsis præterfuso, & deindè rarefacto, ac in essentiam feculentam, aut cruentam dissoluto. Sanguis enim, dum effunditur, in otiosam, & crudam substantiam conuertitur, & hoc frequentissimè puerulis nuper natis accidit, quum obstetrices functionum suarum inexpertæ duriori manu rem pertractantes corpora aliqua in pueruli capite attriuerint, vt inquit *Aetius Serm.* 6. *cap.* 1. & *Paul lib.* 6. *cap.* 3. *Aer etiam nimis humidus, & nutricis nimius aquæ potus, & percussio ventris prægnantis in vltimis mensibus, vt in veneris vsu, talis tumoris causa esse potest. Internæ causæ, vt*

plurimùm occultè ſunt, quemadmodùm vaſa ſua ſponte rarefacta, & aquoſa in ipſis eſſentia, quæ cum ſanguine permixta eſt depulſa, & in vnum locum congregata, vel ex ſudoribus, vel ex alijs impuritatibus hæc aquoſa materia in externa capitis parte coaceruatur, vel infantibus nuper natis ſæpè accidit ex varijs humiditatibus, quibus totum corpus in vtero repletum erat, vel matris, vel ipſius fœtus vitio, & impuritate. Poteſt etiam fieri huiuſmodi tumor, dum infans eſt in vtero, veluti dum eſt recenter natus, vt dixi, ab humiditate menſtruali aquoſa, quæ neque mulierum natura neque infantis ex mala qualitate retinere potuit, & ideò expultrix virtus robuſta ad caput tranſmiſit, & ibi expulſionem fecit.

Coniuncta verò cauſa plerumque eſt aquoſus humor, qui colligitur, aliquandò autem feculentus, & cruentus, ſemper tamen eſſentia aquoſus, & lentus eſt. Colligitur verò huiuſmodi humor in hydrocephalis, aut inter cutem, & membranam cranium ambientem, quæ pericranium dicitur, ſiuè ſub temporali muſculo, aut inter pericranium, & cranium, aut inter cranium, & cerebri membranam, duram matrem dictam, aut inter cerebri membranas, & cerebrum, vt multi affirmant. Colligitur verò in capite hæc aquoſa materia propter multas euaporationes, quæ caput petunt, & etiam propter huius partis humiditatem.

De Hydrocephali ſignis.

QVO verò in loco hæc materia contineatur, propria ſigna oſtendunt; quoniam ſi inter cutem, & pericranium materia contineatur, tumor eſt iuxtà capitis partem, vbi eſt facta collectio, eſtque tractabilis, & in ſublime incuruatus, ad digitorum compreſſionem tranſit, & facilè cedit, quoniam in propinquo materia eſt collecta, & rursùm ſubleuatur. Quandò verò materia eſt in magna copia, magis tactui reſiſtitur, & maiorem tumorem efficit, ita vt Medicus tangendo, os capitis non perſentit, & ſi huiuſmodi tumor ſua ſponte fiat ab initio, & ſemper doloris eſt expers, & concolor eſt locus; Si verò ex plaga, & contuſione fuerit ortus; primùm quidam rubicundus, & doloroſus fit tumor, poſteà verò lenteſcente humore, & in tenuem eſſentiam tranſeunt, tumor concolor, & citrà dolorem euadit. Quandò verò materia inter pericranium, & cranium colligitur, non ſolùm dicta adſunt ſigna, ſed etiam tumor multò durior exiſtit, & non ita facilè tactui cedit, cum materia pluribus ſuccumbat partibus, & maiori cruciatu afficit.

Si verò humor ſub caluaria, ideſt inter cranium, & cerebri membranam colligatur, ab initio, dum modica humoris adeſt portio. Caput grauatur, aſſiduè vertiginis fiunt, ſenſus hebetantur. Viſus, inquam, Auditus, & reliqui. Cum verò magis redundare incipit, tumor etiam exiſtit, ſed non adeò mollis, neque ſi violenter comprimatur, tactui cedit. Si verò magis humor redundet, capitis ſuturæ ob multitudinem dilatantur, & diſparantur, & tunc ægrotantes maiorem ſentiunt dolorem. Locus collectionis apparet, & tactui cedit. Caput maius fit, & diſtrahitur. Frons ipſis foras prominet, fixis luminibus intuentur, perpetuò illacrimant, & cum ex aduerſo locus impellitur, humor ex conſtrictione in altum refugit.

De Hydrocephali Prognoſtico.

IN illis aquoſis capitis tumoribus, in quibus ob futurarum diſpartitionem caput magnum, & deforme fuit factum, & quandò alia praua ſymptomata ſuperiùs dicta eueniunt, his manus curatio deneganda eſt, inquit *Paulus*, *tametſi Chirurgorum nonnulli terebratione adactos exemerint, veluti in cranij fractura fieri ſolet.*

Illi

Illi verò capitis aquoſi tumores, in quibus materia extra cranium continetur, facilioris cognitionis, ac curationis ſunt, & quo materia ſuperficialior fuerit, eo facilius euacuatur, quemadmodùm, & è contrà.

Illi verò hydrocephali, in quibus materia ſub cranio continetur, ſunt difficilioris cognitionis, & curationis, & quo maior aquoſæ materiæ fuerit copia, eo magis periculum augetur.

Si verò aquoſa materia, quæ in capite continetur ad inferiores partes traoſmittatur, multos morbos parere poteſt, vt ſi ad oculos, lippitudines, ſuffuſiones, caliginem, & nebulam; Si ad aures, frigida apoſtemata, ſurditates, & ſimilia; Si ad dentium radices decurrat dolorem dentium efficit, ſi ad iuncturas omne denique arthritidis genus in quamcumque iuncturarum partem decubuerit.

De Hydrocephali Curatione.

IN huiuſmodi tumoris curatione circa victum aliaſque res nonnaturales, & circa vniuerſalia præſidia, ſi laborans adultus ſit, eadem conueniunt, quæ de aquoſo tumore ſuperiùs dicta fuere. Si verò infans ſit, nutrici præſcribendum, vt parce, & tenuiter viuat, & ſiccantibus vtatur, humectantia fugiat, & parum bibat, & infanti, ac nutrici curandum, vt aluus liberè fluat.

Circa localia duæ adſunt curationes; Altera eſt, quæ medicamentis, & exſiccantibus præſidijs abſq; inciſione, tota humiditas abſumitur, quæ tutior, eſt, & mihi magis arridet, præſertim in natu maioribus, ac in puerulis; Altera eſt, quæ, vel vnica inciſione, vel pluribus aquoſa materia extrahitur; Prima curatio exſiccantibus humiditatemque abſumentibus, aſtringentibus, & infantis caput roborantibus, perficitur. Fouendum ergo eſt caput infraſcripta embrocha, quæ exſiccandi, & caput roborandi vim habet.

℞. Calamenthi, origani, pulegij, ſerpilli, ſaluiæ, betonicæ, ſauinæ, chamomeli, meliloti, florum ſtechadis, anthos, anethi, baccarum myrti, nucum cupreſſi, roſarum rubearum furfuris, fabarum an. qu. vis, & cum lixiuio cineris ſarmentorum, miſce vino auſtero an. q. ſuff. fiat decoctum, S. A. quo calido pluriès caput foueatur; Poſteà infraſcriptis linimentis caput inungatur, & deſuper dicta ſpongia à dicto decocto expreſſa calida applicanda, & ſex horarum ſpatio permutanda.

℞. Pulueris abſynthij, chamomelini, meliloti an. vnc. 2. butiri recentis, olei chamomelini, anethini an. 4. ceræ q. ſuff. M. & S. A. fiat linim. vel

℞. Olei chamomelini, vel anethini vnc. 3. ſulphuris vnc. 1. M. & fiat linim. quo ſaltem bis in die pueri caput liniatur, & ſuccida lana calente obtegatur, quo etiam abſque fomento, & à principio vti poſſumus, vel

℞. Olei roſacei, myrtini, chamomelini an. vnc. 5. ſpicæ vnc. 1. anethini vnc. 1 5. vini generoſi vnc. 7. furfuris dragm. x. chamomeli, meliloti, anethi, ſticados, ſquinanthi an. pug. 5. nucum cupreſſi num. 2. contundenda craſſo modo contundantur miſce, & coque ad vini conſumptionem, deindè cola, & adde, croci orientalis ſcrup. 1. & cum cæra alba qu. ſuff. parùm iterùm bulliant, & fiat linimentum, quòd præſtantiſſimum eſt, vel

℞. Mellis lib. 5. origani miſce 1. ſalis communis vnc. 5. miſce, & in cataplaſmatis formam redige, & cal dum applica, vel

℞. Integras cochleas, ideſt cum teſtis ſuis, contundito, & capiti applicato, & ſic, donec ex ſe decidant, relinquito, quòd mirificè exſiccat, & reſoluit. Deindè caput eſt roborandum, ac confirmandum, ne aquoſa materia iterùm gignatur, ac repullulet, quod auſteri vini, & communis olei illitione aſſequemur, vel rebus odoratis ſiccandi, & calefaciendi vim habentibus naribus admotis, vt ſunt ciperum, galanga, nux miriſtica, garyophili, bezzoin, & ſimilia, vel fiat orbiculus ex caſtoreo, & puluere ruræ an. partes æqu. moſchi grana aliquot, cum ſampſuci ſucco, qui ſæpè pueri naribus admoueatur.

Altera curatio ponitur, ac deſcribitur ab *Aetio*, & *Paulo locis ſuperiùs citatis*, dicendo, *Quod vbi aquoſa materia inter cutem, & pericranium vel inter pericranium, & cranium continetur & quandò tumor paruus eſt, apex ipſius vnica inciſione per diametron à poſtica parte ad anteriorem ducta incidenda. Si verò materia inter pericranium, & cranium contineatur, & tumor maior ſit, duas per medium ſe mutuò ſecantes, crucis inſtar diſciſiones moliemur, vel triangularis forma. Si grandior adhuc tumor emergit, ternas. H. littera figuram emulantes, aut etiam plures iuxtà tumoris magnitudinis proportionem; Tales verò ſectiones in locis ad effluxionem commodis fieri debent. Poſt ſectionem inter vulneris labia lineamenta oui albumine imbibita ponenda, vt diſparata huiuſmodi labia ſeruent, neque tota aquoſa materia ſtatim vnica vice euacuanda, quoniam infantis virtus, ac etiam aliorum deficeretur. Nam ſimul, atque ea aquoſa materia effluit, ſpiritus, quoq; diſſoluuntur, in quibus virtus conſiſtit. Non ſunt ergo, vt in aliorum abſceſſuum ſectione, limuiſci intus immittendi, ſed ſolùm ſufficit, vt labia ſeparata ſeruent, cum poſt humoris excretionem corpora in his facilè agglutinentur. Poſt quam verò lineamenta fuerint indita, ſi infans fuerit, cui ſectio fuerit facta; Faſcia non competit, ne eius caput aggrauet, ſed lana ouo imbuta apponenda, & caput aliquo leui pileolo contegendum; In maioribus natu linamenta forinſecus cuſtodienda, & faſcia deliganda, & in tertium vſque diem oeneleum inſpergemus. Poſt tertiam diem, glutinatorijs emplaſtris, & ceratis vti debemus. Si verò os longioris temporis ſpatio carnem contrahere cunctetur, parcenti manu, & leuiter radatur. Si verò aquoſa materia ſub temporali muſculo contineatur, ad ſectionem faciendam, donec humor redundet, expectandum, ne muſculus incidatur.*

Poſteà à muſculis lateribus ſectio facienda, & ſi humor in profundo ſub muſculo contineatur, duæ ſectiones fiant vtrimque à lateribus ipſius muſculi; deindè corpuſcula tutò per ſcalpelli manubrium excorientur; Poſt totius humoris euacuationem curatio fiat, veluti dictum eſt. At ſi ſub Caluaria aquoſa materia fuerit collecta, itidem eſt expectandum, donec redundauerit humor, & ſuturæ fuerint diſparatæ, & tunc faſtigiatum locum diſſeccare debemus, & denique veluti in capitis futuris diſparatis fieri, ac curari ſolet, curandum, ac faciendum. Alij cauſtici cutem aperiunt, quòd mihi non placet, ob cerebri proximitatem, & tantò minùs in tenellis corporibus competunt.

Hæc curatio per inciſionem facta, quamuis à grauiſſimis Auctoribus ſit deſcripta, cum parùm ſit tuta, à me non probatur. Niſi in ijs caſibus, in quibus per exſiccantia medicamenta talis aquoſus humor abſumi non potuit. Præſertim cum à leuioribus, & magis tutis præſidijs ſit curatio inchoanda.

De Aquoſo Tumore Vmbelici. *Cap. 21.*

AQuoſus Vmbelici tumor, hydrum phalon à Græcis dictus, eſt tumor ille, qui ob aquoſæ materiæ intrà vmbelicũ collectionem oritur, ac fit; qui tumor ab aliquibus etiam Vmbelici procidentia nominatus.

De cauſis Aquoſi Vmbelici Tumoris.

QVÆ verò huius tumoris ſit cauſa, inquit *Aetius ſerm. 4. cap 26. Prociduntpueris Vmbelici, dum aut in diuturna eiulatu, & multùm diſtenduntur, aut ex plaga, aut caſu.* Sed præcipuè huiuſmodi tumor fit ex ſigno aqueſi humoris collecto inter peritoneum, & abdominis cutem, qui tandem ad vmbelicum

transmittitur, & ibi tumorem excitat; Causæ verò talem aquosum humorem generantes omnes illæ esse possunt, quæ in aquosi tumoris pertractatione adductæ fuerunt, vel nimis serosum nutricis lac in lactentibus.

De Vmbelici Aquosi Tumoris signis.

HViusmodi Tumoris signa sunt manifesta, quoniam Vmbelicus turgidus, & prominens apparet, talisque tumor laxus est, & si præmatur quædam aquę fluctuatio persentitur, & ad digitorum compressionem, neque minuitur, neque increscit, neque occultatur, & appositò lumine, perspicuum appareat.

De Vmbelici Aquosi Tumoris Prognostico.

IN puerulis talis tumor faciliter à principio curari potest, & est sine periculo; Si verò inueterauerit, vel cum alio morbo fuerit coniunctus, periculo non vacat.

De Aquosi Vmbelici Tumoris Curatione.

IN huiusmodi tumoris curatione circa victum, & alias res nonnaturales, & circa vniuersalia eadem competunt, quæ in aquosi tumoris curatione diximus, & si puer lactens sit, qui hunc tumorem patiatur, hæc omnia nutrici conueniunt, vt aquosum lac non gignat, & si nimis serosum sit, corrigat. Quo ad particularia, & topica præsidia, omnia ea medicamenta competunt, quæ resoluendi, & huiusmodi aquosam materiam exsiccandi vim habent, quæ in aquosi tumoris curatione diximus, & aquosæ herniæ pertractatione describemus, quorum multa Aetius loco cit. proposuit, vt

℞. Ammij cum muria triti, & his vmbelicum illinito, & lintei rasuram, siuè cinerem impositò, & ad triduum alligato, & rursùs eo soluto idem facito, vel

℞. Lupinorum amarorum vstorum, vngulæ asini vstæ, lateris vsti, misce, & simul tere, ac superpone, & sic obligato, vel

℞. Aluminis scissilis, siuè de pluma dragm. v. tartari dragm. 7. rosarum siccarum dragm. 10. gallæ immaturæ dragm. 2. misce, & cum vino terantur, donec ad mellis consistentiam redigantur, & cum hoc vmbelicus liniatur, & desuper ponatur spongia aliquo exsiccante decocto madida, & expræsa. Valet ad hoc etiam, præsertim in puerulis, arnoglossæ, & lentes simul coctæ in cataplasmatis formam applicata, vt pluries fui expertus.

Nisi verò dictis medicamentis curari, humiditasque resolui possit, ad incisionem veniendam, vt optimè *Paulus lib. 6. cap. 51. nos docet*, dicens, *Si autem humor, aut sanguinis vitium vmbilici prominentiam causauerit, media tumoris parte orbiculauerit præcisa, quicquid extra Abdominis membranam, peritoneum nuncupatam, incidit, detrahemus, iuxtaque vmbelicum medelam carni curandæ factam adhibebimus.*

Lunata ergo incisio facienda, & humiditas paulatim extrahenda, postea pars detergenda, carne replenda, & cicatrizanda, deindè affecta pars aliquo decocto calefaciente, & astringente est roboranda, sicuti est infrascriptum, vel simile.

℞. Florum chamomeli, origani, pulegij, betronicæ, saluiæ, anethi, rosarum rubearum, balaustiorum, baccarum, myrti, nucum cupressi an. q. vis, misce, & coque in vino austero, & vmbelicum isto decocto calido, spongia sæpè, & pluries foue.

De Hernia Aquosa.
Cap. 22.



Aquosa Hernia, ab aliquibus aquosus ramex, à Græcis Hidrocelæ, siuè Hydrochili dicitur.

Est verò aquosa Hernia quidam tumor ex inlapsa in scrotum, siuè testiculorum tunicas aquosa materia, dicente *Galeno libro de Tumoribus præter naturam. Quum autem in testium tunicis aquosus humor colligitur, hydrocelæ nominatur.*

Colligitur ergo hæc aquosa materia, vel inter Eritroidem tunicam, & testiculum, vel inter eritroidem, & dartum tunicam dictam, vel in propria pellicula, veluti vessica quadam continetur, atque hoc genus, herniam in tunica superagnata vocamus, inquit *Aetius serm. 14. cap. 22. & Paul. lib. 6. cap. 62. & Cels. lib. 7. cap. 18. Aliquandò etiam duplex hernia suboritur, cum aquosa materia, & intrà tunicam darton dictam, & in superagnata consistit.*

Plures ergo sunt aquosarum herniarum species: Prima est, quandò aquosa materia intra eritroidem continetur. Secunda quandò inter eritroidem, & darton. Tertia, quandò in tunica superagnata coadunatur.

De causis Aquosæ Herniæ.

AQuosam Herniam generantes causæ, vt de alijs aquosis tumoribus diximus, plures esse possunt: Aliæ enim sunt externæ, aliæ internæ: Externæ sunt nimius potus, & rerum humidarum esus, plaga, collisio, vel quælibet alia causa, è qua vasa abrumpuntur, vel dilacerantur, & sanguis effluens in aquosam substantiam transmutatur, & continuò etiam ille sanguis, qui ad illas partes alimenti causa defluit, similiter in aquosam, serosamque substantiam mutatur, cum hæ partes ex præcedente causa debilitatæ fuerint.

Internæ causæ præcipuè antecedentes, vt plurimùm occultæ sunt, vt hepatis, vel lienis vitium, cuius ratione aquosus humor in hypocondrijs colligitur, qui postea faciliter ad has partes descendit, & aliquandò etiam absque horum viscerum vitio aquosus humor intra vasa, quæ scrotum contexunt, ac implicant, vna cum sanguine colligitur.

Causa verò coniuncta est aquosus humor intrà dictas tunicas collectus, qui actu talem tumorem efficit.

De Herniæ Aquosæ signis.

EX quibus causis aquosa hernia fuerit orta, sua signa demonstrant, quoniam si ex occulta causa, & sponte, ideſt ex vasorum repletione, quæ ex nimio potu fit, aquosus humor collectus fuerit, subflauus, & subpallidus is inuenitur, & ægrorantis color, & corporis habitus bonus est. Si verò corporis color, & habitus est prauus, & humor intrà tunicas albus apparet, hernia à vitio alicuius visceris est orta: Vbi verò ex plaga, & collisione fit, hæc per se patent, & humor cruentus, & faculentus apparet.

Qua verò in parte, ideſt intra quam tunicam huiusmodi humor contineatur propria signa ostendunt, vt inquit *Paul. & Aetius, & Celsus locis superiùs citatis, Quantam si intra eritroidem tumor erit rotundus paulò lungior, oui instar apparet, testiculusque his planè inhibi visui, ac tactui occultatur, vt qui vndequaque sit implicitus, & circumdatus, & cum digitis duobus pressimus, paulatim humor intrà eos reuertens, subit, Scrotum ipsius albidius est, si ducitur, aut nihil, aut paruulum intenditur.*

Si extra eritroidem membranam sub darto habetur, per pauca corpora sub-

labitur

labitur; Testiculusque intra notas tactui occurrit, intentum scrotum magis se attollit, adeò vt superior coles sub eo tumore delitescat. At si humor in supergenita, siuè superagnata tunica coierit, propter vndequaque compactum conglobatumque tumorem alterius testiculi, tumor imaginem refert.

Qui verò humor contineatur, cognoscitur ex visu, quoniam si aquosa materia concolor tumor perlucet; Si feculenta, aut cruenta, rubicundus, aut liuidus per tunicam color apparet, & hæc sunt particularia signa.

Vniuersalia verò, & communia signa sunt, Tumor dolore vacans, firmus, ac stabilis in scroto, pondere leuis, quacumque tandem occasione nunquam ex toto se remittens, sed interdum lenior, aut propter famem, aut propter propriam febriculam, maximèque in pueris, usque moris est, nisi nimius humor subsit. Sed in ijs, qui modicum continent humorem, tactui cedit, in illis, in quibus est copiosus, non cedit, non tamen omninò remittitur, veluti carnosa hernia. Sed veluti repletus vter, & arctè adstrictus, & sic etiam resonat, venæ quoque in scroto inflantur, & si digito premimus, vt diximus, *Cedit humor, influitque in vasa, quæ prius repleta non erant, & cum luciditate splendet, velutique in vitro cornuue si esset, per scrotum apparet*, inquit, *Celsus lib. 7. cap. 18. Candela ex opposita parte admota; Non subitò, sed successiuè, & paulatim fit, & excitatur.*

Cum verò in vtraque scroti parte hæc apparuerint signa duplicem ibi herniam cognosces.

Differt verò ab intestinali hernia, quoniam in aquosa hernia tumor ferè semper eiusdem magnitudinis, & nunquam ex toto se remittit, quòd non accidit in intestinali hernia. Differt etiam ab hernia orientali, quoniam inguen, in aquosa, semper secundùm naturam se habet, quod non euenit in omentali.

Differt à ventosa, quoniam in ventosa splendor clarior est, quam in aquosa, & subitò fit.

De Aquosæ hernia Prognostico.

ET si aquosa hernia inter alias herniarum species curatu facilior sit, tamen omnes inueteratæ herniæ, ne testes corrumpantur, sunt suspectæ.

Illa verò aquosa hernia, quæ viscerum vitio fit, vel ex totius corporis aquosi humoris repletione, respectu partium principium malè affectarum, curatu difficilis est.

De Aquosæ hernia curatione.

IN curatione aquosæ herniæ, sicuti in alijs aquosis tumoribus diximus; Quatuor intentiones habere debemus; Prima, in victu, ac alijs rebus nonnaturalibus consistit; Secunda, in aquosi humoris euacuatione; Tertia, in affectorum viscerum roboratione, & coctionis rectificatione; Quarta, circa localia, ac topica versatur.

Quo ad primam, secundam, & tertiam intentionem eadem conueniunt, quæ in aquosorum tumorum curatione superiùs diximus.

Quartam intentionem duobus modis assequi possumus, vel enim calidis medicamentis, exsiccantibus, resoluentibus, ac digerentibus contentam in particula aquositatem absumimus, vel incisione huiusmodi aquosam materiam extrahimus. Medicamenta hæc efficientia non solùm sunt, quæ in aquosi tumoris curatione diximus, sed etiam infrascripta. Quæ exsiccantia, ac resoluentia medicamentia semper antequam ad incisionem veniamus, experiri debemus. Huiusmodi verò sunt farina fabacea, lauri

lauri baccæ, lini ſemen, dauci, altheæ nigellæ, flores chamomeli, fenum græcum, pulegium, origanum, calaminthum, ruta, ſaluia, abrotanum, ſtecados, ſemen Agni caſti, cymini, camedreos, camepitheos, & ſimilia; Ex his enim fiant fomenta, inunctiones, & cataplaſmata; fomentum ergo ſit huiuſmodi, quod primum ante inunctionem, & cataplaſma competit.

℞. Origani, calamenthi, pulegij abrotani, chamomeli, rutæ, meliloti, ſaluiæ, ſtecados, feniculi an. M. 1. dauci carui, ammeos, ſeminis agni caſti, cymini an. vnc. 5. contundantur craſſo modò, & in aqua q. ſuff. bulliant ad tertiæ partis, vel dimidij conſumptionem; Deindè dicto decocto calido ſpongia imbibita, & expreſſa ſcrotus foueatur, & cum tepefieri incipit, iterum dicta decoctione calida infundatur, & exprimatur, & parti apponatur, & ſic quinquies, vel ſex fiat, deinde fomentata pars exſiccetur, & infraſcripta inunctione inungatur, quæ maxime reſoluit.

℞. Olei coſtini, rutacei, laurini, lileacei an. vnc. 4. euphorbij vnc. 2. M. & in his calidis linea lintea infundantur, & exprimantur, & ſupra ſcrotum ponantur. Deinde niſi his cedat infraſcriptum cataplaſma, vel ſimile admoueatur.

℞. Balſamithę, ideſt mentæ aquaticæ calamenti, origani chamedrios, camepitheos, florum chamomeli, rutæ an. M. 1. farinæ fabarum, fenugræci, ſem. lini an. vnc. 1. ſem. anſiorum, cymini an. vnc. 5. herbæ in aqua coquantur, deinde contundantur, ſemina in pollinem redigantur, & dum herbæ contundantur, pulueres, & farinæ commiſceantur, & cum decoctione prædicta, ac oleo rutaceo q. ſuff. S. A. fiat cataplaſma.

Vel fiat catapl. cum baccis lauri, fabarum farina, fenugręci, ſulphure cymino, ammoniaco, terebentina, paſſo, oximellite, oleo laurino, & ſimilibus. Optimum etiam eſt infraſcriptum.

℞. Stercoris bubuli lib. 1. pulueris cymini vnc. 1. baccarum lauri vnc. 5. & cum lixiuio q. ſuff. S. A. fiat catapl. Vel infraſcriptum, quod magis digerit.

℞. Fimi columbini, cymini, baccarum lauri, caſtorei an. partes æquales miſce, & cum oleo roſaceo, & pauca cera coquantur, vel

℞ Nitri vnc. 4. ceræ vnc. 11. 5. olei rutacei vnc. 2. piperis baccarum lauri an. vnc. 3. pula. pult. & S. A. fiat in vng. formam, vel

℞. Sulphuris dragm. 2. reſinæ lib. 1. vel litargirij, aluminis, zuccherini an. vnc. 1. vetrioli vnc. 2. olei q. ſuff. diſſoluatur reſina cum oleo, & coletur, & cum infrigidatum fuerit, imponantur pulueres aliarum rerum, & in fine addatur aliquid aceti, & poſteà calidum ſuper locum ponatur, & hoc optimum eſt, animaduertendum tamen, quod ſemper antequam cataplaſma, & inunctiones applicentur, vt prius fomentum dictum fiat.

Exſiccata aqua, ne amplius confluat, neque iterum gignatur; fomentis calidis exſiccantibus, & digerentibus pars eſt roboranda, vt eſt infraſcriptum.

℞. Calamenti, origani, florum chamomeli, meliloti, anethi an. M. 1. balauſtiorum, nucum cupreſſi, calicum glandium an. vnc. 1. 5. galaſti, ſimphiti, valerianæ an. M. 5. miſce, & in vino nigro auſtero coque, & fac fomentum.

Niſi his cedat, ad Chirurgiam, ideſt inciſionem veniendam, quam operationem peritus Chirurgus empiricis relinquat, ideſt nurtianis.

Quæ ita fit; Si aqua intra eritroidem contineatur, teſticulus ſuperius contineatur, ideſt ſupra femorum oſſa, & ne intra abdomen ingrediatur, & ne iterum ad ſcrotum deſcendat prohibeatur, quod vt bene Chirurgus aſſequatur, iubeat aſſiſtenti, vt vnam manum ſuperius ponat, aliam inferius, & pronam in aliam partē reclinet, deinde perforet vna cum ſcroto etiam eritroidem tunicam, & ſic aqua exhibit. Si autem intra dartum, vel in ſuperagnata tunica contineatur, fiat inciſio in ea parte, lato phlebotomo, quæ magis ad inferiora tendit, inciſione facta, aquam exire permittat.

Si autem infirmus ſit debilis pluribus vicibus euacuetur, & ſi foramē ſua ſpōte

clauda-

claudatur, denuò inciḍatur, ſed alio in loco

Celſus in pueris inquit, *quòd inciſio in inguine facienda, & ſursùm aqua pellenda; in adultis in imo ſcroto, & ſic educenda aqua; alij verò apertionem cauſtico, vel ignitis ferramentis efficiunt*, Oriſitium poſteà apertum diù ſeruari debet, vel vt dicit *Galen. 14. meth. cap. 13. Vbi iubet, vt diù foramen apertum teneatur argenteo, vel plumbeo ſyphone, ſiuè cannula; alij, vt Guido, ſetone foramen apertum diù teneri*, inquit *Auicena, in inguinis regione candentibus ferramentis inurit, vt pars corrugetur, ne aqua iterùm poſſit. Poſt inciſionem pars, vel muria, vel aliquo alio detergente, & exſiccante medicamento eluenda, ſed ſtatim poſt inciſionem, ea medicamenta, quæ cruentis vulneribus conueniunt imponenda, deindè deterſo, & expurgato vlcere, & conſumpto humore cicatrix induci debet. In hac verò operatione facienda Chirurgus animaduertere debet, ne venam, vel neruum perforet, vel teſticulum tangat, quoniam putrefieret.*

Cum ſuperiùs dixerimus, *Quandò diutiùs in hac Hernia aqua retinetur, quòd aliquandò teſticulus corrumpitur. Huius enim rei in cognitionem veniemus ex fœtore, & prauo colore, & quandò hoc eſſet: Vidimus ſuperiùs optimè ligandus, ac rectè vinciendus, deindè aliquantiſper remotè à vinculo incidendus, deindè inurendus. Teſticulusque remouendus, vt in herniæ inteſtinalis curatione fieri ſolet, & tandem locus conſolidandus.*

Si quis verò aquoſam herniam incidendi, vel adurendi ordinem, ac modum exactiùs, & accuratiùs ſcire velit, adeat Paulum Aeginet. lib. 6. cap. 6. & Aetium ſerm. 14. cap. 22. & Celſum lib. 7. cap. 18. & alios Auctores ſuperiùs dictos qui eundem copioſiſſimè, & accuratiſſimè tradunt.

De Strumis, ſeù Scrophulis. *Cap. 23.*



Vminter Phlegmaticos abſceſſus, vel phlegmaticas excreſcentias connumerentur ſtrumæ glandulæ, ganglia, nodi, lupiæ, teſtudo, talpa, bronc ocelæ, nata, atheromata, & melicerides; ideo de vnaquaque harum verba ſumus facturi, & primùm de ſtrumis.

Strumæ igitur à Græcis Cherades, ab Arabibus Altheeltil, & Scrophulæ appellantur, & ſic dicuntur, quoniam frequenter Scrophis, ideſt ſuibus in collo fiunt, vel à multiplici partu, quoniam ſicut ſues multos edunt partus, ſic in ſcrophulis ex vna, poſteà plures fiunt; ſunt ergo numerolæ ſobolis, veluti ſues. A Latinis ſtrumæ dicuntur.

Quid vero ſint ſtrumæ, inquit *Gal. lib. de Tumoribus præter natur.* dicens, *Vbi glanduloſæ partes indurantur, & ad ſcyrrum deuenerint, is affectus Struma, & Cheras vocatur*; idem etiam inquit, *13. meth. cap 2. & 14. meth. cap. 11. Paul lib 4. cap. 3.* inquit, *Strumæ ſunt Glandulæ obdurataæ, & Aetius ſerm. 15. cap. 5.* inquit, *Sunt autem ſtrumæ carnes ſubcandidæ facile augeſcentes in membrana contentæ, & in ſumma glandulæ induratæ.*

Partes à ſtrumis affectæ, vt inquiunt omnes ſuperiùs dicti Auctores, ſunt *Glandulæ, colli, axillarum, & inguinum ibi enim glandulæ, vaſis ſubſtratæ ſunt. Sed glandularum*, vt inquit *Gal. 14 meth cap. 11. duplex eſt natura. Quippè nonnullæ earum in quorundam vaſorum medio deductorum in varios ramos, ad tuendum eorum robur ſunt conſtitutæ quarum aut magnus vſus animantibus eſt: Aliæ verò ad excipiendam ſaliuam, vel lac, vel ſemen, vel aliquem humorem alium gignendum ſunt fabricatæ, atque harum ſanè maior eſt vſus, nec aliter ſanandæ ſunt ſi contraxerint ſcirrum, quàm cæteræ omnes corporis partes.* Si ergò ſtrumæ nil aliud ſunt, quàm glandulæ induratæ, & ſcirroſæ factæ, & in omnibus his partibus indurari poſſunt. Ergo

ergò in omnibus his partibus ſtrumæ fieri poſſunt, vtque etiam narrat *Celſus lib. 5. cap. 28. In Mammis quoque fœminarum chirurgum magetem dictum reperiſſe. Sed*, vt inquit ille, *naſcuntur præcipuè & ſæpius in cerutce, in alis, in inguinibus, & in lateribus, aliquando etiam, vt loco ſupertus citato Aetius inquit. Sed tamen rarò, non ex glandulis, ſed ex carne eorundem locorum fiunt quæ affinitate quadam ad ſtrumarum naturam vertitur, & materiæ acceſſione augetur.*

Cauſæ verò cur hæc glanduloſa corpora fluxiones recipiant, ſunt, quoniam omnium corporis partium ſunt debiliſſimę, & ſubſtantia rarè, vt inquit *Gal. 13. Meth & lib. de venæ ſectione frequentiſſimè verò in collo fiunt, ob cerebri vicinitatem, à quo pituita fluit.*

Rarò verò in mammis, ac teſtibus fiunt, quoniam hæ partes robuſtiores ſunt, & ideò minùs aptæ ad fluxiones recipiendas.

Strumarum ſpecies.

Strumarum verò, vt inquit *Aetius*, *plures ſunt ſpecies, ac differentiæ.*

Differunt ergò inter ſe magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, & vaſorum complicatione, & aliæ per ſe fiunt, aliæ aliis morbis ſuccedunt.

Magnitudine differunt, quoniam aliæ paruæ, aliæ mediæ, aliæ ingentes ſunt natura, quoniam aliæ ſunt manſuetæ, aliæ malignæ.

Loco autem differunt, quoniam quædam in anteriori colli parte, quædam in poſteriori, quædam ab altera ipſius parte quædam ab vtraque oriuntur: Quædam item ſtatim ſub cute ſuperficiem habent: Quædam circa magna, ac nobilia vaſa pænitus inſident.

Ortu, quod quædam velut eleuatæ, & quædam inſertæ naſcuntur; Suſpenſæ quidem huc, & illuc facilè mouentur. Inſertæ verò ſubnituntur, & loco difficulter mouentur.

Multitudine differunt, quia modò vna, modò plures generantur.

Vaſorum complicatione, quoniam quædam venas, & arterias implicatas habent, quædam omninò non habent.

De Strumarum Cauſis.

STrumarum alijs morbis ſuccedentium cauſæ, vt plurimùm externæ ſunt, vt medicamenta ſiccantia, & nimis reſoluentia, quibus in glandularum inflammationibus tenuiores partes reſoluuntur, & craſſiores indurantur, & aliquandò hoc idem per ſe à natura fit.

Cauſæ ſtrumarum, quæ per ſe fiunt, duplices ſunt, vt de alijs tumoribus diximus, ideſt aliæ internæ, & aliæ externæ: Primitiuæ, & externæ cauſæ ſunt vitæ luxus, ſiuè intemperantia, & inguuies, ob quam cauſam etiam ſuibus fiunt, deprauata viuendi ratio, aut quæ ex vitioſis cibis pituitoſis, & melancholicis inſtituitur.

Internæ verò etiam duplices ſunt, Antecedens, & Coniuncta; Antecedens cauſa eſt pituitoſi humoris, vel melancholici in corpore redundantia; Coniuncta eſt humor iam in glandula influxus, qui actu ſtrumam efficit, dicente *Gal. 3. aph. Com. 26. Strumæ fiunt ex pituitoſiore, & ex frigidiore humore in adenis collecto.*

De Strumarum Signis.

COmmunia ſtrumarum ſigna ſunt, quòd huiuſmodi umor eſt durus, indolens, difficultèr ſentiens, & glandulæ forma, ideſt rotundæ ſunt, & omnes ſtrumæ etiam ſuis membranis, ſiuè Chriſti includuntur, veluti ſteatoma, atheſoma, & meliceris, & ſenſibus, ideſt viſu, & tactu, ſtatim deprehenduntur.

Particularia ſigna ſunt iſta, Manſuetæ enim, & mites ſtrumæ ſunt ſine dolore, abſque

absque inflammatione, & cum mediocri duritie apparent, neque enim molles sunt, sicut steatomata, neque duri, sicut scyrri, sed mediam quamdam inter hæc tactus proprietatem obtinent. Tumoremque omninò circumscriptum rotundum, & æqualem efficiunt.

Malignæ verò quamuis non sint veræ strumæ, sed canceroſæ, cum ab humore pituitoso, & melancholico naturali minimè fiant.

Sed in illis ferina atrabilis admiscetur, inflammationes, & pulsantes dolores inducunt, tumoremque inæqualem præseferunt, in quo vasa prominent, & ad manuum contactum, ac medicamentorum impositionem efferuntur. Quæ omnia signa ab Aetio loco citato traduntur.

Differunt verò strumæ, quæ à pituita fiunt ab ijs, quæ à melancolico humore proueniunt, quoniam, quæ à pituita oriuntur, eundem colorem cum cute habent, quæ verò ab humore melancolico fiunt, ad plumbeum colorem tendunt.

De strumarum, siuè scrophularum Prognostico.

STrumæ molles, & tractabiles, & recentes facilius resolui possunt. Duræ verò, & inueteratæ difficilis sunt resolutionis.

Pueri propter gulæ intemperantiam, & humorum exuberantiam, ac corporis mollitiem, atque raritatem crebrò scrophulis pituitosis tentantur.

Sed facilius in his resoluuntur, ac curantur, contrà senibus rarius eueniunt, & difficilius resoluuntur, ac curantur.

Paruæ strumæ maioribus facilius curantur, sicut mites, & blandæ, inflammatis. Malignæ strumæ omninò incurabiles sunt, quoniam sunt canceroſæ, & vasis refertæ, & vasa nobiliora tanquam radices habent.

Ideò curationi non cedunt, & in earum abscissione magnę sanguinis hemorragiæ periculum imminet, & ideò non attingendæ.

Facilius similiter curatur vna struma quàm plures, & dolore vacantes, quàm dolentes, & mobiles, quàm fixæ, & à pituita subortæ, quàm ab humore melancolico, & superficiariæ, quam profundæ.

Multitudo externarum strumarum huc, atque illucque per corpus vagantium, cum aduentitia quadam caliditate strumarum internarum, à quibus oriuntur, multitudinem indicant.

Inquiunt aliqui Auctores, quòd illi, qui sunt breui, & angusta fronte, & compræsla habent tempora, amplas maxillas, & breue collum, maximè strumis sunt obnoxij, quoniam in his facillimè pituita ad collum deriuatur.

Item omnes quidem strumæ difficilis sunt curationis, vtque inquit *Celsus lib. 5. cap. 28. & Galen. 13. Strumæ, vel præcipuè fatigare Medicos solent, quoniam, & febres mouent, nec vnquam facilè matureſcunt, & siuè ferro, siuè medicamentis curentur. Plerumque iterùm iuxtà cicatrices ipsas resurgunt, multoque post medicamento est opus. Quibus id, quoque accidit, quòd longo spatio detinent.*

Strumæ in anteriori colli parte maiori cum periculo inciduntur, corrodantur, ac vruntur, quàm alijs in partibus, non solum ob venarum, & arteriarum, propinquitatem, sed etiam ob periculum, quod ineſt, ne vocales nerui incidantur, vel vocalia instrumenta denudata refrigerentur, & his de causis voce priuatus remaneat æger. In hac ergo actione facienda opus est optimus Chirurgus, & maximè in humani corporis anatome exercitatus, & sic vera est Aetij sententia, *Quòd strumæ in collo facilius curantur, quàm in reliquis partibus, ideſt ab incidendi peritis, & optimis Anatomicis.*

Illæ strumæ, quæ sunt cum accidentali dolore, & calore, ac rubedine facilius curantur, quoniam sæpè ad maturationem & saniem deueniunt, vel resoluuntur. Illæ verò, quæ sunt absque dolore vllo, difficilius sanantur, & resoluuntur.

Omnes

Omnes item tumores, in quibus materia intrà tunicam continetur, difficillimè Med. curantur, tùm ob frigidam materiam intrà tunicam contentam, quæ ad maturationem eſt inepta, tùm quia reſolui non poteſt, cum intrà tunicam ſit recluſa, ſed inciſione facilius curantur.

Strumæ frequenter in ſcirrum terminantur ob ſubtilium partium reſolutionem, & craſſarum indurationem, rarò per ſuppurationem terminantur, frequenter verò, ſi exulcerentur in chachoetica vlcera, & fiſtuloſa, ac etiam in cancroſa, & corroſiua conuertuntur.

De Strumarum Curatione.

IN ſtrumarum curatione quatuor intentiones habere debemus; Prima in victu, ac alijs nonnaturalibus rebus conſiſtit; Secunda in pharmacia, & cæteris vniuerſalibus; Tertia circa localia Med. verſatur; Quarta manus operatione, ſiuè chirurgia aſſequitur.

Prima igitur intentio victu moderatè calefaciente, ſiccante, & humores attenuante completur, magis ergo exſiccans, & attenuans, quàm in oedematæ victus eſſe debet. Potus ſit vinum aliquod generoſum, vel aliqua aluminoſa, & ſulphurea aqua; Tolleranda his eſt fames, quam maxime fieri poteſt, & bona coctio curetur. Deuitet verò cibos omnes craſſi ſucci, nimiam ſatietatem, & immoderatam repletionem, & aquæ potum. In vltimo menſe ſemper aſſumat aliquid, quod vapores caput petentes reprimat. Aer ſit moderatè calidus, & ſiccus, & contrarius deuitandus. Motum, & exercitium antè cibum maximè competit, & quies, & otium mala ſunt. Somnus potiùs ſit breuis, quàm longus, caueat ſe ab ira, rixis, locutione plurima, & immoderato riſu, & his ſimilibus, vtque aluus lubrica ſit, curetur.

Secunda intentio vſu medicamentorum incidentium, tenuantium, detergentium, & aperientium, vt in oedematis curatione fuit dictum, completur, quibus humores, & antecedens materia incidi, attenuari, & viæ aperiri debent. Hoc facto Med. huiuſmodi humores præparatos euacuantibus educi debent, & ſi vnica vice hoc fieri nequeat, pluribus educi debent, & ſi adſit pletora, ætas conſiſtens, & vitium robur, aliquando etiam venæ ſectio conuenit.

Tertia intentio mollientibus incidentibus, tenuantibus, ac digerentibus topicis, ac localibus Med. perficitur. In molioribus ergò corporibus, & ſtrumis minùs duris infraſcripta conueniunt, vt ℞. farinæ lupinorum amarorum in oximellite decoctæ, & cataplaſmatis forma calidum applica, & eſt *Gal. 3. de locis aff. & 6. de Med. per Gen. vel* ℞. ſtercoris caprini in aceto decocti, & cum axungia ſuilla commixti ad cataplaſmatis formam, vel

℞. Radicis altheæ coctæ, & cum gallinaceo adipe miſce, & calidum applica; vel ℞. litargirij vnc. 2. olei com. vnc. 3. mucilaginis fenugræci, ſem. lini an. vnc. 1. mucilaginis altheæ vnc. 2. miſce, & hoc mollit, & digerit; vel ℞. cinerum cochlearum vnc. 1. axungiæ ſuillæ vnc. 1. 5. miſce, & fiat in vnguent. forma vel

℞. Radicis lilij cæleſtis, ſtoracis medullæ cruris vituli, vel *adipis* caprarum an. q. vis, & cum melle miſce, & fiat cataplaſmatis forma.

Argentum ſublimatum etiam ſucco plantaginis, vel roſarum, mororum caſtigatum, & alicui linimento commixtum optimum eſt, & rarò fallit.

In durioribus corporibus, & ſtrumis magis duris infraſcripta conueniunt, & hoc eſt *Gal. 6. de Comp. Med. S. L.* quod competit etiam in alijs induratis tumoribus.

℞. Olei antiqui, vel liliorum, vel laurini vnc. 6. picis ſiccæ vnc. 3. ladani, galbani an. vnc. 1. 5. litargirij vnc. 6. ſtiracis vnc. 1. litargirium cum oleo coquatur, donec incraſſetur, poſteà addatur pix, & reliqua; Alijs ab igne remotis, & S. A. fiat empl. forma, vel

℞. Reſinæ terebentinæ ceræ an. vnc. 4. galbani, ladani an. vnc. 5. thuris vnc. 1. medullæ oſſis cerui, ſcordei, alucorum apium, olei laurini, ſeu-

vitu-

vitulini an. vnc. 1. misce, & S.A. fiat emplastri forma.

Dixit etiam *Galen. lib. de simpl. medic. Quod radix lilij, & similiter oleum de lilio scrophulas resolvunt, vel infrascripta, quæ sunt Auicennæ.*

℞. Radicis lilij, sem. lini, fimi columbini an. partes æquales, & cum vino qu. suff. fiat catapl. forma, vel

℞. Fenugræci vnc. 4. calcis, nitri an. vnc. 1. misce, cum melle, & fiat cataplas. forma, vel

℞. Stercoris caprarum vnc. 2. radicis cucumeris, asinini, ficum immaturum an. vnc. 1, staphisagriæ, bdellij, fenugræci, amigdalarum amarar. an. vnc. 5. fecis olei antiqui q. suff. misce, & S.A. fiat catap. forma.

Oribasius lib. 7. cap. 29. inquit, *Quod Medicus quidam ad strumas, & obdurates tumores in duris corporibus vtebatur stercore bubulino cum aceto mixto.* Similiter inqnit, *Strumas discutit, calx viua, melle, aut gimnasiorum sordibus, aut oleo, aut adipe suillo excepta.* Similiter idem facit *lolij farina cum fimo columbino, & lini semine vino incocta*, inquit etiam, *Caprificorum grossi agrestes, aut satiui concisi illiti concretionem omnem digerunt, vel fiat infrascriptum empl. quòd optimè operatur.*

℞. Radicum brioniæ, cyclaminis, cucumeris agrestis, altheæ, lilij cœlestis an. vnc. 2. coquantur optimè in vino albo, & terantur, deindè adde ammoniaci in aceto squillitico dissoluti, bdellij, opoponacis in oleo sesamino dissolutorum an. vnc. 1. stercoris columbini, caprini an. vnc. 1. 5. ladani, stiracis, calaminæ an. vnc. 1. picis naualis q. suff. misce, & fiat emplast. massa, vel fiat sequens, quodomnem tumorem durum mollendi, digerendi, ac discutiendi vim, ac facultatem habet.

℞. Radicis irecs vnc. iii. perfectè coquantur in aceti, & comm. mellis vnc. 8. deindè terantur, & adde resinæ tereb. dialtheæ an. vnc. 3. pulueris cymini, fenugræci an. vnc. 1. misce, & S.A. fiat empl. forma, vel

℞. Stercoris bubulini, caprini, anserini, columbini an. dragm. 2. farinæ hordei lupinorum, lolij an. dragm. 1. 1. 5. farinæ seminis lini, fenugræci an. dragm. 3. ammoniaci bdellij, galbani in aceto dissolutorum an. vnc. 5. mellis vnc. 3. axungiæ suillæ q. suff. misce, & secundum artem fiat cataplasmatis forma, vel

℞. Seminis sinapis, stercoris columbini an. vnc. 2. micæ panis albi vnc. 4. mellis vnc. 3. aceti lib. 5. coquantur omnia ad cataplasmatis crassitiem.

Mesues inquit ad strumas optimum esse diachilon magnum sine gummis, vel cum gummis. Confert etiam strumis emplastr. ex lentibus, & aceto acerrimo per multos dies parti adhibito, priùs corpore purgato: alij maximè laudant folia, & radices capparorum cum melle mixta, quibus etiam addi potest farina fabarum, vel hordei.

Ad mammarum strumas, & earum duricies. ℞. Visci elaborati, resinæ aridæ, ceræ an. lib. 5. galbani vnc. 1. 5. misce, & applica, & est Pauli.

Hæc enim sunt mollientia, & discutientia medicamenta, & multa alia ponuntur ab Aetio, à Paulo, ab Auicenna, à Bruno, ab Hali Abb. à Guidone, & ab alijs Auctoribus quæ brevitatis causa relinquo, cum quisque ex se ipso videre possit. Si verò dictis medicamentis nihil profecerint, ad suppurationem hujusmodi ducendi erunt, vel adurentibus medicamentis excidendi, vt Celsus inquit, vel manu curandi, vt inferiùs dicemus. Ad suppurationem autem veniunt strumæ, quandò aliquis calidus humor cum pituitosis, ac melancolicis miscetur, & tunc quàm citissimè maturandæ, ac ad suppurationem perducendæ strumæ, & maturantia sunt infrascripta.

℞. Farinæ seminis lini, fenugræci an. vnc. 2. brassicæ M. 1. mucilaginis altheæ qu. suff. misce, & S. A. fiat cataplasma, vel *Pus mouentia.*

℞. Sem. lini, fenugræci, chamomeli an. vnc. 2. altheæ M. 1. axungiæ suillæ, & cum oleo chamomelino qu. suff. S.A. fiat catapl. vel

℞. Farinæ fabarum hordei an. drag. x. radicis glicirizæ, radicum altheæ, picis an. vnc. 5. ceræ albæ, adipis anserini an. dragm. x. misce, & terantur, & in vnum redigantur cum oleo veteri, & vrina pueri impubis q. suff. & supra moderatum ignem fiat catapl. Aliud validius.

℞. Mirrhæ vnc. 2. licij vnc. 4. miſce cum coriandri decocto, q. ſuff. & fiat catapl. forma, vel infraſcriptum, quod eſt Pauli.

℞. Mirrhæ dragm. x. ammoniaci, thymiamatis an. dragm. 7. viſci querini vnc. 1. galbani vnc. 5. propolis dragm. 1. in mortario contundantur, & S. A. fiat empl. forma.

Multa etiam alia maturantia ſuperiùs dicta conueniunt, vt illa, quæ fiunt ex rad. altheæ, malua, tritici farina, oleo, & his ſimilibus.

Sed animaduertendum antequam ad incidendam, & ſuppuratam ſtrumam aperiendam veniamus, vt tota materia in tunica, ſiuè cyſti contenta, vel ſaltem maior eius pars ſuppurata ſit, & ideò in ſuppurationibus aliquandò tam diù perſiſtendum, quouſque tota materia, vel ſaltem maior eius pars ſuppurata fuerit; Quoniam ſi citiùs aperiatur, quod reliquum eſt cum difficultate poſteà ad ſuppurationem perducitur, ob caloris perſpirationem, quæ per inciſionem fit. Et hoc præcipuè animaduertendum in ſtrumis à craſſa materia ſubortis, quæ difficillimè ad ſuppurationem perueniunt. Maturata ſtruma, vel ferro, vel cauſtico aperienda, & inter cauſtica Paulus lolij farinam cum equino, & columbino phimo laudant, ſimiliter naſturtium album contritum, & pice commixtum: Vel alijs etiam cauſticis vti poſſumus. Aperta ſtruma, vel ferro, vel cauſtico: optimè detergi debet, vel mundificatiuo de apio, vel vnguento apoſtolorum, vel ægyptiaco, vel puluere mercurij, vel pulu. alphodeli, vel aeris flore, vel infraſcr. vngu.

Detergẽtia.

℞ Olei laurini vnc. 1. ceruſæ puluerizatæ, aquæ vitæ leuigatæ vnc. 1. aluminis rocchæ vnc. 5. ſalis com. dragm. 2. miſce, & S. A. fiat vnguentum, vel his ſimilibus.

Facta optima deterſione, ſinus vngu. iſidis, vel de betonica, vel de matreſilua, & his ſimilibus ſarcoticis carne replendus: Tandem cicatrix epuloticis inducenda. Idem etiam faciendum, ſi exulcerata ſtruma tibi occurrat, ideſt detergi in primis debet, deindè carne repleri, & tandem cicatrix induci; Et ſi os fuerit corruptum remoueri in primis debet.

Quarta intentio eſt, quæ Chirurgia & manuum artificio completur, & hæc curatio in ijs tumoribus competit, qui curatu difficiles ſunt, & neque primo, neque ſecundo modo tolli poterunt, & hac curatione non ſolùm morbus, ſed etiam pars affecta tollitur, ideſt glandula, in qua eſt ſtruma extrahitur, & hoc fit, vel ferro, vel putrefacientibus, ac corrumpentibus medicamentis, & hanc curationem *Gal. 14. meth cap. 11. proponit*; *Taliſque curatio non conuenit in ſtrumis glandularum, teſticulorum, vel mammarum, neque in ſtrumis fixis, & admodùm magnis, & venis, ac arterijs magnis implicatis. Sed tantùm competit in ſtrumis glandularum colli ſub alis, & in inguinibus, in ſtrumis mobilibus paruis vel mediocribus, & neque venis, neque arterijs implicitis, & in his etiam hæc operatio periculo non vacat.*

Manualis operatio.

Quandò verò hæc operatio fieri debeat, optimè docet *Aetius ſerm. 15. cap. 5. & multi alij Auctores, vt Paul. lib. 6. cap 35.*

Primùm ergò ager in loco ſplendido locari debet, & proſtratum decumbere iubeto, ne in animi deliquium incidat, in quod faciliter incurreret ſi hæc operatio ſedens fieret. Sic ſituato agro, crura ad lecti fulcra imitantur, & vinculis vinciantur, & caput à Miniſtris firmiter teneri iubeto, ſic etiam, & manus. Chirurgus deindè duobus ſiniſtræ manus digitis ſtrumam apprehendat, & quantùm fieri poteſt ad ſe attrahat; Deindè cutim tumori adiacentem recta, vel obliqua inciſione incidat. In collo enim inciſio ſecundum longitudinem fieri debet, quoniam vaſa, & nerui per collum recta porriguntur, & ideò inciſio tranſuerſa eſt incommoda.

In alis verò, & in inguinibus per tranſuerſum inciſio fieri debet propter cutis reduplicationem, ſicuti tumores altos in his partibus incidi diximus. Caterùm non affatim, neque vnico ictu tota cutis eſt incidenda (nihil enim violenter fieri debet) ſed duobus, aut tribus ictibus totius cutis craſſitudo incidatur, & eo vſque inciſio facienda, donec ad glandulam deueniatur; ita tamen, vt tunica, ſiuè cyſtis, in qua glandula eſt inuoluta, non incidatur.

Et

Et in operatione facienda ſenſim ſanguis eſt exprimendus, & exſiccandus, & vaſorum orificijs aliquid, quod ſanguinem ſiſtat, eſt imponendum, vt bombix vſtus, pilus leporinus, vel quid aliud, vt infertiùs dicemus, & hoc fieri debet, ne actionem ſanguinis fluxus impediat.

Inciſio verò, ſiuè ſectio in paruis ſtrumis ſimplex eſſe debet, in maioribus autem ad myrtei folij figuram cutis reſcindenda, tùm vaſa, ideſt venas, & arterias, paulatim, ac blandè denudata ſeponito, quæ cum naturali carne candidiora ſint, facilè diſcernuntur. Poſt hæc ſectionis labia, ſeù oras inciſæ cutis, vel ſellis, ſiuè hamulis diſtendes ac dilatabis, ac membranas, ſiuè ſtrumæ pelliculas ab adiacentibus partibus, aut ſummis digitis, aut vnguibus, vel ſpatula, vel ſcalpri capulo ſeparabis, ac excoriabis.

Vbi verò ſtruma nudata, & ſuis membranis explicata apparebit, manubriolo apprehendenda, & foras paulatim trahenda, & eximenda. Cæterùm ſi ſtruma inſerta, ſeù vaſis implexa fuerit, ſumma attentione opus tractandum, ne per iniuriam copioſa ſanguinis profuſio ſequatur. Propterea in agendo vnum tantùm ſectionis labium hamulis, ſiuè volſella diſtendatur, ac protrahatur, & ita ſenſim à connexis corporibus ſcalpelli acie ſeparetur, vbi ex vna parte connexa diuulſa, ac ſeparata fuerit, in altera idem fiat; Deindè tota baſis diligenter, propter neruos, & ſubſtrata vaſa, reſecetur.

Debemus verò animaduertere, vt tota glandula integra foras trahatur, quoniam ſi quid glandulæ, aut membranæ fruſtulum intùs remaneat, iterùm ſtruma renouatur. Si ergò glandulæ, vel membranæ fruſtulum remaneat, vtrumque extrahendum eſt, & niſi ferro fieri poſſit, medicamentis corroſiuis, & putrefacientibus, quod remanſit, conſumare debemus, quorum mentionem inferiùs faciemus.

Si ergo hoc peracto, opere, ſanguis non erumpat, ſectio thuris polline impleatur, & linamenta indantur, & lana vino imbibita alligetur. Poſtridiè præmiſſis ligamentis, locus vino, & oleo profundetur, & hoc vſque ad tertiam, vel quartam diem fiat; Deinde ſoluatur, & ſuppuratio procuretur, vtque reliqua vlcera curentur, Vel poſt inciſionem ſtatim apponantur ſtuppæ oui albumine imbibitæ ſemel, aut bis, deindè concoquentibus, ac digerentibus medicamentis vti debemus, poſteà mundificatiuis, deinde ſarcoticis, & tandem epuloticis, & ad repurgandum, incarnandum, & cicatrizzandum theriacam efficaciſſimam eſſe inquit *Aetius.*

Si verò inter ſecandum ſanguinis profuſio, ob alicuius vaſis inciſionem, ſequatur, & pus impediat; Vas ipſum duplicato, & cera obducto filo vinciendum, & niſi valdè magnum fuerit, ex toto præcidendum, vt Paulus inquit, *Quoniam vaſorum capita contrahuntur, & ſub carne abſconduntur, & ſic ſanguis ſiſtitur; Vel niſi magno impetu prorumpat, præſidia ſanguini ſiſtendo dicata applicabimus, ſicuti ſunt ſicca filamenta, vel infraſcriptis medicamentis imbibita, vt* *Sanguinem ſiſtentia.*

℞ Thuris dragm. 1. aloes dragm. 2. albuminis oui, q. ſuff. miſce, & fiat ad mellis conſiſtentiam.

Vel ℞ Maſticis, thuris, boli armenij, ſang. Drac. pulu. myrti an. q. vis, & cum oui albumine fiat ad mellis conſiſtentiam, vel applicetur molliſſimus leporinus pilus cum ſupraſcriptis medicamentis, vel vſtum goſſipium, vel quid ſimile, deindè ſecunda vice ad inceptum opus reuertendum, & vbi in arctum, & anguſtum ſtrumæ baſis venerit dexterè, ac peritè ipſa præcidenda, & immiſſo digito indice locus pertractandus, ac diligenter ſcrutandus, num aliæ ſtrumæ adiectæ, quæ, & eodem, quo ſupra diximus, modò, ſi quæ inuentæ fuerint, extrahendæ. Si verò, & ſecunda vice etiam magna ſanguinis profuſione ſequatur, quæ operationem impediat ab opere prorsùs ſiſtendum. Si verò aliquod magnum vas cum radice, ſiuè glandulæ, vel ſtrumæ fundo connexum ſit, non ex baſi abſcindendum, ſed ſerico funiculo, vel equino pilo alligandum, ac in dies conſtringendum, quo particulatim ſua ſponte decidat.

Cauſticis corrumpentibus, ac putre-

facientibus medicamentis in ijs vtimur, qui ferrum timent, ſed in hac etiam actione facienda debent eſſe ſupradictæ conditiones, ideſt ne ſtrumæ magnis vaſis ſint implicitæ, ne ſint fixæ, & admodùm magnæ, neque in teſticulorum, ac mammarum ſtrumis competunt.

Huiuſmodi verò cauſtica, vel corrumpentia medicamenta cutem auferunt, & ſtrumam denudant, ac etiam vrunt, vel putrefaciunt. Verùm, dum huiuſmodi medicamenta applicantur, ſumma cura habenda, ne his medicamentis circumſitæ partes attingantur: Et huiuſmodi cauſtica medicamenta fiunt, vel calce non extincta, & ſapone ſimul mixtis, quod ſpatio 12. horarum perbellè operatur, & ſi diutiùs permanſerit obeſſe non poteſt, vel ex ſimo columbino cauſticum fit, vel chantaridarum puluere, fermento, & melle. Alii ad ſcrophulas erodendas axungiam ſuillam cum argento ſublimato pari portione commixtam ſuperponunt. Alii ad ſtrumas putrefaciendas, & funditùs tollendas arſenicum ſublimatum ſuper omnia extollunt. Sed in huius medicamentis vſu, maxima cautela eſt opus, quoniam hoc medicamentum eſt ſupra modum vehemens, ac violentum, febrem enim excitat dolorem, inflammationem, & multa alia praua ſymptomata inducit. In pauciſſima ergo quantitate arſenicum ſublimatum adhiberi debet, cum mirum, & incredibile effectum præſtet, & quo æger debilior, imbecillior fuerit, & pars affecta nobilibus partibus propinquior, eo minor quantitas eſſe debet, & niſi prima vice effectum, quem deſideras præſtet, reiterari debet, quoniam melius, ac tutiùs eſt parùm, & ſæpiùs ex eo applicare, quam ſemel, & vnica vice immodicam quantitatem adhibere, ſuam verò operationem tribus integris diebus efficit. Cauendum autem ne præter ſtrumas etiam vicinæ partes putreſcant, vel inflammentur, vel fluxio, ob immoderatum calorem excitetur. Et ideò circum circa defenſiua, & refrigerantia medicamenta ſunt apponenda, vt vnguentum defenſiuum, refrigerans Gal. roſatum meſ. populeum, ſolani ſuccus, acetum, & alia refrigerantia, & victus toto eo tempore febricitantium more ab ægrotante ſeruetur.

Quandò verò iam corrupta, & abſumpta ſit ſtruma, cognoſcitur ex duritie, & tumore inductæ cruſtæ. Tunc ergo cruſta à viuo reſoluenda, ac eximenda erit, vt butyro, loto, & triticeæ farinæ momento inſpiſſato, aut iride cum melle mixto, aut ſuilla axungia, aut aliquo alio pingui non ſalito. Vbi verò cruſta deciderit, ſi quid ſtrumæ remanſerit, erodente medicamento id abſumendum erit, vt puluere mercurij, puluere aſphodelorum, aut ægyptiaco vnguento, aut quid ſimili. Deindè tale vlcus detergendum, poſtea carne replendum, & tandem ad cicatricem perducendum.

Sic etiam faciendum, niſi quod ſtrumæ, vel eius tunicę ſuperſit, poſt cruſtæ remotionem ſimiliter detergendum, carne replendum, & tandem cicatrix inducenda.

De Glandula, Ganglio, Nodo, & Lupia. *Cap.24.*



VM hi quatuor tumores ferè ex eadem cauſa proueniunt, & eadem propemodùm curationem ſortiantur, ideò caput vnum de his omnibus faciemus, vnumquemque horum definiendo, & proprijs ſignis deſcribendo, eorum prognoſticum in medium afferendo, & omnium curationem inſtituendo.

Glandula à glandis forma, quam per ſe ferre videtur, nomen accepit, glandula verò Auic. eſt Græc. Ganglion, vt inferiùs oſtendemus, & Arab. Allelhuc vocãt

Glandola eſt tumor durus, ſiuè mollis, vnicus, mobilis, & ab adiacentibus partibus ſeparatur, & in emunctorijs plerumq; naſcens. *Quid ſit Glandula?*

Dixi

Species. Dixi, quod glandula est tumor durus, siuè mollis, quoniam glandulæ duorum sunt generum; aliæ enim sunt duriores, sicciores, & erodentes, ex acri materia, veluti strumæ; Aliæ molliores, & mobiles, quales in emunctorijs succrescunt, & hæ ex pituita aquosa, vel flatuosa materia oriri solent, & ex glandibus; Aliæ propria tunica includuntur, aliæ non.

Differentia. Differt verò glandula à nodo, & ganglio solo situ, quoniam nodus extra articulos, & neruos, & adenes exoritur, ganglium circa neruos, & articulos, glandula in adenibus.

Quid sit Gangliõ? Ganglion, siuè ganglium, vt inquit *Paul. lib 4. cap. 16. est neruorum concretio ex percussione et labore proueniens et lib. 6. cap. 39.* Idem inquit, *Ganglion est nerui in nodum concretio ex ictu, vel defatigatione.*

Aetius verò serm. 7. cap. 83. inquit, *Ganglium est nerui concretio, & serm. 15. cap. 9.* inquit, *Ganglium est nerui nodosa concretio, ac tumor ex plaga, aut labore obortus, raroque sponte proueniens.*

Partes affecta. *Partes à Ganglio affectæ, vt supradicti Auctores* inquiunt, *sunt pleræque corporis partes, præsertim verò motui consecratæ, vt articuli, manus, pedes, brachialia, malleoli; Frequentius enim, vt* inquit *Aetius locis superiùs citatis, manuum iuncturas, ac talos occupat, rariùs cubitum, & caput. Oritur ergo ganglion circa neruos, & articulos.*

De dictorum Tumorum causis.

SVÆ generationis causam prædicti tumores ferè eamdem habent, id-est lentam, & crassam pituitam, vel naturalem melancholiam, sicuti de strumis diximus. Cum ergo ex eadem causa proueniant, idcircò horum propè omnium affectuum, eadem est curatio. Obseruata solùm sicciorum, aut humidiorum partium natura, & condictione.

De dictorum Tumorum signis.

GAnglij signa sunt, quòd huiusmodi tumor est paruus, concolor, inæqualis, tactui renitens, dolore vacans, quem si violenter quis præmat, torporis quemdam exhibet sensum, non altè, sed sub ipsa cute orieus, ad latera tantùm moueri aptus, prorsùs, & retrorsùm nequaquam, etiam si violentèr adigas.

Aliorum verò tumorum signa ex definitione desumi possunt.

Differt Ganglion à meliceride, & atheromate tumoris inæqualitate, & renixu, & quòd non orbiculatim, velut illa transfertur, sed dextrorsùm solùm, ac sinistrorsùm pro nerui situ flectitur.

Quid sit Nodu Nodus, vt Guido inquit, est tanquam funis nodus rotundus, & durus circa neruosas partes apparens: Auicennas ad steatomata reducit, & in hoc etiam à Græcis dissentit.

Quid sit Lupia? Lupia, vt inquit Guido, est tumor mollis, veluti lupulus, vel lupinum rotundus in iuncturis, aut locis duris, & siccis suam sedem præcipuè diligit, ac in palpebris, & locis neruosis, & à Græcorum ganglio parùm, aut nihil, idest sola mollitie discrepat.

Quod verò Auicennæ glandula sit Græcorum ganglion, ostendunt eius verba, quibus ganglion describit, signis superiùs dictis. Partes affectæ eædem sunt, ac etiam idem prognosticum efficit, dicens, *Glandulæ oriuntur in manu, & in pede, vel alijs partibus tendonibus, & neruis contunctis, & has non esse extirpandas*, inquit, *ne ægrotantes in spasmum incidant*; Nihil ergo de hac re adnotandum.

De prædictorum Tumorum prognoſtico.

QVoad prognoſticum, inquit *Aetius ſerm. 15. cap. 9. à Gangliorum Chirurgia abſtinemus præſertim ſi in manibus fuerint, ac pedibus, & medicamentis tantùm curamus, & Paul. lib. 6. cap. 39.* inquit, *Ab his, qui crura, aut brachia, aut extimas partes occupant, ſcalpelli operam arcemus, periculum enim, ſi quid illic excidatur; Quæ in capite, & fronte eueniunt, opere Chirurgo curari poſſunt.*

De prædictorum Tumorum curatione per mollientia.

QVoad vniuerſalia præſidia, ideſt *ad victus rationem, & alias ſex res nonnaturales, humorum præparationem, euacuationem, & ventriculi hepatis, & capitis roborationem, eadem competunt quæ ſuperiori capite & in oedematis curatione fuit dictum.*

Quoad topica molliendi, eliquandi, & diſcutiendi vim habentibus medicamentis vti debemus, vt ſunt infraſcripta.

℞. *Mucilaginum althææ, ſem. lini, fenugraci an. dragm. x. oleorum chamomelini, liliorum, ireos an. vnc. 1. ſ. olei ſambucini vnc. 1. coquantur ad mucilaginum conſumptionem, poſtea adde ammoniaci, bdellij, opoponacis, ſagapeni in aceto diſſolutorum an. dragm 6. pinguedinis anſeris, anatis an. vnc 5. axungiæ ſuillæ veteris, & ſalis expertis vnc. 3. medullæ cruris vitulo, & cerui an. dragm 5. ſpumæ maris dragm. 2. miſce, & S. A. fiat vnguentum ſed antequam huiuſmodi vnguentum applicetur, infraſcripto tàm diù fricetur, donec tabeſcat.*

℞. *Foliorum ſambuci pug. 1. ſalis modicum, miſce, & his ganglium fricetur, vel applicetur infraſcriptum ceratum, quod optimum eſt.*

℞. *Cerati oxicrotÿ vnc. 1. mucilaginum althææ, ſem. lini, fenugraci an. dragm. 5. euphorbÿ, ſagapeni, ammoniaci in aceto diſſolutorum an. drag. 3. reſinæ drag. 6. ceræ albæ dragm. 3. miſce, & S. A. fiat ceratum.*

Aetius ſuperponit ammoniacum iuxtà ignem ad cerati, ſiuè emplaſtri compagem emollitum, & poſtea applicat, & ſuperponit laminam plumbeam tumori æqualem, & ne hinc, & indè labat, arctis vinculis media conſtringitur; vel apponatur verticulum plumbeum, vt inquit *Oribaſius ſimile illis, quæ mulieres fuſis appendunt, & vult hic Author, vt tumore ipſo ſit latiùs, & arctè alligetur, quoniam pondere ſuo citiùs diſſoluit. Huiuſmodi verò lamina, ſiuè verticulum plumbeum, priùs optimè mercurio confricari debet; vel applicetur infraſcriptum medicamentum.*

℞. *Ceruſæ, reſinæ piceæ, olei veteris, ammoniaci, thimiamatis, galbani an. vnc. 1. ceræ vnc. 4. Ceruſa tàm diù cum oleo coquatur, donec inquinandi finem fecerit, deindè tritum ammoniacum, poſteà reſinam piceam, & ceram, poſtremò galbanum præmonitum conijcito, & ſic in emplaſtri formam S. A. reducito, vel*

℞. *Aloes, acaciæ, mirrhæ, olibani, ſarcocollæ an. q. vis, & cum aceto, ſinè oui albumine miſce, & fiat emplaſtrum, & tàm diù apponatur, donec tumor tollatur; Ad hoc etiam præſtat ericÿ marini caro ſuperpoſita; vel*

℞. *Pul. nucum aut foliorum cupreſſi drag. 1. ficus acerbos caprificos dictos nu. 2. cum ſambuci ſucco miſce, & ſuperpone.*

Vel fiat empl. ex acerbis ficubus, quæ cadunt de planta, quòd, vt dixit Serapio, omnem durum tumorem diſſoluit.

Vel fiat empl. ex cinere ſambuci, & ficus cum vnguento de plumbo vſto, & oleo, & aceto q. ſuff. & calidum apponatur.

Nodi etiam, qui in carpo oriuntur, frequenter cum ſaliua fricati curantur. Competit etiam empl. de bdellio, ammoniacum in acerrimo aceto eliquatum, & multa alia his ſimilia.

De

De curatione dictorum Tumorum per Chirurgiam.

TRansactis aliquot diebus, vbi Ganglion, siuè Glandula, siuè Lupia, siuè Nodus fuerit emollitus, nulla rei mentione ad ægrum facta, statim sublato medicamento, dum adhuc locus calet, pollicem dextræ manus tumori immittimus, ac reliquis quatuor digitis ipsi parti iectis, vehementer comprimimus, donec dissoluatur: Alij supra tumorem scutellæ fundum, & hac, vel simili alia re solida tumorem firmum tenent, & toties, ac taliter percutiunt, donec euanescat, & cystis inferior dilacerata fuerit, & materia expansa. Hoc pacto dissoluto tumore, statim lamina, siuè verticulum plumbeum mercurio valenter confricatum superponendum, & firmiter, ac fortiter duorum capitum fascia alligandum, & nouem dierum spatio non remoueatur. Si verò quisq; horum tumorum dictis præsidijs non cesserit, nisi sit in manibus, ac pedibus, vt superiùs diximus, aut nisi venis, arterijs, & neruis fuerit complicatus, ferro est resecandus. Cutis igitur scalpello diuiditur, & si quidem parui volsella comprehensa ex radice præciditur. Si magni, vncinis transfixi, & excoriati auferuntur, futuris labia committuntur, & medicamentum cruentis vulneribus dicatum apponitur, & hæc curatio præcipuè ijs ganglijs competit, qui in capite, fronte, ac alijs partibus, præter supradictas, oriuntur.

Si verò quisque horum tumorum tenuem angustam, & gracilem basim, ac radicem habeat, assumendum est sericum filum validum, & pluries in aqua sublimata macerandum, & exsiccandum, & huiusmodi vinculo ad radicem sunt arctè vinciendi, & quotidiè arctius vinculum est constringendum, donec illis iam nutrimentum non perueniat, & ex se decidant. Postea aliorum curationem subibunt, & ita etiam pensiles verrucæ curantur.

Hæc ergo omnia medicamenta, & hæ curationes glandulæ, ganglio, nodo, & lupiæ conueniunt, cum parùm, vel nihil inter se differant: nihil enim aliud recentiorum lupia videtur, quàm Auicennæ glandula, & Græcorum ganglion, vt ex eorum descriptionibus patet.

De Atheromate, Steatomata, & Meliceride. *Cap. 25.*



Numquodq; horum tumorum à materia intrà tunicam, siuè cystim contentam denominationem sumit, quoniam, vt inquit *Gal. lib. de Tum. præt. naturam*, *in atheromatibus reperitur quiddam pulti simile, athera, idest frumentaceæ pulti; in meliceridibus, melli similis, vt seni, siuè adipi in steatomatibus. Plerumque autem quædam tunica membranosa singula hæc continet.* Idem etiam inquit 14. *meth. & Aetius serm. 15. cap. 7. & Paul. lib. 6. cap. 3. & Celsus lib. 7. cap. 6. & denique omnes boni Authores.*

Quid sit Atheroma?

Atheroma est tumor, siuè abscessus, pus simile pulti exhibens.

Aetius loco citato sic definit, *Atheroma est tumor concolor citrà dolorem in tunica neruosa humorem pulticula similem, quæ ex farina cocta sit, & atheroma à Græcis appellatur, continens. Aliquandò autem vna cum pulticulo humore lapidosa quædam, duraque corpuscula, & alia tanquam sulphuris ramenta reperiuntur; Aliquandò velut mansa gallinarum ossicula; inueniuntur etiam alij quandò, veluti pili crassissimo humori complicati. Philoxenus autem dixit, se aliquandò reperisse, animalia in humore culicibus, aut paruis muscis similia.*

Steato-

Steatoma eſt tumor, ſiuè abſceſſus puniem ſeuo ſimilem exprimens, *Aetius ſerm. 15. cap 8. ſic definit, Steatoma eſt Tumor præter naturam adipem in ſe continens.*

Melicetis eſt Tumor, ſiuè abſceſſus, qui melli perſimile pus habet, & putredinis conſiſtentiam; *Aetius ſic definit, Melicetris eſt pellicula neruoſa tenui humore inſtar mellis referta, ſimiliter citra dolorem conſiſtens.*

Sunt ergo prædicti tumores in abſceſſuum genere, ſed vt inquit 14. *meth. Gal. Abſceſſuum duplex eſt genus, vnum cum phlegmone in pus verſa pus ipſum tanquam in ſinu aliquo eſt collectum; Alterum quum nulla præcedente phlegmone humor aliquis acris, iſque aliàs ſpecie alius, ſtatim ab initio in aliqua parte colligitur, circumpoſita corpora excorians*; Frequentiſſima verò huius morbi ſunt tria genera, nempè atheroma, ſteatoma, & meliceris à ſimilitudine contentorum in ſubſtantiarum tumoribus ſic appellata.

Qua verò in parte prædicti tumores eueniant, inquit *Celſus lib 7 cap. 6.* dicens, *Atheromata, melicerides, & ſteatomata euenire in qualibet corporis parte poſſe, reliquas certas ſedes habent.*

De prædictorum Tumorum Cauſa.

EX pituitoſa hi tumores, ſiuè abſceſſus materia progignuntur, qua ſenſim lentèque in puſtuloſum tumorem excreſcit, quæ pituita, & ab externis cauſis in corpore gignitur, & coadunatur, vt de alijs pituitoſis tumoribus ſuperiùs fuit à nobis dictum.

De Atheromatum, Steatomatum, & Meliceridum ſignis.

PRædictorum Tumorum ſigna ſimiliter *Celſus loco citato ponit*, dicens, *Omnia autem iſta ex paruulo incipiunt, & diù paulatimque increſcunt, & tunica ſua includuntur; Quædam ex his dura, ac renitentia, Quædam mollia cedentiaq; ſunt, Quædam ſpatio nudantur, Quædam tecta capillo ſuo permanent, ferèque ſine dolore ſunt; in his, qua tactui renituntur, aut lapillis quædam ſimilia, aut concreti confertique pili reperiuntur, aut quid ſimile. In pili reperiuntur, aut quid ſimile: In his verò, quæ cedunt, aut melli ſimile aliquid, aut tenui pulliculæ, aut raſæ cartilagini, aut carni haberi, & cruentè, quibus aliqui colores eſſe conſueuerunt. Similiter atheromata, & melicerides, quandò præmuntur materia circumfluit, ſteatomata latiſſimè patere conſueuerunt, totumque ſuppoſitam cutem ſic reſoluunt, vt ea labat, cum in cæteris ſit aſtrictior.*

Aetius ſerm. 15. cap. 7. inquit, *Quòd atheroma eſt tumor ſpecie, & figura oblungus, ſublatuſque, & ad compreſſionem digitorum ob humoris craſſitudinem tardè reuertens.*

Meliceris autem eſt pellicula neruoſa tenui humore inſtar mellis referta, ſimiliter citrà dolorem conſiſtens atheromate figura, & humoris eſſentia; nam figura rotundior eſt, & humoris eſſentia tenuior, & hic tumor magis extenditur, & ad digitorum compreſſionem celeriùs cedit, & amotis digitis pari celeritate reuertitur. *Cap. verò 8. hic Author* inquit,

Steatoma eſt tumor præter naturam, adipem in ſe continens, molle, concolor, tactulenis, & in principio quidem puſillus, ſed temporis progreſſu ampliatur,

Ple-

Pleraque verò steatomata basim habent ampliorem, raroque contingit, vt basis angustior, & apex amplior reperiatur. Differt à struma tactus mollitudine, qua nota etiam à meliceride, & atheromate discernitur.

Paulus lib.6.cap.36. inquit, *Steatoma durius est aliis, tactui renitens, basimq; firmiorem habet, meliceris verò tangentibus quasi laxum quoddam corpus subsidet, & lentè quidem locum mutat, cedituque celeriter autem succrescens ad pristinum situm reuertitur.*

De Atheromatum, Steatomatum, & Meliceridum Prognostico.

CElsus *lib.7.cap.6.* inquit, *Ex dictis tumoribus, qui in cerutice, & in alis, & in lateribus oriri solent, mediocres differentias habent, ac neque periculo terrent, neque diuerso genere curantur, & inferiùs* inquit,

Quid intùs habeant, vt coniectura præsagiri potest, sic ex toto cognosci, nisi cum ejecta sunt, non potest.

Aetius serm.15.cap.7. inquit, *Considerandum est, quòd ex his tumoribus, Quidam sunt eleuati, & ad motum, & contactum expositi, facilèque curabiles; Quidam contra inserti, & ad motum non expositi, & in Chirurgiæ aggressione summam diligentiam expetentes, propter immiuentes sanguinis eruptiones, ac neruorum punctiuras. Plerique enim Chirurgi, ob imperitiam, etiam subtratos neruos cum huiusmodi tumoribus rescindant.*

De dictorum Tumorum Curatione.

IN horum trium tumorum, siuè abscessuum curatione circa vniuersalia, eadem competunt, quæ in alijs pituituosis tumoribus diximus.

Circa particularia, vt inquit *Gal.14. meth. & Paul. lib.4.cap.34.*

Curationis ipsorum indicationes sunt communes; nempè id, quod tunica illa inuolutum continetur digerere, & discutere, vel totum medicamentis suppurare, & putre reddere, vel excidere, & sectione auferre. Aliqui igitur eiusmodi tumorum has triplices curationis rationes admittunt, illi nimirùm, qui tenuiorem humorem possident, & in tunica continent, vt est meliceris: Aliqui duplicem tantum, veluti atheroma, quòd non tàm abscindere, quàm remedijs, & medicamentis suppurare, & putre reddere, & sic tollere licet. Steatoma neque medicamentis suppurari, & putrefieri, neque digeri, & dissipari potest, sed manuum, & scalpelli dumtaxat opera, & præsidio curatur.

Digerentia, ac discutientia medicamenta eadem conueniunt, quæ cap. de strumis diximus: Particulatim verò meliceridas discutit, vt inquit *Paulus infrascriptum*

℞. Vuarum passularum exemptis acinis octo, squamæ dragm.3. parti priùs fotæ imponito, aliud

℞. Ladani bdellij, galbani, ammoniaci, thymiamaris, propolis, terebentinæ an. partes æquales, in pila contunde, & applica, vel

℞. Spumæ nitri, & veratri duplum, cum cerato duriore imponitur, & est archigenis, vel applicetur infrascriptum, quòd est Actij.

℞. Passularum exemptis vinaceis lib.1. cumini leuissimè triti vnc.6. nitri vnc.3. omnia simul in mortario subacta adhibeto, ac alligato.

Et si tensiones ex constrictione remittere oportet, cerato excipito ex oleo sicyonio, & pauca mastiche præparato.

Aliud ad meliceridas, & ceria, idest

fauos

ſauos appellatos tumores bonum.

℞. Squamæ æris, pollinis an. part. æquales miſce, & ad malagmatis formam ſubigito, ac adhibeto; Aliud ad meliceridas diſcutiens optimum, & eſt eiuſdem.

℞. Salis armoniaci, ſpumæ argenti, ceruſæ an. lib.1. ceræ, terebentinæ, galbani, opoponacis an. vnc.1. rubricæ ſinopicæ an. vnc.6. aceti vnc.7. 5. olei antiqui lib.3. ſpumam argenti, ceruſam, & ſal leuiſſimè trita, in oleo coquito, deindè rubricam aceto tritam adijcito, & liquabilia liquata affundito, omnibuſque ſimul ſubactis, ac perfrigeratis, opoponacem, & galbanum aceto diſſoluta admiſceto, ac vtitor: Aliud eiuſdem ad meliceridas, & ſteatomata.

℞. Ceræ, terebentinæ, ſquamæ aeris an. vnc.2. ſulphuris viui, nitri an. vnc.1. radicum ſiccarum canabis ſilueſtris vnc. 4. 5. & ſi defuerint, ariſtolochiæ tantundem, olei antiqui lib. 1. radices per triduum aqua madefactas, & contuſas in oleo coquito, donec torreſiant, deindè ipſis abiectis, cætera, quæ liquari debent, liquata admiſceto, & arida, & aceto trita adijcito, ac vtitor; Aliud eiuſdem ad meliceridas, & ſtrumas, quod etiam cicatricem inducit.

℞. Aſellos ſub hidrijs ſtabulantes num. 200. oſtreorum vſtorum vnc. 5. rubricæ ſinopicę vnc. 1. terebentinæ lib. 1., oſtrea, & rubricam primum ſeorſim deindè ſimul terito, tùm aſellos adhuc viuos adijcito, ac ſimul terito, & poſteà cum terebentina ad calidum cinerem lentè coquito, donec non amplius inquinet, ſublatumque ab igne medicamentum in mortario ſubigito, ac adhibeto, & quinta die exſoluito. Poteſt tamen locus ſubindè prolui, ac rigari aceto.

Competit etiam cyclaminis radix, vel cum axungia ſuillæ veteri, & tantillo ſulphuris viui ſimul commixtis, & apponito.

Quæ verò ſint ſuppurantia medicamenta ſuperiùs pluriès repetita fuere, & plurium formarum fuere inſtituta, & ideò iterùm hìc non repetam.

De Curatione per Chirurgiam.

SI verò ſupraſcripta medicamenta, haud quaquam prodeſſe videantur, ad Chirurgiam, & manualem operationem veniendum: Et in quolibet horum tumorum vnam intentionem, ſiuè ſcopum habere debemus, ſcilicet, vt tunica, ſiuè pellicula, ſiuè cyſtis humorem continens, vel ſit pultaceus, vel melleus, vel adipoſus, vel ſeculentus, vel cuiuſdam alterius ſubſtantiæ auferatur; Et dum hanc actionem facimus, ſummo ſtudio animaduertendum, vt de ſtrumis diximus, ne vllo pacto membrana vulneretur, aut dilaceretur, ne humor, qui in ea continebatur, effectus operationem impediat, & ipſius portio relinquatur.

Quoniam diſſecta tunica, ac humore perfuſo, difficillimè tunica excoriari, ac curari poteſt, cum concidat, ac ſubſedeat tumor, & ſi quid tunicæ, vel humoris relictum fuerit, periculum eſt, ne iterùm morbus reuiuiſcat, ac renaſcatur, ſicuti de ſtruma ſuperiùs diximus. Si verò hoc accidat exedentibus medicamentis reliquiæ abſumendæ ſunt.

Chirurgiam ergò aggreſſuri, ægrum in ſella, vel cubile locabimus, & priùs ſi pilis tumor contegatur, cutis de radenda. Et ſi paruus ſit tumor, ſimplicem ſectionem faciemus, ſicuti in ſtrumis diximus. Si verò maior ad myrti folij figuram pro tumoris curatione incumbentem cutem reſcindemus. Sed neque hic vno impetu tota cutis ſecanda eſt, ne pellicula humorem continens diſſeccetur.

Secta cute, ſumma diligentia pellicula ſcalpelli manubriolo, vel ſimili aliquo inſtrumento paulatim excorianda, & à cute, & carne ſeparanda, & deducenda eſt, & eijcienda tunica cum eo, quod intùs tenet, nihilque vt diximus, de ipſa circa baſim relinquendum, ne malum regeneretur. Si verò ab inferiori parte tunicæ muſculus inhæſit, ne is lædatur, ſuperior illius pars decidenda, & alia ibidem relinquenda eſt, & exedentibus medicamentis abſumenda.

Vbi

Vbi tota pellicula exempta est, labia sectionis committenda, & si plùs æquo laxa fuerint, redundans cutis resecanda est, deindè suturis labia coadunanda. Animaduertendum verò est, vt si huiusmodi tumores in capite fuerint, post quam ablata fuerit pellicula, vt membrana os ambiens, pericranium dicta seccetur, & caluaria diligenter deradatur.

Peracto opere, in paruis tumoribus, quum parua sectio fuerit facta, statim post suturam, splenium medicamento glutinatorio, & anodino, & inflammationibus arcendis idoneo, imbibitum adhibendum, vt est oui albumen cum astringentibus, ac glutinantibus pulueribus, vel si dolor adsit, cum oui albumine rosaceum miscendum, cum semper in huiusmodi operationibus anodinis vti debeamus.

Si verò sanguinis effluxus in tunica excorianda, operationem impediat, spongia posca, siuè oxicrato imbibita sistendus, vel alia re simili. Qui verò tumores adhuc cruenti sunt, & glutinari nequeunt, in his ex maioribus interuallis suturas fieri est opus, vt oblunga sectionis figura fiat, deindè linamenta incidenda, & puri generationi studere oportet, quemadmodùm de alijs abscessibus superiùs fuit dictum.

In Steatomate verò liberè cutis incidenda, cum non sicut in atheromate, & meliceride tunicæ sectio sit formidanda, ac timenda, cum adiposa pinguedo, etiam si seccetur, non effluat. Verùm illud negligendum non est, quòd in strumis quoque prędiximus. Si steatoma eleuatum fuerit, in circuitu, & subter excoriare oportet, in circuitu per scalpellum, subter verò digitis, insertum verò in habitu, & subter incidendum est; Peracto opere vulneris labia suturis, vt meliùs, & citiùs glutinetur, constringenda, aut linamenta profunda indenda, & curatio ad puris generationem adhibenda.

Si verò steatoma apicem amplum, & basim angustam habuerit, omissis superuacuis, tota à basi rescindenda. Hic enim Chirurgiæ modus expeditissimus erit, & vlcus paruum, ac planum fiet, & curatio breuissimè absoluetur.

Curatio per caustica medicamenta.

Si quis verò ob timiditatem Chirurgiam recuset, vel manualis operatio, ob venas, vel arterias, vel neruos fieri nequeat, medicamentis causticis, & adurentibus curatio fieri debet, & his superposita cutis priùs denudare expedit, è quorum numero. Paulo attestante, simplicius quidem est, quòd constat calce viua, sapone, & lixiuio.

Aliud magis varium, quod reconditum diù asseruari potest.

Caustica medicamenta.

℞. Calcis viuæ vnc. 5. fecis vini combustæ, nitri liquidi tosti an. dragm. 2. minij, siuè rubricæ sinopicæ dragm. 1. dilue in lixiuio, mellisque liquidioris spissitudine inducta, ter feruefacito, donec aliquantulùm consistat, & in plumbea pixide reconde instillans lixiuium, ne subitò arescat, vel alijs causticis circumfusa cutis primùm abrumpenda: deindè crustam resoluentia, vt sunt pinguia butyrum, & similia applicanda.

Postquam crusta deciderit, erodentia apponenda; Erodit verò valdè, & citrà vellicationem, & morsum infrascriptum.

℞. Squamæ aeris vnc. 5. sandracæ, arsenicum rubrum nominant, hellebori nigri an. dragm. 2. misce, & cum rosaceo vtitor, vel

Erodentia medicamenta

℞. Squamæ aeris, sandracæ, seminis vrticæ exsiccatæ ad part. æqu. rosaceo similiter misceantur.

Efficax etiam est compositio, quæ ex calcis aqua non extinctæ, & illaboratæ partibus duabus, chalcitidis parte vna, auripigmenti tantumdem conficitur.

Omnes verò particulæ, quæ adiacent, & in circuitu sunt circulatim priùs cerusa cum oleo mixta deliniendæ. Assumpta, & corrosa tota tunica, ac humore, eadem curatio, quæ alijs vlceribus competit.



De

De Teſtudine, & Talpa, ſiuè Topinaria dicta.

Cap. 26.



E his tumoribus ne vllum verbum quidem ab antiquis fuit factum, ſed horum tumorum nomina à recentioribus excogitata fuere.

Quid ſit Teſtudo?

Teſtudo, vt inquit Guido, eſt abſceſſus magnus, humoralis, mollis, & latiori forma in modum teſtudinis, vndè denominationem ſumpſit.

Recentiores ſic definiunt: Teſtudo eſt tumor mollis, vel non valdè durus, ſatis autem magnus, in quo pinguis materia, tunica quadam incluſa continetur, quæ Caluariæ ita inhæret, vt ipſam plerumque vitiet.

Hic abſceſſus, ſiuè tumor ſub meliceride, vel atheromate contineri videtur, ſed ad meliceridem magis inclinat.

Quid ſit Talpa, ſiuè Topinaria?

Talpa, ſiuè topinaria, vt Guido inquit, eſt teſtudinis ſpecies, immò inquit eſſe teſtudinem ipſam in capite ortam.

In talpa alba, materia in tunica continetur, & ideò magis ad atheroma, quàm ad meliceridem inclinare videtur.

Vel ſic definire poſſumus. Teſtudo, ſiuè talpa, ſiuè topinaria dicta eſt tumor ex impuris humoribus inter cranium, & cutem putreſcentibus, teſtudinis formam referens.

Huiuſmodi autem tumores, vel ſunt cum vlceratione, & cranij corroſione, aut ſine his.

De dictorum Tumorum cauſis.

COntinens, ac dictorum tumorum coniuncta cauſa varia eſſe poteſt, aut enim nitroſa, & exedens pituita, aut ſalſa pituita cum bile mixta, aut putrefacta aquoſitas tales tumores efficit, qui humores in caluaria cariem efficere poſſunt. In puerulis talpa, ſiuè topinaria dicta fit, vt plurimum à dulci pituita, quod oſtendit viſcoſitas, & ſaniei albedo, & aliquandò fit ex pituita cum ſanguine mixta, rarò verò fit ex melancolico, & bilioſo humore.

Antecedentes cauſæ ſunt prædicti humores in corpore redundantes, qui vi, ac facultatis expultricis robore ad extimam capitis partem tranſmittuntur.

Primitiuæ cauſæ ſunt praua victus, ratio, & alia errata, quæ in ſex rebus nonnaturalibus committuntur.

De prædictorum Tumorum ſignis.

SIgna ſunt, quòd huiuſmodi tumores ſunt molles, vel non valdè duri lati, teſtudiniſque formam referentes. Si verò talpa, ſiuè topinaria dicta à pituita cum ſanguine mixta fiat, cognoſcitur, quia color ad rubedinem tendit, & citò etiam ad maturationem, ſiuè ſuppurationem deuenit, ſic ſi ex alijs humoribus proueniat, eius colorem repræſentat.

Differunt à nodis per mollitiem. Conueniunt cum eis, quia ſicut in nodis materia intra tunicam, ſiuè membranam continetur.

De Teſtudinis, ſiuè Talpæ Prognoſtico.

HUiuſmodi Tumores, ſiuè abſceſſus, ne cranium corrodant, ac corrumpant, ſunt periculoſi, & ſi magna adſit cranij corruptio, melius eſt talem tumorem demittere, & curationem non aggredi, quàm curare. Vel ſi curare volumus, palliata curatione vti debemus.

Sunt ergo periculoſi huiuſmodi tumores ob cranij vicinitatem, & ob futurarum cranij procliuem in cariem lapſum.

Ex his ergo tumoribus, qui cranij contu-

corruptionem, siuè cariem iam induxerunt, mali, ac periculosi, sunt. Qui verò sunt absque cranij corruptione, ac corrosione, facilioris sunt curationis, & periculo.

In his tumoribus, nisi tota tunica vna cum humore contento extrahatur, ad perfectam sanationem reduci non possunt, sed iterùm repullulant, ac renascuntur.

De Testudinè, siue Talpa curatione.

IN horum tumorum curatione, ac sanatione tres intentiones habere debemus. Prima in vniuersalibus consistit, idest in præparatione, & peccantium humorum purgatione, & sex rerum nonnaturalium institutione. Secunda in materiæ intra tumorem contentæ euacuatione, siuè extractione; Tertia vlceris detersione, ac mundificatione, deindè carnis repletione, & tandem partis consolidatione perficitur.

Vt primam intentionem assequamur omnia vaporosa, & caput petentia vitanda, sicuti in alijs capitis affectibus, & si humores sunt calidi, refrigerandi. Si verò peccantes humores sint tenues, incrassandi, si acres, acrimonia obtundenda, si sint frigidi, calefaciendi, & si crassi sint, attenuandi, & si viscidi incidendi: Et hoc tàm victus ratione, quàm medicamentis fieri debet. Sic ergo contemperandi, ac præparandi peccantes humores, & deindè medicamentis ad hoc aptis euacuandi, & hoc quo ad primam intentionem.

Secundam intentionem tribus modis assequi possumus, vel resoluentibus, vel suppurantibus medicamentis, vel chirurgia, idest manuali operatione.

Si tumor ergo sit sine vlcere, & ossis carie, in primis incidentibus, ac resoluentibus medicamentis vti possumus, quorum formulas cap. de strumis multas descripsimus: Nisi verò dictis medicamentis tumor resolui possit, ad suppurantia recurrendum, quorum multa superiùs proposita fuere. Guido verò de saliceto, præcipuè in his tumoribus infrascriptum laudat,

℞. Ceparum sub prunis coctarum num. 3. vitellorum ouorum num. 3. & dum duri, ac solidi cocti fuerint mundentur, & simul in mortario tundantur, optimèque cum cepis incorporentur, deindè axungiam suis, vel butyri lib. 5. radicum altheæ in aqua coctarum, & contusarum lib. 1. misce, & calidum supra tumorem appone.

Sectio quandò faciendo, & quomodò?

His factis omnimoda maturatio, ac suppuratio expectari non debet, sed aliquantisper acerbi huiusmodi tumores aperiri debent, quoniam sanies ex vltima, ac omnimoda maturatione acredinem, ac venenum acquirit, & ideò cranium cariosum, ac putridum reddit.

Incisio verò pluribus modis fieri potest, vel in crucis formam, vel trianguli, vel myrtacei folij si magni fuerint tumores.

Si verò parui, simplex incisio, secundum quod capilli incedunt, sufficit: Facta incisione, & sanie euacuata apponantur stuppæ oui albumine imbibita, quæ sanguinem sistunt, vlcus exsiccant, & dolorem tollunt; remotis die sequenti stuppis: ad tertiam intentionem deueniendum est, idest vlcus infrascripto, vel simili detergendum.

Detersiua.

℞. Mirrhæ vnc. 1. sarcocollæ vnc. 2. farinæ hordei vnc. 4. mellis quantùm ad consistentiam inducendæ sufficit, & vtere.

Si verò caro putrida adsit, & validiori medicamentum sit opus, viridi vnguento, vel apostolo, vel egyptiaco, vel mercurij pul. vti possumus.

Detersо, ac mundificato vlcere, sarcoticis carne repleatur, vt est puluis infrascriptus, vel quodlibet aliud sarcoticum vngu.

Sarcoticum.

℞. Puluerіs subtilissimi thuris drag. 3. yreos dragm. 2. draganthi drag. 1. misce, ac vtere; vlcere carne repleto, ad cicatricem, & consolidationem epuloticis vnguentis, vel infrascripto puluere perducatur.

Epuloticus pulуis.

℞. Puluerіs subtilissimæ nucum cupressi vnc. 1, mummiæ vnc. 5. puluerіs gallarum dragm. III. boli armenij

dragm. 2. aloes dragm. 1. miſce, ac ſuperpone.

Si verò parua adinueniatur oſſis corruptio, curandus erit affectus, vt in cranij fractura; inciſione ergo os corruptum tollendum, mediolo facta, vel ſcalpris radendum, deindè pars detergenda, carne replenda, & tandem eadem curario, quæ in capitis vulneribus cum cranij fractura conuenit. Competit etiam guaiaci ligni decoctum, veluti in oſſis carie ex venerea lue prouenta, & mercuriatæ inunctiones, ſed mercurium optimè extinctum, & in minori quantitate eſſe debet.

Si verò magna fuerit oſſis corruptio, vt diximus, vtendum prognoſtico, & ita demittendus eſt æger, vel fucata, ſiuè palliata curatione vti debemus; chirurgia verò, & manuali operatione, & inciſione etiam huiuſmodi tumores curantur; inciſio fit eodem pacto, vt fit in atheromate, ſteatomate, ac meliceride; eademque præcepta ſunt obſeruanda, ideſt, vt inciſio paulatim fiat, ne tunica humorem continens incidatur. Deindè vndique excorianda, & curandum ne vlla tunicæ portio remaneat, ne iterum morbus reuiuiſcat; vtq; melius excoriatio fieri poſſit, inciſio ad crucis formam fiat, & ſi aliqua tunicæ portio remanſerit, acribus medicamentis tollenda; ablata tota tunica cum humore contento, pericranium incidendum, & os deradendum; deindè ad tertiam intentionem aſſequendam deueniendum eſt. Debet ergo, vt ſuperiùs diximus, locus mundificari, deindè carne repleri, & tandem cicatrix induci, ac conſolidari.

De Bocio, ſiuè Bronchocele. *Cap. 27.*

QVM Bocium eiuſdem ſit generis cum teſtudine, ſiuè talpa, ideò poſt horum tumorum pertractationem, de Bocio verba faciemus. Quòd verò eiuſdem ſit generis, inquit Guido, dicens, *Si huiuſmodi tumor in capite oriatur, talparia, ſiuè talpa dicitur, in collo bocium, in teſticulis hernia; à parte ergo denominationem ſumit, cum antiqui tumores omnes colæ nuncuparent.*

Bocium à Latinis dictum, Bronchocelem à Græcis vocatur, & ab aliquibus gutturis hernia, & gutturoſi vocantur, qui huiuſmodi tumore dehoneſtantur. *Quid nominis?*

Bocium eſt colli tumor magnus, & rotundus inter cutem, & aſperam arteriam, in quo, vt inquit *Celſus lib. 7. cap. 13. & Aetius ſerm. 15. cap. 6.* modò humor aliquis melli, adipi pulti, & aquæ ſimilis includitur, & interdum etiam minutis oſſibus pili immixti. *Quid reſt*

Huius ergo tumoris ſpecies, vt inquiunt nominati Authores, plures ſunt cum quidam meliceris à melleo humore, quidam adipoſus ab adipe, quidam pulticeus ab humore pulti ſimile intra tumorem contento, & quidam canceratus appellatur. *Species.*

Albucaſis duas tantùm huiuſmodi tumoris differentias facit, dicens, bocium duplex eſt: Quoddam eſt naturale, & quoddam nonnaturale, quoddam ſimiliter eſt hæreditarium, & quoddam non, & quoddam regionale, & quoddam non. Similiter quoddam eſt venis, & arterijs implicitum, quoddam autem minimè; Vel differentiam à cauſa deſumere etiam poſſumus, dicentes, quòd bocium, vel ex humoribus ad hanc partem delatis prouenit, vel, vt inquit *Paulus lib. 6. cap. 38.* ex vaſorum illius partis dilatione.

De Bocij cauſis.

ORiuntur huiuſmodi tumores, vt plurimùm à craſſa pituita, & lenta, quæ ſenſim ex capitis externis partibus per auris poſteriora in eam partem deuoluitur. Aliquando etiam propter localem vaſorum dilatationem oritur, quemodo frequentiſſimè ex partu contingit, quum in vehementiſſimis doloribus puerpera ſpiritum violenter detinuerit.

De

De Bocij signis.

BOcium denotantia signa sunt, prominens, & rotundus, & ingens gutturis tumor, cori concolor, vtrumque mollis, & mobilis, doloriſque expers. Quod verò ex vaſorum dilatatione fuerit ortum ex eiſdem, quibus aneuryſmata notis cognoſcere poſſumus, quæ ſunt iſta; Tumor paruus, aut magnus, concolor, citra dolorem, ad tactum mollis, ſpongioſam laxitatem præſeferens, & ita ad digitorum compreſſionem cedens, vt propemodùm euaneſcere videatur, verùm amotis digitis, citiſſimè reuertens: id, quod in menti aneuryſmate, & reliquis, quę ſine vulnere fiunt, præcipuè videre datur, & ſæpè etiam pulſatio perſentitur.

Quæ verò materia intra Bocium contineatur, ex mollitie, & duritie, & ex alijs ſignis, vt de meliceride, atheromate, & ſteatomate diximus, innoteſcit.

De Bocij prognoſtico.

BOcium, quòd ex vaſorum dilatatione fuerit ortum, incurabile eſſe dixit Aetius. quoniam ſi incideretur, abundantiſſima ſanguinis eruptio contingeret, cum qua etiam vitalis ſpiritus ſimul erumperet, & homo faciliter in Chirurgi manu deficeret.

Paulus etiam loco citato inquit, *Bocium ex vaſorum dilatatione, ceù vitium conclamatum deuitamus, cum omnia ſimiliter aneuryſmata, maximè, quæ in collo oboriuntur, cum periculo, propter arteriarum amplitudinem, manuum operationem admittunt.*

Bocium item in ſcyrrum induratum, malignum, & magnitudine ingens, incurabile eſt, vt naturale bocium, & quòd cum venis, arterijs, & neruis eſt implicitum, ac commixtum.

Si materia item intra bocium contenta putreſcat, ac malignam tandem adipiſcatur naturam, vndè in cancrum degenerans, ſæpiùs vitæ periculum inſert.

Et ſi aliqui Authores inquiunt, quod huiuſmodi tumores, quotieſcumque cum venis, arterijs, & neruis implicati non fuerint, neque naturales, & non valdè magni, & tactui cedentes, & adurentibus medicamentis, & Chirurgia facilè, & expeditè curantur. Ego tamen dico, quòd quocumque modo extirpentur, eſt verendum, propter vaſa, & neruos, qui per illam partem tranſeunt, difficillimè igitur ſecundùm meam ſententiam curantur.

De Bocij curatione.

IN huiuſmodi tumoris curatione quatuor intentiones habere debemus; Prima, in victu, ac alijs nonnaturalibus rebus conſiſtit; Secunda, in antecedentis materiæ præparatione, ac purgatione; Tertia, in abſumenda materia intra tumorem contenta rebus per os aſſumptis conſiſtit; Quarta, in topicis, ac localibus medicamentis.

Vt primam intentionem aſſequamur victus tenuis eſſe debet, & omnia vaporoſa, & craſſum, & viſcidum ſuccum gignentia deuitanda. Pro potu vinum generoſum moderata copia ſumptum competit, & aqua deuitanda, ſic vociferatio, & capitis inclinatio eſt noxia; Aer ſi militet calidius, vel temperatius vtilis eſt, & frigidus eſt noxius, corporis exercitatio item, debito tempore facta, vtilis eſt, & ſomnus moderatus, vel breuis, & lubrica. Aluus, & denique victus, & alię ſex res nonnaturales ſint, quemad-

modum de oedemate, & ſtrumis ſuperiùs fuit dictum.

Secunda intentio medicamentis peccantes humores præparantibus, ac euacuantibus, vt cap. de oedemate, & ſtrumis diximus, perficitur, & vbi plenitudinis adfuerint ſigna, poſt emollientis clyſteris iniectionem, etiam venæ ſectio competit.

Tertiam intentionem, ſequentium puluerum vſu, qui paulatim humorem abſumunt, atque diſcutiunt, aſſequemur optimè priùs corpore purgato.

℞. Auellanarum, ſpongiæ combuſtæ, paleæ marinæ, papiri vſti, oſſis ſepiæ, ſeminis plantaginis an. vnc. 5. piperis, zinziberis, ſalis gemmæ, pumicis, nucis miriſticæ, gallarum, piperis albi, lungi, cinamomi, ellebori albi, & nigri an. drag. 2. M. & fiat puluis ſubtiliſſimus, de quo ſingulo manè detur in aurora drag. 1. cum aqua, ſaluiæ, vel

℞. Satureæ, hyſopi, polij montani, pulegij regalis, ſpicæ nardi an. dragm. 2. ſeminis apij, petroſelini an. drag. 2. 5. anſorum drag. 3. glicirrizæ drag. 2. nucis miriſticæ, gareophilorum an. vnc. 5. cinamomi drag. 3. piperis lungi, mirrhæ electæ an. drag. 1. 5. miſce, & fiat puluis tenuiſſimus, quo vtatur ter in hebdomada tribus horis ante cibum, idque potiùs hyeme, quàm æſtate, & doſis ſit drag. 1. cum vino albo, & ſi vis, ad ſaporis ſuauitatem, ſaccarum addere potes.

Vel ſingulo manè dragm. 1. infraſcripti puluerisofferre potes, qui facilis eſt præparationis, & ſupraſcriptis æquiualens.

℞. Spongiam nouam benè mundatam, pone eam in furno intra ollam nouam, vt comburatur, & de ea fac puluerem, & exhibe ſicuti dixi. Supraſcriptæ pulueres etiam in hoſtia in vino madefacta inuolui poſſunt, & ita deglutiri, & deſuper ſtatim bibatur vnc. 1. vini, vel aquæ ſaluiæ.

Similiter ex ſupraſcriptis pulueribus cum melle cocto, in lupini formam, paſtilli indurati fiant, & quandò itur dormitum teneantur ſub lingua paulatim deglutiendo.

Quartam intentionem pluribus modis aſſequi poſſumus, vel reſoluentibus, ac diſcutientibus medicamentis, vel adurentibus, vel chirurgia, & aliquandò etiam, quamuis rarò bocium ad ſuppurationem deuenit.

Reſoluentia, ac diſcutientia medicamenta, ſunt infraſcripta.

℞. *Ammoniaci, bdellÿ, galbani in aceto diſſolutorum an. vnc. 1. 5. picis naualis vnc. 2. reſinæ pini vnc. 1. 5 miſce, & manibus oleo ſicyonio inunctis fiat empl. vel*

℞. *Seminis ſinapis, ſem. vrticæ an. vnc. 1. 5. rutæ agreſtis drag. 2. ireos vnc. 5. aceti vnc. 1. 5. olei antiquiſſimi, vel de caſtoreo vnc. 4. ceræ q. ſuff. miſce, & fac vnguentum, vel*

℞. *Radicum lilÿ, brioniæ, cucumeris agreſtis an. vnc. 3. ficuum immaturor. vnc. 7. amigdalarum amararum vnc. 2. ſcillæ vnc. 1. 5. colocyntidis vnc. 5. bulliant omnia in antiquiſſimo oleo, & maluatico vino pari portione ad vini conſumptionem, deindè terantur, & cribro traÿciantur, poſtè adde farinæ fabarum, orobi an. vnc. 2. farinæ ſeminis lini, fenugræci an. vnc. 1. medullæ cruris bubuli vnc. 4. olei nucum, vel de piperibus, vel trini q. ſuff. croci drag. 1. 5. & S. A. fiat catapl.*

Actius loco ſuperiùs citato infraſcripta laudat, bdellium cum melle mixtum, calx cum axungia ſuilla mixta, laſer cum ſulphure, lixiuium cum melle plurimum agitatum caprinum ſtercus aceto diſſolutum axungia ſimiliter terebentina mixta eſt vtilis, vel

℞. *Calcis viuæ, ammoniaci, bdellÿ, ceſtr. clibano vſtæ, aruginis, ſulphuris viui an. part. æqual. miſce, & cum aceto terito, vel*

℞. *Gallarum vnc. 1. lapidis piritæ drag. 3. piretri drag. 2. ſilphÿ dragm. 1. 5. nitri dragm. 1. ſandracæ terebenthinæ an. drag. 2. ceræ, picis an. drag. 3. axungiæ veteris dragm. 2. aluminis liquidi vnc. 1. arida cum vino, & paſſo terito, & liquabilia liquefacta miſce, ac vtitur, vel*

℞. *Spumæ argenti, aeris vſti an. vnc. 5. olei antiqui lib. 5. reſinæ pini vnc. 2. 5. galbani, ammoniaci, thymiamatis an. vnc. 1. aluminis ſciſſilis, manæ thuris an. dragm. 2. oleum cum ar-*

genti

genti ſpumâ coquito ; & medio cocturæ tempore æs vſtum inſpergito , & bullire ſinito , donec non amplius inquinet, deindè liquabilia liquata adijcito , & ab igne ſublatis , pollinem thuris, ac alumen miſceto , ac vtitor, vel

℞. Silphij, ſimilaginis an. vnc. I. calcis viuæ vnc. I. I. ſandracæ vnc. I. 5. mellis q. ſuff. præpara S. A. ac vtere.

Competunt etiam reſoluentia , ac diſcutientia alia in alijs duris tumoribus ſuperiùs dictis.

Quoad medicamenta adurantia , & Chirurgiam , eadem ſunt obſeruanda, quæ ſuperioribus curationibus , ideſt de ſtrumis , de glandulis , de meliceride , atheromate , ſteatomate , & talpa diximus , ideſt extrahenda materia vna cum ſua membrana , intactis vaſis , ac neruis : Rogerius verò duos ſetones admouet , vt ſenſim , & paulatim humor defluat , & quòd remanet paulatim erodentibus medicamentis , vt aſphodelorum puluere , vel mercurij , & his ſimilibus abſumit.

Si verò forte fortuna ad ſuppurationem tendat , ſuppurantibus emplaſtris , pluries ſuperiùs dictis adiuuari ; Deindè ſicuti alij ſuppurati abſceſſus curari debet.

De Nata , ſeù Napta.

Cap. 28.



Nata ex Guidonis ſententia, eſt tumor, ſiuè excreſcentia præter naturam magna carnoſa , & veluti natium caro , à quibus de nomini nationem ſubſumit.

Species verò huiuſmodi tumorum plures eſſe poſſunt ; Aliquæ enim ſunt, quæ vaſa implicita , ac commixta habent ; Aliquæ verò ſunt ſine his , & aliquæ latam , ac magnam , & adhærentem baſim , ac radicem habent ; Aliquæ verò anguſtam , & minimè adhærentem.

Oriri verò poteſt nata in omnibus corporis partibus , ſæpè verò in dorſo, & humeris excreſcit.

De Natæ cauſis.

HIuſmodi tumor cum ex ſteatomatum genere ſit , vt Guido inquit ex eiſdem etiam cauſis prouenit , & ideò eas enumerare eſſet ſuperfluum.

De Natæ ſignis.

SIgna ſunt , quod in tali tumore nullus adeſt dolor , niſi ob magnitudinem , & grauitatem , aliquem tenſiuum dolorem , trahendo excitet , ſimiliter huiuſmodi tumor eſt mollis , ſine calore , & pulſatione , carnoſus , & veluti cucurbitæ , aut melopoponis magnitudinis , vel natibus aſſimilatur , & diuerſa ſortiuntur nomina , vel à partibus , quas occupat ,

De Natæ prognoſtico.

NAta aliquandò ita creſcit , vt omnes corporis partes ſuperet.

Nata , quæ cum vaſis eſt implicita , nullo pacto attingi debet , propter periculum , quòd ſanguinis hemorragiæ ineſt.

Similiter ſi valdè magnam , & latam baſim , & maximè adhærentem habeat , etiam cum periculo incidituſ.

Quæ verò nata non ita adhæret , & anguſtioris eſt radicis , & vaſa commixta non habet , facilioris eſt curationis. Quæ verò anguſtiſſimam radicem habet , & pendula eſt , facillimè curatur.

De Natæ curatione.

IN huius tumoris curatione tres intentiones habere debemus; prima in victu, ac alijs rebus nonnaturalibus consistit; secunda in præparatione, ac peccantium humorum euacuatione; tertia circa Chirurgicas operationes, & materiæ remotionem versatur.

Circa primam, & secundam intentionem eadem conueniunt, quæ in atheromatis, steatomatis, meliceridis, & aliorum similium tumorum curatione diximus.

Vt verò tertiam assequamur intentionem, patiens in lecto collocetur, & si nata satis latam radicem habeat, pars eius inferior, ideſt eius basis, siuè radix satis arctè corda ligetur.

Deindè crucis admodum incidatur, posteà vndique excorietur, & à partibus adiacentibus separetur; Aliqui verò vinculo non vtuntur. Si verò magna sanguinis hemorragia sequatur, ignitis ferramentis sistatur, nisi verò sit valdè magna, medicamentis ad hoc aptis sisti potest. Cutis verò, quæ supereſt, ita excidenda, vt labia se mutuo tangant, nec se superequitent, ac superponant. Deindè suitio fieri potest; in reliquis verò, vt in aliorum huiusmodi tumorum incisione diximus, curationem sequi debemus.

Si verò Nata pendula sit, & angustam, & subtilem basim, ac radicem habeat, tunc excorianda non est, sed tota à basi rescindenda, vel ignito ferro, vel non ignito, deindè quæ dolorem tollunt, & sanguinem sistunt, si opus fuerit, admoueantur, posteà pars consolidanda, ac cicatrizanda.

De Tumoribus à melancholico humore ortis, & primùm de Scyrrho. *Cap. 29.*

CVM superiùs de tumoribus à sanguine flaua bile, & pituita ortis, ac etiam de flatulentis, aquosis, & de alijs toto genere præter naturam tumoribus fuerit dictum; Modò reliquum est, vt de ijs tumoribus præter naturam agamus, qui à melancholico succo ortum suum ducunt.

A melancholico ergo succo oriuntur scyrrhi, cancri, elephantiasis, & aliquæ excrescentiæ, vt inferiùs dicemus.

Scyrrhus à Græcis, & Latinis dictus, ab Arabibus Sephiros, vel lapidosum apostema, & ab aliquibus durus tumor nominatur. *Quid nominis?*

Scyrrhus, vt inquit *Gal. 14. meth. cap. 3. & 2. ad Glauc. cap. 4. Est tumor præter naturam durus, ac renitens, & indolens ex humore melancholico naturali, vel crassa, & glutinosa pituita procreatus.* *Quid rei?*

Scyrrhorum species plures sunt, vt inquit *Gal. lib. de tum. præt. nat. cap. 9. ac etiam lib. de atra bile*; *Alij enim ex lenta, & crassa pituita sunt procreati*; *Alij ex naturali melancholico humore, & lib. 5. de simpl. med. fac. c. 8.* inquit, *Proindè tumores scyrrhosi omninò, aut pituitosæ substantiæ sunt, aut atrabiliosæ, aut ex vtraque mixti*; *Paul. verò lib. 4. c. 32. & Orib. lib. 7 cap. 34.* inquiunt, *Quòd scyrrhi aliqui sunt legitimi, & exacti ac exquisiti. & hi sunt tumores duri, & omninò insensibiles*; *Aliqui verò sunt non exacti ac exquisiti, & hi quamuis sint duri tumores, ac renitentes, & vix sensibiles, aliquē sensum tamen habent, & quælibet horū scyrrhor. species quandoq; ab initio gignitur, quandoq; & crebrius ex alicuius* *Species?*

tumoris

tumoris permutatione immoderatius refrigerati, vel exsiccati, vt inquit *Gal. lib. de tum. prat. nat. cap. 9. & 2. ad Glauc. cap. 4. & 5. de simpl med. fac. cap. 6. & 7. de comm. M. S. G. scyrrhi*, vt inquit *Gal. 4. de præsag. ex pulsibus, In duris, ac spissis corporis partibus, non raris, & mollibus, familiares sunt, &* ideò dixit *Gal. Pulmonem, & alias partes molles vix scyrrhum contrahere posse; Sæpè igitur in tendonibus, ligamentis, & musculorum capitibus oriuntur, vt etiam 5. de simpl med fac. cap. 8.* inquit, *Quia huiusmodi partes alijs sunt duriores, & hac etiam de causa magis indurantur. Oriuntur etiam sæpè in partibus internis, vt in hepate, & liene, de quibus in præsentia verba non facimus, sed tantùm de ijs, qui in externis oriuntur partibus.*

Gal. 3. de locis affectis cap. 7. inquit, *Corpora melancholica præsertim scyrrhis tentari solent, vt macilenta, nigra, hirsuta, dura & obtusa cute, & qui latas venas habent; Similiter adusta glauco colore prædita, & rubrum pilum habentia; Item qui diù vigilias famem, labores sollicitudines, & quodlibet aliud superfluum exercitium passi fuerunt, aut crassis cibis usi, aut consuetæ hemorroides fuerunt obturatæ, & in mulieribus menstruæ purgationes intempestiuè fuerint suppressæ, sæpè scyrrhis affliguntur.*

De Scyrrhorum causis.

CVM superiùs dixerimus, quod scyrrhosi tumores; Aliqui ex se ipsis oriuntur, & à principio congeruntur, & alij ex medicorum imperitia, ideſt ex permutatione alicuius tumoris immoderatiùs refrigerati, vel exsiccati. Ideò cuiusque horum causæ adinueniendæ sunt.

Scyrrhorum, qui ex se ipsis fiunt, causæ, vt de alijs tumoribus præter naturam diximus; Aliæ sunt externæ, aliæ internæ.

Externæ causæ sunt omnes illæ, quæ crassum melancholicum sanguinem, pituitosum generare, & coaceruare possunt.

De Pituitis generantibus superiùs diximus, Melancholicum humorem gignentia, sunt aer frigidus, & siccus; caliginosus, & densus; cibus, & potus similiter crassus, vt inquit *Gal. 3. de locis aff. cap. 6.* vt est panis furfuraceus, & vitiatis seminibus, caro bubula, ceruina, caprina, taurina, canina, vulpina, asinina, chamelorum, limacum, grandium piscium marinorum, omnium leguminum genera, & inter ea præcipuè lentes, & inter olera brassica, caseum vetus, similiter salsa, & acria, vt piper, sinapi, allia, cæpæ, & acida, retorrida, assa, frixa, & vehementer exsiccata, & omnia sanguinem vrentia; Vinum nigrum crassum, & feculentum, nimius, & violentus motus, & nimia quies, nimiæ vigiliæ, animi passiones, vt ira, mæstitia, agonia, & vehemens sollicitudo, menstruarum purgationum suppressio, aut consuetarum hemorroidum sanguinem fundentium obturatio, & similia.

Interna causa duplex est; alia enim est antecedens, alia coniuncta.

Antecedens causa est pituitosi, aut melancholici humoris in corpore redundantia, melancholicus verò humor in corpore redundat, vel vitio hepatis, vel lienis. Quandò ergo lien suo munere non fungitur, quòd est iecur à crasso illo, & lutoso sanguine expurgare, quandò igitur huiusmodi humor à liene non attrahitur, necessariò in corpus redundat; Fit verò hepatis vitio, quandò hepar est nimis calidum, & ob suam nimiam caliditatem sanguinem torridum, & melancholicum gignit.

Coniuncta causa est ipse melancholicus humor, vel admodum crassa, & lenta pituita tenacissimè in laborante particula impacta, & infixa, vt inquit *Gal. lib. de tum. præt. nat. cap. 9. & 2. ad Glauc. cap. 4. lib. verò de venæ sectione*, inquit, *Verùm si crassior sit, & atræ bilis magis naturam referat is, qui decumbit sanguis, scyrrhosior tumor efficitur, & 5. de simpl. medicam. facult. cap. 8.* inquit, *Oritur scyrrhus ex humore crasso, & frigido, quales sunt duo,*

duma-

dumtaxat bilis, videlicet atra, ſuper-exſiccata pituita, & Paulus lib. 4. cap. 32. inquit, Oritur enim ſcyrrhus à tenaci, craſſoque humore indiſſolubiliter membris induratis impacto. Cauſa ergo ſcyrrhi coniuncta, vt ex citatis Authoribus patet, & ex Gal. etiam 14. meth. cap. 14. Vel eſt humor melancholicus, aut pituita, aut vtrique hi humores mixti.

Sed cum pituita plurium ſit generum ſcyrrhi non ex quolibet pituitæ genere gignuntur, vt ex illa pituita, quæ frigida, humida tenuiſque eſt, quæ naturalis dicitur, à qua ſit oedema. Sed à pituita in qualitate peccante, ita vt, quæ iam frigida, humida, & tenuis fuit, modò craſſa, glutinoſa, frigida, & ſuperexſiccata ſit facta, vt inquit Gal. lib de tum. præt. nat. cap 9.

Similiter melancholicus humor plurium eſt generum, vt inquit Gal. lib. de atra bile; Alius enim eſt naturalis, alius præter naturam, ſiuè nonnaturalis, melancholia naturalis eſt boni ſanguinis fex, & veluti limoſa quædam ſuperfluitas, hoc eſt enim ſanguinis denſior, frigidior, & craſſior pars, cuius color niger eſt ſapor verò acerbus, vel acidus vt cum vomentibus non rarò innoteſcit, & generatur in hepate ex denſiore, & duriore chili portione, quàm natiuus calor probè conficere non potuit, & in maſſa quidem ſanguinea, in qua humores continentur, exiſtit. Naturalis verò dicitur, & corpori vtilis eſt, quia partes denſas, & duriores nutrit, ſanguinemque denſat, roborat, & duriorem reddit.

Ab hoc ergo naturali melancholico humore gignitur ſcyrrhus.

Melancholia nonnaturalis, ſiuè præter naturam, vt inquit Gal. lib. de tumor. præt. natur. 14. meth. & lib. de atra bile, duarum eſt ſpecierum; Vna eſt cum naturalis melancholicus humor ſupra modum exuritur, & hæc ſplendet, veluti pix, vel bitumen, & acida eſt, in terramque effuſa, veluti acetum feruet, & ipſam fermenti ritu eleuat, & hæc eſt illa melancholiæ ſpecies, quæ omni animanti eleuent eſt iniucunda, vt neque mures, neque muſcæ deguſtare volunt, Aduritur verò hic humor, & incaleſcit, aut propter putredinem, aut propter febrem inflammantem.

Altera eſt quæ à flaua bile feruefacta, & ſuperaſſata oritur, quæ prædicta eſt perniciosior, vt inquit Gal. Com. 29. lib. 3. Præd. Hipp. & ex his duabus ſpeciebus cancri vlcerati, & non vlcerati, oriuntur, & minimè ſcyrrhi, vt inquit Gal. lib. de Tum. Præt. Nat. & ideo hæ duæ ſpecies prætermittendæ.

Dicere etiam ex mente Gal poſſumus quod melancholiæ ſunt duæ aliæ ſpecies vna eſt, quæ ex inflammatione, aut eryſipelate vehementer refrigeratis, & induritiem inſignem conuerſis gignitur; Altera eſt quando naturalis melancholia alijs humoribus miſcetur, ex qua ſpecies fiunt, vt ſcyrrhi phlegmonoſi, eryſipelatoſi, & oedematoſi.

Scyrrhi ergo tantùm ex naturali humore melancholico gignuntur, ad quem etiam eryſipelata, & indurati phlegmones reduci poſſunt (quamuis Guido hunc humorem præter naturalem appellet) quia ſanguis ille, qui tenuis, & calidus prius erat, modò frigidus, & craſſus factus, proculdubio melancholicus naturalis humor cenſeri poteſt.

Scyrrhus verò qui ex Medicorum imperitia prouenit, duas tantùm habet cauſas, externam ſcilicet, & coniunctam; Externa eſt immoderatus medicamentorum vſus; vt refrigerantium, & aſtringentium in eryſipelate, & phlegmone, vel vehementer calefacientium, & ſiccantium. Nam quæ huiuſmodi ſunt, digerunt quidem ſubtilia, quod verò reliquum eſt, multò magis impinguunt, & lapidis inſtar compactum relinquunt, quæ ratione etiam calculi in renibus gignuntur, aſſo, ſcilicet in his craſſo, & glutinoſo ſucco, vt inquit Gal. 14 meth. cap. 9. & 2. ad Glauc. cap. 4. & 7. de comp. med. S. Gen. Coniuncta cauſa eſt humor ipſe concretus, & in parte affecta induratus.

De

De Scyrrhorum signis.

SCyrrhorum signa, vt inquit *Gal. lib. de tum. præter naturam, & 7. de comp. medicamentorum S. Gen. & Aetius serm. 15. cap. 3. sunt, Mater quàm pro naturæ ratione tumor dolore vacans, tangenti durus, ac renitens.*

Si exquisitus sit, nullus adest sensus; si verò non sit exquisitus, difficulter sentit, idque fit, si valenter percutiatur, aut comprimatur cum ex se ipso, veluti exquisitus, prorsùs indolens sit.

Non sentiunt verò exquisiti scyrrhi, quia animalis facultas per neruos non ampliùs influere potest ob impactam materiam, quæ neruosas partes occupat: Similiter scyrrhus est tumor immobilis, & ad tactum non mouetur.

Què verò scyrrhus à pituita suum ducit ortum ab eo, qui à melancholico humore fuerit ortus, ex colore cognoscitur, vt inquit *Gal. lib. de tumoribus præter naturam, quia à pituita procreatus concolor est, & à melancholico humore plumbeus, vel fuscus, & adsunt etiam alia signa indicantia totum corpus melancholico humore, vel pituitoso esse repletum.*

Illi scyrrhi similiter, qui ex se ipsis prima rudimenta concipiunt, magna ex parte exigui apparent, procedente verò tempore paulatim augentur, ac maiores fiunt, & ex his quidam semper vnum membrum occupant; Alij eo membro, quòd priùs infestabant, relicto, ad aliud pariter transferuntur.

Aetius serm. 15. cap. 3. inquit, *Sed, & pili in ipsis oriri soliti minimè nutriuntur, & exactè glabri fiunt; Alij* inquiunt, *Quod supra scyrrhos aliquandò oriuntur pili, & tunc euadit exquisitus scyrrhus.*

Signa erysipelatis in scyrrhum transmutati sunt, quod cutis saltem duritiem præseferat: Qui verò ex phlegmone, siuè inflammatione succedit, subiectas etiam carnes inuadit, atque indurat, & tantò profundiùs, quantò inflammatio, erysipelate profundior est.

Distinguitur verò scyrrhus ab alijs tumoribus, vt à phlegmone, dolore, ab erysipelate, duritiei, ab oedemate tactus renitentia à flatuosis, & aquosis tumoribus, quia hi percussi sonitum reddunt, scyrrhus verò minimè à struma verò, ganglio, & glandula, & id genus alijs tumoribus, sua immobilitate.

Differt etiam à cancro, quia venas exaltatas, ac tumentes non habet, veluti cancer, nisi scyrrhus cancrosus fuerit.

De Scyrrhorum prognostico.

GAL. 14. *meth. & 2. ad Glauc.* inquit, *Exquisitus scyrrhus, qui omninò insensibilis est, minimè curationem admittit, modò pars per se insensibilis non sit, vt ligamenta; Causa est, quia sensu careat, signum est, quòd nerui, per quos fit sensus, sunt omninò repleti, & animalis facultas ad hanc partem peruenire non potest. Sic etiam quia venæ, & arteriæ, vt nerui, sunt melancholico humore maximè repletæ, ideò etiam vitalis, & naturalis facultas ad hanc partem influere non potest, & ideò medicamenta nihil agunt, quoniam à facultatibus suppetitiæ non feruntur, & ideò ad actum non reducuntur. Ob eamdem etiam causam*, vt inquit *Gal. 7. de componendo med. S. Gen. Summè indurati scyrrhi, & lapidosi facti prorsùs incurabiles sunt, quoniam medicamentis non cedunt, & mitia nihil agunt, & valentiora plus indurant.*

Oribasius similiter lib. 7. cap. 34. & Aetius serm. 15. cap. 3. inquiunt, *Scyrrhi veluti os indurati, & sensus omninò expertes, nullam omninò curationem admittunt; si quid tamen in ægr tantis gratiam sit faciendum, humectandi ratione id præstari debet.*

Durities

Duritiesquoque, quæ ex nimia ſiccitate, & marasmo, hoc eſt conſumata prorsùs humiditate fit, incurabilis eſt, & ſi quid faciendum, ſatis eſt prohibere ne ſiccitas vlteriùs procedat.

Scyrrhus verò illegitimus, & qui cum difficultate ſentit, nec incurabilis eſt, nec facilè curationem admittit, vt inquit *Gal. 14. meth. & 2. ad Glauc.*

Scyrrhi ab humore melancholico orti, ſi rectè tractentur, vt plurimum per reſolutionem terminari ſolent, nonnunquam indurati remanent, non rarò in cancrum (quòd peſſimum eſt) degenerant, ac tranſmutantur, cum ab eadem materia fiant maximam ergo cum cancro affinitatem habent, & ideò difficulter curantur, quoniam faciliter à medicamentis irritantur.

Scyrrhi verò à pituita orti, ideſt, qui corporis colorem referunt, & ſi ſint valdè magni, & vehementer duri, & in quibus pili enaſcuntur, nec ſanari poſſunt, nec vnquam in cancrum degenerant, ac permutantur, ſicuti Auicenæ ſcriptum reliquit.

Gal. 5. de ſimpl. medicamentum fac. cap. 8. inquit, *Scyrrhi, qui ab atrabiliario ſucco duruerunt, cancroſi ſunt omnes, & ab emollientibus medicamentis exaſperantur.*

De Scyrrhorum curatione.

IN hac curatione tres intentiones habere debemus; Prima in ſex rebus nonnaturalibus conſiſtit; Secunda in præparatione, & antecedentis materiæ, ſiuè peccantium humorum euacuatione conſiſtit; Tertia circa topica, ſiuè localia verſatur.

Vt igitur primam intentionem aſſequamur, aer tenuis calidus, & humidus eligatur, alimenta euchima exhibeto, hoc eſt boni ſucum, & probum, ac laudabilem ſanguinem gignentia; Victus tamen ſit tenuis, & quodammodò attenuans, humidus, & paulatim calidus. Panis ergo ſit triticeus, & probè formentatus, & clibano coctus, vinum ſubſtantia ſit tenue colore; vel album, vel ſubrubellum, & odoratum, oua ſorbilia conueniunt, carnes ſint pullorum, perdicum, phaſianorum, capreolorum iuuenum, vitulorum lactentium, & hedorum, qui nundùm herbam deguſtauerint, & anniculorum veruecum, & eorum iura præſertim competunt, in quibus etiam coqui poſſunt ſpinachia, beræ folia, borraginis, bugloſſi, & lactucæ; lupuli etiam incoqui poſſunt, ac alia omnia, quæ ſanguinem expurgant, purioremque reddunt.

Omnia verò, quæ ſanguinem melancholicum ſuapte natura pariunt fugienda, quæ enumerat *Gal. 3. de locis aff. cap. 6.*

Exercitium moderatum, & debito tempore factum, & moderatus ſomnus etiam competit; Animi vero tranquillitas & lætitia maximè eſt expetenda, vtque aluus lubrica ſit, & liberè quotidie fluat, ſumma ope nitendum.

Vt ſecundam intentionem aſſequamur, videndum in primis, qui humor in corpore redundet, & quæ ſit ſcyrrhi antecedens cauſa, ideſt ſi ſit pituita, vel melancholicus humor, & ſi ſit humor melancholicus, animaduertendum ex qua cauſa huius humoris cumulus fuerit procreatus, vel hepatis, vel lienis vitio, vel ex obturatis, & obſtructis hemorroidibus, vel menſtruis purgationibus ſuppreſſis. Si lienis, vel hepatis vitio melancholicus humor gignatur, ac fuerit cumulatus, hæ præcipuè partes medicamentis ad hoc aptis corrigendæ, & ad priſtinum ſtatum reducendæ.

Si verò ex obſtructis hemorroidibus, hæ hirudinum applicatione, & alijs hoc efficientibus aperiendæ. Si ex menſtruis purgationibus ſuum curſum non tenentibus, ex internis ſaphenis ſanguis mittendus.

Si verò totus corporis habitus fuerit melancholicus, & in corpore ſanguis redundet, & plurimæ ſit nigredinis, ex Baſilica partis affectæ ſanguis phlebotomia vacuandus, priùs iniecto mollienti cliſtere.

Sed

Sed si melancholicus humor plurimum à sanguinis natura abalienatus fuerit à phlebotomia abstinendum, & talis humor in primis præparandus, deindè euacuandus.

Melancholicum humorẽ præparantia ac purgantia.

Melancholicum humorem præparantia, cum sit humor frigidus,& siccus,terrestris, & crassus; Humectantia moderatè calida, & non nihil tenuantia, & incidentia esse debent. Syrupi ergo sint de succo boraginis, buglossæ, fumariæ lupulis, de pomis, de cicoria, de endiuia 5. capillorum ven. epitimi, oxisaccari, & his similibus decoctum verò sit, lupulorum, cicorij, boraginis, bugloßi, melisse, cap. Ven. sem. anisorum, feniculi, endiuiæ, & similium.

Melancholicum humorem purgantia sunt polipodium quercinum, sena orientalis, veratrum nigrum, ephithimum diasena mag. hiera rufi, trifera persica, confectio amechi; Pilulæ indæ, de lapide lasuli, de fumaria, de lapide armenio, ex quibus componuntur medicamenta ad Medici libitum, secundùm vires, ætatem, sexum, corporis habitum, & alia in purgationibus requisita.

Pituitam præparãtia.

Si à pituita scirrhus prouenerit, venæ sectio non conuenit, sed attenuantibus, ac digerentibus huiusmodi humor est præparandus, veluti melle rosaceo 5. oximellite 5. & comp. syrupo de bettonica, de stecade, de hyssopo, & his similibus, decoctum verò sit bettonica stechadis, pulegij calamintha, saluia, maiorana, & his similibus.

Pituitam purgantia.

Pituita verò purgantia sint agaricus, diasinicon min mes. electuarium elescophi, diarobcum turbit, pilulæ de agarico m.s. hiera cum agarico, aggregatiuæ de hermodactilis, fetidæ maiores, & de hiera pacchij.

Purgato optime corpore, vt humoris fluxus ad affectam partem tollatur, reuulsiones ad contrarias partes faciendæ frictionibus, digerentibus, & calidis inunctionibus, ac etiam cauterijs, præsertim in diuturnis fluxionibus.

In tertia intentione assequenda nostrum intentum erit totum, quod præter naturam in particula continetur, euacuare, quæ omnium præter naturam tumorum, prima, & communis est indicatio, vt ergo hoc aßequamur infrascripta præcepta sunt obseruanda.

Præcepta in topicis obseruãda.

Primùm est ne in hac curatione repellentibus vtamur, quoniam cum scirrhi à materia frigida, & crassa fiant, huiusmodi materia repellentibus retrocedere non potest, sicuti humores alij, sed horum vsu magis incraßatur, ac impingitur.

Secundùm est ne nimis, & solis mollientibus vtamur, præsertim in ijs scirrhis, qui ab humore melancholico oriuntur, cum dicat Gal. 5. Simpl. cap. 8. Scirrhi, qui à melancholico humore proueniunt, mollientibus medicamentis exasperantur, quoniam ex nimia mollificatione facilitèr huiusmodi tumores in cancrum exulceratum transmutantur, & Gal. 2. ad Glauc. cap. 4. inquit; Quod superfluum humorem habet, nihil omninò dissoluit, quod verò minimum, plus quam oportet, exsiccat, moderatè ergo humectantia aße debeat.

Tertiùm est, quod immoderatè discutientia etiam deuitari debent, quoniam his medicamentis primis diebus quidem cura egregiè processisse apparebit; Sed quod postea remanebit, id insanabile omninò erit, quoniam immoderatè digerentibus, quod tenue in tumore est, citiò resoluitur crassum verò in lapideam substantiam iam transmutatur, vt inquit Gal. 14. Meth. & 7. de Com. Medicamenta S. Gen. & Oribasius lib. 7. cap. 34.

Quartùm considerandum, cum scirrhus tumor sit durus, à qua causa hoc proueniat, quoniam secundùm causarum diuersitatem, diuersa præsidia applicare debemus, Gal. lib. 5. de Simp. Medicamentum Fac cap. 4. inquit, duritiei tres esse causas siccitatem, frigiditatem, & repletionem, siccitas vt in rusticorum manibus, quæ nimio exercitio durescunt, & hoc aliquandò etiam efficit solis feruor, ardens febris, siccantia medicamenta absque refrigeratione, ingens inedia, & similia, & hæc durities emollientibus resoluitur, quoniam quod siccitate fuerit induratum, humectari postulat; Frigiditas similiter concretione duritiem facit, vt in glacie apparet, & hæc leuiter calefacientibus tollitur, sicuti glacies à sole liquefit.

Duriciei causæ.

Repletio

Repletio, quæ à largi humoris affluxu fit, minima tenſione durities efficit, vt in vtribus ſummè plenis appareat, neque tamen, quod continetur eſt durum, neque id, quod continet, & huiuſmodi non verè dura appellantur, ſed rententia, & hæc euacuantia poſtulat.

Durities verò, quæ à ſiccitate ſimul, & frigiditate, id eſt concretione fit, vt ijs accidit, qui ſupra modum in frigore laborant, humectare ſimul, & incalefcere deſiderat, per ea, ſcilicet, quæ tantò ſunt calidiora, & humidiora, quantò ipſa intemperies frigidior, & ſiccior fuerit. Quòd à congelatione ſimul, & repletione, vt ab influxu frigidiorum humorum, ac partis refrigeratione, pariter cal fieri, & euacuari debet. His ergo omnibus de cauſis ſcirrhi indurari poſſunt, & ideò cauſa, ex qua indurario proueniat, conſideranda, vt rectè curare poſſimus.

Quintò, animaduertendum, ex quo humore ſcirrhus fuerit ortus, quoniam ſi ab humore melancholico mitius erit tractandus, & maiori dexteritate, quam ſi à pituita prouenerit, ne in cancrum conuertatur.

Sextò, conſiderandum ſi per ſe fuerit ortus, vel alicui inflammationi ſucceſſerit, cum diuerſa medicamenta vtrique conueniant.

Septimò, conſiderandum, ſi ſcirrhus fuerit recens, vel antiquus, ac etiam pars affecta, cum diuerſa medicamenta antiquus, quàm recens, & in partibus frigidioribus, & durioribus, vt in tendinibus, & ligamentis, quàm in partibus mollioribus, & carnoſis.

Duritiei igitur ex quacunque cauſa prouenerit, emollientia conueniunt, qualitati verò materiæ in ſcirrho contentæ, quæ materiam ad diſcuſſionem præparant, competunt. Si fiat ergo ſcirrhus ab humore melancholico, qui eſt frigidus, ſiccus, & craſſus, calefaciens, humectans, & attenuans debet eſſe medicamentum ſi fiat a pituita, quæ eſt frigida, craſſa, viſcida, & glutinoſa, calefaciens, attenuans, incidens, & detergens medicamentum debet eſſe.

Ad duas igitur indicationes ſcopi omnes in horum tumorum curatione reduci poſſunt, id eſt ad emolliendum, & diſcutiendum: Quæ verò hoc efficiant inquit *Gal. 14. meth 2. ad Glauc cap 4. & 5. de ſimp. med fac cap. 7.*

Huiuſmodi ergo ſunt medulla ceruina, vitulina, ſeuum hircinum, caprinum, taurinum, leoninum, pardinum, vrſinum, hyenæ, ex adipibus, anſerinus, anetinus, gallinaceus, ſuillus, propolis ſimiliter, butyrum, pix brutia, fenum græcum, reſina terebentina, & laricina, opoponax, bdellium, galbanum, ammoniacum, ſtirax, thymiama, radices altheæ, cucumeris aſinini, malua ſilueſtris tùm cocta, tùm cruda. & ex his humectiora ſunt præferenda, *Gal. lib. 5. de ſimpl. medic fac. cap 8. ac etiam Serapio dixerunt, Pinguedo, & adeps, quantò ſunt recentiores, tantò ſunt humidiores, & ideò magis humectant & quantò ſunt antiquiores, tantò ſunt calidiores, & ideò magis reſoluunt.* *Emollientia, & diſcutientia.*

Sed animaduertendum, quòd ex his aliqua magis, aliqua minùs ſuum munus præſtant, & ideò diſtinguemus.

Moderatè ergò agentia ſunt medulla ceruina, vitulina, & gallinaceus adeps, & medicamentum infraſcript. *à Gal. lib. de comp med. ſ. loca deſcriptum.*

℞. Butiri, reſinæ colophoniæ, ceræ candidæ non vetuſtæ an. part. æqu. M. & applica.

Secundi ordinis ſunt, adeps anſerinus, caprinus, hircinus, & taurinus, qui præcedentibus calidiores ſunt, *vt Gal. 2. ad Glauc.* inquit,

Qui ex capris adeps accipitur, & craſſior, & ſiccior prædictis eſt, idque magis ſi ab Hirco capiatur.

Tertij ordinis ſunt, adeps leoninus, vrſinus, & pardinus, ſed in calefaciendo, & digerendo, leoninus alios præſtat, hunc ſequetur pardinus, deindè vrſinus.

Quarti ordinis ſunt ammoniacum, thymiama, bdellium, ſtirax, radices altheæ, cucumeris aſinini, malua, adeps, ſuillus vetuſtus, & ſimilia. Horum ergo medicamentorum vſus ſumatur ab humore peccante à corpore, & parte laborante, & ſcirrhi tempore.

In mollioribus ergo corporibus, & in recentibus ſcirrhis, & mollioribus, ac etiam mollioribus partibus occupantib.

Mitiora

Mitiora mollientia, & digerentia conueniunt, vt inquit *Gal. 7. de comp. med. S. Gen.*

In durioribus verò corporibus, & antiquioribus scyrrhis, & magis induratis in partibusque duris, ortis, vt in ligamentis, & tendonibus valentiora sunt vsurpanda *Gal. 5. de simpl. med. fac. cap.* 8. inquit, *Quæ verò à lento, crassoque humore concreto indurata sunt, calida in secundo, aut tertio ordine, sicca autem in primo medicamenta desiderant. Ex dictis ergo, & alijs composita medicamenta fieri possunt sicuti infrascripta, sed ante cuiuslibet cataplasmatis applicationem, pars infrascripto decocto, vel simili foueri debet, vt pinguiiure, vel lauarum sordibus.*

℞. Radicum altheæ, maluæ, chamomeli, meliloti, rad. cucumeris agrestis, sem. lini, fenugræci an. q. vis misce, & S. A. fiat decoctum.

Composita Medicamenta sunt infrascrip.

℞. Radicum altheæ, quam arboreum maluam vocant, foliorum malnæ siluestris modicè decoctis misce, & cum adipe anserino, vel gallinaceo, & si hi non adsint, suillo veteri q. suff. & fiat emplast. & calidum applicetur, vel fiat infrascript, quòd est Almansoris lib. 7. quòd competit præcipuè scyrrhis per se ortis, & ex refrigeratione concretis, & est moderatè calidum, ac digerens & ad omnes durities, vbicumque fuerint, conueniens, quòd etiam à Rhasi describitur.

℞. Bdellij, ammoniaci, galbani, an. part. æquales mollificentur in mortario calido, trino oleo, vel de been, vel liliorum, deindè adde mucilaginis sem. lini, fenugræci, & caricarum pinguium ad pondus omnium, & terantur omnia misce, & fiat catapl. vel infrascriptum, quòd maximè competit in scyrrhis ab inflammatione, vel erysipelate ortis.

℞. Ceræ citrinæ, adipis anatis liquati, & colati an. vnc. 1. oleorum liliorum medullæ crurium bouis an. vnc. 2. misce, & vtere.

Si verò à nimium siccantibus scyrrhus fuerit ortus, applicetur infrascriptum, quòd emollit, & humectat.

℞. Maluæ coctæ cum suillo adipe, vel gallinaceo mixtæ, & contunde, & fac emplastrum.

Serapio dixit, quod columbinum stercus cum farina mixtum, & in aceto decoctum, & supra locum affectum applicatum, omnem duritiem, & scropulas resoluit. Infrascripta etiam scyrrhis competunt, quæ molliunt, discutiunt, & resoluunt.

℞. Radicum liliorum, altheæ perfectè elixatarum, & contusarum an. lib. 5. adipis suis, aquilæ, vulturis an. vnc. 1. 2. adipis gallinacei, anserini an. vnc. 2. olei sambucini, propolis, ceræ an. q. suff. misce, & fiat empl. vel

℞. Caricarum ping. nu. 12. coquantur, & contundantur, & adde galbani, bdellij in aceto dissolutorum an. vnc. 1. 1. stiracis liquidæ vnc. 1. mucilaginis altheæ, sem. lini, & fenugræci an. vnc. 2. Oesypi, butiri recentis an. vnc. 1. olei sesamini, vel de lilio vnc. 3. ceræ q. suff. misce, & fiat empl. vel

℞. Radicum genistæ, hyperici, foliorum cupressi, scrophulariæ siccorum an. drag. 5. litargirij vnc. 1. mucil. sem. lini, & fenugræci an. vnc. 2. olei vulpini, liliorum an. vnc. 4. ceræ q. suff. misce, & fiat vnguen. cum aceti pauca portione, vel

℞. Mucilag. rad. altheæ, medij corticis vlmi, sem. lini, fenugræci an. vnc. 4. olei chamomelini, anethini, liliorum an. vnc. 1. ammoniaci, galbani, opoponacis, sagapeni in aceto dissolutorum an. vnc. 5. resinæ tereb. vnc. 2. croci scrup. 2. ceræ nouæ vnc. 2. 5. misce, & fiat empl. vel

℞. Vngu. dialthææ q. vis, & misce cum bdellio, galbano, ammoniaco, & opoponaco in aceto dissolutis.

Scyrrhis verò vehementer induratis, & adultis, in partibusque duris ortis, vt in tendonibus, ac ligamentis, ac alijs durioribus partibus, valentiora debent esse medicamenta, & maximè emollientia, & incidentia, & moderatè discutientia, & resoluentia, & in hoc faciendo *Gal. 14. meth. & 2. ad Glauc.* maximè acetum laudat, quod crassos humores dissecat, ac resoluit, aliaq; med. penetrare facit.

Admiscendum ergo acetum emollientibus, sed non in principio, quia tenuiora absumeret, & quod crassum est lapidescere faceret, neq; etiam continuus

debet eſſe aceti vſus in neruoſis partibus, vel medicamentum, in quo acetum ingrediatur, quoniam neruoſis partibus eſt inimicum, ſed in carnoſis tutò vti poſſumus. Non igitur ſæpè, & inter initia, nec lungo tempore medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad ligamenta, & tendines, & alias neruolas partes eſt vtendum.

Debemus ergo in primis emollientibus vti, deindè vel medicamentis, in quibus acetum ingreditur, vel aceti ſuffumigio vti, poſteà ad emollientia iterum redire debemus, ſic alternatis vicibus his medicamentis vti debemus Galeno ante aceti ſuffumigium, oleo ſabino partem fouebat, quod omnium eſt tenuiſſimum, & huius vice, irino, vel cerrino vti poßumus; vel in prædictis oleis incoquere poßumus rad altheæ, cucumeris agreſtis, viride anetum, fenugræcum, & ſimilia vel ammoniaco in aceto diſſoluto, vel thimiama ad luti craſſitudinem, poſt emollientia, Galen vtebatur.

Aceti ſuffumigium ita fit; ſumitur lapis pyrites marcheſita dicta vel molaris candens, qui acerrimo aceto aſpergitur, & deindè ſupra ipſum pars ſcyrro affecta dimouerì, ac confricari continuò debet, vt à vapore ſurſum elato. Scyrrhus diſſolui poſſit; Poſteà vt dixi emolliens medicamentum applicandum, & ſic alternatis vicibus tamdiu faciendum, donec ſcyrrhus abſumatur. Hac ergo curatione inquit *Gal. 2. ad Glauc Multi pauco temporis interſtitio, ità perfectè fuerunt ſanati, vt multis ferè magicum opus videretur.*

Inter emollientia infraſcripta optima ſunt.

℞. Radic. altheæ, cucumeris, agreſtis an. vnc. 1. foliorum maluæ, branchæ vrſinæ an. pug. 1. fenugræci, ſem. lini an. vnc. 2. miſce, & fiat decoctum, quo pars foueatur, deinde facto fomento ſuper lapidem pyritem, vel molarem, vel ſupra ferri recrementum ignitum, acerrimum acetum, in quo ſarcia ſit cocta, conice, & vapor, vt dixi, excipiatur; Deindè ad emollientia recurre, vt

℞. Stercoris aſinini lib. 5. ammoniaci in aceto diſſoluti vnc. 4. ladani puri, maſtiches an. vnc. 3. pinguedinis anatis, pulli gallinacei an. vnc. 2. olei maſtichini, cheirini an. vnc. 2. 5. ceræ q. ſuff. M. & fiat empl. vel

℞. Ammoniaci, bdellij, galbani, ſtyracis liquidæ an. vnc. 1. ping. cerui, leonis, anatis, capræ, vituli an. vnc. 2. radicum altheæ q. vis, olei ſambucini, & ceræ q. ſuff. miſce. & S. A. fiat emplaſt. vel

℞. Radicum altheæ arboreſcentis vnc. 3. foliorum maluæ miſce 2. ſem. lini, fenugræci an. vnc. 2. 5. coquantur, & terantur, poſteà adde, adipis caprini, medullæ cruris vituli, & cerui an. vnc. 3. miſce, & S. A. fiat catapl. vel

℞. Ammoniaci, bdellij in paſſo diſſolutorum an. vnc. 3. myrrhæ, thuris, olibani an. vnc. 1. pinguedinis gallinæ, anguillæ, & aquilæ an. vnc. 2. adipis vituli vnc. 1. 5. olei antiqui, liliorum an. vnc. 3. aquæ vitis modicum, & ceræ q. ſuff. miſce, & S. A. fiat vnguentum, vel

℞. Ammoniaci bdellij, galbani, opopanacis in aceto diſſolutorum an. vnc. 2. litargirij auri vnc. 2. 5. bulliant in aceto, poſtea adde pyretri, ſulphuris viui, ſeminis ſinapis an. vnc. 1. olei antiqui, vel liliorum, vel ſeſamini, & ceræ qu. ſuff. miſce, & ſecundum artem fiat vnguentum, vel

℞. Pinguedinis gallinæ, anatis, anſeris an. vnc. 1. 5. pinguedinis taxi, muli, aſini an. vnc. 2. medullæ cruris vituli, & cerui an. vnc. 3. œſypi, ſtyracis, calamiræ, bdellij an. vnc. 1. 5. mucilaginis ſem. lini, ſem. altheæ, & fenugræci an. vnc. 2. maſticis, thuris an. vnc. 5. olei amigdalarum dulcium, amurcæ olei liliorum an. vnc. 3. 5. ceræ q. ſuff. miſce, & S. A. fiat vngu.

Vel, vt inquit *Oribaſius lib. 7. cap. 34.*

℞. Axungiæ ſuillæ veteris, ammoniaci, thymiamatis, caſei, bubuli, aut caprini veteris, adipis taurini, raſuræ nauis an. lib. 1. medullæ ceruinæ vnc. 2. œſypi vnc. 3. cyprini lib. 5. maluatici vini vnc. 4. 5. miſce, & S. A. fiat catapl.

Vel infraſcriptum, quod ad Philiagrum refert.

℞. Radicum peucedani, ſalis ammoniaci, propolis pinguis an. vnc. 2. ammoniaci, thymiamatis, lanæ ſuccidæ com-

buſtæ

buſtæ an. vnc. 1. ariſtolochiæ rotundæ, pumicis, ſtercoris canini. Eruginis raſæ, ſquammæ aeris, miſyos an. vnc. 2. caſtorei vnc. 5. myrrhæ, viſci quercini an. vnc. 3. ceræ vnc. 11. 5. picis butiæ lib. 1. 5. olei veteris, aceti acerrimi an. q. ſuff. miſce, & fiat empl.

Qui verò plura deſiderat, ad ſtrumarum curationem recurrat, quoniam omnia mollientia, ac reſoluentia medicamenta ibi deſcripta etiam competunt.

Si verò huiuſmodi tumores per ſuppurationem terminari velint, calidis medicamentis, aut quouis alio modo irritantibus, nullo pacto vti debemus, quia faciliter in cancrum degenerarent. Si verò aperiatur tumor, materia in pus conuerſa diachilonis vſu ſolùm euacuetur, & hoc tantùm medicamento curetur.

De Cancro. *Cap.* 30.

Quid nominis?



Cancer, carcinoma, à Græcis, & à Celſo dictus, & ab Arabibus ſartan, & ab aliquibus cancroſus tumor vocatur, ita dicitur, & ita indita eſt huic vitio appellatio, vt inquit *Paulus lib. 4. cap. 26. & Aetius ſerm. 16. cap. 43. A ſimilitudine, quam habet, cum fluuiatili cancro, cum circa id malum venæ turgeſcant, & inſtar pedum animalis cancri dicti intendantur. Quidam verò hoc nomen ſortitum aſſerunt, quod ab his, quas occupauit, partibus ægrè auellitur, veluti cancer aquaticum animal, quod ſi quid forcipibus ſuis ceperit, aut facilè auellitur & huiuſmodi etiam tumor cancri animalis colorem repræſentat, qui eſt liueus, & cinericeus.*

Quid ſit Cancer?

Cancer ergo eſt tumor rotundus, durus, inæqualis, aſpectu teter, colore liuidus, vel cinericeus, vel fuſcus habens in ambitu venas turgidas, & exaltatas hinc indè protenſas, veluti cancrorum pedes calore, & dolore moleſtiſſimus, partemque, cui inſidet, ita ſtringens, vt veluti clauo quodam firma eſſe videatur.

Species. Species cancrorum plures ſunt, vt inquit *Paul. lib 3. cap. 67 & lib. 6. cap. 45. & Aetius ſerm. 16 cap. 43. Alter enim eſt exulceratus, alter non exulceratus, Cancer verò non exulceratus etiam duplex eſt; Alter enim eſt qui in ſumma corporis parte hæret, & euidens eſt, quem medicorum vulgus cancroſum tumorem, vel cancrum apoſtematoſum vocant; Alter eſt, qui in penitioribus corporis partibus, ac latentibus, vt in ſede, vtero palato, & naribus conditum eſt.*

Et cancri in his partibus occulti appellantur, vt Philoxeno placuit, Aetius verò cancros occultos omnes illos appellauit, qui ſunt abſque vlcere, Galenus tamen verè occultos dictis partibus inhærentibus vocat, & aliquandò etiam non exulceratos, quamuis in externis partibus ſint, occultos appellat. Cancri ſimiliter, aliquandò per ſe fiunt, aliquandò ſcyrrhis ſuccedunt.

Affectæ partes. Partes, quæ a cancro affici poſſunt, ſunt omnes corporis partes, dicente *Gal. lib de tum præt. nat. Si in ſolis venis, & carne melancholicus humor ſit nomen obtinet cancri. & 2. ad Glauc cap. 10.* inquit,

Cancroſi tumores in omnibus conſueuerunt fieri corporis partibus, ſed præcipuè in mammillis mulierum, quæcumq; ſua naturali purgatione priuantur. Celſus verò lib. 5. cap 28. inquit, *Id vitium fit maximè in ſuperioribus partibus circa finem, nares, aures, labia, mammas fœminarum, & in iecore etiam, & ſplene hoc naſcitur.*

Paul. verò lib. 4. cap. 26. & lib. 6. cap. 45. inquit, *Quòd cancer in qualibet corporis parte oriri poteſt, ſi quidem in oculis, præcipuè verò mulierum loculos, & mammas occupat. Prouenit verò in mammis fœminarum,* vt inquit hic Author, *Quoniam hæ partes ſunt natura laxæ, & fungoſæ, & craſſiſſimam atræbilis (vndè hoc malum gignitur) materiam promptiùs excipiunt, & ad has partes è capite etiam facilis eſt humorum decurſus. Similiter fœminarum mammæ per venas, quæ ſub recti abdominis muſculis pertranſeunt, vtero conſentiunt. Si ergo per vteri venas ſanguis*

craſſus, & feculentus naturaliter non expurgatur, de facili ad mammas regurgitat, ibique cancrum excitat. Vel ſi huiuſmodi ſanguis in vtero retineatur ex menſtruis ſuppreſſis, huiuſmodi morbus in hac parte oritur. Si quis verò ſcire velit, quo anni tempore cancri oriantur, dico, quod in quolibet anni tempore oriri poſſunt, ſed præcipuè quandò humoris melancholici fit cumulus, quod eſt circa æſtatis finem, & per totum Autumnum.

Pluribus verò differt cancer à ſcyrrho; Primò, quia in cancro adeſt dolor, & huiuſmodi dolor pungitiuus eſt, ſcyrrhus verò eſt abſque dolore; Secundò, cancer ſcyrrho citiùs augetur, & hoc prouenit, quia eius materia magis eſt mobilis. Tertiò, circa cancrum etiam venæ exaltatæ, & ſanguine repletæ apparent, non autem hoc eſt in ſcyrrho. Quartò, differt, quia cancer vt plurimùm incipiendo fit, ſcyrrhus verò vt plurimùm ex permutatione, & calidi tumoris conuerſione fit; Quintò, differunt parte affecta, quoniam cancer, vt plurimùm, in raris partibus fit, ſcyrrhus verò, vt in pluribus, in duris partibus oritur. Sextò, differt cancer à ſcyrrho materia, quoniam, & ſi vterque ex melancholico humore fiat, ſcyrrhus tamen ex melancholia naturali fit, quæ eſt in ſanguine, veluti fex in vino, & amurca in oleo, cancer verò non ex melancholico humore naturali fit, ſed aduſto, & feruefacto.

De Cancrorum cauſis.

CAncrorum cauſæ, vt de alijs tumoribus præter naturam diximus plures eſſe poſſunt, aliæ enim ſunt internæ, aliæ externæ; Externæ cauſæ omnes illæ eſſe poſſunt, quæ melancholicum, ac feruescentem humorem, ſiuè retorridum ſanguinem generare poſſunt, vt aer impensè calidus, vitioſi admodum craſſi & calidi cibi, & potus, vt allium, cepe, porri, legumina, melancholicæ carnes, & alia in ſuperiori capite dicta, generoſa, ac potentia vina, violentus motus, vigiliæ immodicæ, animi affectiones, & potiſſimùm ira.

Internæ duplices ſunt, antecedens, & coniuncta, cauſa antecedens eſt retorridi ſanguinis, ſiuè feruescentis melancholici humoris cumulus, qui in corpore fuit genitus, vel ex ſex rebus non naturalibus malè adminiſtratis, vel ex ſuppreſſis præter naturam menſtruis purgationibus, vel ex obſtructis hemorroidalibus venis fluere conſuetis, vel ex iecoris intensè calida intemperie, quæ exurit, & exurendo atram bilem gignit, vel ex lienis imbecillitate ſuo munere non fungente, quod eſt ſanguinem ab humore melancholico expurgare, in corpore ergo detinetur, & ſuperaſſatur, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 10. Coniuncta cauſa eſt melancholicus humor feruescens, ſiuè ſuperaſſatus, vel retorridus ſanguis, & nonnaturalis melancholia, vt aliquâ voluerunt, à qua ſcyrrhi oriuntur, vt ſuperiùs fuit dictum.*

Quòd verò ita ſit ex infraſcriptis authoritatibus probatur. Gal. lib. de atra bile, inquit, *Si humor melancholicus ſolus ac purus ad cutem decumbat, ab initio quidem nigrum tumorem gignit, quì procedente tempore, ideſt dum ſuperaſſatur ac feruefit, in cancrum terminatur. Rursùs vbi acrior, ac contumacior hic humor fuerit, cancrum exulceratum procreat, vbi autem mitior, latentem, & citrà vlcus producit, & lib. 3. de ſympt. cauſis,* inquit, *Cum atra bilis in vniuerſo corpore redundat, fieri elephantiaſim, cum verò vni parti inſidet, excitari cancrum. Patet ergo ex hoc cancrum ab eodem humore fieri, à quo elephantiaſis, ideſt à ſuperaſſato melancholico humore. 14. verò meth. cap. 9.* inquit *idem Gal. ſi melancholicus humor ſit in venis impactus, & putreſcat, ex eo cancer generatur exulceratus, quod vitium perindè eſt, vt reliqua omnia plurimùm habet in maioriſq; ratione differentiâ, & lib. de tum. præt. nat.* inquit, *Verùm citrà feruorem atra bilis, ideſt cum mitior fuerit, cancros conſtituit, atque eos cum vlcere, vbi acriorem illam eſſe contigerit. Hoc idem etiam 2. lib. de Criſ. cap. 12. ſcriptum reliquit*

Oriba-

Oribasius lib. 7. cap. 13. inquit, *Iam verò cancri quoque ex atra bile feruente oriuntur, quæ si acrior fuerit, cum vlcere erumpunt*, Auic. etiam dixit, *Ab ad vltà bile atra cancrum fieri.*

Paul lib. 4. cap. 26. dixit, *Ex atra bile, cum referbuerit, cancri contrahuntur, quæ si acrior fuerit, cum vlceratione producit*; Nil ergo clariùs; *Ex mitiori ergo calida, & feruefacta atra bile, quandò ad partem aliqam decumbit, cancer non exulceratus, siuè in internis, siuè in externis partibus consistat, exsiccetur, ex acriori, & magis calida atra bile, exulceratus cancer producitur, ac fit, vt ex superioribus authoritatibus patet.*

De cancrorum signis.

Signa cancri scyrrho succedentis, & per se orti, diuersa sunt, & incipientis, & iam adulti, & aucti. Per se orti, & incipientis cancri signa obscura sunt, rudimentaque obscura habet, & plerumque, *vt tractatu 7.* inquit Almansor, *Tumor exoriens ciceris magnitudine persentitur, aliquandò absque vllo dolore, interdum cum dolore, & calore quasi pungentis, & candentis acus, deindè ad fabæ magnitudinem increscit; Hinc ad iuglandis, deindè ad oui, & quandoque festinans ita concrescit, vt melopopenis magnitudinem æquet.*

Quòd verò ita sit, inquit *Galen. 14. meth. cap. 9.* dicens, *Cancrum incipientem difficulter cognosci, quoniam primò habet accidentia mitissima, & maximè confusa; Possumus etiam in cognitionem deuenire, & corporis habitu melancholico, & anteacta vita, & ex parte affecta, cum quædam partes promptiùs hoc morbo corripiantur, vt superiùs diximus.*

Vbi verò auctus, & adultus fuerit, sua signa clarissima, & manifestissima sunt, quoniam hic tumor rotundus, inæqualis, & immobilis est conspicuè liuescit, vel nigricat, humoris referens colorem, & secundùm quod humor magis erit adustus, & malignus, eo magis ad liuiditatem, vel nigredinem tendit, tangenti durus renitens propter humoris crassitiem apparet. Dolor, & calor citrà inflammationem, intensissimus partem exercet, & dolor punctorius, & latè diffusus persentitur. Fit verò dolor ex solutione continui, quæ ob materiæ copiam distendentem, parteſque neruosas comprimentem oritur, & ex calida intemperie, quæ ex calido, & feruente humore fit, simulque ex impedita caloris perspiratione. Venæ etiam in ambitu crasso, nigroque sanguine non vnquam turgent, & sicuti cancri animantis pedes exaltare apparet, cum hic humor ob sui crassitiem non possit ita facilè è venis exsudare, & ideò turgidæ fiunt. Aliquandò etiam venæ in circuitu non apparent, ac delitescunt, cum adhuc in profundo latitant.

Huiusmodi verò signa à Galeno pluribus in locis traduntur, & ab aliis Classicis Authoribus, *Gal. enim lib de tumoribus præter naturam, Quam ob rem cancri nigriores sunt colore omnibus, quæ inflammationem infestantur, & minùs calidi; Venæ autem in his replentur, & tenduntur magis, quam in ipsis inflammationibus, & 2. ad Glauc. cap. 10.* inquit, *Quo tempore euidenter apparent, quæ in loco affecto sunt venæ crasso, & nigro sanguine imbutæ; qui quidem quantò crassior fuerit, & nigrior, tantò deterior est passio. In mammillis autem sæpè videmus tumorem figura animali cancro persimilem varicosæ verò redduntur venæ, quia à profundo inutilis sanguinis multitudo attrahitur.*

Corn. Celsus lib. 5. cap. 28. inquit, *Circa locum aliqua quasi puncta persentiuntur isque immobilis inæqualis tumet, interdum etiam torpet. Circa eum inflatæ venæ quasi recurruantur, hæcque pallent, aut liuent. Nonnunquam etiam in quibusdam delitescunt, tactusque is locus, alijs dolorem affert, ideſt adultis, & magnis, in alijs eum non habet, ideſt in paruis, & incipientibus. Et nonnunquam sine vlcere durior, & mollior est, quam esse naturaliter debet. Nonnun-*

quam eiſdem omnibus vlcus accedit, interdum nullam habet proprietatem interdum ſimile his eſt quæ vocant Graci Conditoma, aſpredine quadam & magnitudine ſua. Colorque eius ruber eſt, aut lenticulæ ſimilis.

Paul. Aeg. lib 4. cap. 16. & lib 6. cap. 45. inquit, *Cancri colore atriores quàm inflammationes ſunt, citrà caliditatem tantam venæ circa id malum turgeſcunt, & intenduntur inſtar pedum animalis cancri.*

Aetius ſerm. 16. cap. 43. inquit, *Cancer animali cancro ſimilis eſt; Nam, & prominet & ad tactum renititur, & difficulter tractabilis eſt, & ſi mammas occupet, tumor apparet ingens, ad tactum renitens inæqualis, inſter feræ ſeuus penitiſſimè pertinaciter inſertus, radices lunge latèque extendens, & venis circumſitus velut illigatus, quas circum circa varicoſas habet colore cinericeus ad ruborem vergens & aliquandò ſubliuidus & videntibus quidem mollis apparet; tangentibus autem durſſimus eſt, vt viſu hac parte non ſit credendum dolorem autem inducit pungentem latè ſe extendentem, vt ſæpè per conſenſum glanaularum malignas inflammationes ſub alis excitet, pertingunt etiam dolores vſque ad clauiculam, & ſcapulas.*

Signa Cancri ex pertractatione.

Signa permutationis, ideſt, ſi ſcyrrhus in cancrum degenerare velit, facilè innoteſcunt; Si cum prius tumor ſine dolore eſt, dolorem perſentire incipit, & continuò vehementior fit, & ad vicinas etiam partes extenditur, & pulſatio cum punctorio dolore perſentitur. Pars ſimiliter inflammatur, & nigræ venæ circa tumorem apparere incipiunt; Sæpè febris adiungitur, remiſſior tamen, quam in phlegmone.

Exulcerati Cancri ſigna.

Exulcerati cancri ſigna manifeſta ſunt, quoniam non ſolùm prædicta adſunt ſigna, ſed vlcus corruptæ carnis ſpeciem repræſentat, & viſu eſt horrendum, labia habens dura, craſſa, tumida, eroſa, atque inuerſa, & maximè dolentia; Colore inter rubrum, & nigrum medio, vtpotè fuſco, aut liuido; Saniem emittit fœtidiſſimam, & copioſiſſimam, tenuem, nigram, aut fuluam; Vapor expirat cordi, ori, & cerebro grauis, febris aſſidua, vt plurimùm, eaque lenta ineſt, adeſt faſtidium, inquietudo, animi angor, & frequens animi defectio, præſertim ſi mammas occupet: Exeſis, & corroſis venis, ſæpè ſanguis profunditur, vt mortem maturiùs afferre poſſe, credendum ſit, & niſi malignitate citò interimat, lungo, latèque prorepit, depaſcit, atque diſtenditur. Quæ ſigna traduntur ab Aetio, & à Paulo locis ſuperiùs citatis, & breuitati conſulens, eorum verba non ponam.

De Cancrorum prognoſtico.

QVo ad prognoſticum *Hipp. 6. aph. 38.* inquit, *Quibus occulti cancri adſunt, non curati vero lungiùs vitam trahunt.* *Aphoriſmi explicatio.*

Sed, vt inquit *Galenus in eius Commentario, Cum duplex ſit curatio; Altera leniens, ſiuè palliata dicta; Altera quæ ſecando, & vrendo ſit.*

In occultis cancris tantùm, quæ abſciſſione fit, curationem prohibet, minimè lenientem.

Per occultos cancros clarum eſt, quòd Hippocrates intellexit, cancros, qui in profundo latent, & non apparent, vt in palato, viero, ſede, in alijs abſconditis partibus, & non omnes, qui ſunt ſine vlcere; cum dicat *Galenus in eodem Commentario, Ex ijs verò, qui ſumma parte corporis conſiſtunt, eos ſolùm curare tentandum eſt, qui vna cum ipſis, vt ſic loquar, radicibus excindere, & extirpare pœnitùs licet; Gal. 2. ad Glauc. cap. 10.* inquit, *Hunc igitur morbum per ſui initia ſæpè ſanauimus medicamentis, quæ atram bilem educerent; Vbi verò in molem inſignem attollitur, curari ſine chirurgia non poteſt;* Archigenes in huiuſmodi curatione eſt totum, quod circumſtat tumorem præter naturam, qua partibus ſanis adhæret, abſcindere, ob va-

forum tamen magnitudinem, præsertim si fuerint arteriæ, profluuij sanguinis statim periculum imminet.

Quod si laqueis ipsa excipiens, per consensum afficiuntur continuæ particulæ; Si verò radices morbi exurere animus sit, neque huic rei maximum periculum deest, si per loca principalia insignis adustio fiat: Abscissio ergo cuiuslibet cancri, ob sanguinis hemorrogiæ periculum, siuè è venis, siuè ab arterijs, est periculosa, vt inquit etiam *Galen. 14. meth. lib. verò de atra bile*, inquit, *Omnes si quidem exulcerationes ex atra bile sunt insanabiles, atque incurabiles.* Hæc enim sententia veriſſima est.

Nisi quis curationem appellet, vbi affecta pars tota circumquaque ad partem sanam vsque dissectam abscinditur. Sed cancri abscissio partem sanam non reddit, sed vna cum vitio partem vitiatam tollit, & ideò vera curatio dici non potest.

Corn. Celsus lib. 5. cap. 28. inquit, *Carcinoma, neque tutò fertur, nam protinùs, aut resolutio neruorum aut distensio insequitur. Sæpè homo ictus obmutescit, atque eius anima deficit. Quibusdam etiam, si id ipsum præssum est, quæ circa sunt, intenduntur, & intumescunt. Namque pessimum id genus est, ferèque primum id fit, quod Cachoctes à Græcis nominatur. Deindè ex eo id Carcinoma, quod sine vlcere est. Deindè vlcus ex eo thymèum. Tolli nihil nisi Cachoetes potest, reliqua curationibus irritantur. Et quo maioris adhibita est, eo magis quidam vli sunt medicamentis adurentibus. Quidam ferro adusserunt; Quidam scalpello excideruntneque vlli vnquam medicina profuit, sed adusta protinùs concitata sunt, & increuerunt, donec occiderent. Excisa etiam post inductam cicatricem, tamen reuerterunt, & causam mortis attulerunt.*

Paul lib. 3. cap. 67. de cancro vteri, inquit, *Hæc dispositio curationem non recipit, ceù ipsius etiam in Aph citato asserit Hippocr. lib. verò 4. cap. 26.* inquit, *Hoc malum, idest cancer ob humorum crassitudinem, nulla medicina eliditur, vt quod neque repelli, neque discuti queat, neque purgationi totius corporis cedat, vel quod mitiora remedia contemnat, asperioribus autem irritetur, & hoc idem etiam* inquit *Oribasius lib. 7. cap. 13.*

Aetius serm. 16. cap. 43. de mammarum cancro, inquit, *Est enim proteruus, & curatione efferatur, & manuum tractatione exacerbatur, & cap 44.* inquit, *Cancros in pectore abortos omninò deploratos esse scito, quemadmodum, & eos, qui in capite, collo, humeris, sub alis, & in inguinibus generantur, sunt enim, & hi incurabiles; Nam præter quam quod perfectè tolli non possunt, sanguinis eruptionis timor inuadit, ne ex ea æger inter Chirurgi manus pereat; eos verò, qui papillæ summitatem occupant, affectæ partis amputatione facilè curaueris.*

Videtur ergo ex hac Aetij sententia, quòd cancri in his partibus nullo pacto curari possunt. Sed non ita est, quia in tali loco solùm locutus est de profundo infixo, & occulto cancro, & non de superficiali, & apparenti, ac etiam de exulcerato, Cum inferiùs, idest *cap. 46.* abscindendi, ac vrendi modum, ac ordinem, & medicamenta applicanda doceat.

Cancer igitur admodum carni infixus, ac etiam magnus extirpari radicitùs nequit. Cancer item nisi radicitùs extirpetur, nullo pacto deinceps ad cicatricem perduci potest.

Cæterùm ex cancro non exulcerato sæpè exulceratus fit, putrescente, scilicet temporis spatio humore in vasis delitescente, vel à medicamentis inconsultè admotis irritato, vel sectione, qui multò pernicioſior, & molestior postea euadit.

Cancer verò exulceratus pessimus est, quia malignam, venenosam quandam qualitatem eius materia contraxerit.

Similiter quandò sanguis, ex quo cancer ortum habet, crassior fuerit, & nigrior, tantò, inquit *Gal. 2. ad Glauc.* passio deterior erit.

Soli ergò illi cancri per chirurgiam curari possunt, vt ex *Comm. 38. lib. 6. Aph. ac alijs in locis ab Authoribus alijs elicitur*, qui in summa corporis parte in-

inconſultè admotis irritato, vel ſectione, qui multò pernitioſior, & moleſtior poſteà euadit.

Cancer verò exulceratus peſſimus eſt, qui malignam, & venenoſam quamdam qualitatem eius materia contraxerit.

Similiter quantò ſanguis, ex quo cancer ortum habet, craſſior fuerit, & nigrior, inquit *Gal. 2. ad Glauc. Paſſio deterior erit.*

Soli ergo illi cancri per Chirurgiam curari poſſunt, *vt ex Comm. lib. 6. aph. ac alijs in locis, ab alijs Authoribus elicitur*, qui in ſumma corporis parte hærent, quique exulcerati ſunt, & adeò laborantes fatigant, vt ipſi vltrò Chirurgi manum efflagitent, ſimulque in talibus partibus conſiſtunt, quas reſecare, & exurere vna cum radicibus poſſis, ideſt cum omnibus venis circumſtantibus melancholico ſanguine repletis, quæ cancri radices à Galeno dicuntur.

De Cancrorum curatione.

IN huiuſmodi curatione quatuor intentiones, ſiuè ſcopos habere debemus; Prima, in victu, ac alijs ſex rebus nonnaturalibus conſiſtit; Secunda, in præparatione, ac melancholici humoris euacuatione, ac præcipuarum partium roboratione. Tertia, circa topica, ac localia verſatur, ideſt in contenta materiæ euacuatione, ac reſolutione, partiſque roboratione. Quarta, in chirurgia, ideſt manus operatione conſiſtit.

Vt primam intentionem aſſequamur, aer frigidus, & humidus eligatur, ſic victus ſit attenuans, & frigidus, & humidus, & probi alimenti, & ex ijs, quæ facilè conſequuntur, vt cap. de ſcyrrho diximus, & quæ aduſtum, & melancholicum ſuccum gignunt, deuitanda, & eodem etiam pacto circa alias ſex res nonnaturales, vt ſuperiori capite diximus, ſe gerendum.

Gal. 2. ad Glauc. cap. 10. inquit, *Quod pertinet ad victus rationem, ſuccus puriſſima abundanter eſt exhibendus, & ſerum lactis, aut ex oleribus malua, at triplex, & blitum, cucurbitis etiam ſi occaſio ferat, & piſcibus ſaxatilibus, autbuſque omnibus exceptis paluſtribus; idem etiam* inquit *Orib. lib. 7. cap 13.*

Quomodò ſecundùm intentionem aſſequi debeamus, nos docet *Gal pluribus in locis, ac alij boni Authores libro enim de atra bile*, inquit *Gal. In vniuerſum igitur omnes, qui ab humore melancholico proueniunt affectus, ſtatim inter initia medicamentis eum humorem euacuantibus, validè purgans, quo minùs augeatur, prohibebis, vſque etiam ad cancros. & 14 meth cap 9.* inquit, *Igitur communis cancri curatio eſt melancholici ſucci vacuatio; Mox prohibitio, ne de cætero talis humor colligatur in venis particulæque ne amplius redundantem ſuccum recipiant, corroboratio, & 2. ad Glauc cap 10.* inquit *Hunc igitur morbum per ſui initia ſæpè ſanauimus medicamentis, quæ atram bilem educerent. Vbi verò in molem inſignem attollitur, curari ſine chirurgia non poteſt*, & inferiùs inquit, *Huic igitur morbo melancholici ſucci conferunt purgationes, quod ſi ætas, & virtus permiſerint, ſanguis prius mittendus eſt. Sed neq; in cancris inutile eſt, vbi nihil prohibeat primò ſanguinem mittere ac deindè purgare, euocareq; menſtrua, ſi ſint Mulieres, nec attigerint quinquageſimum annum; Idem etiam* inquit *Paul. Aegid. lib. 4. cap. 26. & Aetius ſerm. 16. cap 47.*

Si nihil ergò prohibeat, venæ ſectio in primis facienda, quæ melancholicum humorem euacuat, ſimulque hepar refrigerat, & ſi ex ſuppreſſis menſtruis purgationibus cancer in mulieribus fuerit ortus, vena popliris, vel malleoli ſecanda; Si ex obſtructis hemorroidibus, his partibus hirudines applicandæ; Deindè corpus optimè purgandum, ſimpliciora quidam, & mitiora inter primordia ſtatim exhibendo, deindè valentiora. Blandè ergò, & ſenſim, atq; ex interuallo hoc faciendum, vt inquit *Paulus lib. 4. cap. 26.* Similiter ſi membrum aliquod præcipuum adſit, quòd

hunc

hunc melancholicum succum gignat contemperandum, & ad pristinum statum reducendum, quæ verò hoc efficiant, abundè superiori capite de scyrrho fuit dictum, ideò breuitatis gratia non repetam, præsertim cum quisque mediocriter exercitatus Medicus per se sciat. Cauteria etiam sensim peccantem humorem euacuantia, ac ab affecta parte deriuantia, ac reuellentia conueniunt, quæ in apto, & accommodato loco fieri debent.

Pro partium roboratione, vt iecoris, & cordis, ferinum humorem respiciendo, Aetius ea propinabat, quæ venenis, & venenatis potionibus aduersantur, vt sunt theriaca, mitridatum cum boraginis, acetosæ, & cicorij succo, vel sequens, quod humorem qui superest, paulatim absumit, & cor, & hepar confirmat.

℞. Pul. cancrorum fluuiatilium, vel marinorum præparatorum vnc. 1. 5. pul. ranarum limacum an. vnc. 1. corticis citri conditi dragm. 2. rasuræ eboris, ossis de corde cerui an. dragm. 1. 5. xilobalsami, ligni aloes, santali muscatelli, corallorum rub. limaturæ chalibis an. dragm. 1. ambræ scrup. 1. conseruæ borraginis, buglossæ, & anthos an. vnc. 1. aquarum melissæ tormentillæ an. dragm 8. misce, & S. A. fiat electuarium, de quo singulis horis quantumlibet capiat, vel

℞. Confectionis de hyacintho vnc. 1. 5. alchermes dragm. 3. conseruæ rosarum, radicum buglossæ an. vnc. 1. syruppi de pomis q. suff. misce, & fiat conditum, de quo capiat instar nucis duabus horis ante prandium, quater in hebdomada, postea modicum generosi vini aqua buglossæ, diluti superbibat, vel

℞. Fragmentum lapidum pretiosorum an. scrup. 2. pulu. margheritarum drag. 1. coralli vtriusque an. drag. 5. sem. endiuiæ, portulacæ, & citri an. scrup. 4. limaturæ eboris scrup. 2. santali muscatelli drag. 1. 5. mirobolanorum emblicorum saccaro conditorum, corticis citri saccaro conditi an. dragm. 2. moschi, ambræ an. G. 6. saccari solidi in succo puro pomorum redolentium dissoluti qu. suff. misce, & fiat conditum in tabellis, quibus singulo mane vtatur.

Probatur etiam ad hoc recens sanguis & adhuc calidus anseris, vel anatis potus, vt inquit *Aetius serm. 16. cap. 47. Vel antidotus è sanguinibus, aut chocleare vnum, aut duo trifolij bituminosi contriti è tribus aquæ cyathis, aut vnc. 1. seminis rutæ siluestris, aut dragm. 1. pulegij veteris cum maluæ decocto, aut cancrorum fluuiatilium ius cum asinino lacte per quinque dies exhibitum maximè laudat. Ita vt per totidem dies etiam ipsi cancri commendantur. Talis enim periodus septeno circuitu peracta, mammarum cancros placidissimos efficiet, vt deinceps per simplicium epithematum vsum pristina sanitas restituatur*, inquit *Aetius*.

Tertia intentio quomodò assequi debeat (quæ omnibus ex fluxione creatis affectibus communis est) idest vt contenta in particula materia euacuetur, nos optimè docet Gal. 14 meth. licens,

Post purgationem, dictum iam de omnibus eiusmodi affectibus est quod vel repellere humorem, qui in membrum procubuit, vel ipsum digerere. Præterea, quod in principio quidem tàm in ipso purgationis tempore quàm ante id repellere. Vbi iam totum corpus exquisitè purgaueris digerere, Vbi tamen mediocris tantùm purgatio præcesserit, mixtum esse quod applicabitur pharmacum ex repellente digerenteque facultate conuenit. Cæterùm ad discutiendos cancros mediocrium virium medicamentis est opus quæ nec propter imbecillitatem vincantur, nec propter effectus vehementiam ipsum sanguinem crassefaciant quia verò ipsius vitij malignitas ab ijs, quæ mordent, irritatur, & efferatur ob id vtique non modò mediocria viribus, sed etiam minimè qualitate mordentia eiusmodi affectibus sunt idonea materia, quorum ex vstis, elotisque metallicis desumitur. Quippequæ medicamenta ex his componuntur, ad sanandos incipientes cancros magnam vim habent maiores verò sat fuerit si prohibeantur augeri.

Et 2. ad Glauc. inquit, *Ipsi autem patienti particulæ, succus solani imponatur, vel medicamento ex pomphelige constans quo vtor ad cancros exulceratos, vel etiam quod ex calcitide fit, diapalma, vulgò dictum, si copia illius non detur.*

Lib.

Lib. verò primo de comp. med. S. loca inquit, *Infraſcriptum vngu. maximè eſſe vtile ad manantia capitis vlcera, Acoras à Græcis dictas.*

℞. Olei roſacei omph. vnc. 7. 5. quòd in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo in Sole tàm diù agitetur, donec concreſcat, & ingreſcat, ita vt plumbi colorem omninò referat; Deindè ſeorsùm litargirij, ceruſæ an. lib. 1. conterito, & cum dicto oleo commixto fiat vngu. quod etiam ad cancroſos tumores apprimè vtile eſſe affirmat.

Lib verò 9 de ſimpl medicamentorum, Facultatibus maximè laudat plumbum vſtum, & lotum, vt etiam experientia in dies videmus, quia repellit, & digerit. Paul. lib. 4 & etiam Auic. Inſperſionem pulueris cancrorum fluuiatilium crematorum, & cadmiæ in partes æquales maximè laudat, laudat etiam Paulus vrticam tuſam & impoſitam. Dioſcorides & Serapio laudant Dragontij radicem aut ſuccum è radicibus expreſſum & impoſitum.

Sunt etiam multa alia ſimplicia, quæ, & diſcutiendo partique robur addendo, & aliqua à proprietate eſſentiæ cancro maximè conferunt, vt omnes intybi ſpecies ſolanum cetrach hypericum agrimonia orminum ſilueſtre coriandri ſuccus lentes in aceto coctæ, & multa alia; A proprietate eſſentiæ, & recondita facultate choelearum carnes elixæ cancri fluuiatiles virides ranæ, & humanum ſtercus; Aly oleum de ranis viridibus maximè extollunt quòd non ſolùm occulta proprietate eſt vtile ſed etiam, quia diſcutit doloremque lenit, ac ſedat. Tale verò oleum per deſcenſum fit, & modus eſt infraſcriptus.

℞ Duas ollas vitreatas, altera quarum terræ infigitur, & huic altera fundo ſuo, quòd multis exiguis foraminibus perforatum eſſe oportet, imponitur; Deindè ranæ viridis in bona aqua, vel in arboribus degentes ſumuntur, & ijs os butiro impleatur, & in ſuperiori olla ponantur, quæ arctè operculo ex luto, vt ne tranſpiret, claudatur, & in ambitu ignis, & circa ſuperiorem ollam accendatur, & eatenùs ranæ decoquantur, vt non aſſentur; Deindè oleum, ſeù liquorem in inferiori olla deſtillatum colligito, & cum puluere ranarum viridium, ſi vis ad linimentum conficiendum miſceto. Aly miſcent, & ſimul contundunt ranas in ſuperiori olla contentas, & oleum, quòd in inferiorem ollam percollauit, & ex his vng. parant.

Puluis verò ranarum ita fit, cuius inſperſio etiam cancro maximè confert.

℞. Viuas ranas viridis, quibus vas impleatur, & luto vndique claudatur, & in calido furno ponatur, ibique tàm diù perſiſtat, quouſque fuerint arſæ, poſteà contundatur, & in puluerem reducantur, qui puluis in plumbeo vaſe aſſeruetur. Eodem etiam pacto fit puluis cancrorum fluuiatilium, & limacum.

Proſunt etiam vtiliaque ſunt infraſcripta vnguenta.

℞. Olei roſacei vnc. 2. ſucci è fructu ſolani hortenſis expreſſi vnc. 1. 5. ceruſæ lotæ, plumbi vſti, & loti an. ſcrup. 2. litargirij, ponpholigis an. dragm. 5. thuris dragm. 1. ceræ albæ q. ſuff. miſce, & fiat vnguentum, quo affecta pars illiniatur,

Vel ℞. Succorum vtriuſque plantaginis, ſolani, aut vermicularis herbæ, ſucci ſymphiti minoris an. vnc. 2. 5. olei roſacei, omphacini vnc. 3. ſub radijs ſolaribus ſimul in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo tàm diù agitetur, donec in vng. formam reducatur, vel infraſcriptum, quòd eſt Pauli.

℞. Pul. cancrorum fluuiatilium vnc. 1. pul. ranarum dragm. 3. litargirii auri vnc. 1. plumbi vſti, & loti, tutiæ præparatæ an. dragm. 2. ceruſæ in aqua roſarum lotæ dragm. 1. 5. ſuccorum burſæ paſtoris, arnogloſſæ an. vnc. 3. 5 olei roſacei omph. ſiuè mirtini vnc. 4. in mortario plumbeo diutiſſimè agitentur, & S. A. fiat linimentum, vel

℞. Boli armeni, terræ ſigillatæ an. vnc. 1. lapidis calamin. ceruſæ lotæ an. vnc. 5. tutiæ præparatæ, marcheſitæ an. dragm. 3. pul. cochlearum, pul. ranarum viridium an. dragm. 3. litargirii auri vnc. 5. olei roſ. omph. vnc. 3. olei de ranis vnc. 1. 5. aceti vnc. 2. albumina ouorum num. 2. ceræ q. ſuff. & diù in mortario plumbeo agitentur, & fiat vnguen. vel

℞. Li-

℞. Litargirij, & ceruſæ lotorum, tutiæ præparatæ an. vnc. 1. plumbi vſti, & in ſucco acetoſæ, vel in vino albo loti vnc. 2. olei roſacei vnc. 5. aquæ roſarum vnc. 3. aceti vnc. 1. ouorum albuminum nu. 3. ceræ albæ vnc. 1. 5. caphuræ ſcrup. 1. miſce, & in mortario plumbeo S. A. fiat vng. vel

℞. Succi mortellæ, & cum eo addas lotam ponpholigem, & fac linimentum, vel ℞. Terræ ſigillatæ, boli armenij, aquæ ſemperuiui, ſucci lactucæ, mucilaginis pſillij, ceruſæ, & ex his, vel ſimilibus fac linimentum, vel

℞. Vuas paſſulas à nucleis mundatas, folia ſolatri, folia rutæ miſce, & ex his fiat emplaſtr. & calidum applicetur.

Serapio ſolùm rutæfolia cum paſſulis miſcet; dixit etiam hic Author, quòd puluis fluuiatilium cancrorum cum melle cocto mixtus confert excoriationi, quæ fit à frigore, & cancro, & ſemen raphani domeſtici cum aceto non plurimæ acuitatis mixtum, & ſuperpoſitum confert; Nam materiam conſumit, & omnem tumorem remouet, vel

℞. Litargirij pulu. ceruſæ an. q. vis, & cum oleo roſaceo in mortario plumbeo, diù in ſole ſubige, quouſque plumbi colorem acquirat.

Ad dolorem verò liniendum, cancriq; furorem reprimendum, infraſcriptum confert.

℞. Olei roſacei vnc. 4. ſem. papaueris albi vnc. 1. ſem. hyoſchiami, opij an. dragm. 5. gummi arabici vnc. 5. ceræ mod. cum. mice, & fiat vnguentum. Non parùm etiam prodeſſunt infraſcripta, vt inquit *Aetius ſerm. 16 cap. 48. Panis cum ſymphito appoſitus ita quantitatem moderando, vt ne aggraueret in exacerbationibus autem roſæ, melilotum papaueris ſemen cum paſſo trita, & paululùm decocta, ac ſubindè cum ouorum luteis ſubacta imponito, aut althææ folia cocta per ſe, vel pani admixta imponito.*

Infraſcriptum etiam in exacerbationibus eſt efficax.

℞. Plantaginis capill. vnc. vna cum ſeminibus, pſill. an. part. æqual. reliqua quidem tenuato; pſillium verò paſſo maceratum, ac palmulis pinguibus ſubactum aridis admiſceto, & parùm anſerini adipis etiam addito, & hoc medicam. calidum applicandum.

Prodeſt etiam ireonis ſemen cum œſypo, & aqua mulſa calidum impoſitum, emplaſtrum etiam factum ex foliis mollibus fraxini calidum applicatum, ac etiam fotus decocti eorundem foliorum prodeſt.

Pars verò poſt cancri curationem roboranda ijs, quæ repellendi humorem, & partem aſtringendi vim habent, & huiuſmodi ſunt, vt inquit Auicena, *Linimentum è puluere lapidis molendini aut lutum illud quòd è cute, ſiue rota reſultat, dum ferramenta acuuntur, idque vel per ſe, vel cum oleo myrtino, aut ſemperuiui ſucco, aut ſolani, aut plantaginis mixtum. Proſunt etiam omphacium, bolum armenium, ſanguis dragonis cum omphacino oleo, aut pſillij mucilagine, & denique omnia defenſiua cancri recidiuam prohibent, & præcipuè optima victus ratio & melancholicum humorem euacuantia & purgantia.*

Quarta intentio Chirurgia, ſiuè manuali operatione aſſequitur quæ quotieſcumque infraſcriptæ ſeptem conditiones adſint eſt facienda.

Prima, vt patiens ſit robuſtus, & validis viribus, ne inter Medici manus deficiat; Secunda, vt patiens ſit ætate conuenienti, quoniam in ſenibus hæc operatio fieri non debet, tùm ob virium imbecillitatem, cum quia ſenes ſunt habitu frigido, & ſicco, & ad humorem melancholicum gignendum diſpoſiti; Tertia eſt, vt ægrotantes ſint virili, & feroci animo, & ideò in puſillanimis, & mulieribus hæc operatio fieri non debet, præſertim ſi menſtruæ purgationes intempeſtiuè ſint ſuppreſſæ, vel hemorroides fluere conſuetæ fuerint obſtructæ; Quarta eſt, vt cancer ſit in loco, & parte ad inciſionem commoda, vt tutò vnà cum omnibus ſuis radicibus abſcindi, ac tolli poſſit; Quinta eſt, vt cancer recens ſit, & non valdè magnus, quoniam, vt inquit Auicena, *Cancri parui, & non inueterati inciſione curantur, quod inueteratis ſuccedere non poteſt.* Sexta eſt anni tempus commodum ad hanc verò actionem faciendam, vt Vernum, vel Autumnale, Aeſtiuum, verò propter corporum reſolutionem, & hyema-

hyemale ob humorum, & caloris concentrationem conueniens non eſt; ſeptima niſi adſint praua ſympromata, vt febris, dolores, vigiliæ, inquietudo, animi deliquia, & ſimilia, quæ manualem operationem prohibent,

Ita igitur manualis operatio fieri debet, facta primùm venæ ſectione, & optimè corpore ab humore melancholico expurgato, optimaq; inſtituta dicta, ac alijs non naturalibus rebus, vt ſuperiùs diximus; Accommodatè collocato ægro, vt commodè operatio fieri poſſit, totum carcinoma ſic abſcinditur, vt nulla ſuperſit radix, ſinendumque, vt ſanguis effluat, nec ſtatim is inhibendus, immò præſſis vicinis partibus, craſſus, ac melancholicus ſanguis exprimendus. Poſteà ignitis ferramentis adurendum, non ſolùm ad ſanguinem ſiſtendum, vt lib. 3. Continentis dicit Rhaſis, ſed etiam ad cancri venenatam qualitatem abſumendam, vt etiam Albucaſis dixit, & circumſtantium partium cura habenda eſt, ne inflammentur, & humorum confluxu occupentur. Quòd incommodum deuitabitur, ſi partes carcinoma cingentes, & circumambientes defenſio ynguento illiniamus.

Deindè curandum, vt eſcara decidat, hoc efficiendi facultatem habentibus, vt eſt butyrum, vel emplaſtrum factum ex triticea farina, melle, & ſucco apij, vel inferiùs deſcriptis medicamentis, & tandem, vt alia vlcera, ablata eſcara curandum, ideſt abſtergendum, caro eſt gignenda, & cicatrix inducenda.

Si verò carcinoma inſigne ſit cutis, in primis ſcalpello in circuitu, & circum circa præcidenda. Deindè non vnica vice inciſione totum carcinoma præſcindendum, ſed pluribus, & pars, quam præcidimus, ſtatim inurenda, & inciſio, & inuſtio toties repeti debet, quouſq; totum carcinoma fuerit exciſum, & inuſtum. Sic igitur alternatim incidendum ac vrendum, & ſi mammam occupauerit, atque apprehenderit, quantùm fieri poteſt manu attrahendo in operatione à coſtis, & pectore ſperanda. Quòd verò ita manualis operatio fieri debeat, ex infraſcriptis auctoritatibus clarè, & manifeſtè patet *Gal. 2. ad Glauc. cap.* 10. inquit, *Quòd hæc curatio competit in magnis cancris, & ſummam corporis partem occupantibus*, dicens, *Vbi verò cancer in molem inſignem attollitur, curari ſine Chirurgia non poteſt*, deindè ſubiungit, *at ſcopus in huiuſmodi curatione eſt, totum, qui circumſtat, tumorem præter naturam, qua partibus ſanis adhæret, abſcindere.*

Com. verò 38. lib. 6. aph. inquit, *Cancri, qui ſummam corporis partem occupant, eos ſolùm curare tentandum eſt, quos vna cum ipſis, vt ſic loquar radicibus excidere, & extirpare*, pænitùs licet, & ſubiungit, *Quòd multi Medici in cancris non exulceratis in ſuperficie exiſtentibus Chirurgia curari prohibent, ſed eos tantùm qui exulcerati, tùm laborantes vexant, adeò vt ipſi vltrò manum admoueri deſiderent tùm in ijs ſunt partibus, quas vna cum radicibus excidere, & vrere poſſumus.*

Lib. verò 14. meth. Quomodò manualis operatio fieri debeat, optimè docet, dicens, *Cæterùm ſi quandò cancrum per Chirurgiam curare audebis, capiſſe quidem ab euacuando per purgationem melancholico humore oportebit. Vbi verò quòd vitiatum eſt totum prorsùs excideris ſic vt nulla ſuperſit radix, ſinet effluere ſanguinem, nec prompte eum inhibebis. Immò præmendo potiùs, quæ circà ſunt venas exprimes, ex his craſſiorem ſanguinem, mox alijs vlceribus ſimiliter curabis.*

Corn. Celſus lib. 6. cap. 18. inquit, *Quòd corruptum eſt in cancro excidendum, vt ex integro paululùm quoque demat, idque adurendum, poſteà imponenda lenticula eſt. Deindè vbi cruſtæ exciderint vlcera ſic, vt alia curentur, Deindè ſubiungit, Perpetuum eſt exciſo cancro vulnus eſſe adurendum. Sed ſiuè ex medicamentis, ſiuè ex ferro cruſtæ obcalluerunt, magnum periculum eſt, ne his decidentibus ſanguinis profuſio ſequatur. Ergo longa quiete, & immobili pænè corpore opus eſt, donec ex ipſo cruſtæ purè leniter reſoluantur. At ſi volens aliquis vel imprudens, dum ingreditur, mutare cruſtas velit, & fluit ſanguis, frigida aqua adhibenda eſt. Si hæc parùm valeant, decurrendum eſt ad ſanguinem ſupprimentia. Si neque hæc ſuccurrunt, aduri diligenter, & timidè*

mide debet, neque vllo pacto posteà metu dandus eidem periculo locus est.

Aetius serm 16. cap. 46. de cancro, inquit, *Post vstionem vtentium cataplasmate ex plantagine, aut polygono, aut sesamo trito. Aliquandò panis medulla mixta cum prædictis, & supra catapl. linteum aqua madidum imponendum; Deindè subiungit, citrà dolorem crustas aufert lac muliebre, vel asininum cum melle mixtum; Continendi ægroti in domo calida, præcipuè quo tempore vlcera repurgantur, cum tunc conuulsionis maximum sit periculum. Postea competit lac cum rosaceo mixtum in lineamentis, & circum circa. Folia lactuca, vel vitis imponenda, & acria, & pinguia medicamenta deuitanda, pauca lintea etiam imponenda, & sint lacte madida. Quòd si res vrgeat, melilotum cum rosaceo, & aqua, aut lacte muliebri, cataplasmate exteriùs adhibito admisceatur.*

Paul. lib. 6. cap 45. idem quod Galenus de cancri amputatione inquit.

Cancri exulcerati duplex curatio.

Vlceratus verò cancer duplici modo curandus est, altera curatio cancri extirpatione fit, altera lenientibus medicamentis, quæ palliata curatio dicitur. Cancri extirpatio incisione, & igniti ferro ideſt adustione, vt superiùs de non exulcerato cancro diximus absoluitur, quæ tantùm competit vt inquit *Gal com. 38. lib 6 aph in ijs exulceratis cancris, qui in summa corporis parte hærent, in talibusque consistunt partibus, vt resecari, & exuri vna cum radicibus omnibus commodè possint, & adeò ægrotantem fatigat, at molestat, vt ipse Chirurgi manum effiagitet, & ita patiens doloribus torquetur, vt extra se rapi videatur, & violentas sibi manus afferri velit, extremis ergo morbis, extrema adhibenda præsidia*, vt inquit Hipp. & si quis dicat *Galen lib. de atra bile* dixisse, *Vlcera ex atra bile orta incurabilia esse.*

Cancri extirpatio qui bus competat.

Dubitatio.

Solutio. Respondendum, quòd vera est Galeni sententia, sed hæc non, est vera curatio, quia cancri abscissio parti sanitatem non reddit, sed vna cum vitio vitiatam partem tollit, alij vice vstionis causticis, & maximè adurentibus, & corrosiuis medicamentis vtuntur, & his omninò, & affatim hunc morbum destruunt, ac extirpant, & post incisionem vstione non vtuntur.

Hæc enim medicamenta valentis facultatis esse debent, quoniam tanta est huius morbi malignitas, vt etiam mitiora planè contemnat remedia, & inter cætera à Guidone præstantissimum, ac tutissimum in hoc morbo auxilium arsenicum sublimatũ præparatum esse dicitur. *Causticа, & erodentia. Medicamenta.*

Sed in hoc adhibendo medic. magna locorum circumstantium cura habenda est, ne inflammentur; Quod incommodum deuitabimus vngu. ex bolo armenio, siuè alio defensiuo circumposito. Quantitas verò arsenici iusta esse debet, vt affectum, quem desideras, præstet, & potiùs sit pauca, quàm magna. Cognoscitur verò arsenicum suo munere functum fuisse triduana mora, & ex loci inflatione sine tumore.

Dolor deindè anodinis mitigandus, & crustæ casus, modo quo supra docuimus, procurandus est, & sic cancro pænitùs extincto, ac radicitùs extirpato, vlcus ipsum, quòd remansit, vt cætera vlcera curandum. Alij arsenici vice infrascripto puluere cancrum extirpant.

℞. Atramenti sutorij lib. 5. auripigmenti, sulphuris viui an. vnc. 4. salis gemmæ vnc. 3. cum aceto q. suff. hæc omnia misce, & in vas impone, quod vndiq; lutatum sit, vt fumus exire nequeat, & in furnum calidum pone, & eo vsque detine, donec omnia vsta sint, & huiusmodi puluis, qui erodens, & causticus est ipsi cancro, & in confinio sanæ partis imponitur, vstaque vna parte ampliùs alijs apponitur, vt è toto aduratur. Deindè infrascriptum med. apponatur.

℞. Mellis despumati vnc. 4. seui hircini, limaturę cupri an. vnc. 1. 5. litargirij auri vnc. 1. misce, & ad ignem fiat vngu.

Cognoscitur verò cancrum esse extinctum, quia apparet caro bona, & sana, & nulla virulenta proluuies se in parte laborante ostendit, nullaque graueolentia ampliùs proximè assistentium nares offendit. *Nota extincti Cancri.*

Altera curatio, ideſt palliata, quæ lenientibus, demulcentibus, & mitigantibus medic. fit, in ijs cancris exulceratis competit, qui in penitioribus corporis partibus consistunt, in illisque partibus sunt constituti, in quibus nec adhuc uerer, *Palliata Curatio.*

urere, nec excidere vna cum totis ſuis radicibus poſſunt, vel ſi loca principibus partibus proxima occupent: Vel ob virium imbecillitatem, vel nimiam timiditatem hoc curationis genus ſuſtinere non poſſit, aut nolit; Vel quandò ex ſectione, & vſtione, aliquod malum ſecuturum eſſe breui ſuſpicamur, & aliter tandem curari non poſſit. Si enim in cancris, qui in profundo latent, inquit *Gal.com.38. lib.6. aph. ſectione, & vſtione veteremur; Cancri in his partibus magis irritarentur, breuique ægrotantem necarent*; Nam, qui cancrum in palato ortum, inquit ille, & qui in ſede, & ſinu muliebri ſecuerunt, aut vſſerunt, vlcera ad cicatricem perducere non potuerunt, ſed homines affligente curatione ad mortem vſque excarnificarunt, qui citrà curationem longiori tempore vitam cum minori moleſtia exegiſſent. Cum ergo curatio nullo pacto in his caſibus aggredi poſſit, & cancri aliter curati nequeant, ſatisfecerimus, ſi hos demulcentibus, mitigantibus, & vlcus, ne vlteriùs ſerpat, firmantibus medicamentis augeri prohibeamus, vt ægrotantes ſine intollerabili moleſtia, reliquum vitæ tranſigant. Dicente *Celſo lib.5. cap.28. Quod multi lenibus, & blandientibus medicamentis ad vltimam ſenectutem peruenerunt.*

In hac ergo curatione victus ſit tenuis & ex ijs rebus, quæ bonum ſanguinem gignunt, & ſi calida, & ſicca adſit iecoris intemperies, quæ melancholicum ſanguinem procreet, talis intemperies paulatim refrigeranti, & humectanti victu corrigenda, vt hordeaceæ, piſſanæ, cremoræ, ſerò lactis, & alijs ſuperiùs ex *Gal. ſenten. 2. ad Glauc præpoſitis*; Similiter per interualla, vt ſuperiùs de non exulcerato cancro fuit dictum, melancholicus humor, qui in venis colligitur, ſi vires, & ætas patiantur, tùm venæ ſectione, tùm purgantibus medicamentis euacuandus, & ſimiliter in mulieribus, quibus menſtruæ purgationes præter naturam ſint ſuppreſſæ, internæ ſaphenæ ſecandæ, vel poplitis vena, & in viris ſi hemorroides fuerint obſtructæ, per interualla hirudines hemorroidalibus venis applicandæ.

Topica verò, ac localia medicamenta affectæ parti apponenda ſint dolorem lenientia, & partem roborantia, vt non ampliùs redundantem humorem excipiat; Acria verò, mordentia, ac irritantia, & putrefacientia omninò deuitanda cum ab his exulceratus cancer, veluti crabro irritetur, & excandeſcat. Debent etiam huiuſmodi medicamenta non ſolùm ſine vlla mordacitate eſſe, ſed etiam moderatè ſicca, & in actiuis ad frigiditatem vergant; Cum atra bilis, à qua exulceratus cancer fit, calidiſſima ſit, ſintque etiam conſiſtentia molli, quoniam dura dolorem irritant. Talia verò ſecundùm *Gal. 2 ad Glauc. cap.* 10. ſunt ſuccus ſolani, vel medicamentum, quod ex pompholige conſtat, vel in eius ablentia, quòd ſit ex calcitide, laudat.

Succi ſolani vſus ita eſſe debet, *vt lib. 3. cap.* 19 *Tagaultius* inquit, *Solani ſucco linteum molle duplicatum imbuito & parti affectæ imponito; Extrinſecus lanam molliuſculam eodem ſucco madentem linteo circumdato, atque hæc ne ſiccescant, eo ſucco ſubindè irrigato.*

Paulus de hoc præſidio inquit, *Hoc remedium loco dolenti inductum ſine dolore, ac moleſtia exulceratis cancris ſubuenit, ſi verò ſucci ſolani copia non adſit, ergo liquor eius ſtillaticeus ſumi debet.*

Poſſumus etiam ſolani ſuccum parare in vnguenti formam, diù in plumbeo mortario agitando, & parùm ceræ addendo.

Conueniunt etiam poligoni, & portulacæ ſucci cum ſucco vuæ immaturæ ſimul diù in mortario plumbeo agitati; ſimiliter omnia metallica vſta, & lota, cum ſic mordacitatem deponant, vt eſt plumbum vſtum, & lotum, cadmia, pompholix; inſuper vnguentum album, vnguentum ex litargirio, & plumbo vſto, & ſucci ſuperius dicti in plumbeo mortario, diù agitare huic vitio efficaciſſimè aduerſantur, ſic, & aquæ camphuratæ dictæ, laminæ ſimiliter plumbeæ maximè, & incredibili vſu cancris exulceratis ſuper inducuntur. Commendantur ſimiliter ad vlceratos cancros infraſcripta medicamenta, quæ non ſolùm, vt ſupraſcripta, dolorem leniunt, ſed potiſſimùm vlcus propter ſuam ſiccitatem firmant, ac ſiſtunt.

℞. Plumbi vsti, & loti, pomopholigis thuris an. vnc. 5. absinthij vnc. 1. olei rosacei lib. 5. ceræ vnc. 1. 5. succi solani q. suff. misce, & S. A. fiat vnguentum, vel

℞. Olei rosacei, vel nenupharini, aut papaueris vnc. 1. cerę vnc. 5. camphuræ dragm. 1. 5. Liquefiat cera, & cāphura puluerizzata vltimo loco apponatur, quibus adde aquæ rosarum modicum, & concrescere finito.

Efficacissimè etiam operatur oleum ex ouorum vitellis tàm diù in mortario plumbeo agitatum, donec spissitu finem acquirat.

Similiter vnguentum, quòd fit ex cancrorum fluuiatilium cinere in aqua solani lota, & plumbo vsto, & loto, antimonio, & cera efficacissimè agit. Si verò vlcus ad circumsitam duritiem se extendat, metallicis pharmacis liberalius vtendum.

Si verò dolor vrgeat huic succurrendum, & *Paulus lib. 3. cap. 67.* pro dolore leniendo, ac sedando, maximè infrascripta, docenda, laudat, efficacissimas leniendi vires habent in exacerbationibus malua, aut althea in mulsa subacta, colliquataque cum pauco rosaceo, & instar cataplasmatis agglutinata. Similiter compositio ex ficubus aridis fertula campana, ruta, thure, papaque herba accuratè cum oleo contusa; item cataplasma ex palmulis in passo decoctus, & additis ouorum vitellis, atq; farina hordeacea, aut papauere cum coriandro, aut seminali, aut seri. Hoc quidem in ipso cruciatus tempore prosunt. In exulceratis cancris maximè competit lac, quoque muliebre infusum, tepidusque plantaginis succus. Si cruentum ab vlcere manet, succus seminalis herbæ cum pauco thure commulcet; Mitigat similiter lac muliebre cum croco, & liquore papaueris, & opio. Omnium autem efficacissimè agit infrascriptum.

℞. Spumæ argenti lotæ vnc. 3. thuris masculi, cęsipi, adipis porcini recentis, butyri recentis, ceræ an. vnc. 1. olei rosacei vnc. 2. argenti spumam in succo fereos contritam liquatis iniecto, & fac in vng. formam.

Multa alia dolorem lenientia in exulcerato cancro his similia ponit *Aetius serm 16. cap. 49.* & præcipuè infrascriptum laudat.

℞. Ceræ terebentinæ, adipis taurini, medullæ cruris cerui, aut vituli recentis, olei rosacei recentis, adipis anserini recentis an. partem 1. oesypi triplum misce, & S. A. fiat vng.

De infrascripto medicamento idem inquit. At verò, vbi multa, & depascens putrefactio fuerit, citrà quam credas efficax est hoc ad totum malum etiam extirpandum.

℞. Rhois coriarij lib. 6. pillularum, siuè nucum cupressi vnc. 4. gallarum immaturarum, cassiæ an. vnc. 5. Omnia simul contusa in vino stiptico, odorato, & antiquo libras decem per triduum macerato, deindè ad tertias coquito, ac cupressi spatula versato. Posteaq; omnia probè expressis, ac reiectis, succum rursùs ad mellis compagem coquito, ac vitreo vase seruato, & eius vsus in casu nostro erit.

Si huiusmodi succus crassus fuerit, nos debemus cum vino diluere, & si magis dolorem mitigare volumus, diluendus huiusmodi succus asinino, aut muliebri lacte, & si plura desideras, vide cit. loc. Aetij.

Ad dolorem similiter leniendum, vlcusque firmandum competit succus tabacci in plumbeo mortario diù agitatus cum modico oleo rosaceo, & modica cera. Hoc etiam efficit solani succus. Similiter dolorem lenit oleum ex ouorum vitellis, & succus herbæ virga aureæ dictæ, vel infrascript.

℞. Ceruſæ de plumbo, aquæ endiuiæ, aceti an. qu. vis, & cum pauca opij portione fac linimentum.

Serapio dixit, *quòd Dragontea cancros cura*, dixit etiam, *quod semen eius est fortius folijs, & radicibus, dragonteæ ergo succus exulceratis cancris maximè conferre experientia docet, & dragonteæ radix cum melle trita, & radice vitis albæ cancrosa etiam vlcera sanat: Sic tassi barbassi succus non solùm in cancro sed etiam in omni praua vlcere conuenit, & vtilis est.*

Dixit etiam *Serapio*, *quòd pulu. seminis vrticæ vlcerato cancro insperſus confert, desiccat enim potenter absque vlla punctione.*

Conſtantinus verò ſcribit, Quòd farina cicerum alborum cum melle mixta, poſt quam cicera prius in aqua fuerint infuſa, cancro, & fraudulentis vlceribus confert; Meſues dixit. Oleum de iuue pro vel de fraſſino confert ſerpigini, & cancro.

Fidelis verò infraſcriptum maximè laudat in exulcerato cancro.

℞. Succi trifolij, barbaſij, mellis an. part. æqu. miſce, & coque ad ſucci conſumptionem, deindè adde pulueris malicorij, oſſis mirabulanorum an. q. ſuff. in vngu. conſiſtentiam, & applica.

Curatio Cancri, Lupi dicti.

Si verò exulceratus cancer maximè corrodat, ac depaſcat, vt ſæpè in cruribus facere ſolet, vulgò lupus, ſiue *il Mal della Lupa*, dici ſolet; In tali caſu ſuper huiuſmodi cancrum gallinæ, vel alterius auis carnes apponi debent, & deſuper pelta ſcarlati operiri debet, vt Guido inquit, *Sic enim eius fraudolentia lupacitas, & corroſio mitigatur. Dicitur verò lupus qua ſuperpoſitas carnes abſumit, & tanquam famellicus lupus deuorat, quæ niſi ſuperponerentur carnes ſibi proximas ad eandem quantitatem exederet, ac depaſceret.*

Alij huiuſmodi morbum puluere ſtercoris humani, & anethi crematorum mitigant, vel infraſcriptarum herbarum appoſitione, vt ſcabioſæ, trifolij, taſſi barbaſi, herbæ robertinæ, quæ Myarchis, Dioſcoridis eſſe dicitur, & his ſimilibus, quibus medicamenta componi poſſunt, vt eſt infraſcriptum, vel ſimile.

℞. Scabioſæ, trifolij, anethi, plantaginis, ſtercoris humani an. part. æqu. vrantur omnia, quorum cinis dragm. 3. excipiantur, & vnc. 6. liquoris ſtillaticij, vel ſucci ſolani, ducanturque in plumbeo mortario, & applicetur.

Dubitatio.

Si quis verò peteret, cur omnia vnguenta, quæ pro cancri curatione fiunt, vel in plumbeo mortario fieri, & agitari debent, vel vſtum plumbeum, & lotum in huiuſmodi compoſitiones ingrediuntur, vel deſuper plumbea lamina ſubtiliter perforata tali morbo applicanda.

Solutio.

Reſponderem cum *Auerroe 5. Colliget cap 45. Quod plumbum valet contra cancrum, quia vim habet reſoluendi, & quamuis refrigeret, & humectet, tamen ob aereum, & ſubtilem ſubſtantiam, quam obtinet, reſoluit, & Gal. lib. 9 de ſimpl. med. Facultatibus de plumbo*, inquit, *Facultatis eſt refrigeratoriæ. Si quidem non modò multam habet ſubſtantiam humidam à frigore congelatam, ſed aeream, paucam autem terream. Igitur, quòd plurimum habet eſſentia humidæ coactæ à frigore inditium tibi eſto quòd vbi admotum eſt igni celeriter funditur, fluitque. Quòd verò Aeris ſit particeps hoc habeto ſignum, & Gal eodem etiam loco* inquit, *Medicamenta in plumbeo mortario cum piſtillo plumbeo agitata frigidam qualitatem acquirere, & conferrere ad rebellia vlcera & cancros, deindè ſubiungit. Porrò plumbum vſtum, ac deinde ablutum refrigerat, confertque ad implenda vlcera, eademque cicatrice obducenda. Conuenit chironijs dictis, & omnibus cancroſis vlceribus. Ante lotionem autem vlceribus pertinacibus etiam auxilio eſt.*

Plumbi facultates.

De Elephanthiaſi.

Cap 31.



VM ex tumorum præter naturam genere elephantiaſis ſit, & hic morbus vniuerſalis, & omnium corporis partium cancer ſit. Ideò poſt pertractationem de cancro, de hoc morbo agendum excogitauimus.

Quid nominis?

Elephans, ſiuè Elephantiaſis, vt inquit *Aetius ſerm. 13. cap. 20. à quibuſdam leontiaſis, ab alijs ſatyriaſis, ab Arabibus verò Lepra dicitur. Huiuſmodi verò nomina à ſimilitudine vel ab affectu impoſita fuere. Dicitur ergo elephantiaſis*, vt inquit *Aetius, à magnitudine, & affectus diuturnitate, immò propter cutis aſperitatem quæ in quibuſdam ſuccedere conſueuit, & quia Corio elephantis cutis in eo perſimilis videtur. Nam maculis quibuſdam ad atrum colorem vergentibus, veluti elephantorum cutis, inficitur, & calloſa redditur.*

Dici-

Dicitur Leonthiasis, vt inquit idem Author, *Quum frons agrorum cum quodam tumore laxior redditur ad similitudinem pellis flexilis supercilliorum leonis. Dicitur etiam satyriasis*, vt inquit *Gal. lib de causis morborum cap. 5. & Aetius loco citato, Quia Elephanticorum facies deformatur, & similitudine quadam ad satyrorum picturas fit, & quia etiam alacritas vehemens ipsis adest, vt de Satyris fertur.*

Hoc verò fit, vt inquit idem Aetius, *Quia semine abundant, & largior seminis generatio in seminarijs, vasis fit ob materiæ crassitiem.*

Dicitur Lepra, à nasi lepore, quod in eo certiora, & potentiora signa ipsius elephanthiasis, siuè lepræ apparent; alij dicunt, quod dicitur lepra à lupo, quod omnia membra tanquam famelicus lupus destruit, & ideò Hali in serm. 8. lib. 1. Regulas dispositionis, dixit, *Corrumpit omnia membra sicut lupus cancrosus.*

Elephanthiasis est singulorum corporis membrorum cancer, siuè vniuersi corporis cancer, vt inquit *Paul. lib. 4. cap pr.*

Partes ergo ab hoc morbo affectæ sunt singula corporis membra, vt inquit *Paulus, & hoc confirmat Celsus lib 3. cap 25.* dicens, *Elephanthiasi totum corpus afficitur ita vt ossa quoque vitiari dicantur, quod omnia impuro fruantur succo; & si ipsa morbi qualitas ad totum corpus pertineat, præcipua tamen vis in iecore, aut liene residet, quæ sua deindè vitia corpori toti impertiunt.*

Qui verò facilius hoc morbo corripiantur; Aetius loco citato inquit, dicens, *Apprehenduntur autem hac affectione viri magis, quàm fœminæ, atque inter illos magis, qui crassum, & viscosum, ac atra bile redundantem sanguinem habent, & qui pituitam multam salsam, aut acidam gignunt. Amplius verè, & qui victu crasso, & ægrè coctili vtuntur, & qui in otio degunt. Non minùs verò, & his, qui multis exercitijs inordinatè vtuntur, & propter hoc sanguinem inspissant; Item hi, qui cibos in ventre assiduè corrumpunt. Quòd verò ad ætatem attinet, pueri, & iuuenes, maximè quo tempore pubescere excipiunt. Regio verò huius mali feraæ est, tùm quæ calida est, tùm quæ vehementer frigida; Altera quidem, quòd sanguinem adurit; Altera, quod frigore suo eumdem congelet, & perspirationem prohibeat, ac insitum calorem suffocet. Anni verò tempus quo ingruit, & exacerbatur est vernum*, vt Paulus inquit,

Elephanthiasis species plures sunt; Alia enim ab ortu fit, alia contagione, alia sponte, & proprio vitio.

Ab ortu fit duobus modis, altero quum ex elephantico actu parentum semine, vel ex parentum in elephanticum morbum propensorum semine quis fuerit procreatus, cum hæreditarius sit morbus. Tanta est enim procreatricis illius facultatis energia, vt in semine intemperato, ac prorsùs impuro consistens corporis partes fingat, vel ex impura materia. Si nundùm elephantia parens, quum genuit, tenebatur, sed iam dumtaxat erat propensus, filium eadem ætate, qua parens elephanticus euadet. Altero modo fieri potest, cum quis cum menstruata muliere rem agat, Elephantici enim, & in elephanthiasim propensi, & procliues, fœtus tunc temporis procreari, oriri possunt.

Contagione verò, siuè concubitu, siuè accubitu, siuè assidua vitę consuetudine lues hæc hominem inuadit, cum ex elephantico pernicioſa qualitas simul cum humore in aliud corpus transferatur, & sensim in omnes corporis partes irrepat.

Proprio corporis vitio fit, atque inducitur, cum bilis atra admodum exuperat, quæ sensim temporis interstitio venenatam qualitatem acquirit.

Alij tres elephanthiasis species ex coloris varietate, quo cutis inficitur, ciunt, vel enim nigricans apparet, vel flauescens, vel albicans.

De cauſis Elephanthiaſis.

ELephanthiaſis cauſæ, aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, ſicuti de tumoribus alijs diximus. *Externæ cauſæ, ex Gal. mente 3. de Simpt. Cauſis plures eſſe poſſunt*, dicens, *Vitioſa nutritio in leucis, & elephanthiaſi conſiſtit quorum ſanè cauſæ aliæ ad potentiæ imbecillitatem aliæ ad errores, qui circa cibos committuntur, aliæ ad ſtudia, ſiue exercitia, & ea, quæ extrinſecus animali accidunt referuntur*, & inferiùs inquit. *At prauitas cibi leucas, & elephanthiaſim, eiuſque generis alios affectus gignit aer ſimiliter inquinatus, quem inſpirando attrahimus ex vlcerum fœtore, & ex vitiata ſpiritus elephantici exalatione hunc morbum parere poteſt. Hoc idem etiam* inquit *Aetius ſerm. 13 cap. 20.* & addit, *Præcipuè verò contactus & eorum conuerſatio eſt periculoſa, cum ſit contagioſus morbus. Similiter nimium exercitium nimiuſque labor, cum craſſum, & retorridum ſanguinem gignat, & aliæ omnes externæ cauſæ quæ atræ bilis cumulum efficere poſſunt elephanthiaſim parere poſſunt, vt cap. de ſcyrrho, & cancro ſuperiùs fuit dictum.*

Internæ cauſæ cum duplices ſint, antecedens, ſcilicet, & coniuncta; Antecedens cauſa eſt atra bilis, ſiuè melancholicus ſanguis ſuperaſſatus, ſicuti de Cancro diximus. Cum dixerit *Galen. de tumoribus præter naturam, Præterea Elephas affectus melancholicus eſt, à ſanguine quidem melancholico primam habens generationem, tempore verò procedente atræ bilis copia ſanguinem ipſum exuperat. Paulus lib. 4. cap. 1.* inquit, *Atra ſi quidem bile, cuius ſoboles hic morbus habetur, bifariam prouenientè, fit elephanthiaſis (aut enim è melancholico, fæculentoque ſanguine, ac veluti ſanguinis limo, aut à flaua bile vtriuſque ſupra naturæ modum aſſaris originem habet) ſuperaſſantur verò huiuſmodi humores, vt plurimùm ex nimia hepatis caliditate, & ſiccitate.*

Coniuncta verò cauſa eſt bilis atra, ſiuè melancholicus ſanguis ſuperaſſatus, qui omnes corporis partes occupat, dicente *Gal. lib. de atra bile, Si verò atra bilis citrà febrem ad cutim decumbat, fueritque permixta ſanguini, elephantem gignere eſt apta & eodem libro* etiam inquit, *Si hic humor in vniuerſum corpus influat, fit illa tumoris ſpecies, quæ elephanthiaſis dicitur, Si humor hic vnam corporis partem occupet cancer fit. Ab eodem ergo humore fit, à quo cancer.*

De ſignis Elephanthiaſis.

EX infraſcriptis ſignis, vt ex grauiſſimis Authoribus elicitur, in elephanthiaſis cognitionem deuenire poſſumus, & ſunt iſta; furfures è capite decidunt, color totius faciei mortificatus eſt, & ad fuſſedinem tendit. Similiter faciei, aſpectus terribilis eſt. Formicatio, & titillatio, quaſi acus puncturæ per totam faciem, & reliquum corpus perſentiuntur; Adeſt frontis tenſio, & ſplendor cornu ſimilis, intentæ, & fixè aſpiciunt, aquoſi ſunt oculi, & rotundi, palpebræ, & ſupercilia inflantur ſuperciliorum pili decidunt, & eorum vice minutiſſimi pullulant, qui tantùm in Sole videntur. Similiter ſi violenter pili è palpebris, vel ſupercilijs extrahantur, vna cum eis, veluti carnis fruſtula adhærent, & oculi album, tenebroſum, & liuidum apparet; Aures ſimiliter rotundantur, & caro in eis conſumitur, nares fœtidæ, & exteriùs craſſæ, & dilatatæ, & interiùs verò conſtrictæ, & coarctatæ, & polipus etiam aliquandò oritur, & ſternutationum multitudo fit.

Corro-

Corrosio similiter cartilaginis, quæ in medio narium est, & eius casus elephanthiasim incurabilem indicat. Item certum elephanthiasis signum est, si in linguæ extremitate, vel in inferiori parte glandulosa quędam, & in poris grana alba, viridia, vel liuida appareant, anhelitus item difficultas, & fætor; Sitis, labiorum grossities, durities, sciffura, denigratio, vel liuiditas, Gingiuarum corrosio, & asperitas, & eius sermo sit, ac si per nares loquantur, in Pectore etiam venæ crassæ, & turgidæ apparent, & Mammillæ duræ adinueniuntur. Consumptio musculorum manuum, præsertim pollicis, & indicis, & aliarum partium, vt popliris etiam. Vnguium liuiditas, & sciffuræ stupiditas, & quasi sensus priuatio cum frigore digitorum, tùm manuum, tùm pedum, quæ etiam aliquandò ad superiores partes extenditur. Distorsio iuncturarum, & illarum partium nodositas, totius corporis formicationes, ac punctiones, ac si essent ortica percussi. Cutis totius corporis aspera fit, & pruriens, & si corpus aqua affundatur, ac si per rem vnctuosam transiret, descendit, in somniorum terribilitas, & frequens incubus eos apprehendit, vrina est clara, liuida, tenuis, subtilis, arenola, & fætida, sic sudor fætens est; Pulsus est paruus, languidus, tardus, & creber, vt inquit *Gal. lib. de prælag. ex pulsu, & lib. de differentia expulsu, & pulsuum. Hæc vero signa, quæ ex pulsu, & vrina in hoc malo sumuntur, incerta, ac fallacia sunt.*

Cognoscitur etiam elephanthiasis ex sanguine è vena extracto, si colore liuidus, aut niger sit, odore fætidus, tactu viscolus, vel vnctuolus, vel si sub digitis strideat, & arenosus sit, & asper. Quæ arenositas cognosci etiam potest, si sanguis abluatur, & per duplicatum pannum colatur, remanebit ergo supra pannum illa materia arenosa, & aspera.

Non tamen omnia ista signa necessariò in omnibus adsunt, sed ex his quam plurima, & ex his signis aliqua huius morbi propensionem, siuè inclinationem, siuè principium indicant, alia morbum hunc auctum, alia iam confirmatum, & consumatum.

Procliuitatem, siuè inclinationem vel elephanthiasis principium indicantia signa sunt, quod viuidus coloris flos perit, & cutis decoloratior apparet, & alijs quidem nigricans, alijs flauescens, & alijs albicans, dicente *Gal. 3. de sympt. causis; Verùm, vbi caro nigra, pallidaque fuerit, elephas nominatur. His cutis densior, asperiorque redditur, quum iam est multo humore perfusa, & hoc præcipuè in externis partibus conspicitur, vt in facie, manibus, ac pedibus, cum natura ad extrema, quoad potest, vitia expellat. In his partibus sensus torpidus fit, & frigus perpetuum inest, maximè in pedibus integro tamen ab initio remanente motu. Tunc temporis etiam verrucæ plurimæ in manibus, in facie, & in reliquo corpore, præcipuè verò in linguæ radice succrescunt.*

Aetius verò serm. 13. cap. 20. propensiones, vel principij huius morbi, signa tradens, inquit, *Consequuntur eos qui huic morbo futuri sunt obnoxij segnities, spiratio tarda, spirandi difficultas, motus difficilis assidua alui constrictio, vrinarum veluti sunt tumentorum lutia, excretio, respiratio grauis, fætida ructus continui, qui etiam ipsis agris aliquid molestiæ addunt appetitus non obtusi quidem neque inflammati, & impetus in venerem intensus.*

Signa iam aucta elephanthiasis non solum sunt dicta, & aucta, sed etiam pedes manus & facies tument, & in his varia tubercula prominent quæ liuido tumore extuberant, præsertim in malis.

Labia inuertuntur, nares resimæ fiunt ac alarum crassitie obstruuntur & rimis discerptæ, crustulas nigras atque cruentas excutiunt oculi candidum flauescit, & mira crassitie, quasi vngue obtegitur, spiracula perdura, ac ferè callosa, atque etiam glabra fiunt. Ex his enim quemadmodum ex palpebris, & ex mento pili venenata qualitate imbuti defluunt, dum tandem horrenda euadat partium omnium deformitas. Gal. lib. de causis morbor. dixit, At postea quam adoluerint, sæpè ob repletionem immodicam, aut ob alimenti penuriam

nuriam, figuram naturalem permutant, idque primaria ratione. Illud enim in elephanthiaſi, hoc in labe perſpicuum eſt. Lib verò de diff pulſ. & de præſag. ex pulſu, inquit, *Elephanticis pulſus paruus, languidus, imbecillis, tardus, creberque eſt, & lib de tum. præter nat.* inquit, *Quo tempore atra bilis copia ſanguinem ſuperat, corpus iam grauiter olet, turpeque etiam deformatum videtur, atque interdum etiam exulceratur. Iam pudendorum tenſiones præter naturam, quæ non deſiſtunt, quidam ſatyriaſmum, quidam priapiſmum appellant.*

Corn. Celſus lib. 3. cap. 25. inquit, *Summa pars corporis crebras maculas crebroſque tumores habet, ruborum harum paulatim in atrum colorem conuertitur, ſumma cutis inæqualiter craſſa, tenuis dura, molliſque quaſi quamuis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit, os ſuræ, & pedes intumeſcunt.*

Aetius de aucta elephanthiaſi loco ſuperius citato, inquit, *Iam verò vbi ad cutem malum progreſſum fuerit, malæ priùs crassiores fiunt, & mentum deinde rubeſcunt non florido, ſed liuido colore, & ſub lingua venulæ varicoſæ fiunt, ac nigreſcunt, quod ſignum eſt etiam viſcera ipſa in ſimili conſtitutione eſſe eiuſmodi planè qualis in porcis quibuſdam circa interna videtur, quæ grandinis nomine inſignitur.*

Signa confirmatæ & conſumatæ elephanthiaſis ſunt, quod digiti manuum, & pedum ſic citate dehiſcunt, vngues finduntur, ac dilacerantur, totum corpus eis intollerabilis grauitatis eſſe videtur, ac magnum apparet. Similiter totius corporis cutis areſcit, atque fœda, ſiccaque ſcabie exaſperatur, & interdum etiam cum pruritu, muſculorum caro abſumitur, ac liqueſcit. Malo verò ingraueſcente, pro ſtupore cutis ſenſus deperditur manente motu, vt ne inſixa quidem acu dolorem ſentiunt, neque inſperſa feruidior aqua exurat; vox rauca fit, reſpiratio difficilior euadit, ſpiritus, & totius corporis exalatio fœtet, ſordida, virulentaq; vlcera in manibus, pedibus, pleriſque alijs locis fiunt, & grauis putredo tandem omnia contaminat.

Corn Celſus lib. 2. cap. 25. inquit, *Vbi vetus morbus eſt, digiti in manibus, pedibuſque ſub tumore conduntur febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum hominem conſumit.*

Aetius verò de confirmata, & conſumata elephanthiaſi, inquit, *Quandoque verò per omne corpus eminentia apparent, præſertim iuxtà ſummam frontem, ac mentum. Corpus præterea ipſorum magnum eſſe videtur, & cuiuſdam intollerabilis grauitatis ſenſus is adeſt: Vnde neque potu, neque cibo admodum ſuauiter delectantur. Puſillanimes fiunt ad omnia, nique præ vitæ amore, vitam relinquere, & contemnere poſſunt, neque affectionem ipſam generoſo animo perferre.*

Verùm veluti ſe ipſos condemnantes ſe occultant, & notos homines fugiunt, ac vitant. Quidam porrò ex ijs admodùm eorum, qui ſuffocantur, aut ſtrangulantur, maximè circa ſomnos afficiuntur.

De Elephanthiaſis Prognoſtico.

ELephanthiaſis eo eſt ſæuior, quo grauiora ſymptomata apparent maximè, quum ex his dignoſcunt, non ſolum hunc morbum externas partes occupaſſe, ſed viſceribus oſſibus, ac alijs internis partibus firmiſſimè adhærere. *Celſus lib. 3.* dixit, *Inter lungos morbos elephanthiaſim eſſe enumerandam. Paulus lib. 4. cap. 1.* inquit *ex Hippocratis mente, Cum elephanthiaſis ſit vniuerſi corporis cancer, indèque fieri, ac curari minimè poſſit, quod ſcilicet medicina nulla ſuperior inueniatur.*

Deinde inferiùs inquit, *Elephanthiaſis per rubra mitior ferè, aut veriùs loquar, malitioſa minùs, & prima bilis atra differentia gignit, ideſt melancholicus ſanguis ſuperaßatus. Reliqua verò, quæ corpus totum*

Paul.

Paul lib 4. cap. 1. inquit *ex Hipp mente, Cum Elephanthiasis sit vniuersi corporis cancer indèque fieri vt curari minimè possit quod scilicet medicina nulla superior inueniatur.* Deindè inferiùs inquit, *Elephanthiasis per rubra mitior ferè aut, vt verius loquar, malitiosa minus, & optima bilis atræ differentiæ gignit, ideſt melancholicus sanguis superassatus. Reliqua verò quæ corpus totum vlcerosum reddit, summaque decidere facit, & altera flaua bilis nimium combustæ proles parit, infestior & pernitiosior est. Hoc igitur morbo iam victis*, inquit hic Author, *Manus admouenda non est, ijs verò mederi tentabimus, si nihil ab extremis deciderit nullum vlcus cutim fædauerit, neque exuberationes admodùm exsurgunt, & vultus tantùm liuido rubore magis quodammodò suffunditur, & non admodùm indecorus apparet.*

Aetius serm. 13. cap. 20. inquit, *Elephanthiasis est grauis morbus, & propè ex eorum numero, qui incurabiles existunt, & grauis quidem est ipsi ægro; Intollerabilis autem conspicientibus, vtpotè qui ipsum omninò auersantur, adeò vt plerique ex necessarijs, & domesticis ægri ipsius conuersationem deuitent. Etenim suspectionem de se præbet malam tamquam sit contagiosum atque ego sanè malum esse affirmo, cum ipsis versari; Inquinatur enim aer quem inspirando attrahimus ex vlcerum fatore, & ex vitiata spiritus exhalatione. Caterùm affectio ipsa non solùm ob id grauis est, quòd indissolubilem ferè habeat structuram, & apparatum; Sed quod principia generationis, eius fermè sint ignota; Quum enim circa superficiem iam vestigia eius apparent, tunc non gignitur, sed perficitur intùs à visceribus initio facto, & progressu vsque ad cutim delato.*

Quarè non absimile est, inquit hic Autho, *Tumentes eminentias etiam in internis oboriri*, inferiùs verò inquit, *Quemadmodùm igitur perfectè à malo, eiusque diuturnitate victis frustrà manum admouemus; Ita, & abstinere ab his, qui tam affectione corporis, & tentari videntur, planè desperantium hominum est, & maliguorum. Humanum enim plenumque beneuolentiæ signum est, in extremis etiam malis vsque ad experimentum procedere, ad difficultatem affectionis compescendam.*

Cap. verò 21. eiusdem libri inquit, *Maligna enim, & difficulter cedens elephanthiasis affectio est, qua propter plurima cura opus est, ne in petus euadat.*

Rhasis 9. ad Almansorem cap. 13. inquit, *Hæc passio postquam mansiua fuerit incurabilis est, cum autem incipit, si ei subueniatur, & vt debet medicata fuerit, aut sanatur, aut manet sic, nihil addens.*

De Elephanthiasis curatione.

IN elephanthiasis curatione, tres intentiones habere debemus; prima, erit præseruare ad hunc morbum propensos; ne in eum incidant; secunda, consistit in curatione elephanthiasis iam genitæ, ac etiam auctæ, sed nundùm consumatæ; tertia, in palliata curatione elephanthiasis iam consumatæ, & inueteratæ consistit, quæ verùm curationem recipere non potest.

Præseruatiua curatio.

Vt primam intentionem assequamur, tres scopos habere debemus: primus erit, vt superaddita atra bilis non gignatur: secunda, vt iam genitus huiusmodi humor euacuetur: tertius erit, membrorum, ac partium huiusmodi humores gignentium rectificatio, & roboratio.

Vt primum assequamur scopum, debitam, ac conuenientem dietam, ac alias sex res nonnaturales, vt membra malè affecta ad naturalem temperiem reducantur, instituere debemus, vt inferiùs dicemus.

Vt secundum assequamur scopum bis, aut ter in anno corpus à peccante humore euacuari debet, tùm venæ sectione, tùm pharmacis, huiusmodi præsertim in Autumno, & verè competunt.

Venæ

Venæ verò ſectio, niſi quid prohibeat, tùm è baſilica, ſiuè media vtriuſque brachij competit, tùm è poplitis vena, vel internis ſaphenis in mulieribus, quibus præter naturam menſtruæ purgationes fuerint ſuppreſſæ, & in viris, quibus hæmorroides fluere conſuetæ fuerint obſtructæ, hirudinum applicatione aperiendæ. Competunt etiam cauteria, vel in tibijs, vel in brachijs ſecundum neceſſitatem adhibita. & *Paul lib. 4 cap. 1.* dixit, *Quidam etenim, atque hi non pauci morbum inchoantem, pleriſque ſola capitis aduſtione, ne ſuppuraret, prohibuerunt. Purgatio verò cum melanchelicum humorem euacuantibus, vt cap. de ſcyrrho fuit dictum*

Tertium ſcopum, qui eſt membra huiuſmodi humores gignentia rectificare, & ad priſtinam naturam reducere, aſſequemur ſyrupis hoc efficiendi vim habentibus, electuarijs, fomentis, ſiuè epithematibus, vt pluries ſuperiùs fuit dictum.

Pro ſecunda intentione aſſequenda, quæ in elephantiaſis iam genitæ, & auctæ, ſed nondum conſummatæ, curatione conſiſtit; quatuor ſcopi ſunt habendi. Primus, in ſex rebus nonnaturalibus, & alijs, quæ membra malè affecta, & prauorum humorum lapſus ad bonitatem reducere poſſunt, conſiſtit; Secundus, in peccantium humorum euacuatione; Tertius, in tollenda impreſſione, ac mala temperie, ac partium præcipuarum, ac aliarum rectificatione conſiſtit; Quartus, in accidentium correctione.

Vt primùm aſſequamur ſcopum, victus ratio ad frigiditatem, & humiditatem tendat, & panis ſit hordeaceus, vel triticeus recens probè fermentatus, & clibano coctus, priſſana hordeacea, oua ſorbilia, alica lota, lac cum melle, omnia cum pane, carnes auicularum montanarum, hedorum, pullorum, piſces, molli carne præditi, & inter olera, beta, malua, lactuca, ſiſarum, lapathum, porrum, braſſica binis aquis edulcata, & capparis, ex fructibus conueniunt ficus, & vuæ arefactæ, & pirum in aqua mulſa coctum, à reliquis fructibus omninò abſtinendum. Potus ſit vinum album, & aquoſum, & potentia vina deuitanda, aut aqua, in qua cinamomum fuerit incoctum, & tantùm in die bis cibum capiat. Somnus diurnus deuitandus, & nocturnus apriſſimus, & accommodatiſſimus eſt; A ſomno eorum membra plurimùm, & leniter manibus contrectari debent. Poſteà curandum, vt aluus excrementa deponat, deindè corpus exerceri debet, vel de ambulationibus, aut geſtationibus, aut frictionibus, aut alijs exercitiorum generibus. Poſt hæc ſudore, quem illic contraxerunt, abſterſo; Vrſino, vel vulpino adipe illiniatur, & vice horum vti poſſumus taurino, aut caprino, vel ex volucrium genere aliqua pinguedo, vel recenti butyro. Poſt pauxillum temporis interſtitium, cum fenugræci, aut priſſanæ ſucco, cui aliquid ammoniaci aceto diſſoluti, ſit admixtum, perfundantur, & ſic lauacro, ſiuè balneo vtantur; Cum noxium ſit in huiuſmodi morbo lotionibus non vti. Competunt etiam in mari, & in ſulphureis, aut aluminoſis aquis natationes. A balneo deterſi, ad acrimoniæ, & mordacitatis curationem illiniri debent oleo myrtino, roſaceo, aut maſtichino cum aceto, & vino concuſſis, aut aliquo aſtringenti decocto, vt plantaginis, aut betæ, aut helixenes perfundatur, vel recenti butyro illiniantur. Vtilia etiam ſunt arida fomenta; poſt ſufficientem ex dictorum vſu exſudationem, quæ fiunt ex fumaria, origano, ſcabioſa, oxylapato, chamomelo, meliloto, mentaſtro, & his ſimilibus. Poſt fotum, vel lotionem, & per mollia linteola exterſionem ad horæ dimidium quieſcat, & tepida aqua hauſta, ſponte vomat, aut digitis in os, aut pennis demiſſis.

Poſt modicum temporis interſtitium, vinum abſinthitæ, aut ex origano confectum, non intra heminæ menſuram bibat, & paulò poſt cibum aſſumat. Poſt aliquod à cibo interſtitium deambulatio lenta, & ſenſim facta commoda erit. Animi paſſiones, vt ira, mæſtitia, ſollicitudines, & curæ deuitandæ, & hilaritas procuranda, & Veneris vſus tanquam infeſtiſſimus hoſtis per totum morbi curriculum deuitandus.

Secundum ſcopum humorum, qui totum corpus obſident, vacuatione com-

plebi-

bimus. Sed cum humores peccantes non solùm venosum genus occupent, sed etiam vniuersum corporis habitum, ideò pluribus euacuandi generibus vtemur; Venam in cubito secando, menstruas purgationes in mulieribus prouocando, hemorroides reserando; Purgantia pharmaca instituendo, vomitoria, errinia, & pastillos mansiles cucurbitularum applicationes, lotiones, frictiones, exercitationes, & topica, ac localia medicamenta.

Si ergo virium adsit robur, & morbus deploratus non sit protinùs, & inter initia sanguis ex basilica, siuè media dextri brachij mittendus, deindè ex sinistri basilica, siuè media non affatim tamen, ne malum sanguinem exhauriendo, bonum quoque detrahas; In multo enim mutili benigni exigua est portio.

Proindè adhibendus in vacuando modus est. Paulatim igitur iterata venæ sectione, sanguis ducendus est, præcipuè in Vere, quo tempore is magis abundat, & hic morbus fit, & augetur. Deindè si hemorroides manare consueuerint, euocandæ sunt, sin minùs hirudines his admouendæ. Ex eiusmodi enim venis crassus, feculentusq; humor magis effluit, & expurgari solet, & si mulier est, quæ patiatur, nisi ætas prohibeat, menses sunt euocandi. Post enim commodè euacuatum humorem; natura morbo superior euadit, & totum corpus sensibiliter alleuiatur, & calor, qui ab humorum copia suffocabatur, quodammodò reuiuiscit, morbique reliquias protinùs abigit. Sanguinis etiam missio à faciei venis, vt temporum earum, quæ sunt post aures, & frontis vena, cum materia iam in carnem sit, antequam confirmetur, competit.

Post sanguinis vacuationem, interpositis nouem, vel decem diebus, vt in his natura recreetur, viresque reassumat medicamentis, quæ bilem atram ducant, vtendum est, vt *Paul. lib 4. & Aetius serm 13.* inquiunt, *Primum quidem lenioribus deindè valentioribus vtendo sicuti cap de cancro superiùs fuit dictum; & huiusmodi purgationes ter, vel quater in anno repetenda.* Quæ verò medicamenta melancholicum humorem purgant cap. de scyrrho abundè fuit dictum. Post dies aliquot, sero lactis scissi vtendum, ex quo non minùs tribus heminis, neque vltra quinque accipiendum.

Sit autem la casininum, si haberi potest, ex quo serum ipsum sumitur; admiscendum est etiam ipsi veratrum nigrum tritum scrup. 5. & scamoneæ G. 1. Ita vt hæc ipsa cum modico sero ieiunis præbeamus, & denique ipsum serum paulatim per se exhibeamus. Hac enim purgatione frequenter vtendum censeo, inquit *Aetius serm 13. cap. 21. & Paulus lib. 4. cap 1.*

His peractis acrium ciborum esu, vt raphanis, & his similibus, vt Paulus inquit, vomitus ciendus est; Per nares, & os, deindè pituita est elicienda; medicamenta componendo cum succo de citonijs, celidoniæ, nasturtio, staphis agria pipere, nuce miristica, pipere lungo, quibus etiam pauca euphorbij portio adiri potest, vel scamoneæ. Paulus leues cucurbitulas ori ventris, & hypocondrijs admouendas esse iubet, quæ etiam admoueri, ac scarificari in naribus, tibijs, & humeris possunt: In potu cedrinum liquorem, & acetum ad cyatum vnum, cum brassicæ viridis succo cyatis duobus simul mixtis manè, & serò assumendum: Pulu. etiam sem. suillæ dragm. 5. cum mulsa, vel melle, vel butyro electuatis modo sumptum commendat, similiter cirenaici succum ad erui quantitatem melli, atq; butyro subactum laudat, & rasuræ eboris dragm. 5. cum vini cyatis duobus, & multa etiam alia commendat, ac proponit medicamenta, quæ ex te ipso videre potes. Sudor siccis sudationibus eliciendus, frictiones faciendæ, & lauacra, & inunctiones, vt superiùs fuit dictum, & Aetius loco superiùs citato diffusè docet, *Vtque summatim dicam, per omnes corporis vias quibus quidem commodè fieri possit, humor eliciendus, ac euacuandus est. Corn. Cels. breuibus verbis lib. 3. cap. 25. hæc omnia agenda esse iussit*, dicens, *Protinùs ergo inter initia sanguis per biduum mitti debet, aut nigro veratro venter solui, adhibenda, tùm quanta sustineri potest, inedia est, paululùm deindè vires reficiendæ & ducenda aluus.* Post hæc, vbi corpus leuatũ est, vtendum est

exer-

exercitatione, præcipuèque curſus ſudor, primùm labore ipſius corporis, deindè etiam ſiccis ſudationibus euocandus; frictio adhibenda, moderandumq; inter hæc, vt vires reficiantur, balneum rarum eſſe debet, cibus ſine pinguibus, ſine glutinoſis, & ſine inflantibus; Vinum præter quam primis diebus rectè datur, corpus contrita plantago, & illita tueri optimè videtur.

Cæterùm ex omnibus, quæ pro hoc morbo curanda ab Authoribus fuere conſcripta, prodeſt, & quaſi totius curationis compendium eſt, ſi poſt purgationes, per media interualla theriaca andromaci præbeatur, atque etiam cutis illiniatur. Mirabile quoque elephantię remedium viperarum eius exiſtit, vt ex infraſcriptis Galeni authoritatibus patet.

Secundò enim *ad Glauc cap 11.* inquit *At ijs, qui elephantiaſim patiuntur, mirabile auxilium eſt viperarum eius, quas quidem, vbi caput caudamque vſque ad quatuor digitos abſcideris excoriatiſque, atque denique interna exemeris in olla prius ablutas, coques donec exquiſitè molles reddantur. Adicere tùm debes aquæ, in qua illæ elixantur porrum, anethum & olei nonnihil, ipſum etiam medicamentum confectum ex viperis confert in potu exhibitum ijs, qui huiuſmodi morbo laborant, vel cuti etiam illitum. Sint autem viperæ recenter captæ & ex humentioribus accipiantur. Nam quæ iuxta mare aliaque ſalſa loca degunt, vehementer ſiticuloſa exiſtunt. Hoc idem inquit Orib. lib. 7. cap 51 ſimiliter idem Gal. 11. de ſimp. Med facult. cap 2. inquit, Nam viperarum carnes paulùm videre eſt excalefacientes, & exſiccantes, vbi conduntur ceu anguillæ, oleo, ſale, anetho, porro, & aqua, horum omnium ſeruato modo. Quod autem totum corpus per cutim vacuêt vel hinc tibi diſcere liceat quod elephantici quidam prorſus ſint reſtituti ex potu vini, in quo vipera quædam fuerit extincta, præterea nos elephanticum quemdam miſſo prius ſanguine, atraque bile medicamento purgata viperas, quas capiebat, vti iuſſimus praparatas in olla anguillarum more, atque ita ſanatus eſt, vaporato per cutim affectu.*

Proſunt igitur viperarum carnes, & medicamentum ex viperis confectum eſſentiæ, ac ſubſtantiæ proprietate humorem hunc tanquam venenoſum ſubſtantiæ ſimilitudine trahendo, cum ſit quoddam medium inter venenum, & corpus curandum. Nam ſi veneno propinquiora eſſent veneni ritu lederent. Si curando corpori ſimiliora non attraherent, ſed in poris ſubſtantiam mutarentur, & ideo nihil prodeſſent. Moderata etiam in quantitate eſſe debent, ne largius ſumpta, grauiter ledant, parcius verò adhibita à venenato morbo vincuntur. Quantitas verò non ſolùm mole, qua adhibetur, ſed etiam adhibitionum numero eſſe debet, eadem ratione ſal, & theriaci paſtilli adhibendi ſunt; Quorum omnium componendorum vſum docet Gal lib. de Antidotis. Paſtillorum theriacalium quantitas vt Paul. inquit loco citato, ſit dragm. 1. cum generoſi vini cyato vno leuigata & epota, ſimiliter ſcilliticorum paſtillorum dragmam bibendam laudat nepetæ inſuper liquorē tanquam efficaciſſimum, inquit hic Author, in potu præſidium ſummis encomijs cuehunt abſorptum, à cyatis tribus auſpicandum ad ſenos vſque tranſeundum perbibent. Deindè ſuper omnia celebrat viperarum carnem & Medicamenta ex viperis confecta.

Extrinſecus verò, poſt quam interni corporis habita fuerit ratio in balneo potiſſimum Med quæ detergunt, & repurgant ſunt adhibenda, vt eſt nitrum ſulphur viuum pumex teſta ſepia nigella, rumex acutus quæ interdum arida affricari poſſunt, aut cum aceto trita, aut roſaceo oleo, aut maſtichino corpori illita, vel *Extrinſeca Remedia.*

℞. *Auri pigmenti dram. 10. ſulphuris viui vnc. 1. coſti vnc. 1. 5. calcis viuæ, ceræ an. vnc. 5. baccarum lauri aridarum vnc. 1. 5. hæc ſimul conterantur, & macerentur ſucco foliorum populi albo, vel craſſo decocto, & cum iam mellis craſſitudinem præterint, illiniantur, vel*

℞. Radicum rumis faſciculos ij in aceto decoquantur, & in mortario contundantur, & leuigentur, deinde adde alcionij libram 1. aphronitri vnc. 8. ſulphuris viui lib. 1. teſtarum chocl arum crematarum vnc. 4. chamaleon-

ontes cum radice totidem misce, & omnia conterantur vsque ad balneorum strigmentitiam crassitudinem, deindè corpori circumliniatur, æstatis quidem tempore in Sole sæpiùs. Hyeme verò in balneo tantisper dum exsudent. Qui verò plura desiderat, videat *Paulum lib.* 4 *& Aetium serm.* 13 *cap.* 23.

Tertius scopus cum debita administratione specierum, potionum, & aliarum rerum cor, ac naturam confortantium completur, vt in superioribus capitulis, & præcipuè de cancro fuit dictum.

Quartus scopus accidentium correctione perficitur: Multa verò sunt symptomata, quæ elephanthiasi superuenire possunt, vt scabies, impetigo, pruritus, nodi, glandulæ, tuberositates, vlcera, corrosiones, pustulæ, narium opilationes, vocis raucedo, spirationis difficultas, & similia, quibus occurrendum, vt proprio capite, in multis, in præsenti libro, docuimus, & in physicis libris à doctissimis Auctoribus fuit dictum, & à nobis, Deo dante, dicetur.

Ad tuberosos verò tumores in facie obortos, si inflammati, ac efferati fuerint, competit illinitio facta cum succo plantagnis, polygoni, aut portulacæ, licij hypocistidis, aut glaucij succo, aut polij, aut aloesu, & his similibus, quibus varia medicamenta componi possunt, & si multorum medicamentorum compositiones desideras, *vide Aetium serm* 13 *cap.* 24.

Si verò tuberosi tumores inflammati non fuerint, præsidijs ad impetiginem curandam superiùs descriptis vtatur.

Gal. verò ad affectiones imminentes, & elephanthiasis principium S. de comp. med. S. loca infrascripta medicamenta laudat.

℞ Gummi albi, spumæ nitri, thuris sulphuris viui ad part. æqu. aceto dilue, & probe tritas in pastillos redige, eo vsque in vmbra exsicca. Vsu verò expetente, aceto dilue, & illinc. Atque vbi resiccati fuerint, infrascripta compositione deterge.

℞. Saponis gallici, ammoniaci, thimiamatis an. lib. 1. thuris mastices, spumæ nitri an. vnc. 3. saponem, & ammoniacum in fictile vas coniectis, & aquæ lib. 3. affusis coquito, & vbi dissoluta fuerint arida contusa, & cribro traiecta adijcito: Deindè in mortarium transfusa, ac probè conquassata in vas vitreum reponito. Vsu verò postulante, faciem ex eo smegmate inquinato, & post modicum temporis larga aqua molliter perfricando abluito.

Ad difficultatem anhelitus in laborantibus elephanthiasi mille pedes sub aquarijs vasis degentes quinque, aut sex ex mulsa cyatis tribus potui dato, vt inquit Paulus, & Aetius. Similiter scillæ semen tritum oboli pondere in cyato mellis definitum, & omnia medicamenta orthopnoicis conuenientia vtilia sunt.

Ad tertiam intentionem assequendam, quæ est confirmata, & iam consumata elephanthiasis, in quantùm fieri potest, occultare, & palliare, cum incurabilis sit, palliata curatione vti debemus, in qua tres scopos habere debemus; Primus erit corpus ab intrà humectare, ne arefiat, ac incineretur. Secundus, cor, & alia principalia membra, ne dissoluantur roborare; Tertius erit, membra, ne deformentur, custodire.

Primum scopum suprascripto victu, & rerum humectantium debita administratione, vt iurium pullorum lactis, & similium maximè nutrientium, vt in ethicis fieri solet, assequemur; Auicenas verò lac maximè laudat, præsertim in ijs, quibus anhelitus difficultas, & vocis raucedo inest, quòd statim mulctum, & adhuc calidum bibi debet.

Venæ sectio ex magnis venis nullo pacto competit, nisi magna adsit repletio, aut aliquod magnum, ac prauum symptoma instans, ac superueniens ad hoc nos cogat, vt anhelitus difficultas, suffocatio, vel quid simile.

Sed per interualla leuiter purgatæ vtile erit.

Secundum scopum, rebus, cor, & hepar, ac alia præcipua membra roborantibus assequemur, vt sunt conseruæ violarum, rosarum, borraginis, buglossæ, citri, diarodon Abbatis, florum cichorij, & similes; Epithemata item inunctiones, & alia talem facultatem habentia, vt superiùs fuit dictum.

Tertium scopum complebimus, idest ne membra deformia fiant, custodiemus

in vnctionibus, emplaſtris, & alijs medicamentis ſuperiùs deſcriptis, & inferiùs deſcribendis, vt

℞. Litargirij auri vnc. 1. 5. ceruſæ in aqua plantaginis lotæ, caudæ æquinæ an. vnc. 2, olei roſacei vnc. 3. coquatur oleum, & cum cera alba qu. ſuff. fiat linimentum, vel infraſcriptum, quod eſt efficacius.

℞. Specierum vnguenti citrini, litargirij auri an. vnc. 2. ceruſæ lotæ vnc. 1. boracis, aluminis vſtorum, tartari calcinati an. dragm. 6. ſucci radicis elenij, ſucci oxylapathi, item ciclaminis, limonum an. vnc. 2. 5. olei roſacei lib. 5. argenti viui ſaliua extincti vnc. 2. miſce, & ſecundum artem fiat vnguentum, vel

℞. Cineris radicum ariſtolochiæ, & ſerpentariæ decorticatæ per dies nouem, in aqua fontis lotæ, tunc tantùm per cribrum tranſmiſſæ, quantùm voles, particulam cum aqua plantaginis, vel portulacæ diſſolue, & faciem illine, vel infraſcripta, quæ etiam impetigini conferunt, & ſunt Galeni.

℞. Myſios vnc. 5. acaciæ dragm. 2. ſquammæ æris vnc. 5. ſulphuris viui dragm. 6. calcitidis, gummi an. vnc. 1, aceti q. ſuff. in quo vbi gummi diſſoluti fuerint, & reliqua fuerint admixta amurcam injice, vel

℞. Sulphuris viui thuris, myrrhæ, atramenti ſutorij, myſios crudi an. drag. 2. gummi vnc. 5. aceti, olei cedrini an. q. ſuff. miſce, & fiat vnguenti forma, vel

℞. Atramenti ſutorij, fenugræci meliloti, cardamomi an. dragm. 2. melanthij dragm. 2. 5. florum capparicis tantundem, aceti acerrimi q. ſuff. leuigata ad mellis craſſitudinem reducito, & vtere, hæc omnia ſunt Galeni.

Vel ℞. Litargirii auri, aluminis, argenti viui ſaliua extincti an. vnc. 5. roſarum, ceruſæ, ſabinæ, ſepiæ, cadmiæ an. dragm. 1, cineris lentiſci, calaminthæ an. vnc. 5. miſce cum ſucco menthæ q. ſufficit, & oleo roſaceo incoquantur, & addita cera q. ſuff. fiat vng.

Vt pili vbi deciderint, renaſcantur, infraſcriptum confert.

℞. Cineris talpæ, item veſparum gallinarum an. dragm. 2. olei irini vnc. 2. ladani vnc. 1. 5. ceræ modicum M. & fiat linimentum,

Ad vnguium ſciſſuras, & eroſiones.

℞. Dach ſonis, olei amigdalarum, olei de ben, maſticis vuarum paſſularum vinaceis detractis an. q. ſuff. M. & fiat emplaſtrum, vel

℞. Seminis lini mellis an. q. ſuff. M. & fac in emplaſtri formam.

Ad vngues leproſos.

℞. Picis, ceræ an. q. ſuff. liqueſiant ſimul, & fiat in vng. formam.

Vel ℞. Seui caprini, ſandrachæ tritæ an. q. ſuff. M. & vtere.

Infraſcripta Aqua pro facie abluenda maximè elephanticis competit.

℞. Sulphuris, ſalis toſti an. vnc. 5. caphuræ, tutiæ an. dragm. 1. olei tartari vnc. 1. aquæ roſarum lib. 2. M. & vtere.

De Excreſcentijs præter naturam, & primùm

DE POLYPO.

Cap. 32.



VM ſub tumorum genere polypus contineatur, vt inquit *Gal. lib. de Tum. præt natur. & 3. de comp. medicament. ſecundum loca, & Aetius ſerm. 6. cap. 90. & actuarius 6. meth. ac omnes alij boni Authores*; Ideò de eo nunc verba faciemus, & deindè de aliis excreſcentiis.

Polypus ergo, Polypodes à Græcis dictus, denominationem ſumpſit à Polypo piſce, ſicuti cancer ab animali cancro, & elephantiaſis ab elephante, vt inquit *Gal. 2. meth. cap. 2. vtque Paulus lib. 6. cap 25.* inquit, *A marini animalis Polypi ſimilitudine nomen ſortitus, tùm quia carni eius ſimile eſt vitium, tùm quia quemadmodum ille ſuis cirrhis piſcantes vicißitur, manus ipſorum*

ſuis

suis flagellis implicans; Ita, & hoc vitium nares laborantium obstruit, difficultatem quum respirandi, tùm loquendi exhibens, & Aetius loco citato dixit. *Polypus morbus, polypi marini carni proprietate essentiæ, & colore, & compage similis existit.*

Quid verò sit polypus, optimè explicauit *Gal. 3. de comp. medicamentorum S. Loca*, dicens, *Polypus tumor est, qui præter naturam in naribus generatur, polypodis carni assimilis. Idem dixit Paul. lib. 6. cap. 25. Celsus lib. 6. cap. 8.* dixit *Polypus verò est caruncula modò alba, modò subrubra, quæ narium ossi inhæret, modò ad labia pendens, narem implet, modò retrò, per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeò increscit, vti post vulcam conspici possit, strangulatque hominem, maximè austro, aut euro flante, ferèque mollis est, rarò dura.*

Cum ergo ex tumorum præter naturam genere polypus sit, vt superiùs diximus, erit ergo morbus in quantitate, & præcipuè in magnitudine aucta, & partes affecta, vt ex dictis Auctoribus elicitur, erunt nares, & si Paulus loco citato dixit, Quod sarcomata, & polypi eiusdem sunt naturæ, tamen polypus à sarcomate differt, qua sarcoma omnem carnis excrescentiam significat, & sarcomata mulierbrium mammarum pupillis, similia sunt & si in naribus oriantur tamen imis earum partibus, quæ carnosissimæ sunt, inhærent, quòd in polypis non euenit.

Species polypi plures sunt, alius enim est cancerosus, alius non cancerosus, quidam durus, quidam mollis, quidam colore albus, quidam subruber, quidam paruus è naribus non egreditur, & quidam adeo magnus, vt extra nares pendeat, vel è via lati exeat, & alius est, qui sursùm nares ascendit, alius verò, qui deorsùm labitur, & hæ species ex Celsi dictis elici possunt.



De Polypi Causis.

POlypodes fiunt ex humoribus crassis, & viscidis à cerebro ad nares influentibus, vel ex ipsarum narium nutrimento à facultate nutritoria, & auctrice in carnem mutato. Possunt verò humores isti esse tùm pituitosi, & cum aliqua sanguinis portione admixti, tùm melancholici, qui ex signis dignosci possunt.

Quod verò ex huiusmodi humoribus oriantur, *Gal. 3. de comp. med. secundum loca, & Aetius serm. 6. cap. 90.* probarunt, dicentes, *Manifestum est, quòd polypi causæ sunt humores crassi, & viscosi.*

Huiusmodi verò humores, tùm ab externis causis gigni possunt, tùm ab internis, vt ab aliquo membro malè affecto, vt de aliorum tumorum causis diximus. Fieri etiam potest polypus ex recentibus vlceribus neglectis huiusmodi carunculam producentibus.

De Polypi signis.

EX dictis signa sunt manifesta; quia hic tumor modò alteram, modò vtramque narem intùs occupat, respirandique emungendi, odorandi, ac etiam loquendi functiones sæpè lædit à summa narium parte infrà descendens. Ex quo verò humore fuerit ortus, ex colore dignoscitur, quoniam si albus apparet, ex pituitoso, & si cum pituita aliqua sanguinis portio sit admixta subruber erit, tactuque huiusmodi caruncula erit mollis, spongiosa, & venulis, quibusdam conspersa. Si verò polypus sit liuidi, vel fusci coloris, tactuque durus, ex melancholico humore fuit genitus, & qui huiusmodi est, obtusum habet sensum, naremque maximè replet, & multum durus, & caro inferiùs non descendit,

vel cuiuſq; imminet, vel iam factum eſt, & ſętet huiuſmodi cancroſus eſt.

De Polypi Prognoſtico.

QVoad prognoſticum, *Celſus loco ſuperiùs citato*, inquit, *Polypus carcinodes nullo pacto attingi debet, & in eo tantùm palliata curatione vti debemus, cum vera curatio fieri non poſſit; alter verò, ideſt, qui cancroſus non eſt, ferè quidem fuco curatur, & interdum tamen marceſcit*; *Idem etiam* inquit *Paulus lib.6. cap. 25.* dicens, *Duri itaque, & tactui reſiſtentes polypi ſubluuidi, & malefici, vtpotè cancri naturam reſipiſcentes, non ſunt attingendi, fragiles autem magis laxiores, torpenteſque, neque maligni, manus opera curandi ſunt. Meſues cap. de polypo*, inquit, *Polypus, qui inſit naribus durus, niger, & non tractabilis, & mollis, & putridus, ac fatidus, fortaſſis non ſanatur*; *Sed qui elungatur, & pendet, habens radicem gracilem, non nimis profundam curatur per inciſionem.*

Prognoſticum ergo ex polyporum ſpecie faciendum eſt; Si enim polypus albus, ac mollis ſit, & ſine dolore, facilioris eſt curationis, qui verò rubri, vel fuſci coloris eſt, & cum vehementi dolore, difficilioris. Si verò ſit maximè durus, & liuidi coloris, vel nigri, & cancri naturam ſapiat, omninò incurabilis eſt. Et tandem dicere poſſumus, quod quilibet polypus difficilis eſt curationis, cum ferè ſemper pro ſui curatione ferro ſit opus.

De Polypi curatione.

IN huius tumoris curatione quatuor intentiones habere debemus; Prima, in victu, præcipuè, ac alijs ſex rebus nonnaturalibus conſiſtit; Secunda, in humorum diuerſione, ac euacuatione; Tertia, in Topicis, ac Loralibus medicamentis, ac in chirurgica operatione verſatur; Quarta, in ſymptomatum, ſiuè accidentium correctione.

Pro aſſequenda prima intentione: cibi ſint optimi ſuci, & attenuandi, ac incideudi vim habentes; Omnis aeris intemperies deuitanda, præſertim frigida, & humida, ſicut alia cuncta, quæ caput replere poſſunt, ſicuti eſt fumus, inclinatio capitis ad terram, ſomnus meridianus, & præſertim poſt cibum, vini generoſi, & meracioris potus, aromata omnia, & denique quicquid malos, & frigidos ſuccos producere poteſt.

Vt ſecundam intentionem aſſequamur, fiant humorum diuerſiones, ac eorum euacuationes, enematibus, venæ ſectione, niſi quid prohibeat, primùm ex Baſilica, vel communi, deindè ex cephalica, & ſi opus ſit, cucurbitulæ humeris applicari, ac ſcarificari poſſunt, cauteria etiam in brachijs adhibita, maximè ſunt vtilia, & ea, quæ in occipitio, ſiuè nuca fiunt, conducibiliora ſunt, *Quòd*, vt dicit *Hippocrates*, *ad auertendas à fronte, & ab oculis, & à naribus fluxiones, maximè omnium valere ſolent*; *Et ſi pharmacis humores vis euacuare priùs ſunt præparandi medic. ad ad hoc aptis, vt ſuperiùs cap de oedemate, & ſcyrrho fuit dictum. Pituita etiam per os apophlegmatiſmis, ſiuè paſtillis manſilibus educi poteſt. Deindè ſi opus fuerit, caput abradi, ſiccari, ac appoſitis, non ſolùm ſincipiti, ſed toto capiti medicam roborari debet, aſſiduè, ac vehementer priùs ea parte perfricata, velutì eſt oleum myrtinum, roſaceum puluis corallorum ſantalorum roſarum rub. ſiccarum maſtiches, mannæ thuris, acetum, & alia huiuſmodi, vel infraſcriptum quod eſt Aetij & Alexandri.*

℞. Myrrhæ, thuris an. vnc. 1. chochleas integras num. 5. quibus ceram, & duorum ouorum albumina addito, ac commiſceto, & med. capiti cum linteo diebus nouem continuis inducito; Vel fiat pileolus ex capitalibus pulueribus intextus, vt bettonicæ, ſaluiæ, ſtecadis, roris marini, lauendulæ, vtriuſque ſpicæ, calami aromatici, cypri, galangæ, garcophilorum, ligni aloes, & ſimilium. Ita ergo caput roborandum-

ne,

ne, vel cor humores gignat, vel ab alijs partibus recipiat.

His peractis ad topica deueniendum est, quæ, vt inquit *Gal. 3. de comp. medicamentorum secundum loca, partim astringunt, partim siccent, & tenuent, partim etiam discutiant, condensentq; denique, & sic tertiam intentionem assequemur.* In qua assequenda, inquit, *Hipp. lib. de Morbis, Aduersùs huiusmodi ingentia vitia, primùm esse medicamentis certandum, quibus non iuuantibus, confugere oportet ad ferrum, cui si malum non cedat, ad ignem tandem deuenire oportet.*

Gal. igitur loco pluries superiùs citato inter certa medicamenta maximè laudat infrascripta, dicens, *Porrò ipsi ozenæ, & polypis præstantissimum pharmacum reperi succum ex malis punicis tùm dulcibus, tùm austeris, accidisque, & maturis & integris, parique magnitudine, & numero maceratis expressum. Caterùm si humectior esse polypus videatur, plus ex austeris malis est contundendum. At ex aridis pharmacis diaphœnica citrà mordacitatem aliquandò per multum tempus consumptum polypum noui & eius loco marchesita vsta, vel as vstum substituti potest ex Dioscoridis mente.*

Probatur etiam, inquit *Gal præditum ex malorum succis collirium, si vbi exarserit redigatur in pollinem, indèque exsufletur aut etiam per specilli nucleum indatur. Omnia autem hæc assiduè facere oportet vt nunquam ab affecta parte absit pharmacum quùm facilè ab humiditate eluatur. Iam verò rosæ siccæ contusæ inditaque in ijs qui molli carne sunt præditi citrà noxam aliquandò curare solent polypos*, inquit *Galenus*.

Competit etiam Aqua ardens vel infrascriptum medicamentum.

℞. Spumæ argenti drag. 3. cerussæ vnc. 5. malicorii, aluminis scissilis an. drag. 2 quibus tritis, & cribratis, ac in mortarium connectis cum vino odorifero ad mellis crassitudinem reducito, postea myrrino affuso, & conquassato in plumbea pixide seruato, ac vtitor.

In corpore verò robusto infrascripta vtilia sunt, quæ proposuit Paul. lib. 3. cap. 24. dicens, ad polypodas, & sarcomata.

℞. Squammæ æris vnc. 1. atramenti sutorij dragm. 6. sandrachæ vnc. 5. veratri nigri drag. 2. naribus flatu impellito, & vtere perindè, atque præstantissimo.

Nam tredecim diebus opem præbet notatu dignam. Conducit, & atramentum sutorium cum aceto, vel

℞. Corticum malicorij vnc. 1. 5. atramenti sutorij dragm. 10. calcitidis vnc. 1. fellis taurini, amomi, myrrhæ, nepetæ, marubij an. vnc. 5. croci dragm. 2. veratri albi vnc. 5. ex omnibus fiat puluis tenuissimus, & arido vtere.

Ad inueteratos polypos infrascriptam pulu. maximè commendauit Alex.

℞. Calcanthi, calcitidis, mysi, æris cremati an. part. æquales, singula seorsim tere ex aceto, postea omnia simul misce, & vino subige, donec glutinosum fiat ad mellis compagem. Deindè in nouam olla conijcito, ac benè operculo operta, ac luto oblinitam in furnum demittito, vt in carbones illa rediguntur. Deindè furno exempta cum vino terito, atque iterum similiter torrefacito, & in puluerem redige, & repone, ac ad vsum serua. Multa alia medicamenta proponit, ac commendat *Aetius ser. 6. cap. 92.* quæ breuitatis causa relinquo, & sufficit demonstrasse locos.

Possumus etiam vti oleo calcanti sulphuris, & alijs aduerentibus medicamentis, vt paronis trociscis, polidæ, musæ, aqua ex argento sublimato confecta, vel præcipitato cum plantaginis succo sæpiùs supra marmorem leuigato similiter calcantho; Et quandò his medicamentis vtimur, ne medicamentorum ignea vis circumsitas partes lædat. Nares extrinsecus muniendæ vsque ad frontem, vel posca, vel bolo armenio cum succo plantaginis, vel semperuiui, vel aliquo simili, quòd vim refrigerandi polleat.

Infrascripta etiam medicamenta polypo conferunt, & eum absumunt, & omnem in naribus excrescentiam.

℞ Scoriæ æris vnc. 5. calcanti drag. 3. elebori nigri, arsenici rubri drag. 1. misce, & fiat puluis subtilissimus, & in nares insuffletur, aut ponatur cum

tenta in vino diſſolutus, vel

℞. Seminis ſerpentariæ, & tere cum ſucco malorum punicorum coctorum cum cortice ſuo, & liniatur ſuper polypum, & in eius circuitu.

Succus etiam vuæ ſerpentariæ idem operatur, ſimiliter ſuccus radicis eius, lana in aliquo illorum imbibita, & naribus immiſſa.

Conferunt etiam, & coniunctim, & diuiſim infraſcripta, vt ariſtolochia cum cypero, puluis hermodactilorum, æs vſtum, flos æris, oſſa myrabulanorum, antimonium, tutia Alexandrina, & ſimilia.

Curatio per Chirurgiam.

Niſi medicamentis cedat, ad inciſionem deueniendum eſt, quem incidendi modum optimè docet *Paulus lib. 6. cap. 25.* dicens, *In ſella igitur aduersùs ſolarem radium hominem figurabimus, leuaque manu narium eius meatum dilatatum tenentes: Dextera ſpatha huic vel dicatam polypicaue ad myrtacei folij formam robuſta polypum, vel excrementum carnis in orbem circumcidemus, eam in partem ferramenti acie impoſita, vbi naribus adhæſerit; Deindè auerſa manubrioli parte exciſam carnem eximemus. Et niſi meatum purum effectum viderimus ad remedium auxilia deueniendum eſt. Si qua polypi portiuncula ſuperfuerit alterius ferramenti ad polypum eradendum facti acie immiſſa relictum corpus cum tenſione, torſione & raſura ſtrenuè educemus. Maleficos autem polypos gracilibus, & oliuaribus ferramentis candentibus adurere conuenit. Poſt aduſtionem præſidia vſtioni dicata adhibenda ſunt. A ſcalpelli verò vſu, manumque opera.*

Spongia loco exactè detergo, polcam, vel vinum in nares infundes, & ſi liquor per palatum ad fauces tranſierit, benè ſe habebunt manuum functiones. Sin minùs, indicat polypi caruneulam circa oſſa, quæ à colan o ethmoides dicuntur, hærere, vel ſuperiùs, quæ inſtrumenta polypica nondum comprehenderunt, & hic etiam alium modum polypum abſumendi docet, funiculo cum quibuſdam globis accommodato, quæ curatio nimis dura mihi videtur.

Celſus ſimiliter lib. 7. cap. 10. Polypum abſcindendi modum docet, dicens, *Ergo etiam polypum ferramento acuto in modum ſpathæ facto reſoluere ab oſſe oportet, adhibita diligentia ne infrà cartilago ladatur, in qua difficilis curatio eſt. Vbi abſciſſus eſt vnco ferramento extrahendus eſt; Tùm implicitum lineamentum, vel aliquid ex penicillo reſpergendum eſt medicamento, quo ſanguis ſupprimitur, eoque nares leniter implendæ; Sanguine ſuppreſſo lineamento vulnus purgandum. Vbi purum eſt, medicamenta epulotica, pinna illita, intùs demittenda, donec ex toto id ſaneſcat. Si qua verò polypi portio remanſerit, quæ ferro abſcindi non poſſit, non ſolùm ignitis ferramentis, ſed etiam cauſticis medicamentis ſuperiùs dictis abſumi poteſt habita partium circumſtantium regione.*

His ità peractis: Quarta intentio ſurgit, quæ ſcilicet accidentia corrigat, & ſi dolor adſit, oleo roſaceo, oui vitello, & muliebri lacte admoto ſedandus, vel infraſcripto, quod optimè dolores demulcet. *Symptomat. corrigent.*

℞. Olei vitellorum ouorum vnc. 1. ſucci ſemperuiui, plantaginis an. vnc. ſ. tutiæ præparatæ, litargirij an. dragm. 6. caphuræ ſcrup. 1. opij G. 4. miſce, & omnia in plumbeo mortario cum penicillo naribus indantur, vel

℞. Butyri recentis vnc. 1. aquæ roſarum vnc. ſ. ouum integrum agitentur diutiſſimè ſimul; Poſtea frequenter intùs, & extra applicentur. Nam dolorem lenit, & ruborem tollit.

Si ſanguinis fluxus ſuperuenerit, ipſum cohibere debemus puluere boli armenij, thuris, maſticis, ſang. drac. aloes cum oui albumine mixtis, & pilis molliſſimis leporinis applicatis, ac admotis, vel alijs ſanguinem ſiſtentibus, vt ſuperiùs diximus, & inferiùs dicemus.

Quandò verò polypus malignus cancroſuſque fuerit, cum vera curatione curari nequeat, tantùm infraſcriptis medicamentis, vel his ſimilibus blandiri debet. Sæpè ergo abluatur cum decocto, vel aqua ſtillatitia agrimoniæ, vel lentium, aut vino albo, aut lacte, deindè infraſcripto vngu. inungatur. *Curatio palliata.*

℞. Vnguen. roſati mes. olei roſacei omphacini, ſucci plantaginis an. vnc. 2. tutiæ præparatæ, plumbi vſti, & lo-

ti

ti an. vnc. 1. caphuræ scrup. 2. misce, & in mortario plumbeo tàm diù in Sole agitentur, donec linimenti formam arquirat, vel

℞. Vnguenti de plumbo, succi solani an. vnc. 1. aquæ rosarum vnc. 5. diutissimè in Sole in mortario plumbeo agitentur, & liniatur affectus.

Hoc enim vnguentum humoris acrimoniam temperat, corrosionem prohibet, ac siccat. Et qui plura desiderat, ad palliatam cancri curationem recurrat, vbi multa inueniet.

De Verrucis. Cap. 33.

Quid nominis?



Errucæ à Latinis dictæ, à vulgaribus Porri vocantur; Dicuntur verò à Latinis verrucæ, quia quemadmodum eminentior montis pars verruca dicitur, sic illæ humiles excrescentiæ, quæ monticulorum instar in cute eminent, verrucas vocare placuit.

Porri à vulgaribus dicuntur, quia intra se fila quædam, velut porrorum radices, aliquandò continent.

Species.

Græci tres verrucarum species ponunt, ideſt myrmiciæ, acrocardones, & thymi, sub quibus comprehendi possunt condilomata, ficus, & cristæ, cum eumdem habeant generationis modum, & eamdem curationem requirant.

Myrmiciæ enim formicæ ab aliquibus nominantur, & sessiles verrucæ, & dicuntur formicæ ab effectu, vt inquit *Paul. & Actius quoniam in scalpendo, & attritu similem morsiunculis formicæ sensum deferunt.*

Acrocardones verò dicuntur, vt inquiunt dicti Auctores, *Quoniam resectæ chordæ summitati respondent, vel sic dicuntur quod cordæ nexu suspensa pendere videntur, & verruca pensilis ab aliquibus dicitur, & Albuc. Telil vocat.*

Thymi appellantur, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 28. & Aetius serm. 14. cap. 4. Quia summum colorem floris Thymi representant; Vndè eis nomen est, Rhasis, & Auic.* Mori *appellant, & ita dicuntur*, vt inquit *Aetius serm. 16. c. 105. Quia Moro maturo assimilantur.*

Quando verò hæ excrescentiæ paruę sunt, Thymi appellantur. Quando posteà magnitudine excedunt, ficus dicuntur, siuè Porrificus, vt inquit Actius, ita verò nominantur à similitudine, quam habent cum Ficus fructu, ab Arabibus Hascæ, & Albascæ, etiam dicuntur, & Albucasis Albater appellat.

Myrmicia quid sit?

Myrmicia ergo, seù formica, vt inquit *Aetius serm 14. cap. 4. Est tuberculosa, ac callosa eminentia, parua, rotunda, nigricantis coloris, fundamentum latum habens ad cutem residens, ad contactum dolorem exhibens eiusmodi, qualis à morsu formicæ animalis contingit.*

Quid sit Acrocardon?

Acrocardon tuberculosa, est eminentia, parua, in summa cute existens, indolens, callosa, in orbem magna ex parte circinnata, angustam, ac pensilem basim habens, & in summo vertice resectæ chordæ extremitatem referens.

Quid sit Thymus?

Thymus similiter est tuberculosa eminentia aspera, subrubra, præter naturam aucta, & basim angustam, & caput latiùs habens, & tactu subdurę, & Floris Thymi figuram referens.

Partes affectæ.

Partes ab his eminentijs affectæ, vt plurimum sunt manus, ac pedes, quamuis in reliquis corporis partibus oriri possint, vt inquiunt citati Authores, & Actius loco superiùs citato, inquit, *Abundant Thymi circa sedem, & pudenda, ac media femora, quandoque in facie etiam consistunt.*

Differentiæ.

Differunt verò inter se hæ verrucarum species, vt myrmicia ab acrocardone, quoniam myrmicia basi est latiori, supra verò tenuis: Acrocardon verò infrà, ideſt ad basim, angustior est, supra verò latior: Similiter myrmicia, vt plurimùm cum summa cute est æqualis: Acrocardon verò, semper à cute exstat, vt inquit *Gal. 14. meth. medendi.*

Thymus similiter, quamuis in basis subtilitate cum acrocardone conueniat, tamen colore, & aspredine differt,

Condy-

Condyloma quid ſit?

Condyloma, vt inquit *Aetius ſerm. 14. cap. 13. Eſt tumor quidam pelliculæ Ani, quoniam hæc pars ſuapte natura rugoſa ſit, ſi eo vitioſis humoribus fluentibus, aliqua eius particula, & ruga præter naturam intumeſcat, talis affectio condyloma dicitur.*

Criſtæ quid ſint

Criſtæ ſunt carnis excreſcentiæ circa Anum pullulantes ex præpoſtera venere ortæ, ad quarum radices, vt plurimum ſciſſuræ, ſiuè ragades adſunt.

De Verrucarum cauſis.

VErruearum cauſæ ſunt humores pituitoſi, & melancholici, ſiuè ſanguis craſſus viſcoſus extra cutis poroſitatem exſiccatus, & omnia denique, quæ talem ſanguinem gignere poſſunt, *Gal. comm. 26. lib. 3. Aph.* inquit, *Quod ha eminentia ex vitioſis humoribus foras ad cutem vergentibus fiunt.*

Cauſa ergo materialis eſt humor craſſus, & viſcoſus; Efficiens verò eſt expultricis facultatis robur, talem humorem per anguſtum locum expellens, vt inquit *Auic. 7. 4. tr 3. cap. 12.*

Omnes ergo verrucarum ſpecies, quæ inferiùs dicentur, ex eiſdem cauſis, & vno dè generationis modum obtinent, Sed criſtæ hemorroidales habent hoc peculiare, quod ab externa cauſa originem ducunt. Hic ergo nefandus morbus ijs oritur, ac pullulat, qui præcipuè paſſiuè præpoſtera venere vtuntur, & naturæ ordinem peruertunt, & ideò in obſcænis partibus oriuntur, ſicuti maiori ex parte thymi, & ficus.



De Verrucarum ſignis.

CVIuſcumque verrucarum ſpeciei propria ſigna ex eius definitione ſumi poſſunt, quoniam myrmiciæ ſunt eminentiæ illæ paruæ, rotundæ, calloſæ, craſſę, nigricantis coloris latam baſim habentes, & anguſtiorem ſuperficiem, & ad cutem reſidentes, & ad contrectationem, quaſi mordentis formicæ ſenſum referentes, & ſunt abſque vlla aſpredine, ac debiles, & thymis ſunt breuiores, duriores, profundioreſque radices thymis edunt, minùs ſanguinem effundunt, & in quantitate lupini magnitudinem excedunt, inquit *Celſ. lib. 5.* *Mirmiciei ſigna*

Acrocardones cognoſcuntur, quia anguſtam habent baſim, latamq; ſuperficiem, & ſunt acutis ſuperficiei eleuati, rotundi, cutique concolores, tactu molles, indolentes, & aliquandò à cute pendent ad ſemidigiti craſſitudinem. *Acrocardonum ſigna.*

Thymi ſigna ſunt, quod huiuſmodi tubercula myrmicijs eminentiora, ac aſperiora ſunt, anguſtam baſim, latamque ſuperficiem, ac duram habentia, & ad rubedinem tendentia, & thymi florem referentia, fabæ egiptiæ magnitudinem non excedentia, in ſuperficie facilè finduntur, ac cruentantur, & non vnquam aliquantulùm ſanguinis fundunt, & aliquandò ex his tuberculis vnum tantum apparet, vt plurimùm verò plures, vt inquit *Celſus*, *Plerumque inopinata apparent, atque etiam non vnquam diſſoluuntur.* *Thymi ſigna.*

Ex thymis, vt inquit *Aetius*, *aliqui ſunt manſueti, aliqui maligni, & ex malignis, aliqui ſunt cancroſi, aliqui verò non. Quandò verò thymi plurimùm excreſcunt, Ficus appellari ſolent, adeò vt hæc duo nomina Thymus, & Ficus non aliter quàm magnitudine, & paruitate inter ſe differunt.* *Thymorum ſpecies.*

Manſueti Thymi ſunt carunculæ paruæ, inæquales, obſcuris eminentijs exapertæ, albicantis coloris, aut ſubrubri, doloriſque expertes.

Maligni thymi duriores ſunt, aſperiores, ac maiores, fæculenti, liuidi coloris, ac punctorũ dolorem inducentes. Dante effun-

effundunt, & carò nigra, vel cineritia, vel viridis apparet dura, inæqualis, parteſq; circumſitæ obſcuræ, & inflammatæ apparent, & maximus adeſt dolor.

Condilomatum ſigna. Condilomata ſtatim innoteſcunt, cum circa anum quædam eminentiæ appareant, ſimiles nodis, qui clauſa manu apparent, qui græcè ità dicuntur, & ab hemorroidibus diſtinguuntur, quoniam in condilomate nulla vena, ſed ſola cutis laborat, taleſque tumores non ſunt adeò nigri, ſicuti hemorroides.

Ficus ſigna. Ficus dignoſcuntur, quia thymis maximè aſſimilantur, & non aliter quàm magnitudine, & paruitate inter ſe differunt.

Criſterũ ſigna. Criſtæ ſimiliter oculis ſtatim apparent cum circa annum carnis excreſcentiam appareat, ad quarum radices, vt plurimùm ragades, ſiuè ſciſſuræ ſimiles ijs, quæ vehementi frigore ob Boreæ importunum flatum in manibus, ac labijs excitari ſolent.

De Verrucarum prognoſtico.

THymata peſſima ſunt in obſcœnis partibus orta, & maximè vbi ſanguinem effundunt, vt inquiunt præcitati Auctores, & præcipuè Celſus; Ex his acrocardon, ſiuè thymium ſæpè etiam per ſe ſiniuntur, & quo minora ſunt, eo magis acrocardon, ſi exciſa eſt, nullam radicem relinquit, idque neque renaſcitur quidem.

Thymio, clauoque ſciſſis ſubter rotunda radicula naſcitur, quæ pænitùs deſcendit ad carnem, eaque relicta idem rursùs erit.

Myrmiciæ ſi latiſſimis cum radicibus inhæreant, ideoque ne excidi quidem ſine magna exulceratione poſſunt, vt inquit Celſus.

Oribaſius lib. 7. cap 43. inquit, *Myrmiciæ, atque verrucæ vſu medicamentorum vehementer exulcerantium convelluntur, eorum verò, quæ putrefaciunt, interimuntur.*

Myrmiciæ, & clani ſine curatione vix vnquam deſinunt.

Aetius ſerm. 14. cap. 4. inquit, *Maligni thymi exacerbantur maximè ad manuum contactum, & medicamentorum adhibitionem.*

Sunt autem omnes manſueti, facilè curabiles, maligni incurabiles.

Maligni thymi, cancroſi aliquandò euadunt, prauaque ſymptomata adiuncta habent, vt dolores ingentes punctorij, inflammationes, febres, & phægedenica, ac depaſcentia vlcera.

Sicuti, ſuperiùs diximus thymi, ſi grandiores fiant, in ficus euadunt, ita etiam criſtæ, ſi negligantur, in tumores porrificor dictos degenerant.

De Verrucarum curatione.

IN qualibet verrucarum ſpecie tres intentiones habere debemus.

Prima, in ſex rebus nonnaturalibus, & præcipuè in victu conſiſtit.

Secunda, in præparatione, & peccantis humoris euacuatione.

Tertia, circa localia verſatur.

Vt primam, & ſecundam intentionem aſſequamur, eumdem ordinem in ſex rebus nonnaturalibus ſeruabimus, ac eiſdem medicamentis peccantes humores præparabimus, ac euacuabimus, *vt cap. de Oedem. & ſcyrrho fuit dictum.*

Quo ad particularia præſidia, ideſt ad tertiam intentionem aſſequendam, duobus modis huiuſmodi verrucæ curari poſſunt, vel medicamentis, vel manuali operatione: Medicamenta multa ponuntur ab *Aetio ſerm. 14. cap 4. & à Paulo lib. 4 cap. 15. & ab Oribaſio lib 7. cap. 43. & ab alijs Auctoribus.*

Ad myrmicias ergo, & acrocardones, inquit Paulus, Competit elaterium cum ſale mixtum, lacrimæ thuris cum aceto, groſſi, ideſt immaturi ficus cum aceto, farina, & nitro, ſimiliter fici ſuccus, vel tithymali illitus. Combuſta erugo cum ſulphure viuo, olymi, ideſt baſilici folia cum atramento ſutorio.

Quod

Quod ex palmitibus, siuè sarmentis, etiam dum viridibus combustis, destillat, vetrimentum ouium cum aceto, fel hyrci illitum, herba solaris maioris, elitropij dicti, fructus cum vino cataplasmate inductus, similiter ruta cum nitro, & pipere, nitrum cum lotio pueri veneremnon experti, stercus bouis armentarij cum aceto mixtum, & adhibitum.

Ad mirmicias inueteratas infrascriptum maximè confert, sed semper prius antequam medicamentis myrmicijs applicentur, earum basis ferro circumscalpenda.

℞. Sulphuris viui, sandrachæ, atramenti, sutorij, elaterij an. partes æquales tere cum aceto, & secundum artem, pastillos formato, & vsus tempore aceto dissolutos illine, ad myrmicias, & acrocardones.

℞. Calcitidis drag. 6. sandrache vnc. 5. cadmiæ dragm. 10. misce cum aceto, & assiduè illine, donec decidant, vel

℞. Auri pigmenti, elaterij an. vnc. 1. sandrachæ, sulphuris viui an. dragm. 6. radicis chamaleonis nigri vnc. 5. & cum aceto q. suff. secundum artem fiant pastilli, & aceto dissolutos vtere, vel

℞. Floris æris vsti dragm. 6. vetrioli romani vsti vnc. 5. misce, & fiat pulvis subtilissimus, & cum hyrci felle misceatur, ac applicetur.

Si vis magis caustica vtere oleo calcanti, sulphuri, aqua forti, pastillis andronis, mulæ, palonis, Ioannis de Vigo, capitelli ruptorio, & his similibus. Sed animaduertendum, quando causticis, ac adurendi vim habentibus medicamentis vtimur, vt inquit *Celsus Vt circumstantium partium ne inflammentur, ac exulcerentur, curam habeamus circumponendo vng. de bolo, vel rosaceum vel Gal. refrigerans, vel refrigerantia folia, vel succi, & his similibus.*

Si verò caustica dolorem excitent magnum, anodinis mitigandus, deindè ad caustica redeundum.

Suprascripta verò medicamenta non solùm myrmicijs, & acrocardonibus conferunt, sed etiam thymis, & ad thymos, inquit loco citato *Aetius, Saluiam herbam, siccam tusam cum pinguibus carnis præbendam, & disparebunt, vel*

℞. Serpentis exuuium tritum cum carne caricarum, reiectis granis, misceto, & emplastri modo imponito, & si intra sedem fuerint, glandulam indè facito, & subdito, ac miraberis, vel

℞. Stercoris canini albi, vsti, ac triti, & vino madefacti imponito.

De manuali actione.

MAnualis operatio describitur *à Gal. 14. meth. cap. 17. & à Paulo lib. 6. cap. 87. & à Rasi lib. diuis. cap. 124.*

Fit igitur hæc chirurgica operatio in omni verrucarum genere excisione, vel vstione, ac actuali cauterio, vel vinculo scitè coaptato, sicuti in vero fico fieri solet, vel primoribus dentibus euellantur, ac radicitùs extirpentur, vel forti pinna, vt veteris galli, vel aquilæ quæ suo circulo seccet, vel aliquo instrumento rotundo concauo, & in extremitate acuto quòd verrucæ crassitiem tantùm adæquet, ac illam vndique amplectatur, & vna cum eius radice extirpare possit. Excisio ergo si fiat à quodam manu exercitato facilè eas tollet cum proprijs lineamentis à circumpositacute circumscriptè discernatur; Ferramenta ad hoc apta, vt inquit *Galenus, Sunt scalprum ad myrtacei folij speciem, phlebotomum dictum, vulgò* Lancetta, *& id, quod Scolopomacherion, vulgò* Gambaut *dicitur.*

Circumscarificari igitur debent, posteà vulsella apprehendi, & acutiori scalpro, aut phlebotomo radicitùs extirpandæ; Nonnulli, ne postea renascantur, candenti. Ferramento aduri volunt. Vstio ita fieri debet, lamina quædam ferrea pertusa ita verrucæ adurendæ adaptari debet, vt eam vndique comprehendat, nihilque circumpositæ carnis appareat, & candenti ferramento, vel ignis flamma adurendum; Deindè escaram remouentia apponenda; Postea vlcus, vt reliqua vlcera, curandum. Rasis lib. diuisionum cap. 124. Verrucarum adustionem vna cum suis radicibus cum

myrti-

myrtinis viridibus lignis incensis maximè laudat.

Vinculo pensiles verrucæ curari possunt, assiduè noua vincula renouando, semper arctius stringendo, quousque ex se ipsis decidant, & si aliqua radix remanserit, cauterio absumenda. Huiusmodi verò vincula fieri possunt ex pilis equinis, vel serico filo crudo, vel quolibet alio forti filo.

Euulsio verò, & eradicatio fit, vt *Gal. 14. meth.* inquit, vbi refert quemdam suo tempore Romæ fuisse, qui nouam huiusmodi Verrucarum curationem excogitauit. *Nimirùm hoc certa primum labiorum applicatione, ceu fultu ad se trahebat, atque, quòd mirum videbatur, à radice euellebat; Deindè primioribus apprehensis dentibus totas simul eximebat: Acrocardones verò, vtpotè à cute extantes statim mordicus prahendebat, & ita protinùs educebat. Extirpatio qua fit Pinna, vel aliquo instrumento ad Pinna formam, ita fit,* vt inquit *Gal. Sit ergo fortis Pinna, vel instrumentum pinna simile myrmicia crassitudini par, vt eam vndique prorsùs constringat, quæ postea circumacta, ac simul deorsùm impulsa, celerrimè ita myrmiciam etiam cum ipsa radice totam educat. Abscindere verò ab his tantùm radicem versus oportet, quatenùs reliqua partis fistula complecti myrmiciam possit. Sanè ex ipsa statim abscissione si modò scitè fiat, etiam acumen ipsi comparabis; Iam verò quòd vehementer attrahentibus sursùm myrmicia euelletur, & putrefacientibus enecabitur ratione ab aliquo inuentum est,* inquit Galenus.

Thymi, qui in astrictiori ani musculo Sphincter dicto, adsunt volsella attrahendi sunt postea radicitùs sunt excidendi postea siccum medicamentum sanguinem sistens inspergendum, quale est, quod flauum appellatur & postea exsiccantia pharmaca donec perfectè curentur adhibenda cum vnctuosa & mollia affectionem renouent. Quandò verò thymi in locis magis expositis fuerint, post excisionem præsertim cum magni fuerint ac multi ad sanguinem sistendum, & regenerationem imposterùm prohibendam, vstionem adhibere expedit. Vstione facta, crusta remouenda cum lacte, melle mixto, vel alijs vnctuosis rebus superiùs dictis; Deindè detergentia, ac repurgantia competunt tandem exsiccantibus curatio perficienda.

Ad Thymos in sede, & dura, ac non inflammata Condilomata, & Ficus.

℞. SQuamæ æris, sandrachæ, auri pigmenti an. dragm. 1. aluminis scissilis drag. 2. tertio per se singula, & oleo rosaceo ad strigmenti crassitudinem redacta, largè illinito, & rasuram linteoli imposito, atque bis singulis diebus curato. In aliis verò partibus aceto, olei vice vti debemus, vel

℞. Elaterii, auri prigmenti an. vnc. 1. sulphuris viui dragm. ó. glutinis piscium vnc. 5. trita excipe, & glutino aceto perdissoluto, & vtere. In sede, vt superiùs diximus, rosaceo dissolutis in aliquibus partibus aceto.

Vtrursùs thymi, ficus, ac ablata condilomata non renascantur.

℞. Cineris lignorum vitis, vel cineris ex vinaceis vstis cum aceto illiti, quòd etiam extantes præclarè tollit, inquit Actius.

De Thymis naturalium partium sine pudendi.

IN his partibus thymi aliquandò oriuntur, inquit *Paul. lib. 6. cap 56. & Actius serm. 14. cap. 13. & modò in præputio, modò in glande, modò in cole, aliquandò verò in omnibus his locis, & ex his, vt de alijs diximus*, Aliqui sunt benigni, aliqui maligni: Benigni faciliter curantur: Maligni difficulter, & per affectæ partis ablationem curantur. Signa, quomodò dignosci possint Mansueti à Malignis, superiùs fuit dictum: Benigni, ac Mansueti thymi, ac parui per Volsellam distenti

diſtenti, ac attracti ſpecilli acie exciduntur, ac deraduntur, & calcitide, vel aliquo alio puluere, qui ſanguinem ſiſtendi, cruſtamque inducendi vim habeat, inſpergatur, ac illiniatur. Si verò multi fuerint, & magni, vel maligni, poſt exciſionem inuſtio facienda, vt ſuperiùs diximus, Si verò oppoſiti in Præputio thymi conuenerint, ideſt alij in parte interiori, alij in exteriori, non debemus ſimul omnibus manum admoliri, ne fortè præputium ſtructura tenui imprudenter à nobis perfundatur. Sed priùs interiores auferre, & ad cicatricem perducere, deindè exteriores aggredi. Et ſunt aliqui, qui ſeta equina, vel ſerico filo eos deligando, & forfice illos auellendo, curant alij potentiali cauterio. Si autem totum præputium thymis fuerit refertum, ideſt in externis, ac internis partibus, cum difficile ſit eum conſeruare, ad cutis præputij ſectionem deuentendum eſt, & poſt exciſionem, inuſtio facienda, & deindè curetur, ſicuti ſuperiùs fuit dictum.

Med. thymos exſiccans, quo in ijs, qui manualem operationem recuſant, vti poſſumus, tàm in partibus naturalibus, quàm in alijs locis orti.

℞. Calcitidis crudæ, myſios crudi an. vnc. 1. 5. ſquammæ æris vnc. 2. aluminis ſciſſilis vnc. 1. locum priùs cum vino abluto, & dictum medicamentum ſiccum poſteà inſpergito, vel

℞. Pulu. gallæ, aluminis an. q. vis miſce, & inſperge.

Ad Thymos in pudendis, & omnem carnis excreſcentiam.

℞. ORigani rad. rutæ an. part. æqu. vrito, ac teriro, ac inſpergito, & eſt optimum.

Omnes ſimiliter dictæ excreſcentiæ cauſticis med. abſumi, ac eradicari poſſunt, ſed his curatio dolorosa, ac diuturna redditur. Nihil ergo eſt rutius quam ferro illas abſcindere, cum ſic nulla ſena ſympromata accidant, paruus dolor inferatur, & cita curatio fiat, & hoc præſipuè faciendum in thymis, ſicis, porrificis, & in criſtis. Et tali actione facienda, patiens in loco illuſtri ambabus manibus genibus ſimul deuinctis, vt pars illa pateat, & patiens demoueri nequeat; Commodè ſic ſituato ægro, ſupercreſcens caro forcipibus, vel nouacula abſcindenda, & ſanguine aliquantiſper effuſo, & ſpongia deterſo, pars actuali cauterio aduratur, deindè otium integrum optimè concuſſum, vt dolorem leniat, ſtuppis applicetur, poſteà ſicuti alia ambuſta vlcera curentur. Si verò ragades ſint complicatæ vngue de plumbo, vel alijs exſiccantibus, ſicuti de ragadis diximus curentur.

De Callo, & Clauo. *Cap. 34.*



Alli à Græcis Ilos Calui à Græcis Thilis, ab Arabibus Almeſemur, & Almiſmar dicuntur. Iſta verò appellantur, quoniam claui capiti aſſimilantur, vel dum comprimuntur dolorem, ac ſi clauus eſſet illi parti infixus inferunt.

Callus, vt inquit Gal. lib. de definitionibus medicis eſt ſubſtantia dura, lapidoſa, rotunda, rigida, quæ vt plurimum in pedum planta oritur, vel ſic definire poſſumus, Callus eſt obdurata ſumma cutis ex labore, quæ alba redditur in palmis, aut inferiorem pedum plantis, aut eorum digitis ſuccreſcens. Nullam tamen radicem altè demittens, ac proindè doloris expers, vel ſic definiendus. Callus eſt quædam dura, & compacta caro, vndè pars ſtupet, albicat, nec expirat.

Clauus, vt inquit *Paulus lib. 3. cap. 80. & lib. 6. cap. 87. & Aetius ſer. 14 c. 4 Eſt Callus rotundus, ſiuè in orbem circinnatus, colore candidus, claui capitulum referens, & altè radicem emittens.*

Partes à Callis, vel clauis affectæ, vt inquit *Celſus, Paulus, & Aetius locis ſuperiùs citatis, ſunt omnes corporis partes;*

Sed

Sed præcipuè oriuntur in pedum plantis, ac digitis, & circa calcaneum succrescunt.

De Calli, & Clani causis.

Fiunt verò calli, & clani in pedibus ex calceamentis duris, ac præmentibus, siuè calceamentis præsu, & intertigine, & *Celsus, In pedibus*, inquit, *Clani, & Calli tùm maximè nascuntur, quamuis interdum aliter.* In manibus succrescunt ex longo vsu, ac exercitatione facta cum aliquo duro instrumento, vt fabris, ac alias mœcanicas laboriosas Artes exercentibus euenit. Ex labore igitur obdurata cute gignuntur Calli, & Clani, verò non solùm ex hoc, sed etiam ex humoribus pituitosis, vel melancholicis ibi obduratis. Omnes ergò illæ causæ, quæ tales humores generare possunt, clauorum causæ esse possunt, quæ verò huiusmodi humorum cumulum efficiunt, *cap. de Oedemate, & Scyrrho superiùs fuit dictum.*

De Signis Calli, & Clani.

CAlli signa, vt elicitur *ex Galeno, Celso, Aetio, & Paulo, Sunt, quod illa eminentia, quæ in manibus, vel pedibus, vel in qualibet corporis parte apparet, est dura, lapidosa, ac rigidæ substantiæ, colore alba, doloris expers, nullamque radicem altè demittit, & ex labore succrescit.*

Clani signa sunt, quòd veluti verruca cuti eminet, & callo similis est in colore, & substantia; Forma tamen rotunda est instar clauorum capita, vel lupinorum forma; Radicem altè demittit quasi ex ossium membranis emergat, & expullulet, qua radix dura est, & solida, acutum interdum dolorem sponte feriens, ac si in parte illa clauus esset infixus infert, & præcipuè quandò præmitur, & ad durioris alicuius rei occursum, & si in pedibus sit incedendi impedimentum affert.

De Calli, & Clani Prognostico.

CElsus *lib. 5. cap. 28.* inquit, *Clani, & myrmiciæ sine curatione vix vnquam desinunt, & clauo, & thymo excisis, subter rotunda radicula nascitur, quæ panitùs descendit ad carnem, eaque relicta idem rursùs exit.*

Paulus lib. 3. cap. 80. inquit, *Lungiori autem tempore clauus euellitur, etiam si scalpello ferreo apex clani continuè abscindatur, aut pumice atteratur; pari etiam modo, & callus.*

Aetius serm. 14. cap. 82. inquit, *Quandò clauus propè neruosas partes, ac sensibiles est, vt in digitis summis, & alijs similibus partibus. Huius itaque tollendi gratia sectio, ac vstio recusanda, quoniam hæ partes neruosæ, ac subtili sensu præditæ sunt, & in his causticis medicamentis vti debemus.*

De Calli, & Clani curatione.

CAlli, seù Clani curatio duobus modis fieri potest, vel medicamentis, vel manuali operatione, idest radicitùs ferro eos euellendo, ac extirpando. Si eos medicamentis curare vis, priùs pars superior, ac durior abradenda, vel scalpello, vel pumice, vt facilius medicamenta agere possint, vt inquit *Celsus, ac etiam circa scarificari, ac separari debent*, vt inquit *Paulus, Posteà aliquod ex ero dentibus superponendum, vt rubigo rasilis, vel sandraca, vel puluis syringiacus, vel collirium syringiacum, gummi loco, gutta ammoniaca exemptum. Sed animaduertendum*, vt inquit *Aetius, Vt dum vsturia medicamenta applicare volumus, vt splenium inflammationi arcendæ idoneum glutinosum in medio excisum quantùm clani totius ambitus patet, adhibeamus. & supra clauum, quantùm per scissuram apparet causticum applicandum, forin-*

ſecus chartàm integito, ac rursùs aliud linteolum cuſtodiæ gratia ſuperligato, atque ita per biduum, vel triduum ægrum, quietum demittito; Idemque ſæpè repetito, donec clauus à ſubiecta carne prorsùs diſceſſerit.

Cauſtica, & vſtoria medicamenta, ſunt infraſcripta.

Cauſtica medicamenta.

℞. Cantharidarum alis, capite, & cruribus abſciſſis num. 1 5. ſulphuris viui, calcitidis crudæ, amij an. dragm. 5. ſingula ſeorſim terito, & pice liquida, ſiuè terebentina ad emplaſtri formam reducito, atque vtitor, vel

℞. Succum cyrenaicum, vel ſi is deſit, laſer cum mitro, ficus pinguiſſimæ carne, vel terebenthina excipito, ac imponito, vel

℞. Lupinos crudos vſtos, & melle excipe, & applica, vel

℞. Cineris lupinorum crudorum cum melle, aut myſi, & liquida pice exempti, vel

℞. Nigellam cum aceto tritam, & eodem modo adhibe, vel

℞. Lomentum fabarum, & aceto coctum apponito, quod ad cicatricem etiam perducit, vel

℞. Cineris corticum ſalicis, & cum aceto miſce, & applica, vel

℞. Ammoniaci in aceto diſſoluti, floris aeris an. dragm. 2. auri pigmenti drag. 1. ceræ q. ſuff. miſce, & fiat ceratum, vel

℞. Calci antiquæ in iure veteris carnis ſuillæ pinguiſſimæ decocti, cum pauca calcis viuæ, & ceræ nouæ portione mixtæ in cerati formam, vel

℞. Ammoniaci in aceto diſſoluti, floris aeris, ceruſæ nouæ an. dragm. 1. fellis taurini vnc. 5. miſce, & fiat ceratum.

Clauo verò ſublato, deraditur planta, & rursùs adhibetur empl. donec vlcus fuerit explanatum, & hæc quoad curationem per med.

Curatio per Chirurgiam

Si per manualem operationem curare volumus, hæc obſeruanda, ac facienda antequam ergo ad inciſionem, ac vſtionem veniamus magnitudo, ac profunditas calli, ſiuè clauj conſideranda, ſimiliter ſi aliquæ neruoſæ parti, vel venæ, vel arteriæ adhæreat, & quandò hoc adſit, vt ſuperiùs diximus, inciſio, ac vſtio recuſanda, & medicamentis curandum, antequam item ad inciſionem, ac vſtionem deueniamus, partem affectam, ac duriciem mollire optimè debemus cum decocto maluarum, & veteris axungiæ ſuillæ, diù partem in eo decocto calido detinendo, aut ammoniaco aceto diſſoluto, aut aliquo ſimili.

Ineiſio verò ita fit, vt inquit *Paulus*, *circumſcarificatus igitur callus, vel clauus, volſellaque apprehenſus acutiore ſcalpello, aut phlebotomo radicitùs eximendus eſt. Non vlli etiam, ne renaſcantur, candenti ferramento adurunt. Et tunc circumſitæ partes aliquo refrigerante defenſiuo munienda.*

Albucaſis ne malignam clauj qualitatem acquirant lib. 2. cap. 45. adustionem cum ignito ferramento, vel valdè feruenti aqua laudat; Quod, vt optimè ſuccedat, canulato inſtrumento ferreo, vel aneo vel aliquo ſimili inſtrumento, quòd totum clauum ambiat, & ſic firmiter applicato, ac compreſſo intra tale inſtrumentum feruens aqua ponatur, ita vt non adurat niſi callum; Aliqui volunt, quod non ſolùm tale inſtrumentum fortiter comprimatur, ſed etiam aliquantiſper circumuoluatur vt facilius cum ſua radice extirpetur. Vice aquæ oleis adurentibus vti poſſumus, vt calcanthi, ſulphuris vel Chimiſtarum aqua, quæ fortis, vulgò, dicitur.

Exciſo callo, ſiuè clauo, tepida fouendum, tùm abluendum aqua, in quæ alumen fueris incoctum, & repurgandum melle, & erugine, ſi qua ſordes extiterit.

Celſus lib. 5. cap. 28. inquit, *Clauum ſubindè deradere commodiſſimum eſt. Nam ſine vlla vi ſic emolleſcit, ac ſi ſanguinis quoque aliquid emiſſum eſt, ſæpè emergitur. Tollitur etiam ſi quis eum circumpungat, deindè imponit rei ſinam, cui miſcuit parùm pulueris, quem ex lapide molari contrito fecit.*

De

De adnato, ac ſuperfluo Digito. *Cap.* 35.

Qui morbus ſit?



RItur ſuperfluus digitus aliquandò in homine, ſicuti aliquod ſuperfluum membrum aliquandò in alijs etiam animalibus reperitur, & eſt morbus in quantitate, & præcipuè in numero auctо, *vt lib. artis medicinalis Gal.* inquit,

Quibus in partibus oriatur?

Partes, in quibus huiuſmodi ſuperflui digiti ſuccreſcunt, vt inquit *Paulus lib.* 6. *cap* 43. *Sunt modò ad pollicem, modò verò ad minimum digitum, tàm in manibus, quàm in pedibus; Iuxta autem alium quempiam locum rarò viſi ſunt.*

Hi verò ſuperflui digiti, alij ſola carne conſtant, alij non ſolùm carne, ſed etiam oſſibus, & vngulbus conſtant. Qui verò oſſa habent, alij ab articulo communi cum altero digito, & commiſſura innixi; alij ab internodio, & digitorum fiſſura procedunt. Qui verò in articulo ſunt orti, & oſſe, & carne ſunt compoſiti, perpetuò ſunt immobiles. Qui verò ſunt omninò carneſi, aliquandò mobiles ſunt.

De adnati digiti cauſis.

SVperfluorum digitorum cauſæ ſunt materiæ abundantia, & ſuperfluitas ad locum tranſmiſſa ob illius partis generationem, & virtus formatiua fortis, ſicuti diminutionis cauſa eſt materiæ defectus, & formatricis virtutis debilitas. Quamuis materia non exiſtente multa, & virtute formatrice forti exiſtente, magnum membrum generari poſſit; ſic, & è contra multa exiſtente, & formatrice virtute debili, paruum membrum gignatur. Non ſolùm enim opus eſt, vt materia ſit multa, & formatrix virtus valida ad magnam, & ſuperfluam partem generandam; Sed etiam oportet, vt materia ſit extenſibilis, & motui obediens. Quoniam, & ſi materia multa ſit motui inobediens, ideſt non extenſibilis, & formatrix virtus debilis ſit, paruum membrum gignitur, & minimè ſuperfluum. Ad digitum ergò adnatum gignendum, materiæ copia, quæ motui ſit obediens, & extenſibilis concurrit, & formatricis virtutis robur.

De ſuperflui digiti ſignis.

SIgna per ſe ſenſibus patent, quoniam quandò adnatus digitus adeſt, ſtatim ſe oculis offert; an verò totus carnoſus ſit, vel etiam oſſe, & carne ſit compoſitus, tactu cognoſcitur.

De ſuperflui digiti prognoſtico.

QVoad prognoſticum *Paul. loco ſuperiùs citato*, inquit, *Superflui digiti, qui omninò ſunt carnoſi, facilè, & ſine periculo curantur, qui verò cum oſſe ſunt compoſiti, & ex internodijs oriuntur, difficilioris ſunt curationis; Qui ab articulo emergunt, difficillimè, & cum periculo abſcinduntur, & curantur.*

De ſuperflui, ac adnati digiti curatione.

QVoad curationem *Gal. lib. Artis Medicinalis*, inquit, *Quacumque autem non integris partibus, ſed earum tantùm particulis, aut deficiunt, aut naturæ modum excedunt, refectio quidem, vel generatio in ijs, quæ deficiunt, ablatio verò, & abolitio in his, quæ ſuperabundant, ſcopus eſt.*

Sed antequam ad digiti amputationem, ac ſciſſionem deueniamus, ſi patientis corpus impurum ſit, ac repletum

conuenientibus euacuationibus in primis euacuandum, inſtituta etiam optima dieta, & ſuperioribus partibus, vt humorum ad partem affectam fluxus prohibeatur; defenſiua medicamenta applicanda, poſteà ad manualem actionem deueniendum, quam optimè *Paulus loco citato docet*, dicens,

Si Digitus adnatus, ac ſuperfluus totus carnitus ſit, totum quod ſuperuacaneum eſt ſemel, & vnico tantùm ictu tollitur, & ita tutò, ac citò curatio abſoluitur. Poſteà medicamenta ſanguinem ſiſtentia adhibenda, vt oui albumen cum pulueribus conſtrictiuis, & tandem, & reliqua vlcera curandum.

Si verò os habeat, & digiti internodio adhæreat, ita abſcindendum.

Primùm caro vndique, & circum circa vſque ad os excindi debet, deindè os ipſum, vel ſcalpro, vel ſerra comminuitur. Si verò digitus adnatus iunctura, & articulo adhæreat, in iunctura circum circa caro nouacula vſque ad os abſcindatur; poſteà in iunctura diſiungatur, ac remoueatur.

Facta huiuſmodi abſciſſione, Auicenna cum feruenti oleo partem aduri iubet, & ex hoc, vt ille inquit, *Prouenit ſecuritas corruptionis, ſanguinis fluxus prohibetur, & ſupra inciſionis locum caro fortis, & dura, ac ſolida oritur.*

Alij feruenti terebentina locum aduruntur, quoniam conuulſionem prohibet, partemque roborat, ac conſolatur.

Si verò magnus ſanguinis fluxus ſequatur oui albumine pulueribus conſtrictiuis admixto ſiſtatur, vel alijs præſidijs ſanguinem ſiſtentibus.

Si cutaneæ partes inter ſe maximè diſtent, vt citiùs curatio abſoluatur futura vtendæ ſunt, vtque hoc faciliùs fieri poſſit, antequam cutis circum circa ſecetur, quantùm fieri poteſt, priùs ſurſùm erga manum cutis trahenda, vt relaxata poſt digiti amputationem, faciliùs futura coadunari poſſit, & poſteà ſuperponendum infraſcripta medicamentum.

℞. Reſinæ terebentinæ vnc. 2. olei hypericonis vnc. 1. miſce, & filamentis ſuperpone, manuſque tota, ac brachium oleo roſaceo, & maſtichino inungendum, ac etiam colli ſpondilia vſque ad humeros. Poſt pauces dies ſi vulnus deterſione egeat dicto medicamento mel roſaceum, & hordeacea farina addenda; Deterſo vlcere, & benè puro apparente exſiccantibus medicamentis, ac cicatricem inducentibus, epuloticis dictis vti debemus, ſicuti in vulneribus aliarum partium fieri ſolet.

De quibuſdam particularibus Tuberculis Tumoribus, & Excreſcentijs, & Primùm

De Grandine Palpebrarum. *Cap. 36.*



Grando, & ab aliquibus etiam nodus dictus, eſt durum tuberculum ſuperiori palpebræ, vt plurimùm innaſcens. *Quid nominis, & quid rei ſit.*

Fit verò grando ex materia melancolica, vel phlegmatica craſſefacta, & lapidis inſtar indurata, & in interiori parte palpebræ, & aliquandò à materia mixta fit, vt à melancolia, vel phlegmate cum ſanguine mixta, vel bilioſo humore, & aliquandò etiam extrà palpebras ſubduræ grandines fabis ſimiles gignuntur, vt inquit *Aetius lib. 7. cap. 81. Quas ſi quis violenter contingat, intenſiſſimos dolores inducunt, & quandoque animi exſolutiones.* *Cauſæ.*

Facilè verò hæc Tubercula innoteſcunt, quoniam euerſis palpebris, ſi ad partem internam magis declinent, rotundæ quædam eminentiæ perlucidæ, grandini ſimiles apparent, quibus diſſectis humor candido oui ſimilis euacuatur quandò à melancolia, vel phlegmate ſunt genitæ, & quandò ab humorum mixtione fiunt, ex colore ſimiliter innoteſcunt, cum rubicundæ, vel ad flauitiem tendentes appareant, ſi ad extra magis declinent, ſtatim oculis, ac tactui apparent. *Signa.*

De

De Aegilopum signis.

ANtequam Aegilops suppuretur visu, vel saltem tactu, vt Auicena inquit, *Percipitur quoniam inter nasi os, & magnum oculi angulum tuberculum apparet, quod tactu durum persentitur, & dolet, humiditates ab oculo, vt plurimùm defluunt, & grauitas cum lippitudine adest. A quo vero humore tale tuberculum fuerit genitum ex propriis signis innotescit, quùm si à pituita color ad albedinem tendit, & paruus, aut nullus dolor adest, & si talis materia in Christi contineatur, digiti compressione hinc indè impellitur, & tunc tarò per suppurationem terminatur. Si à sanguine color rubicundus erit, dolor grauatiuus aderit & si digito comprimatur, minimè albescit. Si à flaua bile fuerit ortus coloris erit subflaui, dolor pungitiuus aderit, lachrymæ calidæ, & cum pruritu emanabunt, & si pars affecta digito comprimatur, albescit. Si ab atra bile genitus, coloris erit subobscuri, paruus dolor aderit, durusque tumor erit. Vbi verò disruptus talis tumor fuerit, vt plurimùm per oculi angulum pus emanat, & si in vlcus degeneret, ex vlcerum notis dignoscetur, sic vbi in fistulam degenerauerit ex virulenta sanie, quæ comprimendo egreditur, & mala partis dispositione, & specilli immissione, vt in lib. de vlceribus cap. 16. diximus, innotescit.*

De Aegilopum prognostico.

GAL. 5. de comp. med. S. L. cap. 2. inquit, *Quòd si in Aegilopis abruptione, pus per angulum emanet aegrè est curabilis, ac vt plurimùm in fistulam terminatur*, & causam adducens, inquit, *Non enim potest ab acribus, at liquidis medicamentis curari, quin oculus coafficiatur, & læsæ partis inflammatio augeatur, & à leuibus nihil alteratur, & medicamenta citrà vinculum, quod totum oculum comprahendat, adhærere non possunt, taleque vinculum tot diebus, quot ad curationem requiruntur, perferre sine maxima molestia nequit.*

Celsus lib. 7. cap. 7. de Aegilope tractans, inquit, *Ex his eos, qui quasi carcinomate habent, curare periculosum est. Nam mortem quoque ea res maturat, ea verò, quibus ad nares tendit superuacuum, neque enim sanescunt; At quibus in angulo est, potest adhiberi curatio, quamuis difficilis sit & quanto angulo proprius id foramen est, tanto difficilior est, quoniam peranguſtum est, in quo versari manus possit; Recenti tamen re mederi facilius est. Aetius lib. 7. cap. 85. & Paul. lib. 6. cap. 22.* inquiunt, *Quod Aegilops est ægrè curabilis, tùm ob corporum tenuitatem, & subiecti ossis corruptionem, tùm ob periculum, quòd ex consensu oculo imminet. Sed notandum, quòd non necessariò Aegilops in fistulam terminatur, ac os corrumpitur, cùm si citò, ac rectè curetur, nihil horum frequenter accidit; Auicena loco citato* inquit, *Si quandò huius tuberculi ruptio ad interiora fiat affectum ipsum difficilioris esse curationis, ac ossium corruptionem imminere.*

De Aegilopum curatione.

CVM Aegilops ex inflammationum sit genere, satis tenuis instituenda dieta, ideſt, vt à principio æger à vino, & carnibus se temperet, & pro influentis materiæ reuulsione, nisi quid obstet, eiusdem lateris humeralis vena in cubito secanda, & non prætereundæ etiam omnes diuersiones

factæ cucurbitulis frictionibus, ac vinculis, & si corpus prauis succis redundet ne ad affectam partem confluant, lenire purgantibus euacuandum, pro ratione tamen peccantis humoris.

Quo ad topica, ac particularia præsidia, cum à principio materia sit repellenda, hoc faciemus cum aqua rosacea, & oui albumine simul agitatis, vel infrascriptis medicamentis, quæ sæpè repetenda, ac immutanda.

℞. Succi solani vnc. 3. thuris vnc. 1. misce, & vtere, vel

℞. Succi semperuiui, perdicij, parietariæ etiam dictæ an. vnc. 2. glauci, croci an. scrup. 1. misce, & vtere sicut dixi, & nisi ad suppurationem tendat, discutientibus postea vti debemus, sicuti est erui farinæ cum melle mixta, aut parietaria cocta, & contusa, & cum pauca myrrha mixta, vel applicetur medicamentum factum ex succo parietariæ, croco, & glaucio, quòd frequenter permutetur, *vt Paulus loco superiùs citato, & Alex. Trall lib. 2. cap* 8. inquiunt,

Medicamentum etiam factum ex alica in aceto cocta contusa & optimè leuigata, vt dicti Auctores inquiunt, & nos pluries fuimus experti non solùm incipientes ægilopas sed etiam inueteratos, & in pus conuersos mirabiliter sanat, & si pus subsit abscessum rumpit, ac vsque ad os penetrat. Maximè etiam à Paulo laudatur ruta fatiua cocta in lixiuio, quod sit ex cinere, & calce contusa, & imposita, quod medicamentum cum mordax sit à principio non apponendum, & est tantæ virtutis, vt vsque ad os penetret, & indecoram cicatricem non relinquat, vel apponatur cochlea cum sua testa contusa, & cum croco, & myrrha mixta quòd medicamentum & antè, & post abruptionem prodest. Si duricies magna adfuerit superponatur ammoniacum vel sagapenum cum acerrimo aceto dissolutum cum pauca portione mucilaginis altheæ mixtum; Si verò ad suppurationem tendat, antequam sponte rumpatur candenti auro, vel phlebotomo aperiatur cum optimum sit ante spontaneam abruptionem ægilopem aperire, ne os corrumpat, vel in fistulam transeat, & statim oui albumen imponatur deindè exsiccantia medicamenta ne subiectum os corrumpatur, adhibenda sicuti sunt infrascripta.

℞. Aluminis tenuissimè triti dragm. 1. resereb. vnc. 1. misce, vel

℞. Farinæ erui dragm. 2. pulu. radicis ireos, myrrhæ, & thuris an. dragm. 5. misce, & cum melle q. suff. hæc enim detergunt, & carnem gignunt.

Si lentus humor tale tuberculum faciens sit intra tunicam contentus. Chirurgia sicuti atheromata, stheatomata, & melicerides curari debet. Cutis ergo secanda deindè paulatim excoriandum, & humor vna cum sua tunica funditus auferendus posteà locus detergatur, carne repleatur & tandem cicatrix inducatur, & aliqui, vt Actius etiam docet, ne affectio regeneretur ignitis ferramentis cauitatem inurunt, deindè sicuti alia vlc. curant.

Si os corruptum fuerit, quod dignoscitur ex nigritie, & ex diuturno affectu cum medicamenta nihil proficiant, tunc dilatato orificio, ignito ferro os corruptum adurendum; Et si in fistulam degenerauerit, curetur, sicuti lib. de vlceribus cap. 16. diximus, vbi diffusè de hoc morbo verba fecimus.

De Paroride. Cap. 39.



Parotides sic à Græcis, & Latinis dictæ, sunt inflammationes, siuè abscessus, qui glandulis, siuè adenis, quę auribus adiacent emergere solent, vt elicitur *ex Gal. 3. de comp. medicamentorum S. Locos cap. 2. ex Paulo lib. 3 cap. 23. & Aetio serm. 6. cap. 89. & ex Auicena 4. tertij cap. 24. Partes affectæ, vt ex definitione, atq; etiam oculis patet sunt adenæ, siuè glandulæ iuxtà aures; Et eam ex inflammationum genere parotis sit, nemini est dubium, quin sit primùm, morbus in compositione, & præcipuè in magnitudine aucta secundò, in intemperie; tertiò in solutione continui, sicuti inflammationes aliæ.* *Quid sit Parotis?*

De

De Grandinis Palpebrarum Curatione.

IN hac curatione quatuor intentiones præcipuè habere debemus. Prima, in victu, ac alijs nonnaturalibus rebus consistit; Secunda, in peccantium humorum euacuatione; Tertia, in materiæ resolutione; Quarta, in manus operatione.

Quo ad primam intentionem, optimo vtatur victu, sicuti sunt carnes pullorum, vernecis, hedi lactentis, vituli, auium montanarum, & similium, ouа recentia sorbilia, vel tremula; bibat vinum limphatum, sic in bono aere hilariter viuat, moderatè, ac debitis temporibus corpus exerceat, moderate dormiat, & curet, vt aluus sit lubrica. Si corpus posteà multis excrementis redundet conuenientibus syrupis præparentur humores, & deindè concedenti pharmaco educantur, & si sanguis peccet, nisi quid obstet, cephalica eiusdem lateris secceatur, & secundum quod fuerit opus, sanguis educatur, & sic secundam intentionem assequemur.

Vt verò materia resoluatur primùm emollienda, & hoc fieri potest cum fomento facto ex aqua calida, & deindè superponatur diachilon cum gummis, vel ammoniacum, vel opoponax, vel serapinum in acerrimo aceto priùs dissolutis, vel apponatur emplastrum factum ex silueſtribus grossis coctis, aut ex foliis silueſtris fici, vel

℞. Pollinis tritici vnc. 1. 5. pulu. sulphuris viui vnc. 5. misce, & cum aqua terito, & forma pastillos, ac iis vtitor.

Nisi dictis resolui possit, si magis ad extra declinet in exteriori superficie secundùm palpebrarum rugas incisio, quantùm est opus, facienda, talisque incisio, quantùm est possibile, à pilis distet, cum ibi vulnera difficulter consolidentur, facta incisione, paulatim excoriando grando integra, si fieri potest, extrahatur; Deindè si opus fuerit, suatur, & oui albumen apponatur, posteà conglutinantia applicentur. Si quid intùs remaneat, detergentibus absumatur, vt vnguento Apostolorum, vel puluere asphodelorum, vel his similibus, & hoc remoto sarcotica, & conglutinantia medicamenta apponenda. Si magis interiùs versus declinet, euertatur palpebra, & scindatur secundùm quod superiùs diximus, & grando extrahatur, qua extracta, intùs frequenter oui albumen instilletur. Si verò extra palpebras magnæ, & subduræ grandines sint, iuxtà apicem incidendæ, & concauo specillo scalpendæ, & melle, & lineamentis, ac fomentis sanari debent, vt Aetius loco superiùs citato scriptum reliquit.

De Ordeolo. Cap. 37.



ORdeolum, etiam Præputiolum ab aliquibus dictum est Tuberculum in abscessum ferè desinens, quòd forinsecùs in palpebræ margine iuxtà pilos prorumpit, dicitur verò ordeolum, quia grano hordei, maximè in figura respondet, cum in medio satis crassum sit, & erga vtrumque extremum subtile. *Quid nominis?* *Quid rei?*

Differt verò à grandine, quoniam grando semper est dura; Ordeolum verò, vt plurimùm, molle, ac tractabile, & vt plurimùm à calida materia oritur, & tale tuberculum nullius est periculi, ac ferè semper localibus tantùm præsidiis curatur. *A quibus differat causa signa.*

De Ordeoli curatione.

A Principio ergo, vt materia Ordeolum faciens resoluatur fouenda pars, spongia imbibita in calido decocto hordei, & florum chamomeli, vel pane calido, vel cera alba calida, vel, vt vult *Aetius lib. 7. cap. 82.* post fotum, adponatur serapinum, vel ammoniacum in aceto dissolutum, ac calefactum, & super

& super subtile corium, vel aliquid aliud simile extensum, vel applicetur medicamentum factum ex medulla ossium vituli, oleo sesamino, & cera, vel confricetur ordeolum corpore muscæ capite prius amputato, ac abiecto, vel applicetur medicamentum factum cum caricis in vino mulso coctis, & modico galbano contusis, vel applicetur fermentum ab homine ieiuno mansum. Si verò ad suppurationem tendat, calido gallinæ adipe illiniatur; Maturo iam ordeolo, superponatur cartemus cum muria mixtus. Post humoris excretionem melle illiniatur, deindè applicetur medicamentum factum ex cera nota, puluere aloes, & turiæ. Multa alia præsidia, ad hoc paruum tuberculum curandum, vtilia, breuitati studentes, relinquemus, & quia parui, & salubres morbi, sicuti his multis medicamentis non egent.

De Ægilope. *Cap.* 38.

Quid nominis?

Ægilops à Græcis, & Latinis dictus, ab aliquibus Caprinus oculus vocatur, cum Capellę tali morbo sępissimè tententur, & à *Paulo lib. 3. cap. 22. priùs quam tale tuberculum rumpatur, Anchilops, & ab Auicena lib. 3. fen. 3. tract. 2. cap. 14. Grab.* dicitur, *post abruptionem, & in vlceris degenerationem Aegilops à Paulo, & ab Auicena Algarab vocatur.*

Quid sit Ægilops?

Aegilops, vt inquit *Gal. 5. de comp. medicamento S. Locos cap 2. est paruum quoddam abscessui simile tuberculum, inter nasi os, & magnum iuxta oculi angulum ortum. Cum ergo tuberculum sit, siuè paruus tumor est morbus in compositione, & præcipuè in magnitudine aucta, cui intemperies, & continui solutio simul sunt complicatæ, & pars affecta oculis patet, cum præsertim huiusmodi paruus abscessus in superficie se ostendat; Si verò partem magis profundam obsideat, vt aliquandò euenire solet, tunc non visu, sed compressione à Medico percipitur.*

Pars affecta.

Species, siuè Ægilopis differentiæ, secundum Auicenam loco citato duæ sunt, altera, quæ dura est, & tactu mouetur, & non rumpitur, quæ est de glandularum genere, & plurimùm molestiæ eius est, quod videtur eminentia in lachrymalibus, & cum expræssione inuenitur, & dolet eius expræssio, & multiplicatur cum ea Ophtalmia. Altera est quoddam paruum apostema, ac sanioſum, quod, vt plurimùm disrumpitur, & in fistulam degenerat. Conueniunt verò hæ duæ ægilopum species in hoc, quod quælibet earum sub tactu mouetur, atque submergitur, & ablato digito, statim redit, ac iterùm eleuatur, vt dictus Auctor inquit. *Species.*

De Aegilopum causis.

GEneratur talis paruus abscessus à vitioſis succis, vel à toto corpore, vel aliquibus partibus transmissis, & ad talem partem delatis, ac vt plurimùm à pituita, rarò à sanguine, & rarissimè ab vtraque bile, ita verò fit pituitosus humor, siuè excrementitius succus, ac lentus à cerebro continuo destillans, ac fluens ad nares per canalem anguli lachrymalis pertransit, & aliquandò talis humor sub carne illa ad recipiendum disposita, intercepto transitu detinetur, & putrescit, & virulentiam, ac erodendi vim acquirit, & sic ægilops à pituitoso humore oritur, à sanguine vero ita fit, ab illa vena satis ampla, quæ lachrymali angulo adhæret, sanguis resudat, & partes illas explet, qui posteà corrumpitur, & malignam, ac corrosiuam qualitatem acquirit, taleque tuberculum parit, quod semper ab humore virulento, & corrosiuo gignitur.

De

De Parotidum differentijs.

PArotidum differentiæ, vt inquit *Alex Tral. lib. 3. cap. 10. & Cels. lib. 6. cap. 16. à pluribus desumi possunt, vt à generationis modo, vel à materia, vel à coniunctis siuè complicatis, vel à tempore.*

Differentiæ à generationis modo, vt Trallianus inquit, *Sunt, quod quædam fiunt ratione Crisis post apparentem humorum coctionem, quæ, vt Gal.* inquit, *Citrà capitis affectionem fiunt; Natura ad eam partem superfluos humores deponente, & hæ critica Parotides dicuntur, Aliæ ex cruda materia ad partes illas transmissa fiunt, quæ naturam grauat, & simul nonnihil irritat. Et Celsus loco citato* inquit, *Parotides solent oriri modò in secunda valetudine, ibi inflammatione oborta, modò post longas febres, & Gal.* inquit, *Quod Parotides aliquandò oriuntur per febres malignas ac pestilentes ad aures impetu morbi conuerso.*

Differentiæ à materia sunt, vt phlegmaticæ, vel biliosæ, vel melancolicæ, vel sanguineæ parotides, vel ex his humoribus mixtæ genitæ. Differentiæ à coniunctis, siuè complicatis symptomatibus sunt, vt parotides cum dolore, vel sine dolore, cum vigilijs, cum delirio, & his similibus. Differentiæ à tempore sunt, vt parotides in principio, in augumento, in statu, vel in declinatione; Recentes, vel diuturnæ.

De Parotidum causis.

EX quibus causis parotides fiunt, ex differentijs superiùs dictis, & ex auctoritatibus superiùs citatis elici potest, cum parotides fieri possunt, vel ab humoribus tantùm à capite transmissis, vel à toto corpore, & hoc dupliciter esse potest, vel symptomaticè, vel criticè: Symptomaticè dupliciter possunt fieri, vel à copia materiæ nequante natura tantam humorum multitudinem regulare, & ideò humores ad tales partes confluunt, vel ab humorum crudorum qualitate stimulante natura ad expellendum. Criticè fiunt, quandò valida natura coctos humores ad ignobiles has partes demittit: Qui quidem humores, vel sunt sanguis substantia crassus, vel bilis, vel pituita, vel melancolicus humor, vel ex his mixti. Vel fiunt parotides ex humoribus mala qualitate præditis, ac malignis, siuè in magna copia, siuè in paruo redundantibus, vt in pestilente febre, & in epidemicis morbis, de quibus verba facere nostrum in præsentia non est.

De Parotidum signis.

INnotescunt parotides, ex tumore, qui post aures oritur, ex dolore, ac vt plurimùm ex mutato partis colore, & criticæ dignoscuntur ex præcedenti coctione, ex facili ægri tollerantia, ac conferentia, ex virium robore, & quod in fine morbi, & non in principio oriuntur, symptomaticè ex contrarijs signis dignoscuntur. Quæ ex cruda materia, siuè in copia, siuè in mala qualitate peccante fiunt, ex proprijs cruditatis, multitudinis, vel malæ qualitatis signis innotescunt, & quæ ex malignis humoribus oriuntur, vt in pestilentibus febribus, ex earumdem malignarum febrium inditijs percipiuntur. Ex quo verò humore parotides fiant, cognoscitur ex temperamento, ætate, habitu, anteacta vita, & his similibus. & si à sanguine fuerint genitæ tumor erit rubicundus, & dolor, & tensio, ac pulsatio aderit, caliditas, grauitas, & febris sequitur, & alia phlegmonis signa aderunt. Si à bile tumor erit sub flaui, vel flaui coloris maxima caliditas aderit, dolor mordicans, ac punctorius, pauca grauitas, febris acuta, sitis, oris amaritudo, & alia erisypel. signa.

Si

Si à pituita, tumor erit mollis, quemadmodum aliarum partium oedemata, ad albedinem, vel leuem rubedinem declinans, & aliquandò in compreſſione innundatio perſentitur, grauitas adeſt, dolor eſt paruus, aut nullus, & febris non ſequitur, niſi dum pus fit.

Si à melancholia, tumor durus, & ſcirrhoſus erit, color erit liuidus, & nullus, aut paruus dolor aderit. Si à capite humores tranſmittantur, prius dolebit, à tranſmiſſione facta leuabitur, & non aderit totius corporis pletora, vel cacochymia. Quibus præſentibus à toto corpore tranſmiſſio fit, & ſi poſt lungas febres fiant, indicium eſt, quod à craſſis humoribus redundantibus fiant; Si autem per acutas febres, à tenui humore ſed languente natura. Temporum ſigna, & earum terminationis, cum ſint communia cum tumoribus alijs ideo non ponemus.

De Parotidum Prognoſtico.

QVibus Parotides iudicationis tempore ad ſuppurationem non deueniunt, ijs recidiua, ſiue morbi reuerſio imminet, cum materia, quæ non ſuppuratur, retrocedat, & recidiuæ ſit cauſa, vt ex *Hipp. 6. epid. com 4 cont. 1.* elicitur.

Paulus loco ſuperius citato, inquit, *Si in altum recurrat colluuies periculum, haud mediocre ſubſequuturum eſt.*

Anic. loco citato, inquit, *Et fortaſsè conſequitur quandoque ex vehementia doloris eius, vt interficiat, & apoſtematum, quæ fiunt ab origine auris, illud eſt magis incolume, quod eſt ſecundum ſemitam bonæ criſis. Illud verò quod eſt à criſi, cum qua non eſt ſignum maturationis aut præcedit bona criſis eſt malum; Ratio eſt, quoniam quæcunque criſes ante materia concoctionem fiunt, praua ſunt, cum ex cruda materia multitudine, nequeunte natura tantam humorum copiam regulare gignuntur. Quæ vero cocta materia, bona ſunt cum melius ſit naturam victricem eſſe, quàm vinci.*

Parotides ergo in fine morbi factæ cum virium robore, & ratione bonæ criſis ortæ ſalutares, & curatu faciles ſunt, & ægros à multis periculis liberant. Quæ verò in fine morbi poſt multas euacuationes, cum virium iactura, & ſine ſymptomatum remiſſione fiunt, pernicioſæ ſunt, cum innati caloris extinctionem indicent, præſertim ſi nigri, vel liuidi coloris fuerint. Quæ verò ex cruda materia oriuntur, ſunt admodum rebelles, & mali moris, & naturæ magnum faceſſunt negotium, neque ad maturationem, neque ad coctionem à Medicis multa præſtantibus perduci poſſunt, & ideò ægros in maxima deducunt pericula, vt *Alexander loco citato* inquit, *Quoniam propter propinquitatem praui vapores, & calor cerebro & eius membranis communicatur, & ideò aliquandò frenesis fit, vel materiæ pars ad guttur confluit, & anginam efficit, & ſic agrotantem enecat; Vel ob ingentem partis dolorem, vt ſæpè in adoleſcentulis fit, qui ſenibus ſunt ſenſibiliores, & minùs ad patiendum apti, mortem infert, vt ex Anic. loco ſuperiùs citato elicitur.*

Omnes ſimiliter ſymptomaticæ parotides poſt febres, vel durante febre, vt plurimùm ſunt malignę, & ægrè curantur, quæ autem ſunt ſine febri, ſunt minùs malignæ, vt in dies in praxi apparet.

De Parotidum curatione.

IN parotidum curatione, in primis animaduertendum, vtrùm parotis ſit critica, vel ſymptomatica, & tandem ex qua materia ſit facta, cum ſecundùm diuerſam cauſam, diuerſa ſit inſtituenda curatio.

Si

Si parotis ergo critica sit, victus eo tenuuior, vel plenior instituendus, quo morbus maior, vel minor fuerit, & longior terminus, vel breuior, ac virtus validior, vel imbecillior, cum in magno morbo, breui duraturo, & constanti facultate, tenuuior victus conueniat, contra in paruo morbo longo, & vbi imbecillæ sunt vires, plenior.

Quo ad alia præsidia in his criticis parotidibus, si abundè confluat humor, & increscente tumore æger manifestè leuetur, totum opus naturæ committendum iuxtà illam *Hippocratis sententiam p. lib. Aph.* 20. dicentis, *Quæ decernuntur, decretaque sunt iustè, nec mouere, nec aliud quidpiam nouare, siuè medicamentis, siuè alijs irritamentis fiat, sed omittere oportet; Cum natura omnium sit operatrix, & morborum medicatrix, Medicus verò Minister*, vt inquit *Hipp. epid. com. 5. cont.* 1. & *Gal.* 3. *Artis medicinalis. In tali casu igitur tantum dolorem leniendi gratia liquata gallina pinguedine, aut butyro, aut medicamento facto ex butyro, pinguedine, & cera pars illinienda, aut hordei farina in hydreleo coctum, aut fænugraci farinam cum camomelino oleo mixtam applicare possumus, vel his oui vitellum misceatur, vel applicetur catapl. factum ex farina tritici, hordei, & seminis lini cum mulsa, aut decocto fænugraci, althea, & florum camomeli, quæ non solùm dolorem leniendi, sed concoquendi, ac suppurandi vim habent*, & nunquam *ex Gal. præcept.; de comp. med. S. Loc. c. 2 in parotidibus, siuè criticis, siuè symptomaticis, siuè copiosa materia influat, siuè pauca siuè sit maligna siuè benigna, repellentibus vti debemus. Sed potiùs si occasio ferat, vt inferiùs dicemus, attrahentia conueniunt. Quod præceptum non solùm in parotidibus, sed in omnibus adenarum siuè emunctoriorum tumoribus obseruandum, & causa est, ne praui humores ab externis, & ignobilibus partibus ad interna viscera, & præcipua membra deferantur. Quamuis in omnibus aliarum partium inflammationibus à principio repellentia conueniant, vt superiùs diximus, præter quam vbi fluens materia sit maligna, & vbi multa, & copiosa, & vbi totum corpus æqualiter humoribus redundet, ac vbi maximus dolor adsit; Quorum ratio est manifesta, cum non conueniat malignam, ac venenosam materiam ad nobiliores partes repellere, & copiosa materia repelli faciliter nequeat, medicamentis humorum multitudine impeditis, & in corpore omni ex parte pleno non adsit locus, ad quem humores repelli possint, & vbi maximus adest dolor ex repercussiuis medicam. non solùm dolor augetur, sed febres, vigiliæ, & alia praua symptomata excitantur, & virium exsolutiones, fiunt, & animi deliquia.*

Si verò parcè, & moderatè ad aurium adenes humores transmittantur, secundùm *Hipp. sent. p. lib. Aph.* 11. dicentis, *Quæ educere oportet, quò maximè vergere videbuntur, ducito vijs ac locis vtiliter eo ferentibus*; Iuuanda est natura his, quæ humorem ad partem attrahunt, vt fotu olei irini, vel anethini, aut melle, & pipere, aut cucurbitula loco affixa, leuiora ergo, aut valentiora attrahentia esse debent, prout opportunum videbitur, semper animaduertendo, ne ex maxima attractione, ita inflammatio, & dolor augeantur, vt vigiliæ, febres ingentes, virium exsolutiones, & alia praua sympt. succedant. Interim diligenter Medicus animaduertere debet, vtrùm parotides ad resolutionem, vel ad suppurationem tendant, & si ad resolutionem naturæ resoluendi facultatem habentibus opem ferre debemus, sicuti sunt fænugræcum, camomelum, castoreum, galbanum, oleum aneth. camomelinum, & similia; Vel applicetur catapl. factum ex decocto melliloti, stecados, anthos, florum camomeli, farinis lentium, orobi, seminis lini, fænugræci, pinguedinis anatis, anseris gallinæ, & oleis supradictis.

Si ad suppurationem tendat, suppurandi, ac materiam concoquendi vim habentibus natura est iuuanda, sicuti est empl. factum ex farina tritici, axungia suilla, & alijs pinguedinibus, decocto radicum althææ, caricarum, & similium, vel applicetur infrascriptum cataplasma, vel simile.

℞. Foliorum maluarum, scabiosæ an.

vnz.

vnz. 1. miſce radicum althææ, liliorum alborum an. vnc. 5. caricarum ping. nu. 5. farinæ tritici vnc. 3. axungiæ ſuillæ vnc. 4. coquenda, & contundenda coquantur, & contundantur, & dicto decocto q. ſuff. ſecundum artem fiat cataplaſma.

Parotis quandò, & quibus aperienda?

Suppuratione iam facta, etiam ſi omninò perfecta non ſit, candenti ferro, vel incuruo gladiolo, vel alio inſtrumento parotides ſecare eſt opus, poſteà digeſtiuo, deindè deterſiuo, & tandem exſiccantibus, ac cicatricem inducentibus, ſicuti apoſtemata alia curandæ ſunt.

Si parotides ſymptomaticæ fuerint, & ex plurima oriantur materia, in primis conſiderandum, ex quo humore fint genitæ, & ſi ex ſanguine, tenui victu inſtituto, & indito cliſtere, niſi quid obſtet, eiuſdem lateris cephalica vena ſecanda, & ſecundùm humoris copiam, & vires ſanguis euacuandus, deindè humeris cucurbitulæ cum ſcarificatione applicandæ, & ſi à bilioſo ſanguine parotides ſint factæ, ſimiliter ſanguis educendus, ſed in minori copia, & ſi pituita, vel melancholicus humor parotidum fuerit cauſa, ſi corporis pletora ſimul adſit, ſanguis item extrahendus, ſed longè parcius, ne magis tales humores infrigidentur, & pletora non exiſtente, ſanguinis miſſio minimè tentanda, & vnuſquiſque humor conuenientibus ſyrupis priùs præparandus, deindè conuenienti pharmaco educendus.

Dubitatio.

Si quis verò dicat neque ſanguinis miſſionem, neq; purgationem in ſymptomaticis parotidibus ad ſuppurationem tendentibus conuenire, quoniam his natura à ſuo opere diſtraheretur.

Reſpondendum, quòd ſi cum his parotidibus, adeſt ſimul pletora, & ſi natura ſuppurationem tentet venæ ſectione, ac purgatione non diſtrahitur à proprio munere, immò humorum copia minorata, à qua tanquam ſarcina natura præmebatur, vt inquit *Galenus Comm. 29. lib. 2. Aph. Quòd reliquum eſt facilius concoquere, ſuppurare, ac expellere poteſt. At ſi pletora vel ſiuè prauorum humorum copia non adfuerit, tunc nec venæ ſectio, neque purgatio conuenit, vt Aduerſarij inquiunt, & ſi hæc fierent, tunc natura à proprio munere detraheretur; & in criticis parotidibus, vt plurimùm vena ſectio non tentanda ob virium imbecillitatem, quam ex præcedenti morbo contraxit.*

Euacuandum ergo ſemper eſt corpus in ſymptomaticis parotidibus priuſquam particularia præſidia parti applicentur, præcepto Galeni, Pauli, & Alexandri, & qui nulla euacuatione præmiſſa ſtatim ad inducenda cataplaſm. tranſierunt. aut aliud, quòd diſcutere, aut parotidas extrahere poteſt, applicarunt, hi manifeſtè Auctores extiterunt, cur agri ſtrangularentur?

Reſoluentia.

Poſt corporis euacuationem, materiæ parotidem facientis reſolutio tentanda, vt inunctione amigdalarum dulcium, chamomeli, liliorum alborum, & pinguedine anguillæ ſimul mixtis, & his ſimilibus, & niſi per reſolutionem terminari velit, ſed potiùs ad ſuppurationem tendat, ſupraſcriptis emplaſtris, vel ſimilibus ſuppuratio adiuuanda, deindè, vt ſuperiùs diximus, curatio facienda.

Notandum.

Notandum tamen, quod quo materia frigidior fuerit, eo ex calidioribus cataplaſmata componi debent, vt in pituitoſa materia fieri debent ex farina lupinorum erui hordei, fænugræci, ſeminiſque lini, quæ in lixiuio coqui debent, & mel, & paſſum, & ſimilia addi debent, & ſi parotides ex pituitoſa materia genitæ ſine magno dolore fuerint, muria fouendæ ſunt, aut liniendum diachilon in oleo chamomelino liquato.

Emollientia.

Si verò parotides indurentur ad earum emollitionem, & reſolutionem deueniendum, quòd ſit diachilone in oleo chamomelino emollito, vel oleo amigdalarum dulcium, & chamomelino cum butiro, œſopo, adipe anatis, anſeris, & gallinæ, & cum vnguento dialtheæ diſſolutis, vel applicetur medicamentum factum ex ammoniaco, galbano, opoponace, ſtyraco, medula ceruina, caricis, & oleo liliaceo. Mirabiliter etiam infraſcriptum medicamentum emollit.

℞. Pulu. ſeminis, ſinapis, vrticæ, ſulphuris, ſpumæ maris, ariſtol. rotbdellij, amoniaci in acerrimo aceto diſſo-

medicamentum supra alutam extendatur, & induratæ parti applicetur, & decima quinta quaque die renouetur, & qui plura desiderat, ad scyrrhi curationem recurrat; Post emollitionem magis resoluentia commiscenda, & nisi resolui possit, sed ad suppurationem tendat suppuratio, sicuti superiùs diximus, adiuuanda.

De Ranula. Cap. 40.

Quid nominis? RAnunculus, siuè Ranula à Latinis dicta, à Græcis Batrachos, & aliqui inter Auicenist. glandulam hunc morbum appellant.

Quid rei? *Paul. Aeg. lib. 3. cap. 26.* inquit, *Quod ranunculus est tumor cum inflammatione sub lingua erumpens in pueris maximè.*

Aetius serm. 8. cap. 27. inquit, *Ranunculus est tumor eorum, quæ sub lingua sunt partium, præcipuè venarum.*

Dicere ergo ex dictis Auctoribus possumus, quòd ranula est tumor quidam duræ substantiæ earum partium, quæ sunt sub lingua, & præcipuè venarum, maximè pueris erumpens, & linguam in suis actionibus impediens.

De Ranularum differentijs.

RAnularum differentiæ, duæ sunt, altera est satis oblunga instar nouæ linguæ subcrescentis adhærens, vndè sunt, qui velint hanc carnem additam esse linguæ batrachum, siuè ranulam, quæ verè, & realiter non est, sed abusiuè, & largo modo ita dicitur; Altera est rotunda ranæ figuram referens, & hæc præcipuè est ranula.

De Ranulæ causis.

VEræ ranulæ causa, vt 6. *tertij cap. 17. Auic.* inquit, *est, vt plurimùm humiditas viscosa, pituitosa, & crassa à capite defluens, tenuioribus partibus resolutis, & interdum melancolicus humor talem tumorem efficit. Caro verò addita, sicuti alia caro fit, ac oritur.*

De Ranulæ signis.

COgnoscitur verò ranula, *vt Auic. loc. cit.* inquit, *Quia est similis glandulæ duræ existenti sub lingua, cuius color est similis colori compositi ex colore superficiei linguæ, & venarum, quæ sunt in ea, & est similis ranæ, vtque Albuc. lib. 2. cap. 35.* inquit, *Prohibens linguam ab operatione sua naturali, & fortassè magnificatur, donec impleat os, & quæ est à pituita est alba, mollior, magis tractabilis, & absque dolore, quæ autem ab humore melancolico fit, est subnigra, dura, intractabilis, & dolore non vacat. Caro sub lingua addita abusiuè ranula dicta statim ad linguæ eleuationem apparet, veluti noua lingua subcrescens.*

De ranulæ prognostico.

PItuitosa ranula recens faciliter curatur antiqua, & ab humore adusto, nisi Chirurgia curari potest. Quæ verò obscurum, ac nigricantem colorem habent minimè curanda, ne irritetur, & cancrosa fiat. Quæ verò est nigra, siuè fusca, & dura, & sine sensu, cum sit cancrosa, nullo pacto tangatur secundùm Hippocratis sententiam 6. *lib. Aph. 38. miscentis, Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius, quod etiam* inquit *loc. cit. Albucasis.*

De Ranulæ curatione.

IN Ranulæ curatione, vt ex dictis Auctoribus habemus, diſcrimen eſſe debet, cum aliter in pueris, ac perfectæ ætatis hominibus hi tumores curentur. In puerulis enim tantùm collutionibus, & alijs lenioribus particularibus præſidijs curandæ ſunt. In adultis, & maturis hominibus ſi opus fuerit, & venæ ſectione, & pharmacia, & alijs diuerſionibus, & congrua dieta, & chirurgia curantur, ſed ante manualem operationem, ſemper experienda medicamenta, in quibus eſt ſuperflua exſiccatio, *vt loco ſuperiùs citato Auic.* inquit, *Puerulis igitur tali morbo laborantibus, vt ex dicto Auctore habemus fricto cum ſale communi puluere origani, & è corticibus mali punici ſimul mixtis maximè prodeſt.*

Vel fricetur pars cum ſale ammoniaco, & puluere gallarum immaturarum, vel cum tragacantha adusta, & hermodactilorum; Quibus ſimiliter oui albumine commixtis medicamentum fieri poteſt, quòd frequenter ſub lingua ponatur, vel ſi cum paſſo commiſceantur, collutiones fieri poſſunt. In molioribus corporibus, & maximo ſenſu præditis rhoem rubrum cum melle mixtum, & frequenter applicatum, vel erui farina cum melle mixta poſt partis frictionem applicata; Collutio etiam facta cum decocto foliorum oleæ maximè eſt vtilis. In pueris natu maioribus aliquibus ex infraſcriptis medicamentis, niſi dicta profuerint, vti etiam poſſumus.

In Adultis ſatis tenui victu, ac exſiccante inſtituto, ſi pletora adſit, & nihil obſtet, ex cephalica, ſiuè media vena ſanguis educatur, deindè cucurbitulis humeris applicatis, & frictionibus, & alij humores ab affecta parte diuertantur peccantes, deindè humores conuenientibus ſyrupis præparentur, & præparatis pillulis præcipuè euacuentur. Poſt hæc venæ ſub lingua ſecccntur, ſicuti omnes prædicti Auctores inquiunt, deindè exſiccantia medicamenta parti applicanda, quæ ſecundùm ætatem, temperiem, & morbi magnitudinem validiora, vel imbecilliora, eſſe debent.

Pars ergò affecta aliqua ex infraſcriptis compoſitionibus perfricetur.

℞. Miſyos, æruginis raſilis an. part. æquales miſce, & vtere, vel

℞. Gingiberis, pyretri an. dragm. 2. ſalis gemmæ, ſalis ammoniaci an. drag. 1. 5. origani, calaminthæ, radicis iridis hermodactylorum, maſtiches an. drag. 1. miſce, & fiat puluis, quia ranula perfricetur, aut cum oui albumine, vel melle, vel paſſo in linimenti formam redigatur, & ranulæ ſæpè obducatur, & aliquandò decocto foliorum oleæ, myrti, & rhois collutiones fiant, vel confricetur cum puluere vitrioli adusti cum hermodactilorum puluere ſimul mixtis, taliſque materia nullo pacto deglutiatur, ſed expui debet, vel confricetur cum puluere aluminis adusti, viridis æris, ſalis armoniaci, & draganthi ſimul mixtis, & talis materia, deindè expui ſimiliter debet, vel vt Actius inquit,

℞. Nuces iuglandes veteres integras vna cum cortice exuſtas contere, deindè adijce piperis G. 12. & thuris mediocria grana 3. hæc cum melle q. ſuff. miſce, & illine, & eſt optimum, vt dictus Auctor inquit.

Paulus infraſcriptum medicamentum mento applicatum quàm maximè laudat.

℞. Cyperi vnc. 1. myrrhæ vnc. 1. 5. ſandrachæ drag. 3. floris roſarum drag. 2. croci dragm. 1. crocomagmatis, aluminis ſciſſi, iridis illiricæ an. dragm. 2. miſce, & cum ouis q. ſuff. fiat in emplaſtri formam.

Chirurgiæ curatio.

Niſi dicta contulerint, & medicamentis nihil proficiamus manuali operatione, ſicuti *Albucaſis* inquit, *Ranula curanda, Patiens igitur aperto ore, lumini oppoſitus, ſedens ſituetur, & Ranula vncinis hinc indè ſuſpenſa, celerrimè, ac diligenter tota ab omni parte abſcindatur, poſt inciſionem permittatur ſanguinem aliquan-*

aliquantisper exire, & spongia abstergatur, deindè aceto, sale mixto os colluatur, & si adhuc sanguis fluat, sistatur cum puluere subtilissimo facto ex aloe drag. 1. thuris drag 2. & pilo leporino tenuissimè inciso drag. 1.5. Vel puluere calcanti cum oui albumine mixto, quod nullo pacto deglutiendum, cum venenosam qualitatem habeat, vel alumen zuccarinum cum sale applicetur, & per aliquod tempus demittatur, & nisi vllo pacto sanguis sisti possit, actuali cauterio sistatur, & potentiale nullo pacto applicandum propter transglutiendi periculum, quod adest. Sanguine suppræsso abluatur os vino nigro stiptico, vel vino, in quo inferbuerint rosæ, balaustia, myrti baccæ, & myrrha, vel fiant collutiones, & gargarismata ex vino, in quo thus, mastiches, & myrrha sint incocta, vel vsque in finem colluant os vino, in quo tantùm myrrha fuerit incocta, & nisi prima vice tota ranula fuerit abscissa, iterum quòd reliquum est, abscindatur, & eodem modo curetur.

De Panaritio. *Cap. 41.*

Quid nominis?

PAnaritium à Latinis dictum, & à Græcis Paronychia, & calidum apostema in latere vnguis adnascens, *Paul. lib. 3. cap. 81.* inquit,

Quid rei?

Paronychia est abscessus, qui iuxtà vnguis radicem suppurat.

Species.

Duplex verò est Panaritium; Alterum magis malignum, quòd à vulgaribus os fractum, vel *Male del Pino* dicitur; Alterum minùs malignum, quòd vulgò etiam Panaritium vocatur, & hoc est apostema exturale calidum cum dolore in vnguis latere oboriens, vt *Auic 7. quarti*, inquit *Pars affecta est digitorum pars extrema manus, ac ligamentorum, ac neruorum signis.*

De Panaritij causis.

FIT verò Panaritium, vel à nitrosa pituita ibi concreta, ac putrescente, quæ vim corrodendi est nacta, vel à biliosa, ac tenuissimo sanguine adusto, siuè non adusto vnguium radices exurente, ac depascente.

De Panaritij signis.

PAnaritii notæ sunt, dolor, rubor, tumor, & inflammatio in vnguium radicibus, vel circa vngues apparens. Magis verò malignum, cum ab adusta materia oriatur, intensissimum, ac continuum dolorem infert ob neruosas partes affectas, & non permittit patientem die, neque nocte dormire, nisi succurratur, & dolor per totum brachium extenditur, paruum, aut nullum apparentem habet tumorem, & continuam febrem, & animi deliquium aliquandò infert: Minùs malignum minorem dolorem infert, & dolor, vt plurimùm in vnguis latere, & tumor, ac inflammatio magis apparet, vt *Auic loco citato* inquit, *& omnia alia symptomata mitiora habet.*

De Panaritij Prognostico.

NISI citò Panaritio succurratur, prima digiti iunctura putrefit, quæ cum osse deperditur, & aliquandò totus digitus etiam corrumpitur, & hoc præcipuè in maligno fit, & quandò os corrumpitur, subtilis, ac fœtida sanies emanat, & dicta praua symptomata accidunt. In minùs maligno Panaritio non tàm sæua symptomata eueniunt, & si rectè curetur, ossis corruptio minimè fit.

De Panaritij curatione.

IN huiusmodi curatione quoad vniuersalia, ideſt ad victus rationem, venæ ſectionem, ac purgationem, ſicuti in phlegmonis curatione diximus, Medicus ſe gerat. Circa topica, ac localia medicamenta à principio repellentia anodinis mixta ſæpè applicanda, ac renouanda, ſicuti ſunt infraſcripta; animaduertendo ne affectæ parti aſtringentia applicentur, ſed propinquioribus partibus, ne humorem in partem impingendo dolorem foueant, & oſſi corruptionis periculum adaugeant.

℞. Succi plantaginis, ſolani, portulacæ, vmbelici veneris an. vnc. 2. mucilaginis ſem. pſillij cum dictis ſuccis, vel aceto extractæ vnc. 1. 5. boli armenij dragm. 2. gallarum dragm. 5. caphuræ ſcrup. 1. olei roſacei, myrtini an. vnc. 1. 5. miſce, & frequenter applica, vel

℞. Olei roſacei, myrtini an. vnc. 1. ſucci ſolani vnc. 5. boli arm. dragm. 2. miſce, & vtere, *Paul.* inquit, Quod galla cum melle mixta inchoantem panaritium reprimit, & radices agere non patitur,

Vel applicetur mucilago ſeminis pſillij cum ſucco plantaginis extracta cum bolo armeno, & aceto mixta,

Vel applicetur vnguentum album camphuratum cum populeo vnguenti pari portione ſimul mixtis, & in maximo dolore aliquid oppij addere poſſumus, vel

℞. Olei roſacei vnc. 1. opij, hyoſchiami an. ſcrup. 1. apij ſcrup. 5. vitellorum ouorum num. 1. miſce, & applica,

Vel apponatur lac cum croco mixtum,

Vel oui albumen cum oleo violaceo mixtum, quæ maximè dolorem leniunt,

Vel applicetur emplaſtrum factum cum mucilagine ſeminis pſillij aceto extractæ, hordei farina, & modico camphuræ, quibus ſimiliter, ſi opus ſit, parum opij addi poteſt: Notandum tamen, vt ſuperiùs diximus, quòd ſupraſcripta refrigerandi vim habentia tantùm à principio applicanda, cum poſt principium eorum vſus magis materias inculcet, ac dolorem augeat.

Si verò intenſiſſimus dolor perſeueret, & nullum ſuppurationis ſignum appareat: Fiat inciſio cum nouacula, vel alio inſtrumento lateraliter ab vngue, vſque ad os incluſiuè, Deindè, & intra, & extra vulnus oui vitellum cum albumine ſimul agitatum applicetur, poſteà, ſicuti decet, curetur. Hac enim abciſſione patiens à dolore ſtatim liberatur, & ab oſſis corruptione, & iuncturæ deperditione, & nullum aliud eſt tutius remedium.

Si verò ad ſuppurationem tendat, apponatur pſillij mucilago cum gallinæ pinguedine mixta, vel aliquod ex infraſcriptis medicamentis.

℞. Farinæ fænugræci, ſem. lini an. vnc. 5. butyri recentis vnc. 1. vitellorum ouorum num. 1. pinguedinis gallinæ dragm. 3. & in mortario abſque igne fiat in emplaſtri formam,

℞. Pinguedinis gallinæ, butiri recentis an. vnc. 5. mucilaginis ſeminis pſillij vnc. 1. farinæ fænugræci, ſeminis lini an. dragm. 3. miſce cum oui vitello, & parùm croci, & fiat empl.

Facta ſuppuratione parua perforatione aperiatur, deindè pus euacuetur, poſteà melle roſaceo, & lupinorum farina detergatur,

Vel cum reſina terebentina, melle, & hordei farina ſimul mixtis, vel apoſtolorum vng. vel viride. Poſtea aliquod ſarcoticum applicetur, ſicuti eſt puluis aloes, vel myrrhæ, vel ariſtolochiæ, vel

℞. Aloes dragm. 1. 1. myrrhæ, thuris, ſarcocollæ an. dragm. 5. reſinæ tereb. vnc. 5. melis roſacei colati drag. 1. miſce

Si verò in vlcus mali moris degeneret, apponatur vnguentum ægiptiacum, vel apoſtolorum, vel præcipitati puluis, & ſi oſſis corruptio, ſiuè caries accidat cauterium admouendum, deindè eſcarę caſus curandus, & tandem, ſicuti de vlcere cum oſſis corruptione, diximus, curare debemus.

De

De Vnguium Pterigio.
Cap. 42.

Quid nominis.

Quid rei.

Partes affectæ.

Species.

PTerygium ab aliquibus etiam pinula dictum est carnis excrescentia, quæ circa vnguem oritur, & vnguis partem aperit, quæ vel in manuum, vel pedum digitis nascitur, sed, vt plurimum, in pollicibus; Et pterygium duplex est, aliud malignum, aliud benignum.

De Pterygÿ causis.

IN manibus pterygium, vt plurimum fit ex neglecto, & non benè curato panaritio; In pedibus, vel ex offensione, vt contusione, percussione, & his similibus, vel ex vnguis angulo cognatam, & sibi proximam carnem pungente.

De Pterygÿ signis.

PTerigij signa sunt manifesta, cum supercrescens caro statim oculis appareat. Sed malignum, quod est ex genere depascentium, non solùm visu cognoscitur, sed ex dolore, ac fœtore, qui oritur ex putrefacta materia, quæ est iuxta vnguis radicem, quæ vnguis radicem exedit, ac corrumpit, & sæpe mediam vnguis partem absumit, & aliquandò totam abolet, & interdum etiam ipsum os corrumpit, & tunc precipuè grauis odor persentitur, & digitus summo expansus, & liuidus apparet; Et ideò *Paul. lib.* 6. *cap.* 85. inquit.

Prognosticum. Pterygium est ex genere depascentium, & nisi adustione cohibeatur, continenter serpit, & si negligatur, digitum totum corrumpit. Minùs malignum minorem dolorem infert, minus est inflammatum, nullum fœtorem expirat, nullumq; putrefactæ materiæ signum adest faciliusque curatur.

De Pterygÿ curatione.

MInius Pterigium, si ab angulo vnguis proximam partem pungente fuerit ortum, pars vnguis, quæ carnem pungit, ac vulnerat, tenui specillo submisso eleuãda, & scalpelli acie resecanda; Deindè supra pterygium nisi sit valdè magnum, aliquod medicamentum adurendi, ac crustam inducendi facultatem habens apponendum, sicuti est alumen, sandracha, calx viua, puluis gallarum, auri pigmenti, atramenti sutorij, trociscorum Ioannis de Vigo, musæ, pasonis, & similium per se, vel simul mixta, & linteolum vino imbibitum, vel spongia, semper quando dicta apponuntur, superapplicetur, & continuò quod aresçit expurgandum, ac auferendum, vel

℞. Sorcos vsti, thuris an. dragm. 2. eruginis rasæ dragm. 1. M. & subtilissimè terantur, & melle q. suff. M. & applica, vel

℞. Caricarum pinguium adustarum dragm. 2. myrios, cypri, squamæ aeris an. dragm. 2. mellis q. suff. M. & applica; Sola etiam aeris squama perfe rrita pterygium absumit, & inter cætera præcipitatum est optimum, & circum circa aliquod refrigerans medicamentum est dandum, quandò precipitato vtimur, sicuti est vng. rosaceum, album camphuratum, vel similia, & sic citissimè curatur.

Si pterygium magnum, & amplum fuerit, vt cita curatio fiat, quod eminet primum scalpello circumcidendum, deindè aliquod ex suprascriptis med. applicandum.

Malignum pterygium ita curandum primum separatus, ac corruptus vnguis scalpelli acie subsecandus, ac auferendus, deindè actuali cauterio exulcerata pars adurenda, postea ea med. applicanda, quæ adustis vlceribus conuenire diximus.

De Tumore Vmbelici.
Cap. 43.



Mbelici tumorem, aliqui vmbelici prominentiam, ſiuè eminentiam, ſiuè procidentiam vocant, & alij vmbelici herniam nominant.

Talis partis tumor non ſolùm ab aquoſa materia fit, vt ſuperiùs diximus, ſed à flatu, vel ab inteſtinis, vel ab omento, vel à carne ibi genita, quæ, vt *C. Celſus lib. 7. cap.* 14. inquit, oritur, vel ab integra carne carcinomati ſimile; Aliquandò etiam talis partis tumor fit à ſanguine, & hoc fit duobus modis, vel à ſanguine extra vaſa effuſo, ſicuti in ecchimoſi, ſiue aneuriſmate, vel fit à ſanguine calido tumorem, ac inflammationem in parte illa excitante; ſecundum ergo materiæ diuerſitatem, diuerſo nomine aliqui tales tumores nominant, vt à flatu herniam vmbelici flatuoſam, ab inteſtinis, inteſtinalem, ab omento zirbale, à carne carnoſam, à ſanguine herniam vmbilici emboriſinalem. Differunt ergò dicti vmbelici tumores non ſolùm nomine, & materia, vt ſuperiùs diximus, ſed etiam generationis modo, vt inferiùs dicemus.

De cauſis Vmbelici.

ILle inflammatorius vmbelici tumor, qui à calido ſanguine eſt factus ſicuti alij inflammati tumores gignuntur, ex dolore enim vmbelici ſanguis ad partem attrahitur, qui copia partem diſtendit, & cum ſit ibi coaceruatus, feruet; Inflammationem efficit, à ſanguine extra vaſa effuſo vmbelici tumor fit à caſu, ictu, percuſſione, & omnibus ijs, quæ venas, & arterias in vmbelici parte obtemperare, vel relaxare poſſunt.

Vmbelici tumor ab inteſtinis, vel ab omento factus à Græcis idronphalos dictus, ob peritonei relaxationem, vel abruptionem circa vmbelicum factam oritur, cum quotieſcumq; peritoneum abrumpatur, vel relaxetur, ſemper aliqua materia ex dictis eo prolapſa cutem ad partes externas impellat, & ibi tumorem excitet. Rumpi verò, vel relaxari peritoneum multis de cauſis poteſt, vel ob caſum, percuſſionem, ſaltum, vel ob ponderis eleuationem, vel ob vociferationem, vel æquitationem, vel ob flatuoſorum ciborum eſum, & in pueris ob diuturnum prolatum, riſum, cantum, & ob his ſimilia.

Vmbelici carnoſus tumor fit, vel ex malè talis partis curata inflammatione, vel ex mala vmbelici præciſione, ac concinnatione, ſicuti in puerulis aliquandò euenit; & ideò *Ariſt. 7. de hyſt. Anim. cap.* 10. monet, vt diligentia adhibeatur, dum ab obſtetrice præſcinditur, vmbelicuſue aliquid peccati committatur, taliſque caro, vt inquit *Celſus loco ſuperiùs citato*, modò eſt integra, modò cancroſa, proùt bonis, vel malis repletur ſuccis; Aliquandò etiam talis tumor ex flatu, vel ſeroſo humore in partem illam irrumpente fit, vt ſuperiùs diximus.

De tumoris Vmbelici ſignis.

EX qua verò cauſa vmbelici tumor fiat proprijs indicijs cognoſcitur vt inquit *Paul. lib. 6. cap.* 51. & *Celſus loco ſuperius citato. Quoniam ſi à ſanguine ibi inflammatorius tumor gignatur, talis tumor rubicundus eſt, & calidus, & adeſt dolor, ac pulſatio.*

Tumor à ſanguine ſuffuſo, eſt mollis, tactui cedens, & coloris liuidi, vel ad nigredinem, vel rubedinem tendentis, & vt plurimùm dolore vacans. Si tumor fiat ab inteſtinis, neque durus, neque mollis eſt, ſed quodammodo medius, omni frigore comminuitur, & ab omni calore, & retento ſpiritu creſcit, ſonat interdùm, & vbi reſupinatus eſt æger inteſtinis in proprium locũ lapſis tumor totus deſidit, & nihil apparet, ſed cũ ſtrepitu, ac rugitu, vt plurimum ingreditur.

Quandò

Quandò ab omento vmbelici tumor fit cętera conſimilia ſigna, ſicuti in tumore ab inteſtinis facto, adſunt, ſed hoc particulare habet, quod tumor ab vna parte eſt mollior,& ad baſim latus,& in vertice autem eſt magis anguſtus ,& ſi quis manibus apprehendere conetur facilè elabitur, & eſt prorſus ſine dolore, cum cæteri ſaltèm aliquem obſcurum dolorem facere ſoleant, & quandò digitis præmitur, facilè ſine rugitu abſconditur; Et ſi tumor ab inteſtinis,& omento ſimul fiat, indicia quoque mixta erunt,& cutis in tumoribus à dictis cauſis excitatis, ſicuti à flatu, totius corporis cuti concolor eſt. Tumor, qui fit à carne, durior eſt, & præmenti digito, ſicuti dicti non cedit, & ſiuè æger ſupinus iacet,vel ſtet,vel ambulet, vel quocumque modo ſituetur, ſemper appareat, & hæc ſunt ſigna bonæ carnis. Si canceroſa eſt eadem habet ſigna,quæ in carcinomate diximus. Si à flatu vmbilici tumor fiat, cognoſcitur, quia digitis præſsus cedit, ſed ſtatim reddit, & ſi digito pulſetur, inſtar tympani ſonitus redditur, & reſupinato ægrotante in eadem manet figura, & cutis reliqui corporis cuti concolor eſt.

De Vmbelici tumoris Prognoſtico.

INflammatorius vmbelici tumor in puerulis, præcipuè eſt maxime periculoſus, tùm propter ingentes febres, quæ talem tumorem conſequuntur,tùm ob magnos dolores, ac cruciatus, quo tenera ætas difficulter ferre poteſt; In adultioribus eſt minùs periculoſus; Flatuoſus tumor, & ſi *Celſus dicat, quod medicinam non admittit,tamen calefacientibus medicamentis diſſoluitur,ac diſſipatur; Tumor ab inteſtinis, ſiuè omento factus, quo leuior, ſiuè minor eſt, & recentior, & in molliori corpore, vt pueris, eo facilius curatur. Quò verò maior, antiquior,& in duriori corpore fuerit, eo periculoſior eſt, & curationem difficilius admittit, vmbilici ergò tumores, qui ob peritonei fracturam fiunt, in pueris, ob corporis moliciem,medicamentis curari poſſunt, in adultis,niſi manus operatione curari queunt, cum in his peritoneum diſciſſum non coaleſcat, ſicuti Hipp.* inquit.

Tumor vmbilici carnoſus, & carcinomati ſimilis, cum periculo tractatur, ideò eius curatio omittenda, vt Celſus inquit. *Vbi verò caro ſana, adeſt, curationem admittit, vt inferiùs dicemus.*

De Vmbelici tumoris Curatione.

IN curando vmbelici inflammatorio tumore in primis conſiderandum, in quo corpore ſit, ideſt, an in puero, vel natu maiori,cum ſecundùm ætatem in pluribus curatio ſit varianda. Si ergò in puerulis nuper natis talis tumor accidat, vt frequenter euenire ſolet, tota ferè curatio in dolorem lenientibus, & in nutricis victu conſiſtit; Nutricis ergò victus ſit refrigerans, & humectans, & anodina affectę parti applicanda ſunt, & à principio oleum roſaceum lubricatum,& ſi tumor ad ſuppurationem tendat, cum tali oleo oui vitellum commiſceadum, deindè pro tali tumore ſuppurando,applicetur catapl. factum ex panis medulla in lacte cocta, vel ex folijs maluę in lacte coctis,& contuſis. Si verò per reſolutionem terminari velit, cum dicto oleo roſaceo diſcutientia olea commiſceantur, vt eſt liliorum alborum, chamomeli, & aneti, & quantò magis ab inflammationis initio recedimus, eo magis diſcutientia conueniunt, in adultioribus non ſolum victu refrigerantem,humectantē, & ſatis tenuem inſtituere debemus, ſed reuulſiones,ac deriuationes cucurbitu-

lis

lis ſcarificatis, & ſiccis, & peccantiũ humorum purgatio facienda, & in adultis etiam venæ ſectio competit, & valentiora topica, tàm anodina, quàm ſuppurantia, ac reſoluentia applicari poſſunt, prout talis tumor exigit, ſicuti in alijs tumoribus à ſanguine geniti ſuperius diximus. Si tumor à ſanguine ſuffuſo fiat, curetur, ſicuti de *Ecchimoſi lib. de vulneribus* diximus.

Si verò vmbelici tumor ab inteſtinis, vel omento ob peritonei relaxationem, vel abruptionem fiat; Inteſtina, vel omentum in proprium locum recondenda, & ſi peritoneum ſit relaxatum, conſtringendum, ac confirmandum, & ſi ſit abruptum, vniendum, ac conſolidandum, vtq; hoc ſuccedat omnes cauſę, quę talem peritonei abruptionem, vel relaxationẽ efficere poſſunt deuitandæ, vt motus, caſus, ſaltus, ponderum eleuatio, vociferatio, cantus, fletus, humidæ frigidæ aeris intemperies, & venti, & aluus lubrica ſeruetur, ne in conatu, qui in fætum excretione fit peritoneum lædatur; Optimo vtatur victu, & potiùs tenui, quàm pleno, & fugiat omnia flatulenta, humida, frigida, & craſſa pro potu vtatur vino ſubaſtringenti diluto cum aqua chalibeata, in qua incoctum ſit cinamomum, vel coriandri ſemina, vel aniſorum, & leuiter etiam à peccantibus humoribus corpus expurgandum.

Purgato corpore, & internis medicamentis, & externis peritoneum conſolidare confirmare, ac vnire totis viribus curare debemus. Per interna ergò in potionis, vel in pillularum, vel electuarij formam Med. parare poſſumus, ſicuti ſunt infraſcripta.

℞. Sanniculæ vtriuſque maioris conſolidæ, pedis leonis, eupatorij nummulariæ, ophioglоſſæ an. M. 1. poligoni, daphnoidis, plantaginis maioris, prunellæ an. M. 5. radicum cynogloſſæ, rad. geranij ſexti an. dragm. 2. ſeminis myrti dragm. 3. balauſtiorum dragm. 2. miſce, & omnia bulliant in vino rubro ſubaſtringenti, ad tertiæ partis conſumptionem, deindè colo trasfundantur, & ſaccaro q. ſuff. potio ſuauis reddatur, de qua quotidiè in aurora dentur vnc. 2. vſque ad vnc. 3. pro ætatis ratione, vel

℞. Limaturæ chalibis in ſubaſtringenti vino, vel in ſuco mali puni præparati dragm. 6. ſang. drac. boli armeni orient. corallorum rub. thuris, mumiæ an. dragm. 1. pulueris nucum cupreſſi dragm. 2. M. cum ſyruppo myrtino q. ſuff. & fiat pillularum maſſa, ex qua manè, & ſerò per tres horas ante cibum, capiatur dragm. 5. vſque ad dragm. 1. & ſuperbibi poteſt parum vini aſtringentis, vel capiatur chochlearis dimidium, ſi puer ſit, vel integrum, ſi natu maior, infraſcripti electuarij.

℞. Palueris conſolidæ vtriuſq; cauda æquinæ, burſæ paſtoris, ſentis caninæ an. dragm. 1. maſtiches corallorum rub. boli armeni orient. nucum cupreſſi an. dragm. 1. 5. cinamomi ſcrup. 1. M. cum melle optimè depurato, vel ſyrupo myrtino q. ſuff. & fiat electuarium.

Ante localium medicamentorum applicationem, vt melius ſuum præſtent effectum, primùm reſupinandus eſt æger, vtque inteſtina, vel omentum ad proprium locum redeant, manibus curandum. His reconditis aliquod ex infraſcriptis ceratis applicandum, & ſemper in eodem ſitu, ideſt ſupinus maneat æger, quouſque infraſcripta localia Med. apponantur.

℞. Picis naualis, maſtiches an. drag. 3. ſarcocollæ hippociſtidis, acaciæ an. dragm. 1. 5. ſanguinis drac. aloes lapidis hæmatitis, ariſtolochiæ vtriuſque, thuris an. dragm. 2. boli armeni radicis ſymphiti, gallarum malicorij an. dragm. 3. viſci quercini dragm. 1. 5. reſinæ terentinæ, & ceræ q. ſuff. gummis in aceto priùs diſſolutis S. A. fiat ceratum, vel

℞. Gummi, arabici, maſtiches, boli arm. ſang. drac. tragaganthi glutinis, ſiuè collæ piſcium, de corio bouis an. dragm. 2. thuris, & eius mannæ an. dragm. 3. picis græcæ dragm. 1. picis naualis dragm. 2. Priùs ad ignem pice liquefiant, deindè glutina addantur, & dum omnia fuerint incorporata abigite auferantur, & addantur pulueres, & fiat S. A. magdaleon, cuius pars extendatur ſuper rotundum corium, quod non ſolùm partem affectam, ſed etiam circum circa aliquid ſanæ apprehendat, ac complectatur. vel

℞. Pul.

℞. Pulueris sang. drac. in lacryma vnc. 1. boli armeni, mastiches thuris consolidæ, mi, nucum cupressi, myrthi, gummæ arabicæ, resinæ terebentinæ an. vnc. 5. picis naualis vnc. 6. terebentina, & pix simul liquefiant, & ab igne remotis, pulueres paulatim misceantur, & baculo agitentur, deindè parùm omnia simul bulliant, & posteà magdalion, cuius pars, vt superiùs diximus, super corium extendatur, & quinta, vel sexta quaque die renouetur, & omnia dicta cerata in inguinis hernia intestinali etiam maximè prosunt, superiùs adhibito vinculo, vt decet.

Nisi dicta præsidia contulerint ad incisionem, vel vstionem deueniendum est, *vt Celsus, & Paulus, & Albucasis* inquiunt,

Sed vt Celsus inquit, *Incisio non competit lactentibus infantibus, sed adultioribus, & ijs, qui tantùm bono corporis habitu sunt præditi, & hæc actio tantùm facienda Verno tempore, & Æstate prima.* Quomodo verò hæc actio fiat optimè docent prædicti Auctores locis superiùs citatis; *Ita igitur fieri debet, Patiens erectus situandus, vtque spiritum, quantùm potest, contineat tubere debemus, vt tumor, quantùm maximè potest, se ostendat.*

Chirurgica curatio.

Deindè tota vmbelici excrescentia scriptorio atramento circulatim notanda & resupinato homine, digitis tumorem premere debemus vt intestina, siuè omentum in suum locum recundantur, & si quid delapsum fuerit, manu cogatur, post hæc scalpello tumorem, qua nota atramenti fuerit, vndique scarificabimus, & vmbilicum hamulo elenare, siuè sursùm attrahere debemus, & lino valido, vel neruo, qua scarificatio est pars vincienda, ac vehementer astringenda ansulam nexui superdantes, Mox tumore, qui constrictus est, in vertice inciso, indicem demittemus, ac adamussim scrutabimur, numquid intestini inuolucrum aliquod vel omenti particula simul vincta sit. Si quid horum fuerit relictum, laxato funiculi sinu, ansulam introrsùs demittemus, & iterùm validè deligabimus; Deindè acu duplicem filum trahente, per scarificationem factam traijcimus, & linorum ansulis præcisis, quatuor capitibus, vndique conuolutis validissimè constringemus, & sic relinquemus, donec corpora supra vincula putrescant, & putrefacta auferamus, deindè curandum, vt caua cicatrix inducatur; Sed melius est escaroticis medicamentis, vel ignito ferro totum id, quòd supra vinculum est adurere, & sicuti cætera vsta vlcera, posteà vlcus curare.

Per vstionem curatio ita fit, post corporis purgationem, & omnia alia superiùs dicta, erectus sitnetur æger, atque post spiritus retentionem atramento scriptorio circumcirca ad basim notato tumore, & deindè resupinato homine, & intestinis, vel omento ad interna loca impulsis, duobus, vel tribus locis inustio fiat, vel causticum apponatur, deindè escaræ casus butyro curetur, posteà valida, ac dura cicatrix inducatur, vt imposterùm intestina, vel omentum à se repellat.

Si verò à carne, sed non cancerosa, vmbelici tumor fiat, vel putrefactorio medicamento, vel causticis talis caro absumenda, vel ferro auferenda, & conuenientibus medicamentis tale vlcus posteà curandum.

Hæc ergo de Tumoribus præter Naturam, Tuberculis, Pustulis, ac Excrescentijs, & alijs ad propositam materiam pertinentibus, quam potuimus, diligentissimè ex multis multorum Veterum scriptis in pauca contulimus, & Deo auspice alia Chirurgica Opera conscribemus; Modò superest, vt Deo Optimo, Maximo, Deiparæque semper Virgini pro viribus gratias agamus, qui mentem, vocem, calamumque meum in æternæ salutis viam, ac proximi vtilitatem dirigunt, & vos Studiosi Lectores benè plaudite.

FINIS.

CHEIRVR-

CHEIRVRGIÆ FRANCISCI PECCETTI COELESTINI CORTONENSIS, PHYSICI, ATQVE CHEIRVRGI.

LIBER SECVNDVS.

De Vulneribus in vniuersali, quàm in particulari, & tùm à Sclopeto factis, quàm à quolibet alio instrumento.

De Vulneribus in vniuersali. Cap. 1.

Ordo seruandus.

QVM abundè in superiori libro de Tumoribus præter naturam fuit dictum, modò, vt ordinatim in his nostris operibus Chirurgicis procedamus de vulneribus breuiter, ac faciliter verba fumus facturi. Primum generalem de vulneribus theoriam instituendo, deindè particularem, ideſt cuiuſuis partis vulnerum curationem docendo. Ordo ergo erit huiuſmodi; Primò, quid nominis, ideſt quid vulnus ſignificet: Secundò, quid rei, ideſt quid ſit vulnus: Tertiò, ſub quo morbi genere compræhendatur: Quartò, quæ partes in huiuſmodi morbo afficiantur: Quintò, vulnerum ſpecies, ac differentias aſſignabimus: Sextò, cauſas: Septimò, ſigna, ac prognoſtica: Octauò, vniuerſalem vulnerum curationem inſtituemus.

Quid nominis?

Quòd Latini vulnus appellant, Græci Trauma dixerunt, Arabes, & Recentiores plagam nominant; Galenus tamen hoc nomen vulnus plura, pluribus in locis ſignificare voluit; Largè enim ſumptum omne morbi genus ſignificare voluit, *vt lib. de artic. text. 17. comm. 30. lib verò 2. meth. cap. 1.* inquit, *Quod vulnus tantùm ſolutionem continui in carne factam ſignificat, lib. verò de art. conſtitut cap. 6. Vulnus continui ſolutionem in carne ſolùm caſim factam ſignificare vult.*

Nos verò in hoc noſtro libello per vulnus intelligemus omnem continui ſolutionem, tam cæſim, quàm punctim, ſiuè contuſim factam, non ſolùm carnis, ſed neruorum, venarum, arteriarum, & aliarum mollium partium. Per partes molles, omnem in humano corpore ſubſtantiam, oſſibus exceptis, intelligendo.

Vulneris verò definitio eſt hæc; vulnus eſt continui ſolutio recens, & cruenta, ſine pure in mollibus partibus extrinſecus incidens, ſiuè ab aliquo externo inſtrumento inflicta.

Quid ſit vulnus?

Hæc vulneris definitio optima eſt, cum ex genere, & differentia conſtet, & optimè vulneris naturam explicet, neque magis, neque minùs compræhendat, vt manifeſtè patet; Continui enim ſolutio eſt loco generis, reliqua differentiarum loco ſunt. Qua-

Quatenùs ergo inquit, *Quòd hæc continui solutio recens est, & sine pure, & quod ab extrinseco accidit, distinguitur ab vlcere, cum vlcus similiter sit continui solutio in mollibus partibus, sed est antiqua cum pure, & putrefactione, & ab intrinseco, vt plurimùm prouenit; diximus in mollibus partibus, vt a fracturis, quæ in ossibus fiunt, distinguatur.*

Elicitur verò præfata definitio à *Gal. com. 1. & 2. lib. de fracturis lib. 2. & 3. meth. lib. de artis constitutione, & ex pluribus alijs locis.*

Qui morbus sit?

Quod huiusmodi continui solutio sit morbus, & non symptoma, minimè dubitandum, cum vulnus sit affectus præter naturam actionem primò lædens, quæ est morbi definitio, & *Gal. lib. de Artis constitutione cap. 6.* inquit, *Verùm si quis coalitus dissoluatur, non vitiosa tantùm huiusmodi affectio, sed iam morbus est. Vocatur autem hoc genus doctrinæ illustrioris gratia, vnitatis solutio. Nihil tamen refert, si quis etiam continuitatis solutionem vocet.*

Partes affectæ.

Quæ verò pars vulnere afficiatur, inquit *Gal. lib de constitut. Artis*, dicens, *Vnitatis solutio communis est morbus similarium & instrumentalium partium quamuis magis propriè, & primò similaribus partibus conueniat, quàm compositis*, vt inquit *Gal. lib. 1. de morbis, & symptomat. & Auer. 2. & 3. colliget.*

Communis ergo est hic morbus vtrique generi partium, idest similaribus, & instrumentalibus, non quòd semper in vtroque genere fit, sed quia vtriq; euenire potest; Modò, ne per ignota procedamus, dicendum, quæ sint similares partes, & quæ instrumentales, & organicæ. Similares ergò partes, vt inquit *Arist. 1. de historia animal. cap. 1. Gal. 1. meth. cap. 6. Sunt quarum particulæ idem nomen, ac eandem definitionem cum suo toto habent, ac retinent, vt sensibus patet, vt quælibet ossis particula (si os in plures partes diuidatur) Os dicitur, & eandem definitionem cum toto osse retinet. Instrumentales verò partes, siuè organicæ sunt, neque ex similaribus sunt compositæ, & si diuidantur, qualibet illius particula, neque idem nomen, neque eamdem definitionem cum suo toto retinet, vt si faciem diuidamus, vel manum, vel pedem tantùm abest vt partes illæ vocentur facies manus ac pedes, vt nec vllum quidem nomen sortiantur, nisi diuisio vsque ad minimas, & similares perueniat, ac fiat.*

Pars similaris, quæ sit?

Partes organicæ quæ sint?

De Speciebus, ac differentijs solutæ Vnitatis. Cap. 2.

CVM superiùs dixerimus, quod per vulnus intelligimus omnem continui solutionem, tam cæsim, quam contusim factam, modò declarandum, quid vnaquæque harum continui solutionum species sit.

Quid sit incisio?

Incisio est plaga, siuè vulnus cæsim illatum instrumento longioris aciei, vt ense, vel alio simili instrumento.

Punctio quid sit.

Punctio est alicuius membri perforatio à re acuta, vt sagitta, pugione, mucrone, aut ab alicuius animalis morsu, vel ictu facta.

Contusio, quid sit?

Contusio est interna membri continui solutio ab extrinseco integra apparente, quæ fit ab instrumento graui, ac retuso, vt si quis aliquod membrum in lapidem impingat, aut ligno acriter, ac fortiter percutiatur. Hæc verò contusio, secundùm quòd diuersis partibus euenit, diuerso nomine insignitur, vt si in mollioribus partibus accidat, vt carni, collisio, & contusio dicitur.

Si in durioribus fiat, vt in ossibus fractura nominatur. Si verò in tensis partibus fiat, vt in neruis, venis, membranis, arteriis, & tendonibus, ruptio dicitur.

Gal. 4. & 6. meth. c. 1. & lib. de art. constitut. infrascript solutæ vnitat. species enumerat Vulnus Vlcus, Fractura, Conuulsio, siuè Distensio, Scissio, Punctio, Auulsio, siuè Diuulsio, Ruptio, siuè Scissura, Contusio, siuè Collisio, Ecchymosis, Anastomasis, Caries, & Erosio.

Vulnus dicitur, vbi caro citrà tensionem, idest cæsim soluitur, quæ continui solutio recens, & cruenta est.

Vlcus

Vlcus quid ſit? Vlcus eſt ſolutio continui in carne cum Pure.

Fractura quid ſit? Fractura ſolutio continui in oſſe dicitur.

Conuulſio quid ſit? Conuulſio, ſiuè diſtenſio in neruo, ideſt, vbi ſic filamenta tenduntur, vt diſrumpantur.

Sciſſio quid ſit? Sciſſio dicitur vbi neruus citrà tenſionem ſoluitur.

Punctio quid ſit? Punctio dicitur, ſi vulnus ab acuto telo inferatur.

Auulſio quid ſit? Auulſio, ſiuè diuulſio, vbi continui ſolutio in ligamento fit.

Ruptio quid ſit? Ruptio, ſiuè ſciſſura, ſi in muſculis fiat.

Contuſio quid ſit? Contuſio, ſiuè colliſio à graui, ac retuſo telo fit, & in vaſis propriè fit.

Echimoſis quid ſit? Ecchymoſis, ſiuè ecchymoma fit, quandò ſanguis ſubter cutem effunditur, ac coadunatur, & vt plurimùm à contuſione, & ruptione prouenit.

Anaſtomaſis quid ſit? Anaſtomaſis eſt oris vaſorum apertio, quatenùs ecchymoſim efficit.

Adeſt etiam diapedeſis, in qua ſanguis traſcolatur, quæ ad anaſtomaſim reduci poteſt.

Caries quid ſit? Caries eſt oſſis corruptio, quæ, & ab interna, & ab externa cauſa fieri poteſt, præſertim ab acri materia.

Eroſio quomodò fiat? Eroſio verò, vt plurimùm venis, ac arterijs intrinſecus fit ex mordenti, & acri materia.

Auicenas ſimiliter *ſen. 2. lib. 1. multas continui ſolutionis ſpecies tradidit, & ſunt infraſcriptæ, Excoriatio, ſiuè ſcarificatio, quæ in cute fit vulnus, ſiuè plaga in carne recens, & cruenta, vlcus in carne cum pure, inciſio in oſſe ſecundùm latum fractura in oſſibus, ſciſſura in oſſibus ſimiliter ſecundum longum, apertio in venis, & arterijs, attritio in extremo muſculi, punctura in neruo, ruptura in panniculis, ſiuè membranis, & in diaphragmate, & contuſio, quæ apud ipſum eſt numeroſa in oſſe continui ſolutio, & quædam aliæ, quas enumerare ſuperfluum eſſet, cum parùm de nominibus ſolliciti eſſe debeamus, vt Galenus* inquit.

De Vulnerum differentijs. *Cap. 2.*



Differentiæ verò vulnerum à tribus præcipuè ſumi debent, vt inquit Gal. pluribus in locis.

Prima, ab affectæ partis natura, in qua vulnus conſiſtit, vt inquit *Gal. 3. artis medicinalis*.

Secunda, ab ipſius vulneris eſſentia, vt inquit *Gal. 3 meth.*

Tertia, vulnerum differentia ſumitur à proprijs differentijs ſolutionis continui ex vulnere excitati, vt *loc. cit. Gal.* inquit.

Differentiæ ab affectæ partis natura, ſunt; Quod quædam vulnera ſunt in partibus conſimilibus, ſiuè ſimilaribus; Quædam in organicis, ſiuè inſtrumentalibus vulnera, quæ ſunt in ſimilaribus partibus, aliqua ſunt in parte molli, vt in carne, & pinguedine, alia in dura, vt in oſſe, & iunctura, alia in mediocri, vt in neruo, tendine, ligamento, arteria, & vena.

Vulnera ſimiliter organicarum, ac inſtrumentalium partium, alia ſunt in principe parte, vt in corde, cerebro, vel in iecinore.

Alia ſunt in parte principi deſeruiente, vt in aſpera arteria, Oeſophago, veſſica, & his conſimilibus; Alia ſunt in partibus principibus non deſeruientibus, vt in auribus, naſo, oculis, manibus, pedibus, & his conſimilibus.

Differentiæ vulnerum ab ipſius vulneris eſſentia ſunt, quod vulnus, vel eſt ſimplex, vel compoſitum.

Vulnus ſimplex, quomodò dicatur? Vulnus ſimplex tripliciter dicitur; Primo modo cum ſeorſim punctione, vel inciſione, vel contuſione continuum ſoluitur. Secundo modo, cum extima tantùm cutis diuiditur, vel ſi altiùs penetret, nulla tamen fiat ſubſtantiæ deperditio; Tertio modo, quandò ſolum adeſt vulnus, & nullum graue ſymptoma coniunctum, ac complicatum habet.

Compoſitum vulnus ſimiliter tribus

dicitur

Vulnus compositum, quotdicatur modis?

Compositum vulnus similiter tribus dicitur modis; Primò, quandò cum incisione punctio est coniuncta, vel simul adest incisio, Punctio, & Contusio; Secundo modo, vulnus dicitur compositum, quandò cum continui solutione multa substantiæ deperditio adest. Tertio modo dicitur, quando cum vulnere aliquid est coniunctum, sicuti venenum, vt quandò à venenato instrumento, vel venenato animali fuerit factum, vel aliquod paruum symptoma coniunctum habuerit, vt sanguinis hemorragia, dolor, delirium, syncope, prüritus, vel quid simile, vt inquit *Gal. 4. Meth.* Vel quando cum vulnere aliquis morbus alius est complicatus, vt intemperies erysipelas, phlegmo, vel quid simile, vel quando vulnera cum suis causis sunt coniuncta, vt plumbeis globulis, sagitta spiculis, & his similibus.

Vulnerum differentiæ à proprijs solutionis continui differentijs à tribus sumuntur, vel à quantitate, vel figura, vel æqualitate, & inæqualitate.

Differentiæ à quantitate sunt magnum, paruum, lungum, breue, latum, angustum, superficiale, profundum, per totum membrum penetrans, vel non penetrans per totum membrum.

Differentiæ à figura sunt, Vulnus rectum, Obliquum, Pampini modo retortum, aut hami ritu.

Differentiæ ab æqualitate, vel inæqualitate sunt, Vulnus totum apertum, vel partim apertum, & partim sub cute latens.

Possumus etiam addere differentias à tempore sumptas, vt vulnus recens, vel antiquum, vel, vt est in statu, vel in declinatione.

Cum hæc omnia curationem varient; Alia enim medicamenta in principio conueniunt, alia temporibus alijs.

Similiter differentiæ à generationis ratione, & a situ, siuè loco in eadem parte affecta sunt addendæ.

A generationis ratione vulnerum differentiæ sunt, vulnus diruptum, vel incisum, vel partim incisum, & partim diruptum, punctio nerui, vel nerui præcisio, venaque, vel arteriæ præcisio.

Vulnerum differentiæ à situ, siuè loco in eadm affecta parte sunt vulnus secundum membri lungitudinem, vel secundum transuersum, in principio musculi, in medio musculi, vel in fine musculi. Hæ ergo omnes sunt vulnerum differentiæ, quæ optimè à Medico sunt perpendendæ; cum indicationes cuarient, præsidia, & prognostica, & tandem curandi regula ex omnibus his differentijs desumitur, vt in sequentibus manifestè apparebit. Cum non sufficiat tantùm vniuersalis indicatio in vulneribus curandis; ideſt, quod quando continuum est diuisum, vniri tantùm expostulet: Sed, vt benè, ac rectè curemus particulares indicationes optimè sunt perpendendæ, quæ à prędictis differentijs sumuntur, & à læsæ partis temperamento, actione, vsu, & situ. Cum hæc omnia nobis denotent, quæ vulnera incurabilia sint, & quæ curabilia, & quæ faciliter, & quæ difficulter. Et similiter ad remediorum rectam inuentionem maximè prosunt, cum optimus Medicus recto iudicio, ac methodo optimè omnia prædicta delquirat, ac perpendat, vt rectè iudicet, ac medic. conuenientia lungo vsu, ac experientia comprobata adinueniat, ac instituat.

De Vulnerum causis. *Cap. 3.*



Vlnerum quidem causæ, vt inquit *Galen. lib. de causis Morborum, cap. vltimo, Sunt omnia illa instrumenta, quæ extrinsecus aduenientia continuum soluere, ac diuidere possunt, incidendo, pungendo, contundendo, abrumpendo, ac erodendo vulnerant, & incidunt, quæcumque tenuia, & lata sunt, vt gladius, ensis, & quid simile. Perforant acuta, vt sagitta, acus, & similia, & animalia pungentia, ac mordentia. Contendunt grauia, dura, ac retusa, vt lapis, lignum, plumbum, ferrum, & tandem omnia, quæ grauia, dura, ac retusa sunt, & contusiones maximè fiunt, vbi subiecta corpora dura sunt, ac ictui resistunt, vt in ossibus ex carnibus, ideſt in cubito, genu, & his similibus.* Abrumpunt quæcumque vehementi motu in contrarias partes diuellunt, ac distendunt, vt sunt validæ, & vehementes actiones, veluti vehemens cursus, saltus, vociferatio, grauissimorum onerum gestatio, casus ab alto, & his similia. Erodunt valida medicamenta, vt caustica, ignis, ferrum candens, & denique quæcumq; partis substantiam absumere possunt, vt inquit *Gal.*

4.meth c.1. & omnes has causas lib. art. medicin cap.80. Gal. sub his quatuor connumerat, ac reducit, ideſt ſub ſectione, eroſione, contuſione, & tenſione.

Vulnerum verò cauſæ, optimè à Medico inueſtigandæ, ac perpendendæ, ſic etiam tempus, quandò ad præſentis affectus, qui noſtram fugiat notitiam, cognitionem deſeruiunt, & de aliquo imminenti malo, vel bono, quod ſuccedere poſſit, nos præmonere poſſunt, vt ſi inſtrumentum fuerit magnum, vel paruum, ponderoſum, vel leue, acutum, vel retuſum, venenoſum, vel non venenoſum, & ſimilia. Niſi verò quid lateat in affectu externarum cauſarum notitia, ſiuè tempus, nullam vtilitatem afferre poteſt, & ideò paruipendendæ; Cum à vulnerum cauſis, vt inquit *Gal. 4 meth. cap.3. Indicationes in curatione non ſint ſumendæ, vt etiam manifeſtè patet, quoniam indicationes ſemper à permanentibus ſumuntur, & vulnerum cauſæ iam abierunt; Ergo ab his indicationes ſumi poſſunt. Similiter omnis curatio tantùm circa præſentia verſatur, & circa futura eſt prouidentia; Sed vulnerum cauſæ iam abierunt, & amplius non adſunt; Ergo curationem non expoſtulant, & conſequenter abillis nulla curandi indicatio ſumi poteſt, cum non amplius lædant, nec lædere poſſint; Tantùm ergò in vulneribus cauſæ à Medico inueſtigandæ ac tempus, quando aliquid in affectu adeſt, quod noſtram cognitionem fugere poſſit, vt ſuperiùs fuit dictum, & hæc de cauſis ſatis.*

De Signis, ac Vulnerum Prognoſticis. *Cap.4.*



Signa in vulneribus oculi ſenſu inueſtigantur, cum hoc ſenſu vulneris ſpeciei, differentiæ, partiſque affectæ in cognitionem deuenire poſſimus, læſam actionem, excuntia, & ſymptomata optimè animaduertendo, particularum verò affectarum ſigna ſuis locis, ideſt quando in particulari de vulneribus agemus, aſſignabimus.

Prognoſtici vtilitas.

Quoad prognoſt. & ſi *Hipp. p.1. Aph.* dixerit, *Iuditium eſſe difficile tamen idem Author in principio primi prædictionum*, dixit, *Optimum eſſe Medicum vti Prognoſtico, non tantùm, vt infirmi propenſius, ac facilius Medico pareant, ſed vt elunginquò ſymptomata quæ ſuperuenire poſſunt, præuidendo, illa aptis medic. ne eueniant, procurare, & ſi euenerint curare poſſit. Vtque etiam crimine vacet interemptionis, ideſt ne ei mors, quæ vi morbi ſuccedit, imputetur*, vt inquit *Gal. in eius comm. His ergo de cauſis iuditium in quolibet morbo faciendum, & non ſolùm his de cauſis prognoſticum in vulneribus faciendum, ſed etiam ob ſchedas, quæ Magiſtratibus dari debent.*

Obſeruanda in prognoſtico bona facien do.

Vt ergò optimè rectum iuditium, ſiuè prognoſticũ faciamus, quatuor ſunt conſideranda, ac obſeruãnda; Primò, pars affecta; ſecũdò vulnus; tertiò, habitus, tùm corporis totius, tùm affectæ partis; quartò, res nonnaturales.

Quo ad primum, ſex ſunt conſideranda, primùm eſt affectę partis dignitas, ſi nobilis, vel ignobilis, principalis, vel principali parti deſeruiens; Secundum, partis ſubſtantia ſi ſit dura, vel mollis, vel mediocris; Tertiò, eius temperies, ſi ſit calida, vel frigida, &c. Quartò, ſitus, ideſt ſi in profundo loco ſit ſita, vel in ſummo, & ſuperficiei proximo; Quinto; vulneratæ partis quantitas, & numerus; Sextò, vſus, conformatio, & partis actio, vt ex. gr. Si cor vulneretur, neceſſariò tale vulnus mortem infert, tùm ob partis prętſtantiam, cum nobiliſſimum viſcus ſit, tùm etiam, quia ſubſtantia durum eſt, & ideò glutinari non poteſt, ſimiliter eius temperamentum calidiſſimum eſt, & ideò inflammationi bus aptiſſimum; In parte ſimiliter eſt ſitum, in qua manus admoueri non poteſt, & in continuo eſt motu, & ideò conſolidari nequit, & omnibus his de cauſis neceſſariò mortem ſuccedere eſt neceſſe. Sic venæ cauæ, & arteriæ aortæ vulneribus accidit, cum harum partiũ ſubſtantia ſit neruoſa, vſus ſit neceſſarius, & manus admoueri non poſſit. Hęc ergo omnia circa affectam partem ſunt conſideranda.

Quot modis vulnera dicantur magna?

Quo ad ſecundum vulnus, conderandum ſi ſit magnum, vel paruum, & ſciendum, quod vulnera magna dicuntur, vt inquit *Gal. 4. Meth 6.* vel ob partis præſtantiam, in qua ſunt, ſicuti in corde, cerebro, hepate, & his ſimilibus, vel quia verè ſunt magna, vel ſecundum lungitudinem, vel latitudinem, vel profunditatem, vel quia ſunt cachoetæ, ideſt maligna, contumacia, & rebellia, vt in articulis, tendonibus, neruis, & his ſimilibus partibus.

Quo ad tertium, ideſt ad habitum, & temperiem totius corporis, ac affectæ partis, maximè ad præſagiendum confert, quia in corpore cacohimo, ideſt prauis ſuccis

repleto

repleto, vulnera sæpissimè mortem afferunt, & si sanentur, cum difficultate hoc consequitur. Sic quandò in vulnerata parte, aliqua mala intemperies, vel infectio adest; Aetas similiter consideranda, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 26.* dicens, *Quin etiam confert aliquid, & ætas, & corpus, & vitæ propositum, & anni tempus, quia facilius sanescit puer, vel adolescens quàm senior valens, quàm infirmus, neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quàm si alterum ex his est, integri habitus quàm corrupti.*

Quoad sex res nonnaturales, quod est quartum obseruandum in rectè præsagiendo, maximè interest anteactus, & præsens viuendi ordo in vulneribus curandis, cum inordinatè viuentes difficiliùs sanentur, & hoc Celsi authoritate comprobatur, loco, citato, dicente, *Facilius sanescit exercitatus, quàm iners, sobrius, & temperatus, quàm vino venerique deditus,* Opportunissimumque curationi tempus Vernum est, aut certè, neque feruens, neque frigidum. Si quidem vulnera, & nimius calor, & nimium frigus infestant, maximè tamen horum varietas, ideòque pernitiosissimus Autumnus est, *Hipp verò Aph. 20. lib. 5.* inquit, *Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insopportabilem facit nigrorem inducit, rigores febriles, conuulsiones ac tetanos creat,* & si de Vlceribus *Hippoc.* verba fecit, *Hoc etiam de Vulneribus intelligendum, eum apud Græcos Vlcus, & Vulnus vt plurimum, pro eodem accipiatur,* & *aph. 22 dicti libri,* inquit, *Calidum, in quo vlcere pus mouet, maximum securitatis præstat indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulsiones, tetanos mitigat, capitis grauitatem soluit. Ossibus fractis plurimùm prodest, maximè si nudata sint, multoque magis, si in capite,*

His etiam prodest, quæ moriuntur, aut vlcerantur à frigore, herpetibus, denique exedentibus, sedi, pudendo, vtero, vesicæ, his omnibus calidum amicum, & decretorium, frigidum inimicum, & interimens; Maximè verò aeris temperies, cæliquestatus, victus, animi passiones, & reliquæ sex res nonnaturales ad rectè præsagiendum conferunt, vt ex superioribus authoritatibus patet, & ideò optimè perpendendæ. Sciendum etiam, quod ex vulneribus aliqua necessariò mortalia sunt, quædam verò non ex necessitate, sed magna ex parte, & è contra quædam omninò sanabilia, quædam, vt plurimùm, vt inquit *Gal. in com. 18. lib. 6. aph.*

Necessariò mortalia sunt vulnera cordis substantiam penetrantia, magna ac profunda cerebri substantiæ vulnera, similiter ieiuni oris diaphragmatis ventriculi, oesophagi, pulmonum, asperæ arteriæ, cisti fellis, renum, tenuium intestinorum, ieiuni dicti, præsertim vulnera arteriæ aortæ, venæ cauæ, & aliarum magnarum venarum, ac arteriarum, similiter mesenterij, spinalis medullæ, & aliorum principum membrorum, aut ipsis principalibus membris seruientium, ministerio quidem ad vitam necessariò. *Vulnera, quæ necessario sunt mortalia.*

Vulnera non ex necessitate mortalia, sed magna ex parte, sunt quæ propè ad principes partes accedunt, vel eas superficie tenus & leuiter attingunt, vt inquit *Gal. 14. Meth. Similiter vulnera cachoeta, ideſt articulorum, neruorum, capitum musculorum, & tendinum parua pulmonum vulnera, lienis, crassorum intestinorum membrana cerebri, & similia.* *Vulnera magna ex parte mortalia.*

Vulnera omninò sanabilia, & quæ tutiorem curationem habent, si rectè curentur, sunt, quæ in partibus carnosis fuerint accepta vbi pauci nerui, & venæ, & arteriæ paruæ, & non multæ reperiuntur, & in bono totius corporis habitu, ac partis sunt, neque magna adest diuisio, neque secundum longitudinem, neque latitudinem, neque profunditatem, *Vulnera sanabilia quæ.*

Vt plurimùm sanabilia vulnera, sunt illa, quæ in musculorum carnosorum capitibus longè à iuncturis, & temporibus fuerint, similiter caluariæ vulnera, thoracis abdominis, nisi quid ex internis partibus fuerit læsum. Hæc ergo vulnera, si fuerint in bono corporis habitu, bonaque partis affectæ temperie, & medicus, infirmus, & astantes suo fungantur munere, & externa sint ritè comparata, vt plurimùm sanari solent. Modò authoritates in medium adducamus, *Vulnera, vt plurimum sanabilia.*

Hipp. 6. aph. 18. inquit. Pertusa perfectaque vesica, cerebro, corde, septo transuerso, tenui quopiam intestino, ventriculo, iecore lethale est; Vtque Gal. in eius com. inquit, intelligendum de maximis harum partium vulneribus, & si in vesica, septo transuerso, & ventriculo vulnus fit in partibus neruosis, talia vulnera necessariò mortem afferunt. Si verò vesi-

ca, & diaphragma ſint vulnerata in carnoſa parte ſanari poſſunt, vt in dies, videmus in iis, in quibus lapis è veſſica extrahitur. Sic ventriculi parua vulnera, & in eius fundo, & ieiuni ſimiliter ſanari poſſunt, cerebri verò magna vulnera, & ad ventriculos penetrantia, & ſi Galenus, & alij Authores ſcribant, aliqua ſe ſanaſſe, eſt tanquam miraculum, & de rariſſimè contingentibus.

De ſepti tranſuerſi vulneribus, *Galen. 5. meth.* inquit, *Tranſuerſi ſepti vulnera in carnoſis quidem partibus, ſubindè coaleſcere ſunt viſa, eius motu non obſtante; Quæ verò in neruoſis eius hærent, inſanabilia ſunt; ſanè difficilis, grauiſque curatio eſt etiam eorum, quæ in carnoſis ſunt partibus, ſi has tam phlegmone occupauit, Difficulter verò ſalia vulnera curantur ob ſaniem ad tale vulnus defluentem, quæ impedit, ne vulneris labia coaleſcant.*

Cor. Celſus lib. 5. cap. 28. inſanabilia vulnera enumerans, inquit, *Sanari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui iecoris porta, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, cuique, aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenue inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cui ve circa glandes vena, vel arteria præciſa ſunt.*

De vulneribus difficilem curationem habentibus, & de non ex neceſſitate mortalibus inquit, *Vix autem ad ſanitatem perueniunt, quibus vlla parte pulmo, aut iecinoris craſſum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lien, aut vulua, aut veſſica, aut vllum inteſtinum, aut ſeptum tranſuerſum vulneratum eſt. Hi quoque in præcipiti ſunt, in quibus vſque ad grandes, intuſq; conditas venas in alis, vel poplitibus mucro deſcendit.*

Periculoſa etiam vulnera ſunt vbicumq; venæ maiores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. Idque euenit non in alis tantùm, atque poplitibus, ſed etiam in his venis, quæ ad annum teſticuloſque perueniunt. Præter hæc malum vulnus eſt, quodcumque in alis, vel feminibus, vel inanibus locis, vel in articulis, vel inter digitos eſt. Item quodcumque muſculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem leſit.

De iis vulneribus, quæ tutiſſimè, ac facillimè curantur, inquit, *Tutiſſimum omnium, quod in carne eſt, & hæc quidem loco, vel peiora, vel meliora ſunt. Modò verò periculum facit, quodcumque magnum eſt.* Inferiùs verò inquit dictus Auctor, *Quod vulnus etiam colliſum peius eſt, quam quod tantùm diſciſum eſt, adeò vt acuto quoque quam retuſo telo vulnerari commodius ſit. Peius etiam vulnus eſt, ex quo aliquid exciſum eſt, ex quoue carо alia parte abſciſſa, dependet. Peſſimaque plaga in orbem eſt. Tutiſſima, qua linea modò recta eſt. Ex eo deindè proprius huic illiue figura vulnus eſt eo, vel deterius, vel tollerabilius eſt. Hippſimiliter 6. aph. 19.* inquit, *Perfectum os, aut cartilago, aut nerus, aut gena tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit, & hoc intelligitur per viam primæ intentionis.* Quintò verò *aph. 65.* inquit, *Quibus ſunt cum vlceribus tumores conſpicui, non admodum euellantur, aut inſaniunt, quibus verò repentè euanuerint, ſi quidem poſtica parte factum ſit, conuulſiones, & tetani accidunt; Si verò à fronte inſania, lateralis dolor acutus, empiema, & diſſenteria, ſi rubicundi fuerint tumores, &* ſeq. *aph.* inquit, *Si magnis vulneribus, & prauis tumor non appareat ingens eſt malum. Per praua vulnera, vt Gal. in comm.* inquit, *intellexit Hipp. Vulnera neruorum, capitis, & finium muſculorum, articulorum, & aliarum neruoſarum partium, cum in his doloris vigiliarum; conuulſionis, & delirij adſit periculum.* *Vulnera praua, quæ dicantur?*

C. Celſus lib. 5. cap. 26. inquit, *Nimis verò intumeſcere vulnus periculoſum, nihil intumeſcere, periculoſiſſimum eſt. Illud inditium eſt magnæ inflammationis, hoc emortui corporis.*

Idem loco citato, inquit, *Protinùſque ſi mens homini conſiſtit, ſi nulla febris acceſſit, ſcire licet, maturè vulnus ſanum forè.*

Ac ne febris quidem terrere debet, ſi in magno vulnere, dum inflammatio eſt, permanet. Illa pernitioſa eſt, quæ, vel leui vulneri ſuperuenerit, vel vltrà tempus inflammationis durat, vel delirium mouet, vel ſi neruorum rigor, aut diſtenſio, quæ ex vulnere orta eſt, eam non ſinit. Vomitus quoque bilioſus non voluntarius, vel protinùs, vt percuſſus eſt aliquis, vel dum inflammatio manet, malum ſignum eſt, in his dumtaxat, quorum, vel nerui, vel etiam neruoſi loci vulnerati ſunt. Sponte tamen vomere, non alienum eſt, præcipuè his, quibus in conſuetudine fuit. Sed neq; proti-

iusmodi actione desistendum, ne ægrotans manibus in nostris maximo cum dedecore animam agat, ac exhalet. Hoc verò euenit, cum dicta instrum. fuerint nobilibus partib. & ad vitam necessarijs infixa, vt cordi, dorso venæ, cauæ, vel arteriæ magnæ temporali musculo, cerebri, basi, & his similibus; Cum multi in his partibus vulnerati per integram diem superuixerint, non extracto instrumento, & extracto statim, vel ob magnam sanguinis profusionem, vel ob maximam alterationem periere. Si verò speramus, quod infirmus superuiuere possit, licet ex tali extractione sanitatem recuperandi paucam spem habeamus, extrahendum est instrumentum.

Extractio quot modis fiat, & quibus?

Huiusmodi verò extractio duobus modis fieri potest, vel instrumentis, vel medicamentis, instrumenta, quæ apprehendi possunt, quando citissimè extrahunt, med. longo temporis spatio; Præcipuè verò instrumentis in infrascriptis casibus vti debemus. Primò, quandò aliqua suspicio de veneno adsit. II. Quandò, de tumorib. vel abscess. partem corrumpentibus dubitamus. III. Quandò, instrumenti facilis est extractio. Si verò extractio sit difficilis, quod infixum apprehendi non possit, vt spina, ossis frustula, vel acus vel vitri, vel arundinis, vel quid simile, vel nisi cum maximo dolore, carnis dilaceratione, & magna apertione, nisi veneni, ac tumoris suspicio adsit, medicamenti extractio fieri potest.

Vtque faciliter, & rectè intùs infixa extrahere possimus, duo in primis sunt facienda; Primùm, vt infirmus in eo situ constituatur, ac situetur, in quo erat quando fuit vulneratus. Quod non obseruandum in plumbeis glandulis cum nunquam recto tramite procedant, sed obliquè cum semper ob eorum grauitatem ad inferiora tendant. Nisi verò ægritudo mouere possit, iacens saltem ita collocari debet, vt quàm maximè ad illam figuram accedat, atque ita quo telum tendit specillo explorandum. Secundò, debet infirmus ligari, vel fortiter à robustiss. ac fortiss. Ministris comprehendi, ac detineri, ita vt nullam membrum dimoueri possit, ne in dimouendo neruus, vel tendo ad affectam partem concurrat, & sic offendatur. Antequam etiam nosmetipsos ad tale opus accingamus

Considerandain extractione faciendæ.

quinque sunt considerandæ.

I. Si subitò, vel post temporis interstitium extractio fieri debeat. II. Si per attractionem, vel per protusionem, siuè impulsionem. III. Si integra infixa, educenda, vel rumpenda, ac comminuenda, vel intorquenda. IV. Si recto tramite, vel per obliquum, vel per transuersum educendum. V. Quibus instrumentis actio fieri debeat.

Quo ad primum, si instrumentum infixum dolorem excitet maximum, vel sit venenatum, vel rubiginosum, & extrahi faciliter possit, statim est extrahendum. Si verò ex teli extractione magnam sanguinis hemorragiam timeamus, vel quodlibet aliud magnum, & prauum symptoma, & si iam adsit inflammatio, ac tumor, quæ vulnus angustum reddiderint, vel si angustum fuerit telum, quòd profundè penetrauerit, vel si opportunum instrumentum ad tale opus faciendum non adsit, in his casibus differenda extractio, quousque inflammationis tempus præterierit, & putrescere vulnus inceperit, quod erit post diem nonum, cum partes circum circa tunc saniem fecerint, & ideò tunc temporis facilius extractio fit.

An verò per attractionem, vel propulsionem telum sit extrahendum, modò videndum est, quod est secundum considerandum. Attractio fit ab ea parte maximè, qua telum venit, sed interdum etiam ab ea, in quam tendit. Protrisio verò fit in partem oppositam ei, cui infixum est.

Extractio telorum, per quam partem sit faciendæ?

Ex qua verò parte sit extrahendum, indicationes sunt desumendæ, tùm ab ipsis telorum generibus, tùm ex ipsis affectis partibus, in quas penetrauerunt, quamuis *Celsus lib 7. c. 5 ac etiam Auic. & multi alij dicant, Semper eadem via, qua telum est ingressum extrahendum ne vulnus vulneri addamus, tamen non semper hoc faciendum, vt infrasc. rationibus manifestè patet.*

Tela ergo, quæ vibrantur, vel iaciuntur, sunt, vel oblonga, & angusta, vt sagittæ, vel lata, & rotunda, sicuti glans plumbea, vel angulosa, & triangularis formæ, trifulsa dicta, aciem ex tribus angulis habentia, aut spiculis cinta barbulata dicta, aut sine spiculis. Si igitur telum fuerit oblungum, & angustum, facilè infigitur, & altè penetrat, & ideò si maiorem membri partem penetrauerit, & in parte, in quam tendit, pauca incidenda sint, ab ea educendum, & hoc tantò magis faciendum, quandò telum spiculis fuerit cinctum, quæ magis laniãt. si retrò, quàm si contra propellantur, ac trahantur. Facta ergo in illa parte commoda incisione, propellendũ huiusmodi telum, vel astula, siuè arundine infixa, & inhęrẽte, vel aliquo alio instrumento, donec ex altera parte apprehẽdi, & extra-

hi poſſit. Hoc verò faciendum, quotieſcumque neque nerui, neque magnæ venæ, & arteriæ incidi debent.

Si verò tela infixa lata, vel rotunda ſint, vt glans plumbea, lapis, vel quid ſimile ab ea parte, qua venit extrahenda, quoniam ſi ab altera parte educerentur, ingenti vulneri ingens vulnus adiungeremus. Niſi verò vllo pacto extrahi poſſint, vel niſi maximo cum dolore, vel dilatatione, tàm diù dimittenda, donec natura ex ſe ipſa protrudat, ac manifeſtet, & interim vulnus ad cicatricem perducendum, cum in dies videamus plumbeas glandes, diù citrà vllam noxam in corpus deferri, deindè poſt lungi temporis ſpatium in parte aliqua abſceſſus fit, & abrumpitur, & foras ex ſe ipſo exilit.

Extranea intus contineri indicantia ſigna.

Signa indicantia huiuſmodi tela intus latere, ac recondita eſſe ſunt aſperitas, ſiuè inæqualitas, quæ contrectatione ſubeſſe perſentitur. Caro contuſa, & liuida cernitur, continuò dolor quidam cum grauitate inſtat, & plagæ ſinus non in rectum tendit, & maior, ac amplior redditur, & hæc de indicationibus à telis ſumptis.

In indicationibus, quæ ab affectis partibus ſumuntur, tria ſunt conſideranda, ac animaduertenda; I. quam partem telum penetrauit, ſi carnem, vel oſſa, vel artic. II. conſiderandum, quantùm in tales partes penetrauerit, ideſt ſi in ſummo, vel altè telum inſedit, vel non admodum altè, ideſt circa medium ſit infixum, ſiq; magna vaſa, & neruoſas partes pertranſiuit, nec ne. III. ſi tantum membrum vnum telo fuerit ictum, vel plures particulæ ſimul fuerint confixæ, vt ſi vna particula telo tranſoſſa, alteri affigatur.

Si telum igitur in ſumma carne fuerit infixum, & neruoſas partes, magnaque vaſa non tranſierit, parte qua venit, extrahendum eſt, ſimiliter quod altè fuerit infixum, ſi in oppoſita parte, in quam tendit, adſint magna vaſa, vt venæ, & arteriæ, vel neruoſæ partes, qua parte fuerit infixum ſimiliter extrahendum.

In quibus verò profundè telum in carne fuerit infixum, & lungiùs adeſt ſpatium, per quod telum reuertendum, quam qua propellendum, & iam magna vaſa, neruoſaſque partes pertranſiuit, & ex oppoſita parte parùm integræ partis ſupereſt, & de magnorum vaſorum, neruoſarumq; partium ſectione periculum non adeſt, melius eſt, quod ſupereſt aperire, atque eo propulſando telum extrahere. Nam, & propriùs petitur, & tutiùs euellitur. Et in maiori membro, ſi mucro medium tranſierit, idem faciendum; faciliùs enim, quod eſt peruium, ſaneſcit, cum vtrinque med. foueri poſſit, vt *Celſ. lib. 7. c. 5.* inquit, *Item ſi telum in oppoſita, vel vlteriùs proceſſerit, nec ea parte ipſum extrahi poſſit, in qua fuerit infixum, diuiſis ijs, quæ oppoſita ſunt, per illa ipſum extrahemus, vel euellentes, vel per eam partem, in quam tendit, propellentes, vt dictum fuit. Semper animaduertendo, ne neruoſæ partes, vel magna vaſa incidantur.*

Si telum igitur recipiendum, ideſt per viam, quam intrauit, amplianda ſcalpello plaga eſt, quo faciliùs id ſequatur, & minor, quoque inflammatio oriatur, quæ maior fit ſi ab illo ipſo telo, dum reddit, corpus laniatur. Item ſi ex alia parte vulnus aperiatur, laxius eſſe debet, quàm vt telo poſteà tranſeunte amplietur. Si verò in tranſeunte, vel vena, vel neruus fuerit detectus retuſo hamo eſt excipiendum, & ſcalpello abducendum, & ita tuendum, ne lædi poſſint.

Si telum oſſi inhæſerit, niſi attrahendo, ipſum eximere tutum eſt, & eo vſque dimouendum, donec is locus laxetur, qui mucronem momordit, vt inquit *Celſus loco ſuperiùs citato, & poſteà manu, vel inſtrumento aliquo extrahendum. Si verò altiùs telum in oſſe deſederit, quod cognoſcitur, ſi ita fuerit infixum, vt nullo pacto dimoueri poſſit. Tunc exciſorio cultro oſſe, quod iuxtà eſt exempto, aut etiam terebra, ſi os craſſum ſit, priùs perforato, telum ipſum extrahemus & niſi ita extrahi poſſit. Celſ. loc. ſuperiùs cit.* inquit, *Vltimum eſt, vbi non euellitur, terebra iuxta forare ab eo quoque foramine ad ſpeciem litteræ contra telum os excidere ſic, vt lineæ, quæ deducuntur, ad telum ſpectent.* Eo facto, neceſſe eſt id labat, & facilè auferetur: Alij terebra in rectum, ac lungum porrecta, quæ illis directa vocatur, oſſis præciſi rimas conuenientes, & telum infixum mordicus præhendentes deducunt, atque ita facilè, quod infixum eſt extrahunt. Si verò inter duo oſſa, ſi per ipſum articulum telum proruperit, inquit *Celſ. circa vulnus duo mombra faſcijs habeniſq; deliganda, & per has in diuerſas partes deducenda ſunt, vt tendones, ligamenta, & neruos diſtendant, quibus extenſis laxiùs inter oſſa ſpatium eſt, vt ſine difficultate telum recipiatur. Semper animaduertendo ne in extractione aliquis neruus, vel neruoſa pars, vel vena, vel arteria telo lædatur.*

Si

protinùs post cibum, neque iam inflammatione orta, neque cum in superioribus partibus plaga est.

Hippocr. aph.2. lib.5. inquit, *Conuulsio à vulnere pernitiosa, talis enim conuulsio, & si non ex necessitate, ac semper mortem afferat*, vt inquit *Gal. in eius comm. tamen crebro hoc efficere solet, & hoc præcipuè fit, quando neruosæ partes fuerint læsæ, & læsio cerebro communicatur, & primùm affectæ partis conuulsio fit, deindè corporis totius.*

Galen. cap.90. Artis medicinalis, inquit, *Quod vnio in instrumentalibus partibus impossibilis est. Quæ sententia plures potest habere sensus, vel quod per instrumentales partes intelligat partes verè instrumentales; Vel partes alijs partibus seruientes, vel partes compositas. Si primo sensu, ideſt quod partes ex toto præcisæ non coalescant, neque vniri possunt, verissimum est, & huius causa est, quia vnio fit ex nutrimento ex vtraque partium disiunctarum proueniente. Sed cum impossibile sit nutrimentum à parte abscissa proueuire; Ideò impossibile est partes omninò præcisas cum illis partibus vniri, à quibus extirpatæ fuerunt. Causa est, quia cor, & hepar ei non amplius influunt, quod eis aliquo modo non continuatur. Sed pars omninò præcisa nullo pacto, cordi ac hepati continuatur, nec corpori; Ideò ab illis neque vitam, neque operationem vllam recipere potest, & ideo emortua est huiusmodi pars. Quod autem non viuit, impossibile est continuari viuenti. In dies enim videmus, si aliquod membrum propter aliquod impedimentum cordis influentiam non recipiat, quod putrescit, & à corpore decidit. Vt ergò partes vniri possint, opus est actum vitæ, & nutrimenti vtrarumq; abscissarum partium seruari, & vitæ actus in spiritus caloriſque à corde influentia consistit, & actus nutrimenti per venas ab Hepate.*

Vnio, quo modo fiat?

Si verò Gal. textus pro instrumentalibus partibus, intelligantur partes, quæ habent operationes alijs inseruientes, vt sunt venæ, arteriæ, & nerui, falsa esset Gal. sententia, quia hę partes vniuntur. Sed, vt Gal. dictum seruemus, dicendum, quod Gal. per instrumentales partes, intellexit partes compositas, quæ à simplicibus distinguuntur, & per primam intentionem, & veram vnionem vniri nequeunt, sed per secundam, ideſt per aliquod medium vniuntur, & ideò dixit ibi Gal. Veluti carnosæ partes, quæ per primam intentionem agglutinantur, & ideò credendum, quod Gal. in tali loco intellexit, quod instrumentales partes, ideſt compositæ non vniuntur per primam intentionem, veluti carnosæ, sed per secundam, & ad hoc credendum me inducit, quia Capit. seq. ideſt 91. dixit, *Si autem os patiatur solutionem continui, non potest vniri, vt dixi*, & deindè subiungit,

Gal. sententiæ declaratio.

Potest tamen vniri per secundum scopum, siuè secundam intentionem.

Arist 3 lib.de Hist.animal. tom.2. inquit, *Vulnera difficulter coalescunt, vbi cutis ossibus immediatè adhæret sine carne, vel vbi est per se sine carne, aut cum pauca.*

Vulnera similiter in hidropicis sanari non possunt ob humiditatis copiam, cum *Hipp.lib de vlceribus*, inquiat, *Quod siccum est, ad sanum magis accedit, quod humidum ad vitiatum.*

Celsus lib.5 cap.26. inquit, *Quintò, iam die quanta inflammatio futura est se ostendit. Quo die rursùs detecto vulnere considerandus color est; Quod si liuidus, aut pallidus, aut varius, aut niger est, scire licet malum vulnus esse, idque quodcumque animaduersum est, terrere nos potest. Album, aut rubicundum esse vulnus commodissimum est. Item cutis dura, & crassa, dolens periculum ostendit. Bona signa sunt, vbi hæc sine dolore tenuis, & mollis est.*

De curatione vulnerum in vniuersali. *Cap.5.*



IN quolibet enim morbo curando, prima indicatio ab ipsius affectus essentia desumi debet, quæ præcipit, & ostendit contrariũ per suum contrarium esse tollendum, ac propellendum, & hoc inquit, *Gal. lib. de artis constitutione* dixit, *Quarè generalissimus curandorum morborum scopus erit contraria contrarijs remedia esse, & particularibus particularia contraria.* Idem etiam dixit 8. *de plac.5.de sanit.tuenda,1.ad Glauc.c.9.11. meth.lib.de diff.respirat. ac mult.alijs in lor.*

Vulnus ergo, cum sit continui solutio, vnitionem indicabit, sicuti quælibet alia continui solutio, vt inquit *Gal.lib.art.med.c.90.* & vnitio nihil aliud est, quàm reductus in vnũ. Nam per diuisionem duo, aut plura facta erunt,

Quid sit vnitio?

erunt, quæ priùs vnum erant. Cum ergò contraria contrarijs curentur, vt ſuperiùs fuit dictum, & curatio eſt illa, per quam naturalem ſtatum recuperamus. Neceſſe eſt ergo, vt ea, quæ per diuiſionem plura fuerunt facta, & rursùs vnum fiant, at continua, vt verè vnum ſunt; vt inquit Ariſtot.

Continua quæ dicantur, ſuè vnũ *Quorum extrema ſunt vnum, & eiuſdem generis cum his, quæ vnum ſunt.* Neceſſe ergò eſt, vt partes diuiſæ rursùs vniantur, & continuæ fiant nullo interueniente medio, quod ſit diuerſæ naturæ, quod ſoli carni contigit, vt inferiùs dicemus.

Hæc verò opio, quæ, vt diximus, eſt prima, & generalis indicatio à duobus perficitur, à natura, & à medico naturæ miniſtro, & auxiliatore; dicente Galeno, *lib. artis medicin. cap.* 90. *Coaleſcere autem facit ea, quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura.* Noſtrum verò opus eſt extrema diſtantium partium applicare, atque ita, vt in vnum coacta ſunt, conſeruare, tertio loco cauere, ne quid labijs vlceris intercidat, quarto ipſam partis ſubſtantiam conſeruare ſalubrem. Natura ergo hoc efficit tamquam agens præcipuum, & per ſe, & cauſa efficiens ſuis virtutibus adiuta, vt digeſtiua valida, quæ eſt alteratrix, & actrix, & conuenienti alimento (niſi fuerit impedita) Medicus verò tamquam naturæ miniſter, & impedimenta remouendo, per accidens curat; Alij medic. tamquam Medici inſtrumentum addunt, quod comprehendit Gal. ſub Medici nomine.

Obſeruãda ad vnionem faciendam. Vt ergo Medicus ſuum propoſitũ finem, ac intentionem conſequatur, ideſt vnionem ſex, dum opus ſuum exercet, obſeruare debet, vt elicitur ex ſuperiori cit. loco Galen. *in arte medicin. & ex Celſ. in lib. 5. cap. 26. & ex Auic. 3. 4. T. P. C. 3.*

Primum, vt ne quid extraneum in vulnus incidat, ac ingrediatur.

Secundum, vt quæ extrinſecus inciderunt, atque, ne vulneris labia coire poſſint, impediunt, tollantur, ac amoueantur.

Tertium, vt diſſidentes, ſiuè diſtantes partes coniungamus.

Quartum, vt ea in vnum iam commiſſa, & coacta ita conſeruemus.

Quintum, vt ipſam partis læſæ ſubſtantiam tueamur, ac ſalubrem ſeruemus.

Sextum, vt accidentia, ac ſymptomata vulneribus ſuccedere conſueta corrigamus, ac propellamus.

Quo ad primum, optimè animaduertendum, ne quid extraneum vulnus ingrediatur, & ideò quandò pili circa vulnus ſunt tondendi, vel radendi; vulnere priùs molli linteo, vel filamentis repleto, quoniam ſi intrà vulnus inciderent, & non extraherentur, glutinationem impedirent, ſic, & quodlibet aliud corpuſculum intrà vulnus contentum. Maximè etiam animaduertendum ne intrà vulnus oleum ingrediatur, vt inquit, *Gal. 3. meth. & Celſ. lib. 5. cap. 26. & Aetius lib. 14. c. 26. & Paul. lib 4. c. 36.* Quoniam omnia vnctuoſa agglutinationem impediunt, non ſolùm quia calefaciunt, & humectant, ſed quia vnctuoſa maximè labijs, & vulnerum parietibus adhærent, *& Hipp. lib. de vlceribus*, inquit, *Recenti vlceri, nec lenia, & pinguia medic. conueniunt.*

Si quid ergo intrà vulneris labia fuerit totum extrahendum, & hoc erit, quod ſecundo loco faciendum. Sæpè verò intrà vulnus ſanguinis grumi reperiuntur, pili, oſſis aliqua particula pungens, & aſpera, vel calx, vel arena, vel terra, vel telum aliquod, vt ſagitta, vel mucro, vel ſpina, vel arundo, vel quid ſimile. In his rebus extrahendis, niſi vulnus ad tale opus faciendum ſatis hiet dilatandum quantùm fuerit opus; modò ne venæ magnæ; neq; arteriæ, neq; nerui, vel tendines, neque ligamenta ſeccentur; & ſi adſit ſanguis in grumos concretus leniter goſſipio, vel molli linteo extrahere eſt tentandum, niſi ſuccedat, aliquo etiam ferreo inſtrumento ad tale opus vti debemus apto. Poſteà optimè vulnus aquoſa poſca, vel aqua oximellite mixta detergendum. Hoc enim Gal. præcepto fieri debet, qui 3. *meth. c.* 4. inquit, *Quod ſanguinis grumus ſolidationem impedit, & dolorem excitat, cum neceſſariò computreſcere ſit neceſſe.* Si verò pili, calx, arena, vel terra, vel quid ſimile intrà vulnus reperiatur, aquoſa poſca abluendum cùm aquoſa poſca dolorem remouendi vim habeat, & humores, ne ad affectam partem confluant, reprimendi. Si verò intrà vulnus adſint oſſis fruſtula, aut telum aliquod, aut ſagitta, aut mucro, vel ſpina, vel arundo, vel vitrum, vel quid aliud, quod conglutinationem impedire poſſit leuiter, ac iucundè, vel digitis, aut volſella, vel forcipe, vel alio id genus inſtrumento, prout res poſtulat, debet apprehendi, & euelli.

Sed in hoc opere faciendo, vt inquit *Gal. 3. meth.* conſiderandum, ſi poſt infixi inſtrumenti extractionem vulneratus ſuperuicturus ſit, nec ne, niſi ſuperuicturus ſit, ab huiuſmo-

Si pænitùs ambæ partes fuerint transfixæ dimidia ligni parte serta reseta eas ligni partes, quam facillimo fieri potest modo, euellemus. Vtrùm verò integra, aut comminuta spicula, & alia intra præter naturam contenta extrahi debeant; In hoc casu sciendum, quod omnia frangibilia, si possibile est integra sunt educenda, sicuti est vitrum, & similia, quia in parua frustula comminui solent, & ita postea comminuta appræhendi non possunt; Sic plumbeæ glandulæ frangi minimè debent, cum facilè plumbum deradatur, quæ rasura postea remanens consolidationem impedit. Nisi verò integra, vel nisi magno cum dolore extrahi possint, minuenda sunt. Similiter barbulatæ sagittæ si frangi, vel eorum spicula torqueri possent, optimum erit, & ideò experiri hoc, si fieri possit, debemus. Si ea maiora, valentioraque fuerint, fissis scriptorijs calamis, vel arundinibus, vel argenteis canalibus, vel aliquo simili instrumento contegenda, ac ne quid lacerent, sic sunt auellenda. Qua via extrahi debeant, superiùs diximus, & ideò non repetam.

Telo à corpore euulso, sanguis, qui ab infixo telo fuerit alteratus exprimi, ac educi debet, vt vulnus à putredine vindicetur, deindè, vt cętera vulnera curari debet.

Vulnera auenenato instrumento, quomodò curanda?

Si verò vulnus aliquo venenato instrumento fuerit factum, quam primùm telum extrahendum, postea alexipharmaca, quæ ijs, qui venenum per os assumpserunt, vel à venenato animali fuerint icti, dari solent, quam primùm propinanda. Deindè tota caro, quæ à veneno alterata, & mutata fuerit, si fieri potest, præcidenda. Cognoscitur verò alterata caro, quia à sana multum est diuersa, & admodum pallida, vel subliuida, & emortua apparet; Nisi verò tota hæc caro abscindi possit, vulnus saltem circum circa scarificandum, & vitiati sanguinis copia extrahenda; Deindè cucurbitula, vel aliquod simile instrumentum, vt venenum attrahat superponendum, vel tale vulnus, si cucurbitula non adsit, ab aliquo vili homine saturæ, qui neque in gingiuis, neq; in palato, neq; in qualibet oris parte vlcera habeat, fugendum, & ita venenum extrahendum.

Instrumenta apta ad tela extrahenda

Curare verò debemus, vt vlcera intrà os non habeat talis homo, quoniam, vt inquit *Celsus lib.5. cap.27. Veneno non gustu, sed in vlcere nocent. Ferramenta ad tela extrahenda multa ab antiquis fuere adinuenta, quibus bonus Cheirurgus debet esse munitus, sicuti est rostrum coruinum, forcipes, siue tenaculæ dentatæ, & non dentatæ, excauatæ, & planæ, argentei canales, & canulatæ forcipes, quibus ad spiculata tela extrahenda vtimur, ne in extractione partes dilanientur, ac offendantur, quorum vice scriptorijs calamis vti possumus; Similiter ferrei scalpri, & terebræ ad ossa amplianda, quibus tela sunt infixa; Similiter vulneris dilatatorium, gemina nouacula dicta, quod habet duos gladiolos intrà ferream fistulam latentes, & huiusmodi instrumentum clausum intra vulnus ponitur, quandò dilatationem facere volumus, comprimitur in manubriolo fistula, & aperiuntur gladioli, & sic vulnus dilatatur; Item impellens canum, quod appellatur etiam propulsorium fæmina, & impellens surdum, quod propulsorium masculum, & multa alia ad hunc vsum necessaria parata habere oportet. Quibus verò instrumentis in quolibet vulnere res infixæ sint euellendæ à prudenti Cheirurgo facilè excogitabuntur pro figura, & rerum infixarum varietate, & affectarum partium natura.*

Quandò verò ferreis instrumentis spinas, lapides, ossicula, vitri, fragmenta, surculos & alia similia infixa, & pungentia extrahere non possumus, ad extrahentia medicamenta confugiendum, ac recurrendum est, Inter quæ ab Auicen. infrascript. efficacissimè agere dicitur.

Med. extrahendi facultatem habentia.

℞. Fermenti, mellis optimi, propolis an. vnc.3. visci quercini, vel alterius generis, nisi quercini detur commoditas vnc. 1. ammoniaci vnc.5. olei vnc.1.5. misce, & S.A. fiat empl. quod calidum supra affectam partem ponatur, vel

℞. Gummi med. tiliæ extracti vnc.1.1. magnetis præparati vnc. 1. succini flaui præparati vnc. 5. opoponacis repurgati cum serpentariæ suco drag.3. terebenth. cerę an. q. suff. M. & S.A. fiat empl. Hoc enim non solùm ossium, ferri, lignorum, & vestium frustula, & glandes ad se attrahit, sed etiam venenum è vulneribus elicit, vel

℞. Radic. dictami nostratis, pulu. dictami cretens sagapeni, assæ fetidę, gumm. elmi an. dragm. 1. visci quercini vnc.5. vel cuiuslibet visci generis, resinæ pini vnc.1.5. euphorbij G. v. sulphuris viui scrup. 2. picis liquidæ, mellis crudi an. q. suff. misce, & S.A. fiat in mortario empl. & hoc efficacissimè agit, vel

℞. Olei veteris si ætas erit, libras 5. si hiemps,

hiemps vnc. 8. litargirij lib. 5. colophoniæ vnc. 3. ceræ vnc. 1. 5. ammoniaci, ariſtolochiæ rot. an. vnc. 1. mannæ thuris, galbani an. dragm. 6. æruginis æris dictami cretenſis, aloes, propolis an. drag. 5 ſquamæ æris gentianæ an. dragm. 3. Primum, litargirium in oleo coquatur; Secundò, addatur ſquama, & ærugo; Tertiò, admiſceatur cera, reſina, & ammoniacum; Quartò, reliqua, & ita lento igne coquatur quouſque manum inquinet.

Multa ſunt etiam ſimplicia attrahentia, vt ariſtolochiæ radix cum melle mixta, arundinis radix, dictamum, tapſia, ſagapenum, ammoniacum, & multa alia, quæ cum ſimplicia ſint, ſimpliciter etiam, ac debiliter agunt, ac attrahunt, & ideò breuitati ſtudens relinquo; Et hæc quo ad ſecundum intentum in vulnerum vnitionem maximè neceſſarium, dixiſſe ſit ſatis.

Tertium, quod in vulnerum curatione neceſſarium eſſe diximus eſt, vt diſſidentes, ac diſtantes partes coniungamus, vt inquit *Gal. 3. Meth. cap. 4. & lib. Artis Medicinalis cap. 90.* Huiuſmodi verò coniunctio fit per labiorum vulneris inuicem diſtantium applicationem, & hæc actio ſolius eſt Medici. In hoc verò opere faciendo tria ſunt obſeruanda; Primùm, vt iucundè, & leniter agamus; Secundò, ſi ambo vulneris partes molles ſint, & æqualiter trahi poſſint conſideremus vel vna tantùm; Tertiò, vt in coniungendis labijs inter ſe æqualitas ſeruetur. Primùm enim non violenter, & ſubitò partes ſimul ſunt adducendæ, ſed leniter, ſenſim, ac paulatim, vt dolorem euitemus; Secundò, ſi ambæ partes ex æquo molles fuerint, ex æquo vulneris labia leniter trahenda. Si verò pars vna oſſi inhæſerit, & altera minimè, quæ mollior eſt, & oſſi non adhæret, trahenda. Si item dictæ partes ob ambientis frigus, rigidæ fuerint redditæ, in primis calida aqua, vel quid ſimili, molliendæ partes, deindè iucundæ, & paulatim ſimul adducendæ. Tertiò diximus, animaduertendum, vt æqualitas ſeruetur, quoniam ſi inæqualiter partes coniungantur, inæquales, rugoſæ, & diformes cicatrices fiunt, & ideò æqualiter labia ſituari debent, vt vnius partis ſuperficies alterius partis ſuperficiei reſpondeat, & internæ partes internis partibus, quod facilè aſſequemur, ſi ab extremo vulneris ſuturam incipiemus.

Obſeruanda in partium vnione.

Quibus verò inſtrumentis dictæ partes in vnum adduci poſſint, inquit *Gal. 3. Meth. cap. 4.* dicens. *Quæ deducta ſunt in idem adducemus, aut vinculo ex duobus initijs circumdato aut ſutura, aut fibulis impoſitis, aut horum quibuſdam, aut omnibus.* Expedit autem, quod circumicitur, nec molle nimium fit, quo videlicet tuto contineat, nec rurſus ita durum, vt præmendo offendat. Circunductio etiam ipſa, nec ita laxa ſit, vt nihil eficiat, nec ita vehemens, vt dolorem præmendo excitet. Hac itaque medendi curatione ſimplex vulnus, ideſt ſolùm in carne continui ſolutio facta, niſi ſit valdè magna, neque vllus affectus, aut ſymptoma, coniunctum habeat, ſola faſcia orbiculatim circumdata deductas partes committendo, natura ex ſe ipſa abſque alio externo auxilio coibit, ac coaleſcet. Si verò ita magnum ſit vulnus, vt diuiſæ partes in totum, atque exactè dicta deligatura committi nequeant futuris adduci debent. Vbi verò futuris, aut deligatura labia fuerint commiſſa, glutinatorijs medicamentis vtemur, quæ collectam humorum ſubſiuiem exſiccare, & abſumere, & alia ne influat, prohibere poſſit. Quæ verò vulnera ſint præcipuè debeant, inquit *Celſus lib. 5. cap. 26.* dicens; *Nam ſi plaga in molli parte ſui debet, maximèque ſi diſciſſa auris ima eſt, vel imus naſus vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labium, vel cutis circa guttur, vel venter.* Si verò in carne vulnus eſt, hiatque, neque in vnum facilè labia attrahuntur, futura quidem aliena eſt. Imponendæ verò fibulæ ſunt, quæ oras paululùm tumentes attrahunt, quo minùs lata poſtea cicatrix ſit. Animaduertendo ſemper, ne quid intra vulnus grumoſi ſanguinis, vel quid aliud remaneat, & tandem optimè vulnus ſit ab omnibus repurgatum, vt ſuperiùs fuit dictum de ſecunda intentione. Si verò ſanguis copioſè fluat, ante labiorum inter ſe coniunctionem ſupprimendus medicamentis inferiùs dicendis. Sin autem parùm fluxit, exprimendus, & exhauriendus, *Celſi præcepto loco citato, & Rabi Moyſis, qui ſectione 3. aphoriſmorum 29.* inquit; *Omni recens facto vulneri, niſi in ventre ſit, expedit ex ipſo ſtatim ſanguinis plus minùſue effluere, quippe phlegmone minùs tentabitur, tùm vulnus ipſum, tùm quæ illi ſunt circumpoſita loca;* Idem etiam dixit *Hipp. lib. de Vlceribus, & Gal. 4. methodi.*

Quibus deductæ Partes ſimul adducendæ.

Que vulnera ſui debeant i

Quartum, quod in dictis vulneribus medico faciendum proponitur, eſt vt partes, quæ

Adductas simul partes conseruantia.

quæ iam per adductionem simul fuerunt commissæ, & simul compositæ, conseruentur, quod optimè assequemur, deligatione, siue vinculo, futuris, fibulis, glutinatorijs medicamentis, & decenti situ. Instrumenta ergò ad hoc opus apta, & necessaria erunt fasciæ, siue vincula, acus, & filum, glutinis genera, emplastica medicamenta, & pulueinaria, de quibus particulatim agemus. Conseruari tàm dudum verò postea vulneris labia coniuncta debent, donec natura conglutinauerit, & huius conglutinationis terminus incertus est pro diuersitate partium, temperamentorum temporis anni, regionis, aeris, & omnium aliarum causarum, tàm internarum, quàm externarum, quæ, & morbum soluere, vel augere possunt.

Cum ergò *Gal. 3. Meth. cap. 4. dixerit, duæ simul fuerint commissæ, duobus modis simul manent, & agglutinantur; Aliæ enim per se; Aliæ aliorum ope subsistunt, ac manent; Videndum, quæ per se vniantur, & quæ aliarum ope.* Quæ verè, & propriè vniuntur, & agglutinantur, sunt illa, quæ post quam fuerint diuisæ, ita iterum vniuntur, vt continua fiant nullo interueniente medio, quod sit diuersæ naturæ. Hoc verò in sola carne, & mollibus partibus fieri potest, & in vasis spermaticis in pueulis ante septem annum; *& Gal. lib. Artis Medicinalis cap. de caulis Salubribus Fracturæ ossis*, dixit; *Quod molle, & puerile os consolidari possibile est*; & 6. *Meth. cap. 5.* dixit; *At verò, quæ abundè sunt mollia, qualia in puerulis ossa conspiciuntur, ea sola vnitionem recipiunt; Partes ergò, quæ vniri debent, molles esse oportet, & hæc est vera curatio per primam intentionem, & ideò*, vt dixit *Gal. lib. Artis Med. cap. 90. Caro, & aliæ molles partes redire possunt, cum diuisæ fuerint, ad veram vnionem, cum nihil habeant medium, quod ab extremis sit diuersum, & huiusmodi agglutinatio, siuè consolidatio solum naturæ est opus, vt Gal. pluribus in locis.* Quid verò natura agat modò videndum, cum hæc actio absque aliquo motu fieri non possit. Cum ergò à partibus carnosis ad sui propriam nutritionem sanguis attrahitur, qui post quam ad diuisa peruenit, vbi venæ sunt vulneratæ, effunditur, & à partibus iam contiguis eo modo alteratur, quo alius sanguis in partibus integris. Hæc autem sibi sanguinem apponendo adhærere faciunt, & coquendo viscosum, & crassum reddunt glutinis modo, atque ita sibi assimilant, & tandem vniunt, ac integrè ac perfectè assimilant.

Conglutinatio quando fiat?

Conglutinatio, siuè consolidatio, vt inquit *Gal. vltima parte de Morbis, est, quædam multorum vnio corporum per mixtionem partium facta.* Molles ergo tantum partes, & humidæ simul commisceri possunt, & mollities est causa, quarè qualibet partium ad alteram extendi possit, & connecti, ac commisceri; Quibus, vt dixi, se ipsis tangentibus, & ad inuicem agentibus, ac patientibus nutrimentum vtique veniens mixtum, & perfectè assimilatum, glutinatio fit.

Et quamuis cuiuscumque membri partes disiunctæ nutriantur, non tamen completur consolidatio, & conglutinatio, vt in duris partibus, & siccis. Nam durarum partium, & siccarum cum diuiduntur non potest fieri tanta connexio, quin oporteat, quod nutrimentum vtrinque veniens ad glutinum faciendum foras, promineant; Prominens autem foras, licet continuetur, non tamen benè assimilatur; Quia nutritiua virtus, & assimilatiua debilior est in frigidis, & siccis, quàm in calidis, & humidis partibus; Maximè in eo, quod foras prominet, in quo conglutinatio expectatur, & ideò in eis non est vera consolidatio, quod Gal. authoritate comprobatur, qui 6. *Meth. cap. 5.* dixit. *Coalescere nequeunt ossa iuuenum, adolescentum, consistentium ætate, nec non senum, ob eorum maximam siccitatem, & duritiem, tàm. & si interueniente alia quapiam substantia crassiuscula (quæ proprio eodemque crasso ipsorum ossium alimento redundat) concrescenteque in labis fracturæ, possint, ceu quodam glutino, separatæ ossis partes connecti inuicem, atque conglutinari. Et lib. Artis Med. cap. 86.* inquit. *Diuisio in ossibus per primam intentionem, idest per veram conglutinationem, & consolidationem, & per partium coalitum, symphisim à Græcis dictam, insanabilis est, ob ossium duritiem. Sed per secundam intentionem quodammodo curationem recipit, idest quod fit partium alligatio callo superueniente, & partes fractas circumligante. Hæc verò calli generatio, vt diximus, à natura ex ossium nutrimento fit, & hæc sufficiant de partibus solidis coniungendis, de quibus aliàs dante Deo verba faciemus.*

Ossa quando coniungantur?

Modo

Modò inceptum opus, ideſt de mollibus partibus conglutinandis, ſequamur, quæ optimè connectuntur, tùm quia eorum nutrimentum eſt humidum, quod modica ægeſt conuerſione, cum qua partes nectendæ ſunt molles, & humidum molli adueniens citò vniri, & aſſimilari poteſt, & ideò glutinum vtrique fit, & in eis conſolidatio vera. Modò de inſtrumentis ad tale opus neceſſarijs agamus, & primùm de vinciendi, ac ligandi modo, ac ordine.

De Vulnerum deligatione, & faſciarum vtilitate. *Cap. 6.*

Inſtrumenta quibus vulnera coniũgũtur.



RIa, quibus vulneris labia applicantur, & coniunguntur, coniunctaque ſeruantur, *à Gal. lib. Artis Medicin cap* 90. proponuntur, ideſt deligationes, ſiuè vincula, ſuturæ, & fibulæ. Inſtrumenta verò quibus hæc fiunt, ſunt faſciæ, ſiuè vincula, acus, & filum, glutinis genera, emplaſtica medicamenta, & puluinaria, quibus etiam vulneris labia coniuncta ſeruantur, modò de vno quoque horum verba faciamus, & primùm de faſcia, ſiuè vinculo.

Faſciarum conditiones.

Faſciæ in primis, vt inquit *Hipp. 2. de Medici off. debent eſſe mundæ, leues, molles, & tenues*, & inferiùs inquit, *Iam verò faſciæ parentur leues, tenues, molles, mundæ, latæ ſine ſuturis ſine eminentijs, ita valentes, ne extentæ rumpantur & paulò amplius. Leues eſſe debent, ne onere infeſtent, tenues, ne ambitus in tumorem nimium aſſurgant. Molles, ne ob duritiem vrgeant. Mundæ ne materia, qua fuerint infectæ lædat, & vulneris excrementorum color perfectè cognoſci poſſit. Latæ ſecundùm vſum, & membri proportionem; Sine ſuturis, & ſine eminentis, ne comprimant, & inæquale vinculum reddant Valentiores ſimiliter ſunt faſciæ, valentiuſq; continent, ex inciſo linteo, quæ ſecundum ſtaminis lungitudinem fiunt, quam quæ per tranſuerſum & ſubtegminis lineam Gal. 3. Meth. cap. 4. de Faſcia* inquit; *Faſcia non ſit neque nimium mollis, nec nimium dura. Quæ enim mollis nimium eſt, & algæ ritu fragilis, non tuto continet. Quæ verò dura nimis præmendo offendit, idem etiam* inquit *Cel. lib. 5. cap. 6.* Si igitur ex panno veteri, non tamen nimis detrito, ſuaui, leui, & mundo eaq; latitudine, & lungitudine, quam natura partis deſiderat, vt exempli gratia, in humero vinciendo ſit faſcia latitudinis ſex digitorum, in femore quinque, in crure digitorum quatuor, in brachio trium in digito deligando, ſit latitudinis digiti, lungitudo verò poſtea ſit pro reuolutionum neceſſitate. Sciendum item, quod faſciarum differentiæ multæ ſunt, quæ ſumuntur, vel à materia, vel ab habitu, vel à lungitudine, vel à latitudine, vel à ſtructura; Materia differunt, quoniam aliæ ſunt lineæ, aliæ laneæ, aliæ ex aliqua alia materia, habitu, quoniam aliæ agglomeratæ, aliæ ſciſſæ, aliæ aſſutæ, aliæ alio modo accommodatæ; Lungitudine, quoniam aliæ lungiores, aliæ breuiores, latitudine eadem ratione, ſi quidem tàm hæ, quàm illæ, vt diximus, vinciendis partibus correſpondere debent. Structura, quoniam aliæ texuntur, aliæ, ex materia per ſe coacta, certoque ordine implicata fiunt, & quæ texuntur, aliæ ad hunc vſum fiunt, aliæ ex linteis ad alium vſum textis conficiuntur, & in faſcias poſtea ſcinduntur, quibus frequentiſſimè in vulneribus vtimur, & hæc de faſcijs ſatis.

Faſciarum latitudo, quæ eſſe debeat.

Faſciandi actio, quomodo facienda.

Quomodò verò Cheirurgus hanc faſciandi actionem facere debeat, optimè *Hipp. 2. de Medici officina docet*, dicens, *Cheirurgus hanc faſciandi actionem facere debet celeritèr, iucundè, promptè, & eleganter, celeriter quidem, & opus expeditur, & ex hoc exercitatum ab inexperto, & non exercitato Cheirurgo cognoſcitur, iucundè, vt facilè præſtetur, & omnia ſine ægrotantis, & ſui labore facere poſſit. Cheirurgus ergo ita ſe aptare debet, vt commodè omnia facere poſſit, & ſine labore, ne in actionis medio quieſcere ſit opus. Similiter patiens commodè ſituari debet, & ſi ager ſit attollendus, vinciendi gratia, ſine labore corpus attollendum, ne ſanguinis hemorragia, animi deliquia, & alia incommoda ſequantur. Prompte, vt vbique ſit in promptu, & expedite omnia agat: idcò remouere omnia ea debet, quæ ſuam actionem retardare poſſunt, vt ſunt in faſcijs pendentia fila, & ſimilia, ſic in promptu omnia prius parata habere debet*, addit Hipp. *eleganter, vt oculis delectent, & non ſint aliæ rugoſæ, aliæ planæ, ſed rithmus, & numerus, & proportio ſeruanda. Deligationis verò ſpecies tres ponuntur ab Auicena 4. 4. tractatu primo cap. 3. & à Galeno, & ab Hippocrate 2. lib. de Medici officina, & ab alijs Authoribus.* Prima, retentiua

Deligationis ſpecies.

voca-

vocatur; Secunda, glutinatiua, siuè incarnatiua; Tertia, expulsiua dicitur retentiua solùm deseruit ad retinenda ea, quæ supra vulnus ponuntur, ne decidant, vt sunt stuppæ, splenia, medicamenta, linteamina, & similia, & hæc in membris, in quibus adstrictio fieri non potest, adhibentur, vt in gula, in ventre, & his similibus est etiam in vsu, in omnibus dolorificis affectibus, & ideò de hac fasciatura *Hipp.2.de Medici officina*, dixit, *In ijs autem maximè ad vinculum pertinent, vt arctetur quidem sic, vt quæ iniecta sunt, neque recedant, neque comprimant, sed fulciantur, non tamen cogantur; Idque minùs quidem in extremis partibus, minimum in medijs. Huius verò deligaturæ principium superaffectum locum iniici debet, & in opposita parte nodus, vel potiùs sutura facienda, & nunquam supra vulnus*, dicente, *Hipp. loco citato, Principia, & nodus injcienda sunt, non qua vulnus, sed hinc, vel hinc. Nodus non ea parte fit, cui initimur, non ea, qua agimus, non qua inanis est ne inanis collocetur, deindè subiungit nodus, & filum molle, & non magnum fit*, idem etiam ait *Cels. lib.5. c.26.*

Glutinatiua, siuè incarnatiua deligatio est illa, qua vulneris labia sibi inuicem adiungimus, & adiuncta continemus, ac seruamus, & hæc tantùm in vulneribus per membri lungitudinem factis, & non admodum profundis vtimur; Huius fasciæ latitudo esse debet, vt inquit *Celsus loc.cit.* vt semel iniecta, non vulnus tantùm, sed vsque ad aliquid vtrinque etiam horas eius comprehendat, quantùm videlicet necessarium videbitur. Si verò vulnus lungius fuerit, melius angusta, & stricta fascia, idest trium digitorum opus nostrum complebimus, & fasciæ medium in huiusmodi casu super vulnus ponendum, deindè in vtramque partem ducantur; Si verò ab altera parte caro magis recesserit, ab ea magis attrahenda, si æquè ab vtraque transuersa comprehendere horas debet. Hæc igitur fasciatura fit fascia duorum capitum, vel gemini principij, & in vulneribus non valdè lungis, medium fasciæ in opposita vulneris parte poni debet, deindè supra vulnus fasciæ capita circumducenda, & obuoluenda, ad quorum adstrictionem etiam vulneris labia simul constringuntur, & sic optimè vulneris labia adducuntur. Postea ambo fasciæ capita hinc indè obuoluenda, ita vt inferior pars per inferiorem membri partem circumducatur, superior verò per superiorem, vt procul ab affecta parte humores exprimantur, idest inferiùs, & superiùs. Hæc ligatura supra affectum locum arctior esse debet, quàm in adiacentibus partibus, & quo magis à vulnere recedit, eo magis laxior esse debet, non debet item, nec laxa nimis, neque stricta esse, quoniam si nimis esset laxa, non contineret, si nimis esset stricta, dolorem promouendo excitaret, & sic humorum fluxionem, inflammationem, gangrenam, & alia praua symptomata pronitaret. Terminus igitur deligaturæ, vt inquit *Gal.6. meth. cap.6. Sit bona laborantis tollerantia, & hyeme plures circumuolutiones dari debent, frigoris respectu, & æstate pauciores, ne pars ob plures fascia circumuolutiones nimis incaleſcat; nodus verò, vt diximus lungè à vulnere faciendus, vel potiùs fasciæ capita acu assuenda, & hoc tutius est, & si plurium fasciarum sit opus pluribus pars circumuoluenda, modo supradictus reuolutionis, & fasciandi modus seruetur, quo vulneris labia committuntur, ac seruantur, & ne phlegmonæ circa vulnus oriatur, prohibeatur.*

Aliqui in vulneribus per membri rectitudinem vnico linteo, quod sit latiùs, quàm sit lungum vulnus, labia simul adducunt, & adducta seruant, & ita applicant, dicti lintei medium in opposita vulneris parte apponunt, ita vt capita supra vulneratam partem concurrant; Posteà dictum linteum suunt, ita vt transuersa futura partes supra vulnus stringat. Hic enim glutinandi modus, quamuis vniat, vnitasque partes conseruet, tamen melior est, & facilior supradicta fasciatura.

Deligatio, siuè fasciatura expulsiua propriè competit in antiquis vulneribus, & finibus, quos cauernosa vlcera vocant, & varicibus, & crurium inflationibus. Conuenit etiam quàm maximè in cauis vulneribus, quandò ne quid in cauitate colligatur, timemus, & hæc fascia ab altero tantùm principio est reuoluta.

Huiusmodi igitur fasciandi modo, quicquid in vulneris fundo continetur ad vulneris orifitium extrudere, & ne quid amplius in affectum locum confluat, prohibere debemus. Et animaduertendum, quod in omni exprimenda materia duo termini

adſint, Alter à quo, alter ad quem, & à termino, à quo ſemper prime faſciæ circumuolutiones incipere debent, & in hac parte arctior eſſe debet, & poſtea ad terminum ad quem procedendo ſemper paulatim laxiores fieri debent circumuolutiones, vſq; ad Vulneris orificium.

Cum vero in vulnere ſumus, & ad terminum ad quem, niſi aliorum humorum fluxum timeamus ibi ſiſtendum. Et de hac Faſciatura *Hipp. 2. de Medici Officina dixit*: Quæ abſceſſerunt quidē, eatenus, vt quæ ſublimia ſunt, ſedem contingant, at non præmant, incipiendum vero à parte ſana, & qua vulnus eſt finiendum, vt quod ſubeſt effundatur neque aliud vltra cocat.

Si vero nouum humorum fluxum timeamus, duæ laxæ circumuolutiones ſupra vulnus faciendæ, poſtea Faſcia circa ſanam partem circomuoluendo, ſenſim adſtringendo, vt materiæ fluxum impediat, & ſic vna, & eadem Faſcia, & quod in Cauitate, & fundo retinetur, euacuatur, & exprimitur, & ne noua confluat, prohibetur. Si vero in æqualibus membris, ideſt inæqualis craſſitudinis, vt Cruri, huiuſmodi Faſciatura adaptari debeat, ſingulo Palmi interuallo erga caſſiorem Membri partem ſcindi debet, & vbi eſt opus ſui debet, vt optime exprimere materiam poſſit.

De Suturis, & Fibulis in Vulneribus Faciendis. *Cap.* 7.



Vm ſuperius dixerimus ex Gal. mente, quod tribus inſtrumētis vulnera vniuntur, vnitaq; ſeruātur, ideſt Faſcijs, ſiue vinculis, Suturis, & Fibulis, & de Faſcijs ſuperius fuerit pertractatum; Modo ſupereſt, vt de Suturis, & Fibulis verba faciamus.

Primum enim dicemus, quid ſit Sutura, & Fibula. Secundo quot ſint Suturarū genera, & quomodo fiant. Tertio ad quid vnū quodq; Suturarū genus deſeruiat. Quarto quid ante Suturas ſit faciendum. Quintò quid in ſuturis faciendis ſit obſeruandum. Sexto de tēpore, & modo Suturas remouēdi verba faciemus. Octauo de Inſtrumentis ad ſuturas faciendas aptis, & neceſſarijs.

Ordo

Sutura ergo nihil aliud eſt niſi coadunatio, & coniunctio illa, quæ partium præter naturam in humano corpore diuiſarum ſilj mediante fit, quæ definitio etiam Fibulæ competit, vt ex ſequentibus patebit.

Quid ſit ſutura.

Fibula, Guido, & Tagaultius, & multi alij dixerunt, quod eſt inſtrumentum quoddam Aeneum, vel Chalybeū, quod in vtroq; extremo hamum habet, & alter ex his hamis in altero Vulneris labio affigitur, & alterū verſus adducitur, in quo alter hamus ſimiliter infigitur, ſicuti Pannorū Tonſores facere ſolent, qui extrema Panni hamis quibuſdā affigunt, vt optime extenſus maneat.

Sed cum Fibulæ hoc modo intellectæ, ſi in carne infigantur, magnum dolorem excitent ac inferant, & maiorem, ſi in partibus neruoſis, nullo pacto credere poſſum, quod *Gal. & alij Autores per Fibulas talæ inſtrumentum intelligere voluerit. Cum Gal. 6. Meth. cap. 4. & multis alijs in locis, & Medici omnes*; iucunde ſemper prędicent Cheirurgicas actiones eſſe ſic ēdas. Sed credo, vt tenet etiam *Gabriel Falopius ex Celſi Autoritate lib. 5. cap. 26.* Quod Fibula ſit ſutio illa, quas nos ſepiſſime in vulneribus ſuendis vtimur, qua ambo vulneris labia Acu Filum duplicatum trahente traicimus, & ſuper vulnus tribus inuolutionibus ambo Fili capita alligamus Dicente Celſo loco citato, Suturam, & Fibulam ex Acia molli non nimis torta fieri ideſt ex duplicato Filo, & non nimis contorto, ne durum, & inequlæ euadat.

Suturarum genera tria ſunt, Primum Agglutinatoria ſiue Incarnatiua futura dicitur, Secundum, ſanguinis ſuppreſſoria, Tertium Sutura labiorum in vnum adductorum conſeruatrix appellatur.

Suturę genera quę, & quomodo fiat.

Primum ſuturæ genus Agglutinatoria, ſiue Incarnatiua dicta tribus modis fit; Primo enim fit traiecto Acu per vtrumq; vulneris labium dextera Manu, deinde Manu ſiniſtra Canula feneſtrata teneatur, & vulneris labio innitatur, vel huius vice Index, & medius digitus ſiniſtræ Manus labium comprimi debet, & dum Acus, & filum inter digitos egreditur, labium non conſequatur, & inuerratur. Traiecta igitur Acu cum duplicato filo fiat punctum, Primum quidem filum duabus inuolutionibus inuoluendo, deinde vna, poſtea aliquantulum remotea nodo filum incidatur, & hec ſuturæ ſpecies eſt eadem cum Fibula.

Omnes

Omnes fere Medici volunt, vt primum punctum in medio longitudinis vulneris fiat, deinde alia puncta, quot quot necessaria fuerint, in medio inter punctum primũ, & Vulneris extremitatem,& sic procedendo, tot fiant puncta, quot ad labiorum contactum efficiendum necessaria videbuntur. Sed cum superius dixerimus, quod in vulneribus vniendis,& conglutinandis æqualitas est seruanda,maxime vbi cicatrices in aperto sunt, vt pulcrior cicatrix euadat,& minime fit rugosa, ab vulneris extremitatibus prima puncta fieri possunt,& sic procedendo vulneris labia æqualiter vniuntur.

Secundo fit agglutinatoria futura acubus, aut pinna cum acu introducta,atq; tot numero acus imponendæ sunt, cum filo in eas intromisso,quot necessarię videbuntur; Filum autem circa eas reuoluendũ eo pacto quo Mulierculæ facere solent, dum suas Acus super Manicas aut Pileos asseruant; Totque hoc modo relinquuntur Acus, vsq; ad vulneris colaescentiã,& hac suẽdi ratione in magnis, ac profundis vulneribus vtimur,in quibus labia plurimũ inter se distant.

Tertio modo agglutiontoria futura fit traiecta acu filum ducente, per vtrumq; labium, deinde facto per idem foramine recursu ex ea parte qua venerat,est recipienda. Sic quidem, vt à parte, qua remeauit. Ansa remaneat,in qua festuca,aut scriptorij calami frustulum, aut fili contorti, & duri imponendum, & ex alia parte similiter inter amborum filorum capita alia festuca, vel quid similæ apponendum, & desuper ambo fili capita constringenda, & liganda, & ibi fili capita,aliquantis per remote à nodo rescindenda,& sic vsq;ad perfectam vulneris coitionem relinquendum.

Ex his propositis agglutinatoriæ futuræ speciebus melior est prima,cum optime labia adducat,minoremque dolorem inferat; Secunda deterior est prima, quia dum acus in vulnerata parte relinquũtur,pars ab acubus grauiter afficitur; Tertia verò omnibus alijs est deterior, cum per idem foramen acus,& filũ bis traiciantur, & labia in superficie separata relinquuntur,& permanent.

Sutura sanguinis suppressoria fit acu filum trahente, traiectis vtrisq; vulneris labijs, & per modum reuolutionis iterum atque iterum traiectis, sicuti pelles consui solent, quousque vulneris labia optime simul coeant,& hoc futuræ genere, vt dicemus, vtimur quando alto propter magnũ prorumpentis sanguinis impetum, accepto in venis vulnere, vti non possumus.

Tertium futuræ genus, labiorum in vnũ adductorum conseruatrix fit, vt reliquæ superius dictæ futuræ. Sed animaduertendũ, quod non æque arcta esse debet,cum solum deseruire debeat non ad glutinandum, sed tantum ad partes simul continendas, ne ita dilatatum,& hians vulnus remaneat.

Ad quid vnumquodque Suturæ genus deseruiat.

PRimum futuræ genus in omnibus illis vulneribus in molli parte acceptis competit, quorum labia sic inuicem distant, vt sola ligatura simul coadunari,& vniri non possunt.Secundo genere vtimur ad sanguinem supprimendum, quando in magna copia, & impetu fluit, & in sueadis sanciatis Intestinis, in Panniculis vulneratis, similiter venis,& in varicis sectione, & alijs partibus tenuibus,& carne destitutis. Et hoc futuræ genus non est admodum tutum, quoniam vno disrupto puncto, cetera etiam relaxantur. Tertium futuræ genus conuenit in vulneribus in carne, aut alia molli parte acceptis, in quibus magna dilaceratio fuerit facta, vel carnis deperditio. Conuenit similitèr quando in posterum ex vlnere aliquid est extrahendum.Hac enim suitione, partes, non agglutinentur, cum glutinatio fieri nequeat, sed ne nimis labia hient ac dilatentur,& ne partes internæ refrigerentur,vtque vulnus citius sanetur, vtimur.

Quod ante suitionem sit obseruandum. *Cap.* 8.



OBseruanda ante suturã faciendã sunt, vt vulnus imprimis sit optime purgatum, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 26.* & optime à grumoso sanguine ac concerto detersum, nisi cum magna sanguinis hemoragia est supprimenda. Nihil ergo concreti, & grumosi sanguinis relinquendum, ne putrescens inflammationem, & Phlegmonem excitet, & vulnus glutinari prohibeat, similitèr remouendum Lineamentum, quod sanguinis supprimendi gratia fuerit inditum, cum id quoque

Inflammationis cauſa eſſe poſſit. Detergendum eſt igitur. Vulnus ante Suturam Spongia vino nigro, & auſtero imbibita, & expreſſa, & huiuſmodi Vinum Vulneribus, niſi Articulum teneat, & hoc idem inquit *Gal. 3. Meth. cap. 4.* Quoniam huiuſmodi Vinum glutinandi humoreſq; reprimendi facultatem habet, cum ſit auſterum, & nigrum, & ideo adſtringendi, & ſiccandi facultate glutinat, & frigida facultate reprimit, & his etiam facultatibus ſanguinẽ fluentem ſiſtit. Si vero poſt huiuſmodi ablutitionem, aliquid etiam ſanguinis effluat, & non ſit in magna copia, ſuitio facienda, & non differenda, cum illa parua ſanguinis copia, quæ poſt ſuitionem profluit, breui temporis ſpacio à Natura extra labia à futuris adducta propelli ſoleat, quamuis quando aliquid ſanguinis profunditur, non ita cito Vulnus curetur, quam ſi nihil profluat. Moderatus enim ſanguinis effluxus Vulneribus prodeſt, & ideo ante quam ſuamus, vt ſanguis à Vulnere effluat curandũ niſi effluxerit, aut in pauca copia, & niſi ſponte effluat, exprimendus. Quod non faciendum in Vulneribus Ventris ſiue Abdominis, vt inquit Hipp. lib. de Vlceribus ſed in aliarum partium Vulneribus, & præcipue hoc faciendum, ſi Vulnera in arctuũ extremis fuerint, vt in Crure, Digito Pedis, vel Manus. Et cauſam dictus Autor adducit, quoniam ex ſanguinis euocacatione ſicciora fiunt Vulnera, & ideo facilius curantur, cum ſuperius dixit. Quod ſiccũ eſt, ad ſanum, quod madet ad vitiatũm proprius accedit. Vulnera igitur in his partibus non ſolum ob has cauſas ſanguinis euacuatione indigent; Sed quia hæ partes, ideſt Arctus, facilius fluxione tentantur, cum imbecillæ partes ſint, & pauco calore præditæ, & ideo ſanguinis euacuatione ſiccandę, ne ſanguinis copia debilẽ partis calorem ſuffocet. Similiter cum harum partiũ temperis ſicca ſit, ideo ſicciſſima Med. expoſcunt, & ideo per ſanguinis emiſſionẽ multam exiccationem facere debemus.

Vini nigri auſteri vires.

Quibus vulneribus ſanguinis fluxus cõpetat, & quibus non.

In Ventris ſiue Abdominis Vulneribus pluribus de cauſis ſanguis in magna copia non eſt mittendus. Primo quia hec pars fluxionibus tentari non ſolet, ſicuti partes extremæ, quoniam in hac parte maxime naturalis calor viget, Secundo Venter ſiue Abdomen humida pars eſt, & ideo pauca exiccatione eget, & ideo pauca ſanguinis pia extrahenda. Tertio ſi ſanguis in magna copia in Abdominis Vulneribus extraheretur, caloris naturalis pabulum tolleretur, cũ ingens calor, & validus in Abdomine adſit.

Quid in ſutura facienda ſit obſeruandum. *Cap. 9.*



Lura in ſututis faciendis obſeruanda ſunt; Primum vt Cheirurgus hanc ſuẽdi actionem, iucunde, blande, & mulliter agat; ſecundo vt in futuris faciendis quamcelerrime ab opere ſe expediat, & ſi fieri poteſt, ambo vulneris labia vnico ictu tranſigat ac perforet, quod facile in molli cute ſuccedit, in cute vero duriori, tutius eſt vnum labrum poſt alterũ perforare. Tertio vl moderate ſtringat, quoniam ex nimia labiorum conſtrictione tumor oritur, ac dolor excitatur. Quarto, vt ita fiant, & ſtringatur, ne diſſoluantur, ne iterum reſuere cum magno ægrotantis dolore, cogamur. Quinto ne venar, arterias, neruos, tendones, neruoſaq; partes nequ; ligamenta acu in ſuendo attingat; Et ideo in articulorum vulneribus tantum cutis ſiue corium ſuprapoſitum ſuendum, & neruoſa ſubſtantia incõſuta, & intacta relinquenda; Et hoc fieri debet, ne partes neruoſæ aere alterentur, & refrigerentur, & ideo proprium indumentũ ſuitione eſt dandum, vt neruoſæ partes foueantur, & pura bonaq; digeſtio fieri poſſit; Et hoc idem in oſſium vulneribus faciendũ Sexto in ſuitione obſeruandum eſt, vt ſutura vel Fibula, non cutem, & paucam labij quantitatem apprehendat, ſed aliquid ex carne, vbi ſubierit, & per ſpacium, ſiue latitudinem digiti minoris; Et hoc faciendũ, vt valentius inhereat, neq; cutem ambrupat, & in carnoſis vulneribus profundis, & tranſuerſis, non ſolum corium, ſed intima caro ad mediam profunditatem perforare oportet, vt inquit *Celſus lib. 5. cap. 26. & Gal. 3. Meth. cap.* vltimo, & in his in decliuiori parte foramen reliquendum, & turunda imponenda, vt ſanies expurgari queat. Septimo animaduertendum, vt in cauis vlneribus in quibus neceſſario, vt caro concreſcat, eſt opus, ſuperne par-

tes

res fuantur, & inferiori parte similitèr Lineamentarum ponendum, vt materia effluere possit. Octauo punctorũ distantia considerandą, idest ne puncta inter se sint neq; nimis rara, neq; crebra nimis, vt inquit celsus loco superius citato, quoniam si nimis rara fiat, non continet, si nimis crebra sint vehementer afficiunt. Quia quo sepius acus corpus transuit, quoq; plura loca iniectum vinculum mordet, eo maiores inflammationes oriuntur, magisq; Aestate.

Punctorũ distantię qua.

Eatenus enim distare punctum à puncto debet, vt inquit supradictus Autor, qua cutis ducentem, quasi sua sponte subsequitur. Idest tantum distare debent puncta, vt si quis manu vulneribus labia apprehendat, sine vlla vi huiusmodi labia subsequantur, & hec est celsi opinio. Guido, & multi alij non parui nominis Medici volunt, vt inter punctum, & punctum sit distantia latitudinis digiti Indicis, & hoc non semper fieri debet, sed in ijs vlneribus tantum, quæ transuersa sunt, profunda, & longa. Quoniam, vt inquit *Gal. 3. Meth. Cap.* vltimo vlnera per Musculi longitudinem facta, sola deligatura, vel paucis futuris, & punctis, vt vniantur, indigent. Quamdudum vero futuræ relinquendæ, & quomodo remouendæ modo est dicendum.

Suturæ quando remouẽdæ.

Tunc temporis enim sunt futuræ remouendæ, cum eum, quẽ desideramus effectũ præstiterint, idest quando iam glutinatio, & vnio fuerit facta, quæ pluribus de causis variari solet, vt ratione magnitudinis vulneris corporis constitutionis, temporis anni, corporis totius, & affectæ partis temperamenti, cachochimiæ, aeris siue cœli temperamenti, regionis ætatis, & similium.

Ratione magnitudinis variant, quoniam maiora vulnera minoribus tardius vniuntur, ratione corporis constitutionis, quoniã in aliquibus corporibus vulnera citissime sanantur, in alijs serius; Ratione temporis quoniam hyeme tardius, æstate citius vniũtur; Ratione temperamenti tum partis, tum totius, quoniam in humidis tardius, in siccis citius vniuntur. Ratione cachochimiæ, quoniam in corporibus prauis succis repletis, quoniam in corporibus prauis succis repletis, vt in hydropicis, tardius fit glutinatio. Similitèr in sicca cœli constitutione citius, in humida serius sanantur; Idẽ de regione humida, & sicca, & de ætate dicendũ, cum maxime ad vulneris vetim glutinationem siccitas faciat, dummodo in excessu non sit, & ideo *Hip lib.* de vlceribus, vt superius diximus, scriptum reliquit siccum sano vicinius esse, & humidum non sano. Regula ergo certa constitui non potest, sed dicere possumus. Quod in magnis profũdis, & trãsuersis vulneribus futurę perspaciũ octo, vel decem dierum detineri possunt; In minoribus verò, in quibus tantum cutis incisa est, quatuor, vel quinq; dierũm spacio; In mediocribus sex vel septẽ dierũ spacio detineãtur.

Suturas remouendi ratio.

Modus autem futuras remouẽdi est huiusmodi, specilli caudam, idest angustum Specilli mucronem Filo supponito, filumq; ipsum mox abscindito, deinde latum Specilli mucronem vulneris labio, per quod filum debet educi, superponito, ne labrum filum sequatur, & sic, ne quid filum suellendo laceretur, euitabis.

De Instrumentis aptis, & necessarijs pro futuris siue fibulis faciendis. *Cap.* 10.



INstrumenta ad futuras ac fibulas faciẽdas accomodata ac necessaria sunt acus filum, & Argentea Fistula siue fenestra cannula dicta.

Acus qualis.

Acus enim debent esse longitudinis trium, quel quatuor digitorum per transuersum, similitèr leues, & politę, & minime rubiginosæ, quoniam, si rubiginosa essent non solum in pertranseundo ægrum affligerent, sed etiam sunt venenatæ; Similiter esse etiã debent nec nimis tenues, nec nimis crassæ, vt moderatum filum perttansiere, & educere facilitèr possint; Cuspide triangulari, vel quadrangulari, vel saltem gemina, vt facilius penetrent caudam verò habeãt excauatam, vt in ea filum recondatur, & eius transitum non remoretur, Cheirurgus vero nõ solum Chalybeos Acus habere oportet, sed etiam Argenteos vel alterius flexilis materiæ, vt cauæ partes sicuti sunt palpebræ, sui possint; Pluribus item acubus debet esse munitus, quoniam quando plures fibulæ siue puncta requiruntur, non eadem acu facienda, in delicatis præsertim, ne ex sanguine in filo indurato dolor inferatur.

Filum qualæ.

Filum debet esse robustum, & firmum, similitèr ęqualæ, & leuæ, & non nimis crassum,

ſum,& durum,ne aſperitate dolorem faciat & craſſitie facilem tranſitũ impediat, neq; Nodum interpoſitum habeat, nec facilitèr putreſcibilæ ſit. Animaduertendum etiam, quod filũ non in omnibus vulneribus vniformę eſſe debet, ſed craſſius, ſi vulnus valde hiet, alioquin tenuius, aliqui ſerico filo vtuntur, cũ ſit æqualæ leuæ,& firmum, & validum; Sed experientia apparet, non eſſe bonum, cũ breui temporis ſpacio conſulta labia abrumpat,& diſſecet, alij inquiunt, vt albucaſis ſuenda eſſe vulnera filo facto ex Inteſtinis recentium animalium, quod fieri non poteſt, cum talæ filum ſemper præparatũ habere nequeamus. Suenda ergo vulnera, vt communitèr fieri ſolet, filo è lino, acia à celſo dicto, quod ſit firmũ, album æqualæ, mollæ,& leuæ, vtq; diutius, & validius contineat,& ne cito putreſcat, ſit oblinitum aut tragagantha in Aqua Roſarum madefacta, aut Cera alba, quam ferè ſemper præparatam habemus.

Feneſtratæ nullæ vſus.

Feneſtrata cannula, ſiue argentea fiſtula vel alterius materiæ eſt etiam Chirurgis neceſſaria, cum vbi digitos apponere non poſſumus, vt in ſuẽ la palbebra, hoc inſtrumento vtamur, vt alteræ parti labij vlneris incumbat ac innitatur, ne ſcilicet huc atq; illuch euagetur, dum acus intromittitur, vt per feneſtellam videri poſſit, quando acus pertranſierit, vtq; vbi acus tranſecta fuerit, vna cum filo trahatur, ſed inter vulneris labrum quod prope filum eſt, ſpecillo huic parti applicato, veluti fulcimento, & adminiculo innitatur, ne dum filum extrahitur, labrum etiam conſequatur.

Caſus in quibus ſuitio non competit. *Cap.* 11.



Quem ſunt caſus in quibus ſuitio non competit.

Primũ quando vulnus eſt anguſtum, & valde profundũ, ne ſuperficies conglutinetur,& minime in interna parte.

Secundo quando vlnus eſt cum deperditione ſubſtantiæ, cum tunc per ſecundam intentionem curari debeat.

Tertio vbi vulnus ſatis ſit ab aere alteratum; cum tunc mundificatione egeat, & ſi pauca fuerit aeris alteratio, leuiter labiorum vulneris ſuperficies confricandæ, vt ſanguis prouocetur, vt melius glutinatio fiat, & poſtea ſuendum.

Quarto in contuſo vulnere ſuitio non competit, cũ quod eſt contuſũ, vt putrefiat ſit neceſſe,& ideo glutinatio fieri nõ poteſt

Quinto quando cum vulnere tumor magnus ſiue apoſtema eſt coniunctum, cum tumor ſiue apoſtema prius remoueri debeat deinde vulnus curandum.

Sexto quando magnus adeſt dolor, cũ prius dolorem lenire, ſiue remouere ſit neceſſe, deinde vulnus, vt decet, curandum.

Septimo in vulneribus mortificatis venenatis, & ex Animalũ morſu factis ſuitio fieri non debet, cũ venẽnũ extrahi,& non intromitti debeat, & vulnera ex morſu, vt plurimum, caua ſunt,& ſemicontuſa.

Octauo vbi os fuerit denudatum, vel fractum, vt in capitis vulneribus.

Non quando aliquis Muſculus ſiue Lacertus ex toto per tranſuerũ fuerit præciſus dicẽte *Auic. Fen. 4. cap. de ligatura in fine*, Si fuerit Lacertus, qui in latitudine ſit diſtruptus, ſui non debet quoniã tunc nõ aggregatur, immò ponitur in medio licinium timẽdo ne incarnetur cutis,& remaneat lacertus non incarnatus. Poſſunt tamen hec vulnera ſui,& in decliniori parte licinium imponendũ, vt ſanioſa materia exitũ habeat

De alio modo præter naturam fuerit diſiunctum, qui ab aliquibus illuqueatio, ab alijs glutinum, ſiue glutinatio, dicitur. *Cap.* 12.



On ſolum Inſtrumẽtis dictis, vt faſcijs, ſuturis,& fibulis vulneris labia vniri,& vnita ſeruari poſsũt, ſed etiam Glutino, ſiue illaqueatione, quod præſidium à recentioribus excogitatum, & adiuuentum fuit, quo tuto in omnibus vulneribus non valde profundis vti poſſumus cum iocũde, tuto, & cito ſic vulnera, curentur, & deformes cicatrices non remaneant.

In hoc opere faciendo plura ſunt opus; Primum præparatio linteorum; Secundo; glutinum; Tertio filum; Quarto eſt applicandi modus.

Quo ad primum lintea debent eſſe robuſta

busta, valida, æqualia, & mollia, & in parte ea, in qua debent respicere vulnus, & ei propè esse, complicari, & sui debent, ne ligamentis cedant; In altera vero parte, qua sanam partem respiciunt, sint mollia, & veluti excerpa, vt melius adhærant, linteorũ formæ esse debent, vel triangulares, vel quadrangulates, vel in plures partes diuisæ, & tandem, illius formæ, quam vulneris situs exigit, ad quem applicari debent.

Glutinum, quod super Lintea poni ac extendi debet, pluribus modis fieri potest, vt infrascriptarum formarum, vel similiũ.

℞. Puluer. subtilissimi Sãg. Drag. Thuris, mastiches, Sarcocollæ, Picis, & Pollinis an q. vis. M. cum Oui albumine optime concusso q. suff. & fiat in linimenti formam, & super lintea postea extendatur.

Vel ℞. Puluer. tenuissimi Boli Arm. Orient. Mastiches, Aloes, Draganthi Gummi Arabici, Gipsi cocti, Pollinis, idest Farinæ volatilis an scrop. 1. M. cum Oui albumine optime subacto, q. suff. & fiat ad mellius consistentiam, & super linteum extendatur vel.

℞. Puluer. sumi. Mastichos, Farinæ volaticis an dragm. 5. Boli armeni, Corallorum, Sarcocollæ an scrup. 1. Sang. Drag. scrup. 11. M. cum oui albumine optime subacto, q. suff. & fiat ad Mellis consistentiam, & vtere.

Quando vero timemus ne Glutinum humectatur, & separetur, & non amplius cuti adhereat, vel ob sanies defluentem, vt in magnis vulneribus contingit, vel ob lintea Vino madida, & vulneri superposita, vel quid similæ dictis glutinis adiungi debent, quæ humiditati resistunt, vt sunt Resina Pini, aut Picea, Gumma Elemi, & Ammoniacum in Aceto dissolutum.

Alij Lintea Piscium Glutino, vel Taurino in Aceto dissolutis, & coctis oblinunt; Alij rebus facile parabilibus glutinum efficiunt, & sic faciunt, accipiunt Oui albumen optime subactum, quo patinam stagneam inficiunt, & similitèr parata lintea postea super patinam Oui albumine infectam tenuissimum pollinem calcis viuæ subtilitè, idest vt vix appareat, inspergunt; Postea super patinam lintea apponunt, & sic aliquantisper comprimunt, vt puluis linteis adhereat, & statim applicant, & hoc Glutinum tenacissime adheret, & madefactum non tollitur. Sed hoc glutino pars calefit, & ideo vulneribus nocere potest, alij calcis vice, gipso cocto vtuntur quod etiam tenacissime adheret. Filum vero in huiusmodi operatione debet esse validum, quo ansulæ fiant, & linteis applicentur; Fiant igitur ansulæ ex huiusmodi filo duplicato, seu multiplicato, & contorto, & cera oblinito, & ansularum inter se distantia sit, vt puncta inter se distantia collocari solent, & etiam minus, & ansulæ sibi inuicem correspondeant, vt æqualitèr alligari possint, alij dicto filo consuunt lintea vera futura, & sic sinunt, donec vulnus fuerit conglutinatum. Sed si ita lintea inter se suantur, Medicamenta difficulter applicari possunt, & cum difficultèr applicari possunt, & cum difficultate etiam à sanie, si effluat, detergi, & mundificari potest, quod non euenit ansularum vsu, cum libitu nostro, & labia simul adducere, possimus, ac etiam ansulas resoluere, & Medicamenta facilitèr, & libere applicare, & sic etiam vulnus mundum seruare.

Applicationis modus est hic, lintea glutino delinita, & suis ansulis apparata, vel sint formæ triangularis, vel quadrangularis, vel cuiuslibet formæ, vtrinque ad vulneris latera per digiti pollicis distantiam apponenda, ita tamen vt ansulæ sibi correspondeant, vt æqualitas in vnione seruetur, & tam diu sic detineri debent, donec resiccato glutino, lintea cuti valde adhereant quod spacio quatuor, vel quinq; horarum fit, exiccato glutino, & linteis tenaciter adherentibus, ansulæ simul, idest vnaqueq; cum sua correspondenti alligari debet, & ita constringi, vt vulneris labia optime vniantur.

Quibus Glutina conueniant.

Hic enim continui solutionem vniendi hoc etiam conseruandi modus maxime est vtilis, & quammaxime in faciei vulneribus conuenit, in quibus fasciæ in vsu esse non possunt, vt in genis, & suitiones in huiusmodi partibus deformes ac nouas cicatrices faciunt. Similitèr in delicatis, vt in principibus, & in ijs, qui constanti animo non sunt, & nullo pacto sui volunt, & sunt Mulierculæ, cum nullum dolorem inferat in commodum vsum esse potest. Si vero in facie ab aliquo Cheirurgo vulnus fuerit consutum, vt cicatricis deformitatem euitemus, statim dicta lintea suis ansulis applicanda, & cum resiccatã fuerint omnia

puncta

puncta auferenda, & anſulæ ſimul vinciendę, vt ſuperius fuit dictum. Competit etiam quam maximè huiuſmodi glutinũ in tranſuerſis magnis, ſiuè longis, vulneribus, in quibus, & ſi plurimæ fuerint factæ futuræ, tamen ante glutinationem puncta abrumpuntur, ſimiliter, & cutis, & glutinatio fieri non poteſt; Glutino vero appoſito, factam futurã adiuuamus, vt dicta non ſuccedant, & optima, ac perfecta glutinatio, ac conſolidatio fiat. Huiuſmodi igitur glutinũ maxime eſt vtile, cum nullum dolorem inferat, nullã cicatricem relinquat, & detineri vſq; ad perfectam, & omnimodam conſolidationem, abſq; ægrotantis incommodo, poteſt, quod minime faciunt futuræ. Cum dum fiunt, dolorem inferant dum factæ ſunt, filũ ſemper cutim mordeat, ſimiliter puncta turpem cicatricem faciunt, & glutinationem procraſtinant, cum quouſq; filum permaneat ſemper ſanies inter filum, & carnẽ generetur, quæ glutinationem prohibet.

De Plumaceolis, ſiuè Puluillis. *Cap.* 13.



Vluinaria ſiuè Puluilli, à vulgaribus Plumaceoli dicti cum ad multa in vulneribus curandis vtiles ſint, ideò de his etiã aliquid eſt dicendum. Primum enim dicemus ad quid deſeruiant. Secundò ex qua materia fiant. Tertiò quomodo ſint in vſu. Quartò cuius figuræ eſſe debeant; Quinto ad quidem vnaquęq; Puluillorũ figura deſeruiat. Deſeruiunt enim puluilli ad ſeptẽ præcipue. Primò ad tuendam partem ab vinculorum ſiue faſciarũ pondere, & ad euitandã compreſſionem, quę à faſcijs prẽmendo ſupra vulneris labia fit, ne dolorem, ac inflãmationem excitet, vt inquit *Auic.* 4. 4. *Tractatu* 1. *cap.* 3. Secũdò ad partem affectam ab externo frigore defendẽdam, & ad natiuum partis calorem fouendum. Tertiò ad diſiunctas partes fulciendas, & vtrimq; comprimendo, ad vnionem adiuuandam. Quartò ad ſanioſam profluuiem, ac ſordidos icores in ſe recipiendos. Quintò ad expellendam materiã à ſinuoſis, & cauis vulneribus. Sextò ad renitendũ, vt in hernia inteſtinali, vel ad Med. retinenda, vbi in aliqua parte cum difficultate adherent. Septimò ad aliquam cauitatem replendam, vt cõmodius faſcia adp-

Quibus deſeruiant Pulxilli.

tari poſſit, vt munus, quod optamus præſtet

Materia ex qua puluilli fiunt, varia eſt, vel enim ex pluma inter duos mundos linteos conſuta, vel ex ſtuppa canabina diligenter mundata, vel ex cotone, vel ex lana optime, & diligenter mundata, aliqui horum vice mollibus ſpongijs vtuntur, moderni vero, vt plurimum, puluillorum vice, mollibus linteis, plus vel minus duplicatis, & inuolutis, ſecundum quod exigentia requirit, vtuntur. In vſu verò ſunt huiuſmodi puluilli, vel ſicci, vel humore aliquo imbibiti, vt Oui albumine, vino, poſca, lixiuio, decocto aliquo, & aliquando etiam Oleo, pro affectus natura. Figura vero puluillorum multiplex eſſe poteſt, vel enim triangularis, vel quadrangulatis, vel rotunda, vel ſemirotunda, vel ob longa, & alij ſunt concaui, & alij plani; Qui triangularis ſunt formæ, ad vulneris labia vnienda deſeruiunt, vtrinque vulneris latere vnum ponendo, ita vt ſupet vulnus lateribus inter ſe vniantur. Quadrangularis formæ, ſiue oblongæ ad affectam partem à vinculorum ſiue faſciaram iniurijs præſeruandam ac defendendam deſeruiunt.

Ex quæ materia fiant.

Vſus Puluillorũ.

Figuræ Puluillorum.

Qui rotundam habent figurã, ſicci alijs ſuperponuntur, non ſolũ ad partẽ ab externo frigore defendendã, & ad natiuum affectę partis calorem conſeruandum, ſed etiam ad ſaniem, & ſordidos icores in ſe recipiendos deſeruiunt ſemirotundi, vt ab vlceribus cauis, & ſinuoſis, ſaniem, & pus extrudant.

De lineamentis, & Penicillis, ſiue Elichinijs dictis. *Cap.* 14.



IN vulneribus curãdis, cũ apud omnes Cheirurgos maximo in vſu ſemper fuerint lineamenta, ſiue Penicilli, vel Elichinia, vel Splenia dicta, & à grecis mota, vel motaria, vel tilmata, & à recentioribus torundę, plagulę, & etiã ſplenia dicuntur. Ideo de ijs aliquid dicere optimũ eſſe iudicauimus. Primum enim dicemus, ex qua materia fiant; Secundo cuius formæ; Tertio ad quem vſum deſeruiãt; Quarto quomodo applicari debeant. Quo ad primum lineamenta ſiue elichinia, vel alio modo dicta, fiunt ex filamentis ſiue lacinijs à mollibus, ac veteribus linteis excerptis, vel ex ſtuppa ſubtili,

Ex quæ materia fiant.

& optime

optime mundata, vel ex lana, vel grossipio, vel ex panni fructulis, vel ex spongia, vel radice gentianæ, vel Dragonteæ, vel brioniæ, vel Ebuli, vel similium, aut ex Plumbi aut argenti cannula. Lineamentorum, siue Elichniorũ formæ plures esse possunt, vel enim sunt plani, & his alijs sunt maiores, alij minores, vel rotundi, & qui rotundi sunt, alij caput veluti clauũ habent, ne intra vulnus ingredi possint, & alij non habẽt, & alij subtiliores, & longiores sunt, & alij crassiores, & breuiores, & oliuarem figurã representant, & alij cannulati, & concaui sunt, & aiij minime, lineamentorum forma æqualis sẽper sit, turandarũ vero inæqualis, & in lignei claui formam ne intro labãtur.

Cuius formæ.

Vsus.

Plana Lineamenta si latam, & rotundã siue oualem, vel splenis Animalis figuram repræsentet. Splenia ideo dicuntur, quia deseruiunt ad extendẽda super ea Med. & ad detergẽda sordida ac plana vlcera, & ab Aere alterata, Rotundi Penicilli, si cannulati sint, deseruiunt in vulneribus narium per transuersum, factis ob continuam inspirationem, & transpirationem, & in penetrantibus thoracis vulneribus ad copiosam materiam, veluti emissarium, continuo expurgandam, ne intus retineatur, quid nisi caput habeant, ligari debent, vt si forte in vulnus ingrediantur, & in cauitatem decidant, faciliter extrahi possint, quod consequemur, si forti ac valido Filo in eorũ summitate alligentur, vt eodem pacto, quo fuerint ingressi, extrhai possint. Nisi sint concaui, sed longi, & angusti, in profundis, & angustis vulneribus conueniunt, vel ad vulnus dilatandum, vel ad dilatatũ, & hians detinendum, qui vero vulnus dilatare debent, fiunt ex spongia vehementer compressa, & contorta, & filo arcte alligata, vel ex medulla siue Radice gentianæ dragonteæ, vel alia simili materia, quæ in se humiditatem recipit, & paulatim in maiorẽ molem augetur, Fiunt etiam ex spongia, quando volumus, vt vulnus continuo aliquo humore madeat; Qui vero solum dilatatũ, hians vulnus detinere debent fieri possunt ex stuppa, lana, Gossipio, Filamentis, tenui linteo, & his similibus, & deseruiunt etiã ad Medicamenta conseruanda, & saniẽ detergendã, & hi tenuibus filamentis fieri debẽt. Sunt etiam in vsu ad euacuandã materiam in cauis vulneribu contentam, & ad nouam carnem regenerandam, & ad sanguinẽ supprimendum, & obstruendo hoc efficiunt.

Competunt igitur Penicilli in omnibus vulneribus in quibus dilatari vulnus, vel hians, & apertum detineri debet, vt sordidis, cauis profundisq; vulneribus, in sanguinis profusione, ad Medicamenta detinenda, in vulneribus contusis, ex morsu Animalis factis, & cum quibus tumor aliquis est complicatus, in diuturnis vulneribus, & cumiam in vlcus degenerauerunt, & vbi aliqua ossis putrendo fuerit facta.

In his ergo omnibus vulneribus Lineamenta siue Penicilli competunt.

In alijs vero vulneribus cicatricem absque his inducis. In vsu vero sunt Lineamenta siue Penicilli aliquãdo sicci, & aridi, & quandoq; aliquo Medicamento imbibiti, vel deliniti, pro vt res ipsa exigit.

De conseruanda Partis temperiæ. *Cap.* 15.



Vm maxime affectæ partis substantiæ tẽperanti conseruatio, in vulneribus curandis, sit necessaria, quod quintã Intentionem in vulnerum curatione esse diximus. Ideo de hac nunc verba faciemus; cum ex lesæ partis tempera menti conseruatione, optime vulnera conglutinentur ac sanentur, cum Natura, quæ hoc opus efficere debet, robusta seruetur, & partis affectæ Natura robusta seruata, non ita habilis ad excrementa recipienda redditur; Immo ad se confluentes humores expellit. Similitèr ex huius temperamenti conseruatione coctiones optimę fiunt, & est in causa ne dolor, neque calor, neque aliud prauum Symptoma sequatur. Nisi seruetur partis temperamentum. Natura imbecillior facta conglutinationem facere minime potest, & partis imbecillitatis ratione excrementa in corpore abundantia ad hanc partem confluũt, & inflãmationem doloremq; ibi excitant, & pars dolore exasperata principem facultatem stimulat, quæ postea spiritum, & sanguinem pro lesę partis ac dolentis defensione transmittit, & ibi postea humidam vel etiam calidam intemperiem generat. Pars item imbecillior facta alimenta rite conficere non potest, & ideo multa excrementa accumulantur, cum ob partis imbecillitatẽ extra vulnus propelli

Conseruatio tẽporem patris affectæ.

non

non poſſunt, & ideo humidam intemperiẽ inducunt, ac tandẽ niſi partis temperies ſeruetur, nullo pacto vulnera curari poſſunt, & præſertim ſiccitas, cũ hac ſeruata, immunes aliæ ſeruantur, & ideo *Hipp. lib. de vulceribus dixit*, Quod ſiccũ eſt ſano, & quod humidum vitiato, & non ſano accedit, & *Gal. 3. Meth. dixit*; Vlcus recte curari non poſſe, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Opus eſt ergo affectam partem in ſua naturali ſiccitate ſeruare, quod varijs, & pluribus modis facere poſſumus, vt ſex rerum Nonnaturalium optima inſtitutione, pharmacia, Venæ ſectione, & his ſimilibus. Sed præcipue localibus Medicamentis. Hæc enim Medicamenta debent eſſe ſiccantia refrigerentia, & aſtringentia vt ad glutinandum ſint idonea, & partis naturam ſeruent. Debent eſſe ſiccantia, vt humiditates intus contentas, vel ob debilitatam coctionem, vel ob aliam cauſam exiccare poſſint, & ſic etiam ſuppurationem prohibent. Debent vero magis, vel minus ſiccantia eſſe, tum ratione temperamenti corporis totius, cum affectæ partis, & hoc ad Cheirurgi iudicium pertinet. Debent eſſe frigida, vt quod ad effectam partem influat, conpenſando ac conſtringendo, repellant.

Quibus partis tẽ peſſies ſeruetur

Debent etiam eſſe aſtringentia, vt partem Vulnere debilitatam roborent, vtque etiam pororum conſtrictionem adiuuent, ne maior ſanguinis copia ad effectam partem confluat, & conſequenter his prohibemus, ne Dolore, vel Phlegmone, vel alio prauo Symptomate leſa pars infeſtetur; Et ideo *Gal. 5. Meth. cap. 1. dixit*; Quod vero coniungi ſibi labia poſtulet, cuiuſmodi ſunt cruenta, hic tum quæ magis ſarcoticis ſiccent, tum que citta abſterſionem leniter aſtringunt eſſe opus; *Et 2. de Comp. Medicamentorum S. Gen. dixit*, Glutinatoria Medicamentas ſunt ſarcoticis ſicciora, *& 3. Meth.* inquit, Glutinatorũ certe non detergit, nec expurgat; Sed contra prorſus ſubſtantiam omnem in idem cogit, cuiuſmodi facultatem habent Medicamenta ea, quæ auſtera, & aſtringentia vocantur, & ideo ſicciora Glutinantia Medicamenta ſarcoticis eſſe debent. Cum ergo Glutinatio ſiue conſolidatio, vt inquit *Gal. lib.* de Morbis parte vltima, ſit inuiſcatio quædam, & multorum vnio corporum per mixtionem partium facta, & hec inuiſcatio fiat à partium natura, quatenus partium humiditatem in ſpeciem Glutini ſiue Collæ vertit, & in hoc opere Medicus ope Medicamentorum ei auxilietur, partis ſiocitatem ſeruando, humiditatemque remouendo. Med. ergo ad hunc vſum apta, & accommodata, vt ſuperius fuit dictum ſiccantia eſſe debent, aſtringentia, & refrigerantia. Sed cum ſiccantium medicamentorum plures ſint gradus, ideo, quæ conueniant, ab affectarum partium temperamento, & totius, indicationes ſunt deſumendæ vt exẽpli gratia, ſi pars læſa ſiccior ſit toto corporis habitu, conueniunt ſicca in principio ſecundi gradus. Si adhuc ſiccior. Medicamenta in ſeuundo gradu conueniunt; Si ſiciſsima in principio tertij gradus Med. imponenda. Cognoſcitur etiam quantum ſit ſiccandum ex vulneris magnitudine, Aeris temperie, & Anni tẽpore; Nam ſi vulnus exiguum ſit, Aegri temporis humida, & anni tempus claidum, & regio calida, ſimplex, & mitius exiccans & aſtringens requiritur, vt inquit *Gal. 2. ad Glauconem cap. 8.* Si mediocriter ſit vulnus, & alia medio modo ſe habeant, ſic etiam Med. requiritur; Si vulnus ſit magnum, & Aegri temperies ſicca, & Hyemali tempore valide exiccans Med. exigit.

Gulnina tio quid ſit.

Notæ ex iccatio- nis.

Horum vero Medicamentorũ alia ſunt ſimplicia, alia compoſita, & ex ſimplicibus Med. alia ſunt in forma liquida, & humida, quibus continuo, vt Vulnus madeat, curare debemus, & ne Lintea exiccentur, quoniam vulneri nocerent, alia in forma ſicca, vt ſubtiliſſimi pulueres, qui, vt penetrent, aliqua re humida ſunt commiſcendi, præſertim quando in profundum deſcendere debent.

In forma liquida omnia alia ſuperat Vinum nigrum aueſterum, vt inquit *Gal. 4. de* Simp. Med. Facultatibus, cum in hoc ſubſtantiæ tenuitas, ad ſtringendi, & ſiccandi facultas adſit; Item ſucci foliorum cupreſſi, hypericonis, caudæ æquinæ, mille folij, tormentillæ, foliorum ſalicum, vlmi, conſolidæ maioris. Maxime etiam glutinat liquor illæ, qui reperitur in vlmorum veſſicis, qui menſe Maio colligitur, & multa alia vt 5. *Simplicium*, *& 3. Meth. cap. 4.* apud Gal. videre potes qui multa enumerat

Simplicia Glutinantia in formã liquidã

In forma ſicca ſunt ſubtiliſſimi pulueres San. drag. mannæ, thuris, corallorum rubeor. & etiam alborum, bolli armenij occident. malicorij, balauſtriorũ, gallæ immaturæ, Lapidis hematitis, terræ ſigillatæ,

Roſa-

tæ, Rosarum Rub. Myrtillorum, Mirabulani citrini, Santalorum omnium, & denique omnium siccantium & astringentiũ, vt Masticbes, Aloes, Sarcocollæ, & similiũ.

Glutinãtia composita.

Composita sunt Ceratum Barbarum Magnum, & paruum Gal. Diapalma, Ceratum de Minio, de Ceruſa, & multa alia, vt inferius dicemus.

Inter mitiora, quæ conueniunt in paruo Vulnere, humida temperie, tempore calido, calidaque regione liquida sunt, succi Plantaginis, Anagallidis, Ebuli, Sambuci, Foliorum Vlmi, & Salicis.

Mitiora arida, & sicca sunt pulueres subtilissimi Rosarum Plantaginis, Thuris an q. suff. & simul mixtis.

In forma solida sunt Ceratum de Minio, & de Ceruſa.

Mediocria Gultinantia liquida sunt Hædere folia viridia in Vino decocta, Rubus Folia Salicis, & Vlmi, Caudæ æquinæ, & similium, & Vinũ nigrum austerũ per se.

Mediocria arida sunt subtilissimi pulueres Corallorum, Caudæ æquinæ, Masticbes, & similium.

Composita mediocria sunt Ceratum Barbarum Minus, si hyems fuerit, xuere vero, & Autumno Diapalma.

Valentissima vero conglutinantia sunt quæ maxime siccant, & adstringunt, & inter simplicia sunt Bolus Arm. orient. Sanguis Drag. Folia, & pilulæ Cupressi, Malicorium, Balaustbia, Myrtilli, Gallæ immaturæ, Isatis satiua, & similia.

Inter composita arida. ℞. Boli Arm. orient. Sang. Drag. an q. vis M. & fiat pulvis subtilissimus; vel

℞. Thuris dragm. 11. Boli Arm. orient. dragm. 111. Sang. Drag. dram. 1. M. & F. pul. sub.

In forma solida maxime valet Ceratum Barbarum Maius Gal. Emplastrum Isidis vel per se, vel cum Cerato Rosaceo mixto.

Vsus vero supradictorũ Med. huiusmodi esset. Simul iunctis Sutura vulneris labijs, si liquidis vti volumus, Spongia vel linteis dictis liquoribus imbibitis, & aliquantis per expressis Vulnus continuo fouendum, & cura semper habenda, ne exiccentur.

Si Aridis vti volumus, supra consutum Vulnus tenuissimum pulueren insperginus, & supra aliquod Ceratum applicamus, vt Diapalma, vel Barbarum, vt pulueren detineat, vtque partis substantiam salubrem conseruet. Tertio superponendum duplicatum Linteum Vino nigro austero imbibitum, & expressum, & hoc tam magnum esse debet, vt non solum Vulnus comprehendat sed etiam circũstantes partes, & si volumus, vt Vinum magis agat. incuquimus Palantaginem, Rosas, Balaustia Myrtillum, Alumen, & si Hyens fuerit, etiam camomillum, & similia.

Vinum stipticũ quibus fiat.

Vel supra consutum Vulnus subtilissimũ Linteum Oui albumine madidum imponimus, deinde superponimus Stuppas imbibitas oui albumine dictis pulueribus commixto, & sic quatuor dierum spacio, nisi quid vrgeat, relinquendum, Secunda vice dictis pulueribus cum Resina, Terebenthina, vel Abietina commixtis vtimur Filamentis superponendo, & sic vsq; ad perfectam agglutinationem medemur.

Vel vtimur infrascriptis Med. & Vng. quæ in glutinando maxime valent.

Med. maxime Glutinãtia.

℞. Infrascripti pulueris constrictiui vnc. 1. incorporetur cum Oui albumine optime agitato, vel cum sarrocola dissoluta cum Vino stiptico (vulgo dicta Colla di Pesce) vel succo Citoniorum, vel Plantaginis, vel cum Tagaganthi gummi, vel Arabici mucilagine incorporentur.

Vtque melius agat, addere possumus molliſſimos pilos Leporinos, vel lanuginẽ Floris salicis, vel Arundinis, vel Senecionis

Puluis constrictiuus.

Puluis Constrictiuus ita fit. ℞. Boli armenij, Sang. Drag. Sarcocollæ, Masticbes Aloes, Gallarum immaturarum, Blattæ, Bisantiæ, ideſt purpuræ an vnc. 5. Florum Syderitis vnc. 1. M. & fiat subtil. puluis, & si vis adde pili Leporini integri dragm. 11. vel tantũdem Lanuginis florũ Salicis.

Infrascriptum maxime glutinat, & in Vulneribus Neruorum maxime est vtile ac etiam omnibus aliis Vulneribus.

Glutinãte in Neruorum Vulneribus maxime vtilæ.

℞. Olei Antiquissimi lib. 1. Succi Narcisi, Succi Syderitis an dragm. 111. Florũ Hipericonis vnc. 4. Gummi Elemi vnc. 5. Masticis, Sang. Drag. Aloes an. vnc. 2. Blattæ Bisantiæ vnc. 5. Coquatur diu Oleũ per se, deinde succi addantur, Demum Hiperici flores panantur in Vase vitreo obturato, & soli exponantur per dies decẽ; decima die addantur pulueres, & agitentur, Prius autem colari debent, & flores auferri; Iterum soli spacio 20. dierum exponantur, deinde serua ad vsm; vel.

℞. Succi

℞. Succi piperinæ, nicoſiæ etiam dictæ lib. 1. ceræ nouę, picis, reſinæ, olei communis an. vnc. 3. miſce, & omnia coquantur ad ſucci conſumptionem, deindè adde reſinæ terebentinæ vnc. 3. Cola per linteum, & ſerua in pixide. Hoc enim glutinat, & vtile eſt ad omnia vulnera, & vlcera.

Notandũ Animaduertendum verò ſemper, vt poſtquam glutinantia medicamenta fuerint ſuper vulnus appoſita, vt pars læſa aptiſſima figura collocetur. Aliud glutinans.

℞. Subtiliſſimi pulueris, turris, maſtiches, Sandrachæ, Aloes, Sang. Drag. Boli Arm. Draganthi, Gummi Ammoniaci an q. vis Reſinæ Tereb. q. ſuff. & fiat in Vng. forma, Et ſi ſanguis non ãplius fluat ſuperponatur, ſi fluat, prius ſiſtendus cum Oui albumine puluere Sang. Drag. & Boli Armeni mixto, & deinde dictum Medicamentum ſuperponendum, & breuiſſimo temporis ſpacio glutinat, Vel ℞. Liquoris Veſſicarum vlmi depurati, & preparati, lib. 1. Mellis optimi deputati vnc. 111. Succorum Tormentillæ, Conſolidæ maioris, Conſolidæ mediæ an vnc. 1111. M. & coque lento igne ad ſuccorum conſumptionem, deinde infraſcriptos pulueres adde, ℞. Sang. Drag. Boli Ar. Orient. Mannæ Thuris, Aequileti, & Maſtiches an dragm. 11. M. & fiat pulvis tenuiſſimus, & ſupradictis adde ſicuti diximus.

Balſamũ Artificiale.

Hoc Medicamentum efficaciſſime glutinat, & parua, & ſimplicia Vulnera 24. horatum ſpatio, vt pluries fuimus experti, & eſt Balſamum Artificiale.

Preparatio liquoris Veſſicarum Vlmi ita fit; Menſe Maio huiuſmodi Veſſicæ colliguntur, ante quam intus vermiculi oriantur, & ex hoc liquore vitrea Fiala expletur, & Linteo obturatur, poſtea, faciẽda fouea in terra, per altitudinem duorum palmitum, vel trium, & in fundo foueæ Sal communis per altitudinem trium digitorum ponendus, ſuper quem Fiala ponẽda, deinde fouea terra explenda, ità vt fiala non appareat, & ſic per ſpacium 25. dierum relinquenda, deinde feces à ſubſtantia clara diuidendæ, & clara ſubſtantia ſeruanda ad vſum, quæ etiam per ſe appoſita glutinat. Vel.

Balſamũ aliud optimum.

℞. Olei Antiquiſſimi vnc. 1111. Terebenthinæ Venetæ vnc. x. 5. Tritici integri vnc. 11. Hyperici vnc. 11. 5. Radicis Cardui benedicti, Radicis Valerinæ an dragm. x. Pulueris ſubtiliſſimi Thuris vnc 11. Hipociſtidis dragm. v. Boli Armeni Sang. Drag. an vnc. 5. pulueris Vermium terreſtrium dragm. 11. Conſolidæ maioris M. 1. Equileti M. S. Radices, & herbæ craſſo modo contundantur, deinde in vas ponantur, & Vinum album ſuperponatur ita vt omnia Vino mergantur, & poſtquã biduo ita fuerint infuſa, Oleum, & Frumentum adiungantur, & omnia ad Vini conſumptionem coquantur, poſtea forti facta expreſſione, adduntur pulueres, & Terebenthina, & iterum parum bullire ſinitur, & deinde ſerua in Vitreo Vaſe ad vſum.

Vſus dicti Balſami.

Vtendi modus huiuſmodi ſit. Primum Vulnus vino albo frigido abluatur, & exiccetur, deinde ſtatim prædicta compoſitione calida totum Vulnus iniungatur, & ſi Vulnus ſit profundum, per Siphonem intra Vulnus immittatur, & ſtatim Vulneris labia futura, aut deligatura, aut Glutino ſimul vniantur, deinde partes vulneri circumpoſitæ dicto medicamento etiam iniungantur, & ſupra Vulneris labia iam vnita, Linteum, vel Filamenta dicto Medicamento delinita imponenda, & ſupra hoc aliud Linteum Vino nigro imbibitum, & expreſſum, & mox alia Lintea ſicca, deinde faſcia ſuperligetur.

Eius facultatis.

Prædictum Medicamentum maxime valet in Neruorum Vulneribus, & aliarum etiam partium, & ſimplicia, & carnoſa vulnera minime profunda 24. horarum ſpacio ſanare creditur, vt nos ſæpiſſime experti fuimus.

Glutinat etiam Vnguentum potabilæ, vnguentum Aureum, vnguentum Citrinum, vnguentum Deſiccatiuum rubrum Oleum Abietinum ſtillaticeum, & de Terebenthina; vel infraſcriptum, quod optime glutinat, & Balſamum Artificialæ dicitur. ℞. Reſinæ Terebenthinæ optimæ

Balſamũ aliud.

libi Galbani vnc. 1. 5. Gummi Elemi, Gummi Hederæ, Thuris, Maſtiches, Myrrhæ an vnc. 11. Aloes, Xiloaloes, Galangæ, Gareophillorum, Cinamomi, Nucis Miriſticæ, Gubebarum an vnc. 1. Aquæ vitis quater deſtillatæ vnc. 111. M. & omnia per diem ac noctem macerentur, poſtea bis deſtillentur, & Oleum illud ſtillaticeum tanquã prętioſum Balſamum in Vitreo vaſe bene obturato ad vſum ſeruetur. vel.

℞. Aquæ

℞. Aquæ Vitis quater destillatæ, Florũ *Hyperici lib.* 5. infundatur in Aqua Vita, & per aliquot dies in Sole macerentur deinde flores exprimantur, & eiciantur, & alij flores infundantur, sicque quater, vel quinquies fiat, deinde adde Gummi Elemi vnc. 3. & iterum per aliquot dies sub solaribus radijs maneat, & ad vsum serua.

Infrascripta etiam Cerata glutinatoria sunt, quæ vltimis diebus applicari possunt.

℞. Resinæ Tereb. optimæ lib. 1. Resinæ Pini vnc. 3. Gummi Elemi vnc. 5. Aristolochiæ longæ, Sang. Drag. an vnc. 1. Ceræ q. suff. M. & S. A. F. Ceratum.

Vel ℞. Olei Antiqui *lib.* 1. Ceræ nouæ *lib.* 5. Litargirij vnc. 3. Ceruſæ vnc. 2. Galbani vnc. 5. Sang. Drag. dram. 3. Liquescat Cera cum dicto Oleo, deinde reliqua adiciantur, & S. A. Fiat Ceratum.

Quamdũdum seruãda Glutinantia supra vulnus.

Impositis supra Vulnus Glutinantibus Medicamentis, si optime Vulneris labia, fuerint coniuncta, & nisi Dolor vel Phlegmone, vel aliud paruum Symptoma superueniat, vsque in tertiam vel quartam diem sic sinendum, & Fasciæ non dissoluendæ. Quarta die, si Vulnus coaluerit, aspiciendum, & nisi coaluerit, iterum Glutinatorium Medicamentum imponendum, & sic tertio, vel quarto quoque die faciendum, donec optime coalescat, ac consolidetur, & serius aspicienda Vulnera Hyeme quã Aestate. Quando vero Vulnus agglutinatũ fuerit; Puncta siue fibulas auferre debemus modo, & ordine superius dicto, & aliquod agglutinans Ceratum, vsq; ad perfectã consolidationẽ superponere debemus

Notandũ

Animaduertendum vero, vt semper in parte superiori Vulneris, idest supra iunctura aliquod defensiuum apponatur, vt humorem fluxum ad affectam partem prohibeat, quod sepe reuocetur.

De sex rebus nonnaturalibus. Cap. 16.

Glutinationem impedientia.



Ed cum sepe Vulneribus dolor, Tumor Humorũ confluxus, inflãmatio, & similia superuenire soleant quæ glutinationem impediunt, partisq; temperiem destruunt; Ideo vt nostrũ intentũ consequamur, pro viribus, ne hoc eueniat, prohibere debemus, quod asseruari. Sex rerum nonnaturalium optima institutione, Venæ sectione, purgatione, & his similibus, vbi opus fuerit.

Aer qualis.

Quo igitur ad sex res nonnaturales, ambiens, siue Aer, temperatus competit, & si excedere debet, magis competit calidus, quam frigidus præter quam in capitis, & Ventris Vulneribes, ex *Hipp. sententia lib. de Vlceribus, vbi scriptum reliquit*; Plerisque Vlceribus calida tempestas Hyeme salubrior est, nisi fuerint in Capite, & Ventre, salubrius adhuc æquinoctum; Et alibi dixit, Frigus quidem Vlceribus inimicum, Calidum vero amicum.

Victus qualis, & quantus

Victus debet esse pro virium ratione, & affectus magnitudine, & totius corporis dispositione, vt inquit *Gal.* 7. & 8. *Meth.* Maxime tamen competit, victus tenuis, & frigidus ad vitanda Symptomata.

Pro potu ergo danda Aqua, in qua Hordeum fuerit incoctum, vel Cinamomum, vel Coriandri semina, cum aliquo sulapio, & Vinum omnino deuitandum. Pro cibo competit Hordei Ptissana, Panatellæ in Aqua coctæ, vel in iure paruæ pullæ, panis lotus cum Saccaro, & inter Olea Borrago, Lactuca, Endiuia, Spinachia, & similia, & Qua, & Caro, & omnia, quæ maxime nutriunt deuitanda, similiter Acria Acida, Aromaticaque omnia, & breui frugalique Cena vtantur, & hoc victu vti debent, quo vsque à phlegmone, & alijs prauis Symptomatibus fuerint tuti, quod erit septem dierum spacio, deinde pleniorem victum instituere debemus, quotidie paulatim augendo, quousq; ad pristinam consuetudinem paulatim redeat; Et ideo *Hipp. lib. de Vlceribus dixit*; abstinentia vero, & Aqua, tàm conctis Vlceribus prodest, quàm quod maxime, magis autem recentibus, quà vetustis, tùm vbi inflammatio, vel accesserit, vel expectetur, seu periculum instet, ne quid corrumpatur, seu articuli Vlcere præmantur, atque inflammatione, Nerui distensione periclitentur, aut Venter vulneretur, sed vt quam maxime si caput, femur, aliunde perfringatur. *Et Celsus lib.* 5. *cap.* 26. *inquit*, Vulneratus abstinere si graue Vulnus est, quantum vires patiuntur, ante inflammationem à cibo debet, & aquam pro potu bibire. Adeo tamen nihil perpetuum est. Sed semper pro viribus corporis estimandum, vt imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarũ possit, tenuem scilicet, & exiguum, qui

tantũ sustineat. Sed hoc victus genus non obseruandum in ijs, in quibus ob magnam sanguinis hemorragiam, vires fuerint valde imbecilles, in quibus, & Vinum, & alia maxime nutrientia propinare sumus coacti vt spiritus, & vires reficiantur, & ideo Celsus loco superius citato dixit; Multi etiam ex profluuio sanguinis intermoriẽtes, ante vllam curationem, Vino reficiendi sunt, quod alioquin inimicissimum Vulneri est.

Partis situs. Quies Vulneratis imperanda, cum optimum eis sit medicamentum, & exercitatio maxime eis nocet, præsertim in partiũ infernarum Vulneribus, & semper vulnerata pars in commodo situ, & quetie collocanda, vt molliter, & placide, & sine dolore maneat, & hoc præcepto *Hipp. lib. de Vlceribus faciendum*. Vbi inquit, neque stare conuenit, quem Vlcus exercet, præsertim si in Crure versetur, sicut nec sedere nec ingredi, sed quies, & ocium plurimum conducunt, & Celsus loco superius citato inquit. His ita prima die ordinatis, idest optime particularibus præsidijs Vulneribus adhitis, homo in Lecto collocandus est, isque si grauæ Vulnus est; Aptus vero partis situs est, qui maxime à dolore abest, in quo æger diu immotus perseuerare potest, vt inquit *Gal. 6. Meth. cap. 5.*

Circa Somnum, & Vigiliam non idem tipus Vulneratis omnibus instituẽdus, quoniam aliquibus conuenit breuis Somnus, alijs moderatus, alijs longus, & profundus. In ijs Vulneribus longus, & profundus somnus competit, in quibus adest dolor, quia in somno ad interiora spiritus, & calor retrahuntur, & consequentèr sensitiua facultas sopitur, & ideo ex somno dolor mitigatur.

Similitèr eadem causa, cum in somno spiritus calor, & sanguis ad interiora trahatur, & dolor sedetur, humorum etiam fluxio impeditur. In illis vero Vulneribus, in quibus humorum fluxus timetur, profundus, & longus somnus deuitandus, & cum in profundo, & longo somno fluxiones facilius fiant; Similitèr in partium frigidarum Vulneribus, vt Articulorum, & extrematum partium longus somnus deuitandus, cum in somno magis refrigerentur partes illæ, cum calor, & spiritus in somno ad suum principium, idest ad cor, contrahantur, & ideò partes istæ semper Hyeme calidæ seruandæ, breuis ergo somnus his competit, vbi vero fluxionis non adest periculum, moderatus somnus concedi debet, Vigiliæ etiam vitandæ, quia calefaciũt humoresq; fundunt, & vires destruunt. Ira, & contentiones deuitandæ, cum ex ità humores inflammentur, & ad fluxum habilissimi reddantur; Sic, & omnes alij vehementes animi affectus ac motus, & venus tanquam infestissimis Hostis deuitari debet, vto; Aluus lubrica sit curare debemus, & nisi sit Natura, fiat Arte.

De Venæ sectione in Vulneribus facienda. *Cap. 17.*



Consideranda in Venę sectionę faciendę.

Circa Venæ sectionem in Vulneribus faciẽdam plura sunt consideranda. Primum ob quam causam in Vulneribus sanguis mittendus; Secundo considerandum vulnus, sit magnum vel paruũ; Tertio sanguinis, qui sua sponte, e vulnere profluit; Quarto ægrotantis vires; Quinto ætas; Sexto corporis habitus; Septimo Symptomata vulneri superuenientia; Octauo Anni tempus, & Cœli status considerandus.

Quo ad primum, superius diximus, vt bene, & cito vulnus sanetur, necesse est partis temperiem, & siccitatem seruare, quę optime seruari non potest, nisi etiam totius corporis habitus siccus seruetur, cum pars habitum totius sequatur, & vulnus, vt habemus ab *Hipp. lib. de vlceribus, siccitatem indicat*. Sanguinis missio non solum partem affectam, sed etiam totum corpus siccum reddit. Ergo hac de causa maxime in vulneribus sanguinis missio competit, & hoc Celsi authoritate comprobatur, qui *lib. 6. cap. 16. dixit*, Medicus debet mittere sanguinem ad siccitatem mouendam, deinde subiungit; Fluat ergo sanguis multus ad siccitatem abundantiorem. Sed nisi fluxit, quantum satis est, secetur Vena. Cũ ergo in vulneribus partis temperies sit seruanda, & hec seruatur cum exiccatione totius corporis, & venæ sectio hanc exiccationem quã citissime efficit; Ergo venæ sectio in vulneribus, vbi sit opus, est faciẽda.

Competit ergo sanguinis missio in recentibus Vulneribus ad inflammationem prohibendam, *Hipp. & Gal. præcepto lib. de vlceribus, & 4. Metth. cap. 6.* vbi inquiunt

quiunt. Recenti cui vis Vlceri nisi sint in ventre expedit ex se ipso statim sanguinem plus minusue effluere. Quippe hoc modo Phlegmone minus tentabitur, tum Vlcus ipsum, tum quæ circumposita loca sunt. Si igitur sanguinis missione ruentis, & confluentis sanguinis impetus coibetur, & humorum fluxus deuitatur, quod efficit Venæ sectio, & euacuando, & reuulsionem faciendo, quando à parte maxime longinqua, & contraria fit, & ideo *Gal. ex Hipp. mente 14. Meth. inquit*; Incipientem fluxionem semper ad contraria retrahendam, & reuellendam esse, & hoc quamciti ssime ideſt eadem die faciendum, ne materia ad affectã partem confluat. Sed nihil est quod citius, & celerius reuellat, quam sanguinis missio; Ergo quam primum Venæ sectio facienda, & prius nec exibendum est Leniens Medicamentum nec Clister immittendus, nec quicquam faciendum, quod vllo pacto Phlebotoniam remorari possit, vt Celsus de Venæ sectione inquit. Secundo diximus Vulnus esse considerandum; Si Vulnus sit magnum, vel paruum, & recordandum, quod superius ex *Gal. mente 4. Meth. 6. diximus*; Quod tripliciter vulnera dicantur magna, vel ratione præstantiæ, & nobilitatis affectæ partis, vel ratione magnitudinis ipsius Vulneris, vel ratione malignitatis, & Cachoetiæ. Nemini dubium est, quod in Vulnere magno sanguinis missio competat, si vires, & ætas consentiant, cum hoc dixerit *Gal. lib. de Curatione per Sang. missionem, & 4. Meth. cap. 6. inquit*. Si magnus sit morbus cum virium robore nemo est, qui sanguinem non mittat, idem etiam dixit 13. *Meth. cap. 21. & 2. de Fracturis 31. & multis alijs in locis. In lib. etiam de Articulis in Coxæ collisione ex Cubito sanguinem detrahit, vbi Gal. inquit*; Etiam si in corpore sanguis non redundet, in huiusmodi plagis ad Venæ sectionem deueniendum *Et in lib. similiter 2. de Comp. Med. S. Loca ad capitis dolorem ex ictu maxime Venæ sectionem laudat*.

Competit ergo sanguinis missio in omnibus magnis Vulneribus, si ætas, & vires consentiant, vt ex dictis autoritatibus patet, etiam magnitudinis Vulneris ratione cum magnum, & celerem præsidium indicet, & hec est tertia causa, cur Venæ sectio in vulneribus competat,

In paruis verò, & nullius momenti vulneribus non est sanguis mittendus, cum aliquod magnum, & vehemens præsidium non indicetur.

Tertio diximus considerandam esse quantitatem effluxi sanguinis.

Si enim in magna copia sua sponte effluxerit, vel tanta quantitas, vt ad corporis exiccationem deseruiat, non facienda venæ sectio, ne frustra vires debilitentur. Si verò nihil fere effluxerit, vel in pauca copia secanda Vena, & Arte supplendum, quod sua sponte non fuerit factum, cum corporis habitum non siccatum indicet.

Quarto ægrotantis vires considerandas esse diximus; Nam si vires sint validæ sanguis mittendus, cum virium robur in sanguine euacuando maxime sit necessarium. Si vero debiles, & imbecillæ à sanguinis missione desistendum. Sic de ætate dicendum, quod erat quintum considerandum. In pueris, & senibus sanguinis missio non competit, nisi senes sint valde robusti, & in his minor quantitas extahi debet; In quibus vero extrahi non potest, & in pueris, vice Venæ sectionis, applicatio Cucurbitularum cum scarificatione partibus contrarijs, & longinquis, vbi morbus exigit, fieri potest. Quod vero neque pueris ante 14. annum, neque senibus sanguinis missio comperat, inquit *Gal. pluribus in locis, & precipue lib. de Sectis iuxta finem, vbi inquit Venæ sectio, neque pueris, neq; senibus competit*; *Idem etiam inquit*, 10. *Meth. iuxta finem & 11. & 13. Meth. & 9. eiusdem Meth inquit*; *Etiam si pueri Sinoco laborante, ante 14. annum non esse mittendum sanguinem, lib. de Venæ sectione cap. 14. inquit*; *Et si sint propè 14. annum pauca sanguinis quantitas mittenda, & idem postea repetit eodem lib. cap. 19. & causam reddit dicens*. Quoniam plurimum eorum corporum substantiæ absumitur quotidie; Et 2. de Comp. Med. S. Loca iuxta finem inquit; Neque vtendum Venæ sectione, si puer aut Senex sit æger, aut virium imbecillitas adsit. *Idem inquit lib. de Ratione curandi per Sang. miss. Et 4. Meth. inquit*. Quippe sanguinis redundantia haud quaquam sanguinem esse mittendum indicat, sed magnitudo morbi, vna cum virtute vegeta, exceptis tamen à sermone pueris. *Idem etiam inquit ætius Ser. 5. cap. 71. & Ser. 3. cap. 8. & cap. 11. eiusdem*

Venæ sectio pueris non competit

dem ſermonis dixit; Pueris non competit ſanguinis miſſio ante 14. annũ, nec ſenibus niſi ſenibus vires robuſtæ ſint, & in his etiã ſeptuagenarijs comperit, ſed in pauca quãtitate. Valeant ergo, qui volunt, & præcipiunt, vt ſanguinis miſſio etiam perulis fiat, cum tot ac tantorum virorum autoritatibus repugnent. Sexto quod eſt conſiderandum, diximus eſſe corporis habitũ. Nam in pletoricis, & magis humidis maior ſanguinis quantitas mittenda, cum maiori exiccatione egeant, & Venæ ſectione commodiſſime pletora euacuatur, vt inquit *Gal. lib. de Artis conſtitutione*. Quamuis ſanguinis redundantia ſanguinis miſſionem non indicet, ſed magnitudo morbi, vna cũ virtute vegeta, vt inquit *Gal.* 4. *Meth.* In alijs, ideſt non pletoricis, minor ſcilicet, & in quibus non ſolum in quantitate ſed etiã in qualitate peccãt humores, debent etiam purgari vt inferius dicemus.

Quod ad ſeptimum conſideeandum, id eſt ad Symptomata vulneri ſuperuenientia quo Symptomata maiora fuerint, eo copioſior ſanguis mittendus, & in maximis doloribus vſq; ad Lipotimiam ſanguinem eſſe mittendum dixit *Gal. Com.* 23. *lib.* 2. *Aph. & lib. de Curandi Ratione per Sang. Miſſ. cap.* 12. *& pluribus alijs in locis ſic ſi febris adſit, ſimilitèr ſanguis mittendus, cum febris humores calefaciendo, & eliquando, fluxionis cauſa eſſe poſſit*. Vbi vero Symptomata minora fuerint, eo minor ſanguinis copia mittenda, & quantitas tandem virium ratione, & morbi magnitudinis, eſt menſu anda.

Diximus octauo, quod in ſanguine mittendo anni tempus eſſe inſpiciendum, quoniam in magnis æſtibus, vel non debet mitti, vel in pauca copia, vt inquit *Gal. lib. de curandi Rat per Sang. Miſſ. cap.* 9. *&* 9. *Meth. cap. vltimo, &* 11. *Meth. cap.* 14. *&* 1. *ad Glauc. cap.* 14.

Due petunt ſecanda.

Ex qua Vena ſit ſanguis mittendus, poſt quam declarauimus vbi competat, & vbi non, & quæ debeat eſſe quantitas modo declarandum ſupereſt. *Gal.* 3. *lib. de Anatomicis adminiſtrationibus inquit*. Quod in partibus infra clauiculam laborantibus, axillaris Venæ ſectio commodiſſima eſt, partibus vero ſupra clauiculam laborantibus, humeralis Venæ ſectio conducit, & ſi hec non appareat media vena ſecanda, in partibus vero infra Renes, & Vmbilicum laborantibus, poplitis venæ, ſiue malleolorũ ſectio eſt vtilis, vt *Gal. lib. de Artis conſtitutione ſcriptum reliquit, dicens*; Nec minus à membri figura, & ſitu deſumpta ratio eſt ſanandi Phlegmonæ detentas particulas; Si quidem fluxiones, quæ decumbere in Coxam, ſectis venis in Poplite, aut in Talo euacuamus, & eas pariter, quæ in vtero comprehenſæ ſunt. Quæ in Thorace, aut Pulmone, per Cubiti interiorem venam, ſicuti eas, quæ in capite, & Collo per humeralem. Sed animaduertendum, quod in vulneribus partium infra Renes poſitarum, etiam Venæ Baſilicæ ſectio eſt magis vtilis, reuulſionis gratia, quoniam non ſolum totum corpus celeritèr euacuat ſed etiam magis retrahit, ne humores ad affectam partem confluant. Venæ vero ſectio poplitis ſiue maleorum magis comperit pro euacuatione humoris iam in partem affectam confluxi, & coadunati, vt inquit *Gal. loco ſuperius citato*.

Notanda

Sed in vulneris principio non dum fluxit materia, & ideo mihi magis placet, vt ex Baſilica in partium infra Vmbelicum poſitarum vulneribus ſanguis mittatur, cũ humorum fluxus magis retrahatur, & intercipiatur. Poſtea vero gratia humorem iam influxum euacuandi, poplitis vel malleorum Vena tuenda, & hoc faciendum *Gal. precepto* 13. *Metth. dicentis*. Venæ autem ſecandæ electio à parte laborante indicatur; In vniuerſum autem, quam longiſſime atentata fluxione parte, qua redundat, reuellere, nequaquam ad eam terrahere conuenit; Et idem *Gal.* 4. *Metth. dixit*. Incipientem fluxionem ad contraria reuelendum, & retrahendum. Fixam iam in laborante particula euacuandum eſſe, vel ab ipſa particula, quæ afficitur, vel à maxime vicina; Et ſemper in venæ ſectione rectitudo ſeruanda, vt inquit *Gal. lib. de Curandi Rat. per Sang. Miſſ. vt ſi pars dextera ſit vulnerata, ex dextera parte ſanguis mittendu, ſic ſi ſiniſtra, ex ſiniſtra*. In vulneribus ergo partium ſupra Clauiculã poſitarum, ſemper Cephalica ſecanda, & niſi hec appareat, media, in partibus infra Clauiculas poſitis vſque ad Renes, & vmbilicum, vena iecoris, ſiue Baſilica dicta, in partibus infra Renes, & vmbilicum poſitis, Poplitis vena, & Baſilica ſecari poteſt vt ſuperius fuit dictum.

Notanda

Sed animaduertendum quod in vulne-

ribus

ribus *Brachiorũ & Manuũ reuulsionis gratia, non solum ex Poplitis, & Malleolorum Vena eiusdem lateris Phelebotomia fieri potest, sed ex Basilica oppositi Brachij, cum Venarum rectitudo seruetur, vt inquit Atius, quemadmodum in Vulnere cruris, & Basilica Brachij eiusdem lateris affecti, & ex altero Crure Venæ sectio competit, & optima reuulsio erit, cum dixerit Gal. 3. Artis Med. textu 40. Reuulsio fit ad partes longinquas, quæ trifariam fit, vel secundum longitudinem, vt sursum, & deorsum vel dextrorsum, & sinistrorsum vel secundum profunditatem, vt antrorsum, & retrorsum. Possumus etiam quartum addere, ab intra ad extra, & ab extra ad intra.*

Reuulsio quot modis fiat.

De Purgatione in Vulneribus facienda. *Cap.* 18.

POst quam de Venæ sectione in Vulneribus facienda verba fecimus, modò supereſt, vt aliquid de Purgatione dicamus, & imprimis videndum vbi purgatio competat; Secundo quale de causa; Tertio per quam partem purgari humores debeant; Quarto qui humores sint euacuandi; Quinto quibus Med. Sexto euacuandi tempus.

Vbi purgatio cõpetat, & cur.

Quo ad primum, & secundum *Gal. 4. Meth. cap. 6.* in quatuor casibus purgationem in Vulneribus innuit, vel quando alicuius humoris adest redundantia, vel quãdo morbi vis ac magnitudo adest, vel quando reuulsione est opus, vel quando totum corpus euacuatione, & exiccatione eget, & hec sunt eius verba.

Purgatio in sola vitiosi succi abundantia conuenienter admi istratur, nisi etiam magnitudo ipsius morbi sit ipsi Cacochymiæ coniuncta; Sic enim Vulneribus atque Vulneribus omnibus, quoties valida sunt, purgationem esse vtilem est professus Hip. quod nimirum insigniter vacuet, & addiuersum trahat. Ex quibus verbis manifeste paret, quod purgatio quatuor de causis in Vulneribus competit, idest ratione euacuationis, Reuulsionis, Vulneris magnitudinis, & exiccationis. *Hipp. similiter lib. de Vlceribus* optime in quibus Vulneribus purgatio competat, explicauit, dicens, Purgare aluum in bona parte Vulnerum præstat, nempe in vulnere Capitis, Ventris, Articulorum, atq; vbi periculum instat, ne quid corrumpatur, in his item, quæ futurã postulant, vel exedunt, aut serpunt, vel alioquin inueterauerint, aut vinciri debẽt.

Quibus verbis manifestè, quæ Vulnera magna dicantur, explicat, & quod in omnibus magnis Vulneribus purgatio est vtilis, sic item vbi praui succi redundant. Dicens enim Vulnera capitis, & ventris, idest Thoracis, & Abdominis, indicat magnitudinem ratione præstantiæ partis. Quando inquit Articulorum Vulnera, & quæ inueterauerunt, aut vbi periculum sit, ne quid corrumpatur, indicat morbi magnitudinẽ ratione malignitatis. Quando vero inquit; Quæ futuram aut vinculum postulant, significat magnitudinem, & amplitudinem ipsius Vulneris. Et quando inquit, in ijs, quæ exedunt aut serpunt, indicat purgationem non solum magnitudinis ratione conuenire, sed etiam respectu Cacochymiæ. Competit etiam purgatio ratione exiccationis totius corporis, & affectæ partis, vt de sanguinis missione diximus; Quoniam expurgatione in magnis Vulneribus totum corpus purum redditur, & pars etiam affecta in sua naturali temperie seruatur, cum humores, aliunde effluentes recipere non possit, & sic neq; dolores, neq; inflammationes, neq, alia praua Symptomata superuenire possunt, & tandem purgatione; Natura exonerata, potentior ad Vulnus curãdum redditur, cum hoc suum proprium munus sit. Competit etiam purgatio non solum in magnis Vulneribus, vt superius fuit dictum, & in Cacochymia, sed etiã vbi sectio, vel dilatatio fieri debet, vel alicuius Ossis abrasio, & tandem in omnibus illis Vulneribus, in quibus pro eorum curatione magnus dolor, vt in dictis tribus casibus excitari debet. Parua verò Vulnera, cum periculo careant, neq; dolore præmantur, qui succorum copiam euocare ad violatam particulam possit, ferè sine purgatione consanescunt, & si in his Aluus fuerit adstricta, indita Glande, vel Clistere subducenda. In magnis igitur Vulneribus, vt ex supradictis patet; Purgatio competit ratione Curationis, & ratione præseruationis; Ratione Curationis, quoniam totum corpus euacuãdo, siccam affectam partẽ reddit, & partis, siccitate seruata, facilius, & citius Vulnus consanescit, vt inquit *Hipp. loco citato.*

Ratione preseruationis, quoniam cum purgatione à prauis succis liberum, & vacuum reddatur corpus, præcauet ac præseruat ne aliquod paruum Symptoma Vulneri superuenire possit. In libro etiam de Fracturis, ac de Articulis Purg. Med. laudat Hipp. præsertim vbi casus asperior est, vt cum Calx leditur, vel os per Plagam exedit, & id non alia de causa, nisi vt succi ab affecta sede auertantur. Per quam vero partẽ purgari humores debeant, inquit *Gal. 4. Meth. dicens*; Sic enim fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus, vtrique si in superioribus Vulnus consistat, per inferiora purgantes; Sin autem in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuantes, at si iã fluxio restitit, atque in membro inhesit, deriuare per vicina magis expedit. Quibus verbis nos docet Gal. quod non solum vbi praui succi redundant, purgatio conuenit, sed etiam vbi non redundant, reuulsionis gratia. Euacuandi humores sunt illi, qui in corpore redundant, vel sint Bilioſi, vel Pituitoſi, vel Melancholici, & adusti, sed calidi potissimum, & Bilioſi euacuari debent, & Seroſi, cum magis ad fluxum sint apti, & quia vulneratæ partes frequenter ab Inflãmatione, & Erysipelate tentari solent, quæ à calidis humoribus fiunt. Medicamenta quibus in purgando corpore in vulneribus vti debemus, esse debent, quæ corpus non calefaciant, & Bilem præsertim & serum purgent, quoniam hi humores, vt fuit dictum, maxime ad fluxum sunt apti. Inter quæ optima sunt Mirabulanorum genera infusa, & decocta, Cassia, Tamarindi, Rhabarbarum, Manna, Syruppus Rosaceus, & Violaceus Sol. & si valentius sit opus, vti possumus Electuario Rusato Mes. de Psillio, Diaphœnici, & quamuis Scammonium ingrediatur, quod est calidum, tamen ex mixtione est ita refractum vt nocere non possit, & ideo non timendũ. Hec tamen Med. pluribus de causis variari debent, & ratione vulneris magnitudinis, ratione virium, Corporis habitus, ætatis, & anni temporis ratione. Nam in magno vulnere virium robore, & repleto corpore, florenti ætate, & autumnali, aut Verno tempore, validius Medicamentum propinandum, in minori vulnere, cum virium imbecillitate, & si corpus non fuerit repletum, & aluus sit lubrica, & æstiuo tempore, imbecillius Medicamentum instituendum. Et tunc temporis purgans Med. dandum, quo inflammationis suspicio adest, & non vt multi perperã faciunt, qui post decimam quartam diem purgans Medicamentum exhibent, cum tunc temporis inflammationis suspicio iam præterierit. Ad eos vero qui purgantia Med. in Vulneribus improbant, dicendo, quia sunt calida, & aperitiua, & ideo fluxũ humorum commouent, & Vulnera ad inflammationes, & alia praua Symptomata preparant. Respondendum quod calidissima Med. danda non sunt, sed temperata, vel refrigerantia, quorum copia apud nos est, vt superius fuit dictum. Vel dicendum, quod etiam si huiusmodi Med. calida exhibeantur, sicuti antiqui faciebant, nihil tamen damni afferunt, cum tantum calefaciant partes intestinis proximas, & sic magis ad reuulsionem faciendam conferunt.

Per quã partem purgatio cõueniat.

Qui humores purgandi.

Quę Med. eligenda.

Dubitatio.

Solutio.

De symptomatum correctione, quę est sexta intentio in vulnera curatione. *Cap.* 19.



Extam Intentionẽ in vulneribus curãdis esse diximus accidentium siue Symptomatũ correctionem, quæ necessaria est, cũ nullo pacto vulnera perfecte curari ac sanari possint, nisi Symptomata, quæ vulnera consequuntur, abigantur ac profligentur, & aliquando ista Symptomata sunt tam magna ac seua, vt ad se totam curationem trahant. Cum ergo Symptomata fuerint insignia, & seua, id est cum vires deficiunt, vel morbi causam augent, tunc rationem causæ habent, & ideo prius sunt curanda, constantibus viribus, nisi vires constent, prius vires reficiendæ, deinde lenienda ac sedenda Sympomata, vt inquit *Gal. 12. Meth. Cap. primo, & 1. ad Glauc. 14. si igitur Symptomata, vt perfecte vulnera curari possint, sunt remouenda.* Ideo de horum vnoquoque ordinate pertractabimus, & cuique propria remedia assignabimus. Symptomata quæ vulneribus superuenire solent sunt Dolor, inflammatio, Erysipelas Oedema, intemperies, febris, Conuulsio, Paralysis, Animi deliquia Delirium, Pruritus, & Cutis sub qua continetur Duricies, Liuor, & vulneris ariditas.

De

De sedando Dolore.

CVm omnibus dolori in Vulneribus,& præsertim magnus, & seuus partem exasperet, principemque facultatem stimulet; quæ postea stimulata spiritus, & sanguinem, pro lesæ ac dolentis partis defensione transmutat; Ideo per accidens fluxionis est causa, & hoc efficit etiam, si totum corpus ab excrementis purum fuerit, vt inquit *Gal. 1. de Compi* Med. S. Gen. his verbis; Atqui omnis doloris inflammata exacuit irritatq; & fluxionibus occasionem præbet, vel si rheumatica intemperie æger non afficiatur. Si dolores igitur sint causa, vt copiosiores humores quam ex vsu sit, ad partem confluant; Ideo inflammationis, & Erysipelatis causa esse possunt; Similiter Vigiliarum, Sincopis, & aliorum prauorum Symptomatum. Quæ vero sit doloris causa, ex ipsius doloris definitione elici potest, quæ hæc, est dolor est passio corruptiua sensus propter actionem improportionat. sensibilis; Videndũ ergo quid sit illud improportionatũ sensibilæ, quod est doloris causa, quod etiam remouendũ, si dolorem auferre volumus cum remota causa remoueatur effectus *Gal.* 12. *Meth. ac alijs in locis inquit, quod in proportionatum sensibilæ, siue doloris causa est solutio continui, vel intemperies siue alteratio, non sensim, sed confertim, & violanter factam.*

Dolorem consequẽtia.

Doloris causa.

Intemperis quæ magnum dolorem excitat, vel est calida, vel frigida; à sicca enim intemperie mediocris, vel paruus fit dolor ab humida intemperie, vel nullus, vel stupidus dolor fit, & ideo de calida, & frigida tantum intemperie verba faciemus. Aliquando etiam aliqua occulta qualitas ac venenosa dolorem in vulneribus excitare potest, vt in venenoso vulnere.

Continui solutio fit, vel à copioso humorum affluxu, vel à corpore præter naturam infixo, vel à qualibetalia re distendente, comprimente, stringente, & aggrauante.

Frigidã intemperiem tollentia.

Si dolor igitur fiat ab intemperie frigida, Fomentis calidis huiusmodi intemperies tollenda, vt Vino dulci, in quo incocta sint Chamemelum, Anethum, Feniculum, Anisorum semina, Saluia, & similia. Vel pars fouenda Spongia imbibita, & expressa in Oleo Chamemelino calido, vel Anethino, vel Laliorum alborum, vel Semine Lini, siue Altheæ semine, vel Amigdalarum dul. vel Vulpino, & similibus.

Caliaam intemperiem corrigentia.

Si fiat calida intemperie, decoctis siue Aquis refrigerantibus pars fouenda, & sæpe madefacienda Linteola, & renouanda supra affectam partem, ne arescant, vt decocto siue aquis stillaticijs Rosarum, Violarum, Nenufaris, Solani, & similium, vel.

℞. Olei Rosacei vnc. 3. Albuminis ouorum num. 2. M. & optime concute, & Linteum madefiat, superponatur, & sepe renouetur, vel.

℞. Vng. Rosacei vnc. Olei Rosacei vnc. 1. Aquæ Lactucæ vnc. 1. 5. Litargirij dragm. 1. 5. Terræ sigillatæ dragm. 1. & ex his S. A. diu in Plumbeo Mortario agitando Vng. fiat.

Si dolor fiat à venenata qualitate, venenum, vel fuctu, vel Cucurbitula, vel alijs venenum extrahendi vim ac facultatem habentibus euacuandum, vt superius fuit dictum, & inferius dicemus.

Si quid vero sit, quod continui solutionẽ faciat, quamprimum tollendum, vt si sanguis copiosus ad affectam partem confluat & distendendo dolorem exciter, statim secanda vena, & si quid venæ sectionem prohibeat purgans Medicamenta dandum est, quod peccantem humorem euacuet, vt inquit *Gal. 4. & 5. de sanitate tuenda.*

Si vero suturæ comprimendo, & continuum soluendo dolorem excitent, statim sunt auferendæ, & pars linteis calefactis fouenda.

Sic tollenda vincula, & alia, quæ comprimunt, aggrauant, vel nimis astringunt; Si quid vero extraneum infixum dolorem excitet, vt spiculum, spina, vel quid similæ, quamprimum extrahendum, vel instrumentis, vel Medicamentis, vt superius fuit dictum. Si dolor ob impeditam transpirationem fiat, & puris vel saniei retentionem ei quamprimum exitus parandus, vulnus, quo ad est, satis dilatando. Multa etiam sunt alia vulneribus dolorem sedantia, vt calidus fotus Olei Rosacei simp. vel Omphacini, in quo terestres Vermes fuerint incocti, & vbi cum dolore inflammatio erit coniuncta, cum Oleo Rosaceo Ou. albumen commiscri potest, cum hic poros aperiendo, & partem roborando dolorem sedet. Nisi vero his cedat, & continuo Dolor vehementior fiat, foueatur pars Oleo de Papauere, vel Nenupharino,

quæ

quæ parum ſtupefaciendo, & ebtuſum ſenſum reddendo, dolorem leniunt; Et niſi etiam his cedat, neceſſitate coacti ad magis ſtupefacientia etiam recurrendum eſt, vt eſt Oleum de Mandragora, vel cum prædictis Oleis parum Opij, vel Mandragoræ eſt commiſcendum, & parum Muſci, vel Caſtorei, vt eorum frigiditatem corrigat, penetrationemque adiuuat. Vel applicetur Empl. factum ex ſolatri radice Suilla Axungia commixta, quod etiam eſt Narcoticum ſiue ſtupefactiuum; vel fiat Empl. cum Maluæ Folijs coctis, & contuſis, & Furfuris cribratura, & Oleo Roſaceo commixtis; Similitèr Panis Medulla in feruenti Aqua cocta, & appoſita dolorem ſedat, vt Guido inquit, vel fiat Empl. ex Hordei, & Fabarum Farina, quod dolorem tollit, vt inquit Auic. vel fiat Empl. ex Panis medulla in Lacte cocta, & Oleo Roſaceo, cui etiã Oui vitelli addi poſſunt, & ſi volumus, vt Narcoticum ſit vice Roſacei Olei, Papauerinum, vel Nenupharinum, vel Mandragorites Oleum commiſcere poſſumus. Niſi verò dictis præſidijs dolor mitigetur, ac tollatur, immò magis augeatur, de alicuius Nerui leſione ſuſpicandum eſt, & tunc ad vulnerum. Neruorum curationẽ recurrendũ eſt, quã inferius ponemus. Sedato dolore, ſicuti decet, vulnus curandũ.

De inflammatione vulneri ſuperueniente. *Cap.* 20.



Vando inflammatio vulneribus ſuperuenit, huic primum occurrendum eſt, cum vulnus nullo pacto ſanari poſſit, niſi prius inflãmatio tollatur, quæ vt plurimum vulneribus ſuperuenit, quando pauca ſanguinis copia à vulneribus profluxerit, quod ſcriptum reliquit *Hip. lib. de vlceribus dicens.* Si ſtatim pro valetudine ſanguis plus minuſue à Plaga fluxerit, & ipſum vulnus, & quæ iuxta ſunt minus inflammatione prẽmũtur, Sic, & è contra quando in pauca copia ſanguis effluxerit, & vulnus, & circũſitæ partes magis inflammatione tentantur; Superuenit etiam inflammatio vulneribus ratione partis leſæ, vt inquit *Celſus lib. 5. cap.* 26. vbi leſus eſt Neruus, vel Cartilago, vel muſculus, & præſertim ſi partes maxime ſenſibiles fuerint leſæ, doloris ratione, facillime inflammationibus tentatur, *vt loco ſuperius citato Celſus inquit.*

Quo verò ad Curationem, ſi inflammatio ob paucam ſanguinis copiam à vulnere effuſam, ſuperuenerit, quamprimum ſecanda Vena, rectitudine ſeruata; Quantitas verò ſanguinis eſſe debet, vt inquit Hip. plus minuſue; Ideſt pro vt ſcilicet magnitudo, & amplitudo vulneris ſuadet, & affecta pars, totius corporis habitus, ægri natura, vires, ætas, & cætera ad ſangninis miſſionem requiſita hortantur. Quod vero quamprimum fit ſecanda Vena, ex Hip. elicitur, quando *lib. de Vulneribus dixit*, ſtatim eſſe ſanguinem à Vulnere effundendum, & ratio eſt, quoniam quanto citius ſanguis extrahitur, tanto minus inflammationis periculum ſubeſt, & ſi inflammatio iam fuerit facta, ſanguinis miſſione dempta aliqua ex parte cauſa, ſimilitèr inflammatio remittitur, & hoc expreſſe loco citato dixit etiam Celſus. Si verò inflammatio, partis leſæ ratione ſuperuenerit, vt Nerui vel Tendinis, vel capitis Muſculi puncti, vel ceſi, venæ ſectio, & purgatio facienda, & tandem omnia præſidia dolorem mitigantia, & Neruoſis partibus conuenientia applicanda, vt de Neruorum vulneribus dicemus, & niſi his cedat, talis Neruus vel Neruoſa pars tranſuerſim omninò præcidenda, vt loco citato inquit Celſus; Quoniam ſic inflammatio ſedabitur, & ſic conuulſiones, Vigilias, Deliria, & alia praua Symptomata vitabimus, & quamuis ex huiuſmodi inciſione aliquis particulæ motus ledatur ac impediatur, tamen, *vt Gal.* 3. *Meth. inquit melior eſt leſio, quam mors.* Quo ad localia ac Topica præſidia in inflammatione curanda, reprimentibus ac per halitum Digerentibus Medicamentis vti debemus, & inter cetera Auicennas maxime laudat Emplaſtrum factum ex malo punico dulci in Vino ſtiptico cocto, & in Mortario contuſo, & ad Emplaſtri formam redacto, & hoc inquit dictus Autor in omnibus corporis partibus conuenire, vel fiat Emplaſtrum ex Lacte, Panis medula, Hordei, Farina, Aqua, & Oleo Roſaceo, quod repellit, dolorem, lenit, reſoluit, & omnia tandem præſtat, quæ in tali caſu neceſſaria ſunt; Vel fiant Emplaſtica, vt inquit *Hipp. lib. de*

Vlceribus

vlceribus cũm plaustris lenticula in vino cocta,& Rosaceo Oleo admixto, vel cum muris Auricula, Paparina vulgo dicta,vel cum folijs Caninæ sentis in Aqua siue vino decoctis, & bene contritis, & Rosaceo similitèr admixtis,& his similibus.Nisi vero Repercutientibus, neq; Resoluentibus Inflãmatio tollatur, ad pus mouentia recurẽdum est, vt est infrascriptum, vel similæ.

Pus mouentia.

℞. Foliorum Maluarum, Artemisiæ ab finthij an M. 1.M.& in vino coque,& contunde,& adde Farinæ tritriceæ vnc.2.Mellis vnc. 1. Axungiæ Suillæ vnc. 4. M.& S. A. fiat Empl. & super locum apponatur. Suppuratione facta, si pus per vulnus non euacuetur, decliuiori ac commodiori loco aperiendum huiusmodi Apostema,posteaque, vt decet,curandum, & qui plura Medicamenta tam in principio,quam in augumento sicuti in alijs Inflammationis temporibus desiderat, ad librum nostrum de Tumoribus Pret. Nat. cap. de Phlegmone recurrat, vbi plurima adinueniet.

De Erysipelate vulneri superueniente. *Cap. 21.*



I vulneratus locus iã incalescat, vel doleat, vel colorem ex flauo rubicundum, vel aliam notã quantumuis exiguã præseferat, de Erysipelatis superuentu dubitandum est, præsertim si anni tempus æstiuum sit, Calida Regio,& ægrotãtis habitus biliosis,& ætas florens.Quãdo verò Erysipela superuenerit, corpus purgandũ est *Hip. præcepto lib. de Vlceribus, vbi inquit*; Cuicumq; vlceri superueniat Erysipela,purgare corpus conuenit,seu deiectione,seu vomitu,pro vt vlceri præstabit; Vtraq; enim ex his euacuationibus saluberrima est, sed modo hec, modo illa facienda pro affectę partis situ,vt his euacuationibus,à parte affecta reuulsio fiat, quæ à parte longinqua fieri debet, sicuti deriuatio à proxima parte. Quibus vero Med. fieri debeat,neminem est dubium cum Med. quæ educenda sunt,educi debeant, & Erysipela à biliosis succis fiat Med. Flauam bilem euacuantia appropriata ac sunt, quod idem *Hipp. lib. de Vulneribus capitis, vbi capitis vulneri Erysipela in facie superuenit, expresse dixit*. Et quo ad localia Medicamenta eodem *lib. de Vlceribus inquit Hipp.* Vbicumq; periculum sit, ne Erysipela Vlceri superueniat. Galasti folia conteres cum Lino crudo, & imponito, aut Catapal. quod Linum habet ex Solani aut Galasti succo dilutum.

Intentum enim Hipp. fuit, quod influit repellere, & incipientem ardorem coercere,& materiam illam, quę iam confluxerit, siccare, quæ omnia propositum Catapl. præstat ac efficit, Galastum enim vulgo Guado dictum, satiuum est eligendũ (cum agreste ob ingentem acrimoniam erodendi vim habeat)quod repercutiendi vim habet, discutiendi, & exiccandi, & Linum Hipp. admiscet, vt Galasti vim remittat, & nos ob eãdem causam admiscere possumus cum eo Hordei Farinam, vel Triticeam, vel fiat Empl.ex Farina Sem.Lini,& Aqua solani,& si magis refrigerare volumus applicare possumus Empl.factum ex Folijs solani,Galasti, & Plãtaginis,vel fiat Empl.ex Panis medulla Hordei Farina,& folijs,Maluar.& Solani, addita Aqua, & Oleo Rosaceo q. suff. S.A.

Et hec omnia Medicamenta partibus vulneri circumstantibus apponenda, & multa alia, vt *lib. de Tum. Pret. Nat. cap. de Erysipelate diffuse à nobis fuit dictum*; Intra verò vulnus ponatur infrascriptum Med. vel similæ.

℞. Resinę Tereb. optimæ, & pluries Solani Aqua lotæ, vel Papaueris, vel Lactucæ Aqua vnc. 1. Farinæ Hordei dragm. 1. Luteorum Quorum num. 1. M.& fiat in vng. formam, & vtere.

De disgratia siue intemperie cum vulnere. *Cap. 22.*



I aliqua Intẽperies aliquando partẽ vulneratam occuper,& vulneris sanationem prohibeat, quamprimũ remoueri debet, & huiusmodi intemperies vel est calida,vel frigida, vel humida, vel sicca, vel ex his composita, & quelibet harum Intemperierũ,vel est cũ materia,vel sine materia,sed modo nos de sola, & nuda intemperie,quę est sine materia,& humorũ affluxu verba faciemus,& primũ de calida.

Calidę intemperiei signę

Calida ergo intemperies cognoscitur ex partis colore, cum aliquantulum rubicunda appareat. Similitèr vulneris labia rubi-

cundiora

cundiora, quam pro naturali habitu, ſunt; & æger in parte illa calorem perſentire inquit, qui etiam tactu cognoſcitur, & aliquando etiam in parte illa veſſicæ excitantur, & ex frigidorum Medicamentorum vſu iuuamentum perſentit. Hec Intemperies, vt plurimum ab externa cauſa prouenit, vt ex calido ambiente, calidis Medicamentis admotis, vel ex integumentorum, & linteorum, & Faſciarum multitudine, quod cum euenerit, Aer ad frigidum alterandus, Linteorum, & integumentorum copia tollenda, & Med. magis, vel minus refrigerantia, ſecundum quod intemperies, vel maior, vel minor fuerit, circa vulnus applicanda, non tamen vnquam maxime refrigerantibus vti debemus, vt Mandragora, Hyoſchiamo, & his ſimilibus ſed moderato refrigerantibus, & exiccandi aliquam facultatem habentibus, vt ſunt Roſę, Balauſtia, Malicorum Myrtillorum, Folia, Plantago, immaturæ Gallæ, & ſimilia, quæ in Vino etiam coqui poſſunt, & hoc decocto foueri pars debet, quod refrigerādi, repellendi, & exiccandi facultatem habebit, vel ſolo Vino nigro, & auſtero Linteis, vel Spongia fouere poſſumus, vel circa vulnus Gal. refrigerante Vng. vti debemus, & ſi volumus, vt magis refrigerer; aliquid Populeonis Vng. commiſcere poſſumus, vel alijs refrigerantibus in Eryſipelatis curatione dictis partem lenire debemus. Intra vero vulnus applicare poſſumus Vng. album Simp. vel Camphuratum quod exiccat, & moderate etiam refrigerat, vel quid ſimilæ.

Calidæ intemperies cauſe.

Curatio.

Si vero frigida intemperies partem occupauerit, cognoſcitur ex cutis colore ad albedinem mutato, vel potius ad liuiditatem, ſic partèr vulneris labia aliquantiſper albicant, cutis item mollior erit, & tactu frigiditas perſentitur, & etiam æger ipſæ partis frigus perſentit, & calidorū appoſitione gaudet. Hec intemperies etiam vt plurimum ab extrema cauſa ortum ducit, & vt ab ambiente nimis frigido, cui diſcopertum vulnus manſerit, vel à Medicamentis frigidis applicatis, & his ſimilibus.

Frigida intemperiei ſignā

Cauſa.

Curatio.

In huiuſmodi intemperie curanda omnes externæ cauſæ imprimis remouendę, & cum proprium frigidi ſit condenſare, & cōſtirpare; Ideo hec intemperies indicat calefacientia, rarefacientia, & relaxantia, obſtructoſque meatus aperientia, & magis, vel minus relaxandum, rarefaciendum, & calefaciendum, ſecundū quod magis, vel minus fuerit opus, & nunquam pro parte calefacienda maxime calidis vti debemus. Sed potiùs interim noſtrū Fomentis actu calidis aſſequi debemus, vt Spongijs, ſiue duplicatis linteis imbibitis Vino albo non admodum potenti, & affectæ parti circa Vulnus applicatis, & ſi volumus, vt magis calefaciat, Maluatico Vino partem fouere poſſumus, & magis etiam calefaciet ſi calida quædam incoquantur, vt ſunt Saluia, Chamemolum, Calamenthum, Origanum Menta, & ſimilia, vel tota pars Vng. de Matreſiua cum Oleo Lautino, aut de Caſtoreo diſſoluto illiniatur, Med. etiam in ſedando dolore aſſignata vtilia ſunt.

Intra vero Vulnus imponere poſſumus Vng. Iſidis, vel fuſcum, vel Nigrum, vel Baſilicum dictum, & ſimilia.

Si vero Diſcraſia ſiue Intemperies fuerit humida cognoſcitur ex carnis flauiditate, & humiditate, & ex Vulnere multa humiditas profluit. Huiuſmodi etiam intemperies, vt plurimum, ab externis cauſis ortumducit, vt ab Aere nimis humido, & nimis humidis, Medicamentis Vulneri applicatis. Quo ad hanc intemperiem tollēdam, cum contraria contrarijs curentur, vt omnes Medici aſſerunt, nemini eſt dubium, per exiccantia Med. huiuſmodi intemperiem tollendam, quæ etiam Vulneri conuenit. Sed cum humiditas relaxandi vim habeat, & partem imbecillam reddat. Ideo huiuſmodi Med. etiam roborantia, & adſtringentia eſſe debent, ſecundum quod maior, vel minor fuerit intemperies, & ſecundum totius corporis ac partis temperamentum, Vulneris magnitudinem, Cœli ſtatum, & ſimilia, vt eſt infraſcriptum, vel huic ſimilæ.

Humidæ intemperiei ſigna

Cauſa.

Curatio.

℞. Cadmiæ dragm. 1. 5. Eruginis, Aeris combuſti an drag. 1. Aluminis ſciſſilis drag. 5. Ceræ nouæ pinguis vnc. 5. Med. ad ignem, & applica, & ſi vis, vt valentius agat, infraſcripto vtere.

℞. Squanæ Aeris, Eruginis raſæ an drag. 1. Lanę combuſtæ dragm. 2. Ceræ vnc. 2. 5. Reſinæ Laricinæ vnc. 5. liquefiat Cera, & Reſina, & arida affundantur ac miſceantur, & in his Med. neque Olea, neque pinguia admiſcenda, cum humectandi vim habeat.

Si

Sice intemperiei signa.

Si intemperies ficca affectam partem obsederit, cognoscitur ex squalliditate, ariditate, duritie, & asperitate cutis, & labiorum Vulneris, nullaq; vel pauciſſima ſanies à vulnere emanat.

Cauſa.

Huius intemperiei cauſæ, vt plurimum ſunt ambiens nimis ſiccus, & Medicamenta nimis ſiccantia applicata, & ſimilia. Pro

Curatio.

hac intemperie remouenda, ſicuti de alijs intemperiebus diximus cauſæ imprimis remouendæ, deinde pars humectãda, & ſimiliter ad affectam partem nutrimentũ attrahendum, & hoc aſſequemur Fomento facto circa vulnus cum Aqua temperate calida, vt inquit *Gal. 1. Simplicium cap. 7. & lib. 4. Meth. cap. 2. & tam diu par fouenda, quo vſq; affecta pars rubeſcat Auic. inquit.*

Partem huiuſmodi intemperie laborantem cooperiendam, vt vaporem ab Aqua exalantem ſuſcipiat, & tam diu detinendũ donec pars rorida fiat ac ſudet, & hoc bis, velter in die faciendum, & tam diu perdurandum, donec exiccationis ſigna receſſerint; Alij Aquæ vice Hydreleo vtuntur, quod fit ex Aqua, & Oleo dulciſſimo, vel Oleo Amygdalarum dul. & poſt Fomentum Linteum Hydreleo madidum circumſtantibus partibus imponendum. Intra Vulnus infraſcriptum Vnguentum, vel ſimile applicare poſſumus.

℞. Olei dulciſſimi vnc. 2. Succi Malua-rum vnc. 1. Cere mollis recentis in Aqua lotæ q. ſuff. M. & S. A. fiat Vng.

Si vero compoſita fuerit intemperies, compoſitis Med. eam tollere conabimur, & remota intemperie, Med. vulneri conuenientia applicanda.

De Oedemate Vulneri ſuperueniente. *Cap.* 23.

Quoniam ædema, ſiue Oedematoſum tumorem, aliquãdo Vulneribus ſuperuenire diximus; Ideo de hoc pauca dicere ſtatuimus. Quid autẽ ſi hic tumor & quæ eius ſint cauſæ, *lib. noſtro de Tum. Pret. Nat. abunde fuit dictum, ideo non repetam.* Sed in Vulneratis partibus Oedematoſus tumor, vt plurimum, fit ex coſtricis facultatis illius partis imbecillitate, quæ Vulneris ratione fuit debilitata, ita vt ſanguis ad illam partem pro nutrimento tranſmiſſus, Coſtricis imbecillitatis ratione, in Flatum, vel tenuem Pituitam vertatur. Signa vero huius tumoris ſunt, Color ad albedinem ſiue morticinum colorem tendens, tumor mollis ac laxus, qui ſi digitis præmatur, digitorum veſtigia retinet, & Dolore Pulſatione, & calore vacat.

In hoc tumore curando intentum noſtrũ eſſe debet, ſicuti in alijs morbis profligandis cauſam auferre; Ideo pars roboranda, videlicet calidis, & ſiccis, & ſtipticitatem habentibus, & ſi hic tumor vrgeat, & abſq; eius curatione vulnus conſolidari ac ſanari nequeat, victus ratione exiccante, & calefaciente, ac attenuante, & alijs conuenientibus Vniuerſalibus ac Particularibus præſidijs, vt à nobis *lib. de Tumorib. Pret. Nat. fuit dictum, oppugnandus ac ſanandus hic tumor.* Niſi vero huiuſmodi Tumor ad ſe curationem trahat, vulnus, vt decet, curandum, & tumor minime negligendus, ſed Oleo Laurino, vel Myrtino, vel de Tartaro, vel ſimili inungendus.

Conſolidato vulnere, Cerata, vel Catapl. quæ cum ſtipticitate ficcent, applicãda, vel nouis ſpongijs, & inferius deſcripto decocto imbibitis, pars vndiq; circumcirca complectenda, & Expreſſiua Faſciatura de ſuper faſcianda, incipiendo ab infima parte, & ibi arctius ſtringendo, & ſurſum procedendo, ſemper laxiores circumuolutiones proportionate faciendo vſq; ad ſummum, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap.* 14. *Meth.* Et niſi noua adſit Spongia, abluatur cum Lixiuio in quo Nitrũ ſit mixtum, vt Gal. inquit, Decoctum eſt hoc ℞. Florum Chamomillę, Roſarum Rub. Anethi an M. 1. Balauſtiorum, Glandium an M. 5. Nucum Cupreſſi num. 20. Foliorum Salicis M. 1. 5. Aluminis Rocchæ vnc. 1. M. & in Barbitonſorum Lixiuio, ſiue Stiptico Vino, ad tertiæ partis conſumptionem bulliant, ſicutique diximus vtere, & qui plura deſiderat, *ad lib. noſtrũ de tu. pret. Nat. cap. de Oedemate recurrat.*

De Febre Vulneribus ſuperueniente. *Cap.* 24.

Febris magnis Vulneribus intra inflammationis terminum, & dum inflammatio adeſt ſuperueniat, non nimis timenda, cum, & magnitudinis, & inflammationis ratione ſuperuenerit, & Simptomatica ſit, Sed ſi

paruis

paruis Vulneribus ac leuibus ſuperueniat, & vltra Inflammationis terminum perduret Delirium excitet, vel ſi Neruorum rigor, aut diſtenſio, quæ ex Vulnere orta fuerit, eam non ſiniat, pernicioſa eſt, *vt lib. 5. Celſus ſcriptum reliquit, febres igitur Vulneribus ſuperuenientes, & victus ratione refrigerante, conuenientibus Syruppis. Medicamentis peccantem humorem euacuantibus, Venæ ſectione, & alijs conuenientibus præſidijs curandæ, & ideo in tali caſu ſemper à Cheirurgo peritus Phiſicus vocandus, qui omnia auxilia ad Febrem profligandam ex arte inſtituat, quæ non ponemus, ne de genere in genus tranſgredi videamur.*

De Conuulſione ſiue Spaſmo.

Cap. 25.

ET ſi tractatus de Conuulſione potius ad Phiſicum pertinere videatur tamen cum hoc Symptoma aliquando Vulneribus ſuperuenire ſoleat, vel ob immoderatum ſanguinis profluuium, vel ob Dolorem, vel ob aliquam malam qualitatem, vt in virulento Vulnere, Ideo de hoc eodem affectu in hoc de Vulneribus tractatu verba facere neceſſarium iudicauimus.

Conuulſio quot modis dicatur. Quid ſit Conuulſio.

Conuulſio à Latinis dicta, à Celſo Neruorum diſtenſio, à Grecis Spaſmos vocata fuit; Eſt vero hoiuſmodi affectio, vt inquit *Gal. 6. Aph. 39. & 2. de cauſis Sympt. 1. & lib. de Trem. Rig. & Palp. cap. vltimo & lib. etiam de Definitionibus Medicis, Muſculi ad ſuum principium inuoluntaria contractio. Quod vero ſit Symptomata, & non Morbus, aperte inquit Gal. 2. de cauſis Sympt. dicens, Concluſio eſt Symptoma motricis facultatis innoluntariè mouentis.*

Dixit verò, inuoluntarie, mouentis, quoniam in ſanitate etiam ad ſua principia Nerui contrahuntur; Sed libera voluntate, ſed in Conuulſione Nerui à motrice facultate contrahuntur, ſed non libera voluntate, ſed inuoluntarie.

Quod Symptoma ſit.

Eſt igitur conuulſio Symptoma in genere actionis motricis depranatæ; Sed cum omne Symptoma ſuum Morbum, veluti vmbra corpus, ſequatur, vt inquit *Gal. 2. Meth. 1.* Ideo ſciendum quod conuulſio morbum in via, vt plurimum, ſequitur, & aliquando etiam morbum in continui ſolutione, ideſt quando acerbiſſimi dolores cum Spaſmo ſunt coniuncti. Quando vero cum Spaſmo dolores non adſunt, tunc morbum in via ſequitur.

Quando Dolor Conuulſioni non accidat.

Dolor vero tribus de cauſis conuulſionem non comitatur; Primo quando conuulſio paulatim fit, cum, vt dolor fiat, opus ſit vt ſubitus receſſus à naturali ſtatu ad præter naturalem fiat. Secundo quando conuulſio non eſt tam valida, vt naturales menſuras tranſgrediatur. Tertio quando materia in Neruis infixa eſt ita indurata, vt fere inſenſiles Neruos reddat.

Affectæ partes.

Partes in conuulſione affectæ ſunt, vel Cerebrum, vel Medullæ Spinalis principium, vel aliquis particularis Neruus vel neruoſa pars.

Differentiæ ac ſpecies.

Conuulſionum differentiæ à pluribus deſumi poſſunt, vel à parte affecta, vel à Magnitudine, vel à tempore, vel à Generationis modo, vel à cauſis; Differentiæ à parte affecta ſunt, vt conuulſio totum corpus occupans, vel partem aliquam, quando totũ corpus occupat, ac etiã facies Muſculorum, Cerebrum eſſe affectum indicandũ eſt; Si vero omnes infra faciem partes conuellantur, ſpinalis medullæ principium affectũ eſſe iudicari poteſt, quæ conuulſio triplex eſt, vel ad Anteriora, Emproſtotonos à Grecis dicta, vel ad poſteriora, Opiſthotonos vocata, vel æqualitèr rigidum totum corpus redditur, & Tetanos nominatur.

Conuulſiones vero particulares ſumũt, vt plurimum, differentias ab affectorum muſculorum differentia, vt Strabiſmos in Oculis, Triſmos in Mandibula, Spaſmos Chinicos in Ore, Satiriaſis in pene, ſic de aliarum partium conuulſionibus; Quæ particulares conuulſiones fiunt, quando noxa ad Cerebrum non peruenit, ſed in particula affecta remanet, ipſam contrahens, & incuruans.

Differentiæ à magnitudine ſunt, vt magna conuulſio, & doloroſa, vel lenior, & ſine dolore; Differentiæ à tempore ſunt, vt recens conuulſio, vel Antiqua. Differentiæ à generationis modo ſunt, vt conuulſio, quæ primo, & abſq; precedente morbo fit, alia non primo, ſed aliquem præcedentem morbum ſequitur, & ei ſuccedit, vt ardenti Febri, inflammationi, Vulneri, deſtillationi, & alijs conſimilibus morbis, qui conuulſionis cauſa eſſe poſſint. Differentiæ à cauſis ſunt, vt inquit *Hipp. 6. Aph.*

Aph. 39. vel à Repletione, vel ab Inanitione; Sicut enim in Musicis Instrumentis Chordæ, vel nimio humore imbutæ, & repletæ, vel nimis exiccatæ, & innantia extenduntur, contrahuntur, & rumpuntur, sic, & in corporibus Animalium neruosæ partes, vel nimis humectatæ & repletæ vel nimis, & violentius exiccatæ tenduntur, & contrahuntur, & conuulsio succedit, vt inquit Gal. in Com. citati Aph. & 3. de locis affectis.

De Conuulsionum Causis.

COnuulsionum Causæ plures esse possunt, vel enim sunt Externæ, vel internæ, Externæ possunt, esse vt nimius Meracioris Vini potus, & nimius cibus, magna quædam refrigeratio Neruos in vnum cogendo, stipando, cohibendo, & sic eos replendo, vt inquit *Gal. in Com. 17. Aph. 5. lib.* Percussiones, Vulnera, vel quid graue Neruosis partibus superpositum, & diu manens, nimius labor, immodica Vigilia, immoderatus coitus Medicamentum vehementer purgans, vel omnæ id, quod corpus vehementer exiccare, & inanire, vel replere possit, & venenosa qualitas, vt à Scorpione, vel simili Animali infixa, vel quolibet alio modo in corpus ciaculata.

Internæ causæ aliæ sunt antecedentes, aliæ coniunctæ, causæ antecedentes esse possunt animi passiones, vt nimius timor, vehemens gaudium, immoderatus Risus, nimia corporis repletio, suppressa euacuatio, exercitatio intermissa, Vermes, inflammationes, ardentes Febres, immodica sanguinis profusio, vtque diximus, Potio Ellebori Vigiliæ immodicæ, inedia, & alia quæ immodice corpus exiccare possunt. *Et 3. Prog com. 36. inquit Gal.* Itaq; Conuulsio accidit etiam sine Febre in forti admodum frigore, & copia humoris crudi, & crassi, & item inflammatione in Neruis ac Tendonibus, quoties originem ad consensum agant.

Coniunctæ causæ, & immediatæ sunt, vt *Hipp. loco citato dixit*. Euacuatio, & repletio. Ob nimiam enim Euacuationem conuulsio fit, in superfluis purgationis, & in copiosis, & immoderatis sanguinis profusionibus, quo vbi in Vulneribus accidit, malum esse testatur est *Hipp. lib. 5. Aph. dicens 3. A copioso sanguinis fluxu singultus aut Conuulsio mala, & sequenti Aph. de immodica purgatione dixit*; A purgatione immodica, quam Hypercatarsim vocant, conuulsio aut singultus malum. Similitèr conuulsio illa, quæ ardentes Febres sequitur, ob euacuationem nimiam fit & ideo *Hipp. 2. Aph. 26. dixit* Febrem conuulsioni superuenire melius est, quam febri conuulsionem.

Conuulsio ob repletionem, vt plurimũ, in Vulneribus fit, cum Vulneribus superueniant conuulsionis inflammationis sequentis ratione, post quam scilicet partes Neruosas tentauerit, vt inquit *Gal. in Com. 2. Aph. 5. lib. Vbi Hipp. dixit conuulsio à Vulnere pernicioſa, & Aph. 65. eiusdem lib. inquit de conuulsione ex repelatione*; Quibus sunt cũ Vulneribus tumores conspicui, ij non admodum conuelluntur aut insaniunt; Quibus verò repente euenerint, si quidem postica parte factum sit, conuulsiones, & Tetani accidunt. Hoc ergo fit, quando à tergo Vulnera sunt, vt inquit *Gal. in eius Com.* Quum itaq; ab Vulneratis partibus humor, qui tumorem facit in partem aliquam principem remeauerit, in posterioribus quidem partibus, vt pote Neruosis, conuulsiones fiunt, & Tetani, cum hi sint Neruorum affectus. Ad has enim ambas conuulsionis causas omnes reduci posse credimus, & spasmum ad materiam non proportionatam, quem, & si Auic. neq; ab inanitione fieri, neq; à repletione, sed ex calido vel acri humore, vel à venenata qualitate ad Cerebrum, vel Neruosas partes perueniente, easq; partes mordendo, pungendo, ac stimulando, ad contractionem, & conuulsionem faciendam cogit, cum quod est sibi molestum refugiant.

Gal. in Com. 1. lib. 5. Aph. hanc conuulsionis causam ad inanitionem reduci posse inquit, dum acres humores ac vapores siccandi vim habeant. Dicere etiam possumus, quod hec conuulsionis causa ad repletionem reduci potest, quoniam cum Neruosæ partes pungantur, ac ab acri materia stimulentur, dolor excitatur, & expultrix facultas ad partem punctam ac dolentem humores transmittit, & ob subitum humorum confluxum neruosæ partes replentur, & fit inflammatio, & ab inflammatione tanquam causa replente conuul-

ſio oriri poteſt. Quod vero conuulſio ex Cerebri conſenſu fiat, dixit *Gal. cap. 29. Artis Medicinalis inquiens*; Nerui vero, & Chordæ punctura, propter ſenſus vehementiam, & quoniam hec pars principio, ideſt Cerebro connectitur, prompta eſt ad Neruorum conuulſionem excitandum, ac tum præſertim, cum nihil extrorſum expirat, ob cecato cutis Vulnere; *Et in cum. 1. lib. 5. Aph. inquit idem Gal.* Conuulſio fit, quando nauſeã vehementius afflictantur, & vel licatus dolore diſrumpuntur, ac lacerantur Neruis propter ipſam maxime in vomendo contentionem, & nixum laborantibus per eam Sympathiam, & conſenſum, quem habent cum ore Ventriculi. In quo etiam aliqui, quam vehementius mordentur, conuulſiones fieri vidimus, ſicuti adoleſcenti accidit, qui æruginem vomuit, hec *Gal. ſed, vt diximus, omnes hæ cauſæ ad illas reduci poſſunt ex Gal. mente. Cum dixerit 8. de Medicamentis ſecund. locos.* Ego vero in conuulſione tertiam aliquam cauſam, ſupra vacuationem, & repletionem non dum reperi.

Ad hos vero Autores conciliandos, dicere poſſumus, quod vera conuulſio tantum ab inanitione, & repletione fit, illa vero quæ fit per conſenſum, quam dixit Auic. eſſe Spaſmum ad materiam non proportionatum potius eſſe conuulſiuum motum, quam concluſionem, quatenus cerebrum, vel Neruoſæ partes ſtimulatæ ad expellendum, quod ſibi noxium eſt contrahuntur, & conuelluntur, & ſic conuulſiuos motus efficiunt.

Differt vero conuulſio ab Epilepſia, in qua, & ſi conuulſio, ſiue conuulſiui motus fiant, tamen tunc temporis, & internis, & externis ſenſibus priuantur, quod in vera conuulſione, & conuulſiuis moribus non accidit. Diſtinguitur à Paralyſi conuulſio, quoniam Paralyſis eſt ſine motu, & ſine dolore, & nunquam ab inanitione fit, & Nerui ſecundum longitudinem non diminuuntur, Conuulſio vero fit cum motus, dolore, & ſepe ab inanitione fit, & Nerui ſecundũ longitudinem ſepe diminuũtur.

A Tremore conuulſio diſtinguitur, & à ſaltu, quia in tremore, & ſaltu membra mouentur, & agitantur minime vero contrahuntur, vt in conuulſione fit, & in conuulſione motus tardus fit, & non ita frequens, ſicuti in tremore, & conuulſio eſt morbus acutus, tremor vero eſt morbus longus. Diſtinguitur etiam conuulſio à Palpitatione, cum palpitatio in Venis, Arterijs, & in corde fiat, conuulſio ſolum in neruis, & neruoſis partibus.

De ſignis Conuulſionis.

SPaſmi ſiue conuulſionis ſigna, alia ſunt Præcedentia, alia concominantia, & ex his alia affectam ſedem, alia morbi cauſam indicant. Præcedentia ſigna, ideſt quæ futuram conuulſionem indicant ſunt magna Vulnera, contuſiones, Neruorum puncturæ, & ſimilia, item, vt inquit *Hipp. in coacis Prænotionibus, Colli dolor, dorſi, ac cubitorum futuram conuulſionem indicant; Similiter tumores poſt aures in tremores & capitis acuti dolores, ac etiam vt idem Hipp. inquit, in 5. & 7. Epid. de illo magno Nauis Gubernatore Linguæ difficilis motus, & in febribus reſpirationis difficultas, conuulſionem indicat, & ideo 4. Aph. 68. dixit; In Febribus ſpiritus offendens malus eſt; Conuulſionem enim ſignificat, & 7. de acutis textu 60. ſcriptum reliquit*; Frequens motus Pinnarum Narium futuram conuulſionem indicat, & hoc ſignum maxime Cerebrum calefieri indicat, & ex Cerebri maxima calefactione conuulſio induci poteſt. *Paulus vero lib. 3. cap. 2. de præcedentibus ſignis inquit.* Notæ horum ſunt anguſta ac luctuoſa reſpiratio, Pulſus rarus, & exiguus, nonnumquã, & riſus ſardonicus oboritur, rubet Facies, oculi intumeſcunt, vel nihil omnino meiunt, vel inſtar Aquæ lotium, vel cruentum cum quibuſdam Ampullis reddunt, Aluus exiccatur, & Vigilijs magis infeſtantur, quandoque ſingultire incipiunt, & è dolore laborant, alij quidem capite, alij vero vtriſque Clauiculis, Humeris, & Lumbis, non nulli vero ipſorum ſubtremuli quoque reddantur. *Præcedẽtia ſigna.*

Signa concomitantia, & præſentem conuulſionem indicantia ſunt, manifeſta Neruis, & Muſculis verſus ſuam originem præter voluntatem, contractio, & ta membrũ rigidum, & contractum redditur, vt ad priſtinum ſtatum reduci non poſſit, & plerumq; vehementiſſimus dolor adeſt, Pulſus vero conuulſorum, vt inquit Gal. de Pulſibus ad tirones eſt extenſus, & in ſitu diuerſus aſcendens, & deſcendens, inſtar ſagittæ. *Concomitantiam ſigna.*

Signa

Sedem affectam indicantia signa.

Signa sedem affectam indicantia sunt quod si faciei Musculi conuellantur, Cerebrum esse affectum indicant, si omnes infra faciem partes sint conuulsæ, Medullæ Spinalis principium; Si verò aliquam paaticularem partem conuulsio apprehenderit, particulares illi Nerui, qui ad illam partem perueniunt, affecti erunt.

Morbi causam indicantia signa.

Signa morbi causam indicantia, & primum Inanitionem sunt, vt inquit *Gal.* 3. *de locis Aff.* Quod huiusmodi conuulsio non repente, sed paulatim fit, & semper aliqua causa præcessit, quæ immodice corpus euacuauit, neruosaq; partes exiccauit, & exinaniuit, vt immodicus Alui fluxus, Sudor, Vomitus, Sanguinis Hemorragia, Vigiliæ, Inediæ, Labores, Solicitudines, & aridæ, & æstuantes Febres, & aliæ causæ immodice corpus exiccandi vim habentes.

Signa coouulsionis ex repletione tradidit *Gal.* 2. *Aph. com.* 26. *dicens*; Quod si repentina fiat conuulsio, signum est oriri à repletione, sicuti si oriatur ab inanitione, semper aliqua euacuatio, vel aliquis affectus, qui euacuauerit, & exiccauerit præcessit. Si igitur conuulsio subito fiat, & in repleto, & temulento homine, ac ociosæ viuenti, aut post tumores aliquos præter naturam subito euanescentes, vel post aliquod maxime refrigerans, vel quid simile quod Neruos subito replere possit, vt de causis fuit dictum, à repletione huiusmodi conuulsionem oriri iudicatum est.

Conuulsiuo, siue conuulsiui motus per consensum facti ex affectus, cognitione partis communicantis facilitèr cognoscuntur, vt si Vulneribus ab externis causis excitentur, dignoscuntur, quia dolore morsu, & maxima molestia affliguntur, & vehementissime laborantem torquent, atq; excruciant.

De Conuulsionum Prognostico.

COnuulsio, omnium consensu, passio periculosa est, & illa, quæ à Vulnere fit, est perniciosa, vt inquit *Hipp.* 5. *Aph.* 2. *& causa est, vt inquit Gal. in eius Com.* quia in Vulneribus inflammationis superuenientis ratione conuulsiones fiunt, post quam Neruosas partes tentauerit, ac primum quidem conuelluntur partes è directo inflammationi respondentes, deinde vbi ipsum etiam principium prehenderit inflammatio, in totum Corpus conuulsio distenditur.

Conuulsio ab euacuatione, & inanitione pessima est, vt *Hipp. sequentibus sententijs testatur* 3. *enim Aph. lib.* 5. *inquit, A copioso sanguinis fluxu singultus, aut conuulsio mala, & 7. Aph.* 9. *dixit; A sanguinis profluuio desipientia aut etiam conuulsio malum, & 5. Aph.* 56. *dixit; Si muliebri profluuio conuulsio, aut animi defectus superueniat, malum, & Aph.* 4. *eiusdem lib. inquit; A purgatione immodica conuulsio, & singultus malum, & Aph.* 1. *eiusdem lib. inquit; Conuulsio ab Elleboro letalis, & 7. Aph.* 25. *inquit.*

Ex Medicamento poto conuulsio mortifera, & *Aph.* 10. *eiusdem inquit.*

Ab ileo Vomitus, & singultus, & desipientia, & conuulsio malum, & 18. *Aph. eiusdem lib. inquit, à Vigilia conuulsio, vel desipientia malum, & 4. Aph.* 49. *inquit. In Febre non intermittente si Labrum aut supercilium, aut Oculus, aut Nasus peruertantur, si non videt, si non audit imbecillo tam corpore, quicquid horum acciderit in propinquo mors, & Aph.* 66. *eiusdem lib. inquit; In acutis Febribus conuulsiones & circa viscera vehementes dolores malum & sequenti Aph. inquit. In Febribus per somnum pauores aut conuulsiones malum portendunt & 7. Aph.* 13. *inquit propter ardores vehementes conuulsio, aut Tetanus malum.*

Concludendum ergo ex supradictis sententijs, & alijs quæ afferri possent, quod omnes conuulsiones ex siccitate fere immedicabiles sint quoniam sic affecti citissime intereunt, & hoc est ex *Gal. mente qui lib. de Tremore Palpitatione, & conuulsione circa finem dixit.* Conuulsiones, quarum siccitas causa est, minime medicaberis nam sic affecti citissime intereunt, nec Medicamenta sibi ipsi vtilia excogitare permittunt. At quæ ex humorum copia, vel ab inflammatione eueniunt, humorem euacuando, repletionem, & inflammationem proprijs remedijs medendo, ipsas curare poteris.

Et Com. 4. *&* 7. *lib.* 5. *Aph. inquit*; Conuulsio, quæ fit ab euacuatione acutissima, est, & pernicioſissima, quæ vero à Neruosarum partium repletione, neq; acutissima, neq; similitèr periculosa, & ideo *Hipp.* 2. *Aph.* 26. *inquit*; Febrem conuulsioni

ſuperuenire melius eſt, quam Febri conuulſionem, quoniam ſuperueniens Febris humorem calefaciens extenuat, & diſſoluit, *& 4. Aph. 75. inquit*; Spaſmo aut Tetano Febris ſi acceſſerit, morbum ſoluit, idem etiam inquit *lib. de locis in Homine, & 5. Aph. 5. inquit*; Si ebrius quiſpiam derepento obmutefcat, conuulſus moritur, niſi Febre corripiatur, aut, qua hora crapula ſoluitur, vocem recuperet, & 3. *Prog. textu* 60. *inquit*. Pueris conuulſio accidit, ſi Febris acuta fuerit, nec Aluus deiciat, ac vigilent, paueant, lugeant, colorem mutent, & ad croceum aut rubidum trahant. Hec igitur nuprime dictis pueris promptius accidit ad ſeptimum vſq; annum, vtq; inquit *Gal. in eius Com.* hoc fit propter Neruorum imbecillitatem, & Lactis craſſitiem & quia plurimo alimento, & inoportuno vtuntur, nil aliud agnoſcentes, viuendo preter eſitandi commoditatem. Sed facillime pueri liberantur, tùm ob vitalis cum Naturalis facultatis validitatem ac robur, *& Ariſt. 3. de Hiſt.* Animalium vltimo Hippocratem emulatus inquit, plurimos pueros conuulſione laborare, ac præcipue corpulentiores, & lacte veſcentes copioſiore, & craſſiore, & Nutricem lactantes ſuccipienam, & corpulentam.

De Curatione Conuulſionis ex Inanitione.

ET ſi *Gal. 7. Meth. ac alijs pluribus in locis, & eo prius Hipp. dixerit*, quod abſoluta, & prorſus conſumata ſiccitas inſanabilis eſt, quæ verò omnino ac prorſus conſumata non eſt, interdum, & ſi cum difficultate, curationem admittat, cum longum tempus ad ſiccitatem remouendam ſit opus, & morbi acuties ac vehementia tempus non concedat, quin cito vires diſſoluit, & ſubito exitium affert; Tamen non omnino deſtituendi ægri, & abſq; vllo præſidio relinquendi, cum multa præter Medici ſpem aliquando eueniant.

In huiuſmodi igitur curatione Medici intentio in humectando conſiſtere debet, & manifeſtum, eſt, hanc potius alimentis quã Medicamentis fieri debere de qua diffuſe verba fecit *Gal. 7 Meth. 6.* Aer ergo humidus eligatur, cibi ſint humectantes, optimi alimenti, & facilis concoctionis ſintq; liquidi, cum facilius ſit potu refici quam cibo, vt inquit *Hipp. 2. Aph. 9.* vt ſunt Iura, & contuſæ Carnes Pullorum, Hedorum, Agnorum, Veruecum, & ſimilium, & cum huiuſmodi carnibus emollientia Holera coqui poſſunt, vt Malua, Beta Lapatium, & ſimilia. Conueniunt etiam Oua ſorbilia, Lac, Animalium Cerebella, Hordei Piſſana, Amigdalarum ſuccus, & ſimilia. Pro potu, ſi Febris adſit, competit Aqua, in qua incoctum ſit Hordeum, Liquiritia, & Iucubæ, & niſi Febris adſit, Vinum optime dilutum, vt inquit Rhaſes, dandum eſt, & ſi puerulus conuulſione laboret, huiuſmodi victus Nutrici inſtituendus, Maneat in quiete, & in molliſſimo cubili iaceat. Somnus longus competit, cum humectandi corpora vim habeat, & omnes animi curæ deuitandæ, ſic aluus lubrica ſeruari debet mollientibus Cliſteribus, vt ex Lacte, dulciſſimo Oleo, vel Violarum, vel pinguis carnis iure, & ſimilibus, & ſi coacti ſimus aliquod Med, propinare, à lenioribus non eſt diſcedendum, vt à Manna cum pingui iure diſſoluta, vel à Syruppo Violaceo ſoluto. *Paul. lib. 3. cap. 19. de Victu conuulſorum ex inanitione loquens inquit*; Qui ex inanitione conuelluntur, nutriendis ſunt ex Chondro, & alica, Vinoq; tenui, & aquoſo, quod facile per omnia corporis membra diſtribuatur, niſi Febris adfuerit, tunc Piſſanæ cremor vtilis eſt, & *Auic. 2. tertij inquit*; Et infirmo detur in potu lac recenter mulctum ſecundum menſuram conuenientem, ſi non adfuerit Febris, & Aqua Hordei, & Cucurbitæ, & Aqua Melonis indicum Iuleb. & ſi commiſceatur cum aliquo horum parum Vini albi, vt penetrare faciat, erit conueniens.

Deinde ſubiungit, cibus habentium Spaſmum ſiccum, ſit totum quod humectat ac lenit, & omnes ſorbitiones pingues lenes, factæ ex Aqua Hordei aſſumpta ex Carnibus Agnorum, & Hedorum, & quandoq; ponitur ex holeribus humectantibus frangentibus nocumenta carnis, ſi illic fuerit caliditas.

Quo ad exteriora, & particularia præſidia, ante omnia accidentia remouenda, & partes, quæ contrahuntur ac conuelluntur, valenter continendæ ſunt, & inordinatis moribus reſiſtendum, & infraſcriptis Oleis inungendæ, & leniter fricandæ, vt inquit *Paul. lib. 3. cap. 19. & Auic. loco citato*, & ſi adfuerit dolor remouendus doloris cauſam tollendo, vt ſuperius fuit dictum.

Et

Et cum vt superius diximus, Medici intentio in hac affectione curanda in humectando consistat, ideo non solum per interiora hoc fieri debet, sed etiam per exteriora, & ideo, nisi adsit Febris, neque quid aliud prohibeat, ab omnibus Balnea moderate calida laudantur, vel ex dulci Aqua vel ex Aqua, in qua inferbuerint multa emollientia, vt Altheæ radices Folia Maluarum, Violarum, Betarum, Salicum, Nenupharis, Brancæ Vrsinæ, Radices Liliorum, capita, & extremitates, & Inteſtina Agnorum pinguium, Hedorum, Veruecum, Vitulorum, & si cum dicta Aqua simplici, vel supraſcripto Decocto tertia pars Olei admiſceatur, magis humectabit, cum Oleum cum Aqua mixtũ magis humectet, & labores, & laſſitudines tollat, vt inquit *Ariſt. 5. Sect. Prob. 6. & alij ſimplicis Olei Balneo vtuntur, alij lactis.*

Cauendum tamen, ne in Balneo, vel extra ægri sudent, quoniam magis exsiccarentur. Et ad retinendam humiditatem Balneo contractam, inungenda, leuiter fricando, pars Capitis posterior, & Collum, Scapulæ, Spina, & Iunctura omnes, & Musculorum capita Oleo Ralaceo simp. Violaceo, vel Amigdalarum dul. vel quibuslibet alijs humectandi vim habentibus, vt vetusta pinguedine Pulli, Anseris, Anatis, Butiro, Oleo, Liliorum, & his similibus, vel his Vng. componatur. Si vero Febris adsit, cum humectantibus aliqua refrigerantia in Balneo coqui debent, vt est Hordeum, Violarum Folia, Salicum, Nymphæ, Cucurbitæ, Citrulli, & similium. Nisi vero ad Balneum duci possint, partes conuulſæ continuo Hydreleo temperate calido, vel Oleis, & pinguedinibus superiuus dictis fouendæ, leuiter fricandæ, & si Brachia sint conuulſa, Collum, Spina, Axillæ, & aliæ Brachiorum Iuncturæ præcipue inungendæ ac fricandæ. Sepe vero, & breuibus interuallis prædictis iniectionibus, Fomentis, & Balneis vti debemus, quia conuulſio hec acuta, & periculosa est & acutiſſimos dolores ac vehementiſſimos inducit, & ideo nunquam sine præsidio relinquenda, & ex supradictis emollientibus etiam compoſita Cataplaſmata applicari possunt.

Paulus loco citato, dum localia administrantur, iubet, vt ægrotantes in Ore detineant Oleum Amigd. dul. vel commune dulciſſimum vel Aquam cum Oleo mixta ad corpus humectandum, cum sic humectatio Neruorum principio Neruisq; omnibus communicetur, vt inquit dictus Autor.

De Curatione conuulſionis ex repletione.

CVm *Hipp. & Gal.* pluribus in locis dixerint, quod conuulſio ex repletione curabilis est, vt ex superius adductis sententijs patet, ideo cum Neruosæ partes sint nimis repletæ, nemini, est, dubium, quod euacuatione indigent. Sed cum ante particulares euacuationes, semper vniuerſales præcedere debeant. Ideo imprimis de vniuerſalibus præsidijs agemus, deinde ad particularia descendemus.

Quo ergo ad sex res Nonnaturales, Aer semper calidus, & siccus eligendus, & ideo in ægrorum Cubiculis semper habeatur ignis, cibus sit ex ijs, quæ facile concoquantur, & incidendi, & attenuandi vim habent, vt sunt Ius Pulli, in quo incocta fuerint Hyſopus, Samphuſcus, Betonica, & Saluia, Carnes etiam Pullorum competunt, Perdicum Phaſianorum, Auicularum montanarum, Siluestrium Columbarum, & similium, & primis diebus victus sit tenuis deinde perdurante conuulſione, paulatim augeatur, & dicta concedantur. Pro potu à principio Vino prohibendum, vt inquit *Celſus, cum à proprietate conuulſionem inducat, vt inquit Hipp. 5. Aph. 5. & 2. de Morbis*; Sed danda mulſa, vel Aqua in qua inferbuerint Coriandrorum semina, & Cinamomum, vel Guaiaci ligni Decoctum.

Vbi vero morbus inclinare ceperit, concedendum Vinum album, & aquoſum, & aurei coloris, ne caput tenter ac repleat, & humorum attenuationem ac diſſipationem adiuuet, & in tali ſtatu *Hipp. 4. de acutis Vinum commendauit, & Auic. & Serapio; & alij quod Celſus non prohibuit.* Motus med ocris principio conuenit, & ocium, & quies vitanda, cum Membra haberent, & refr gerent, & poſt corporis purgationem, & totius euacuationem, corpus exercendum. Somnus potius breuis quam longus conuenit, & præcipue diurnus, & meridianus vitandus, aluus lubrica seruetur, & conſuetæ euacuationes continuo prorogentur, & à Veneris vſu se abſtineant, & à

nimia, & intenſa cogitatione, & merore etiam abſtinendum, & aſſiſtentium ſermones hilares ſint, ſic etiam ægrotantium cogitationes.

Poſt victum inſtitutum, ad ea, quæ corpus euacuant, deuenien dum eſt, & præcipue ab omnibus Autoribus, ſi plenitudo adſit, & omnes conditiones ad ſanguinis miſſionem faciendam requiſitæ, Venæ ſectio laudatur, & etiam ſi conuulſio à cauſa frigida oriatur, modo plenitudo adſit, & conuulſio ab ea foueatur, ex Aretei ſententia, Venę ſectio competit, quod ſcriptum etiam reliquit *Gal. in ſermone de Tremore, prius verò indito Cliſtere, vel ſi opus ſit, leniente Med. precipue ex Hiera Simp. Gal. exhibito, ſicuti iubeat Gal. lib. de Sang. Miſſ. & 9. Meth.*

Vena vero tundi debet in parte conuulſo membro oppoſita, & ſi faciei muſculi ſint conuulſi, & aliæ ſuperiores partes, Cephalica, vel communis Vena ſecanda, Baſilica vero ſi inferiores partes, & animaduertendum, ne in Venæ ſectione facienda Brachium nimis arcte ſtringatur, cum valida conſtrictio conuulſionem prouocet, vt Areteus voluit. Quantitas vero ſanguinis, & ſi eſſe debeat ſecundum vires ætatem, temperamentum, anni tempus, & alia in ſanguinis miſſione requiſita, tamen magis ad paucam quantitatem, quàm magnam inclinare debemus, ne vires debilitentur, quę, quantum eſt poſſibile, robuſtæ ſeruandæ, vt Symptoma poſtea ſuperare poſſint, cum aliquid etiam Symptomati ſit concedendum, vt inquit *Gal. 1. ad Glauc. ca p.* 14. facta Venæ ſectione, vbi eſt opus, ad humorum præparationem deuen ēdum, & ſe cundum humorum peccantium diuerſitatem Syruppi inſtituendi, vt ſi Pituita redundet, Syrup. de Bettonica, de Stechade, de Hiſopo, Oximel ſ. vel Squilliticum, cum Decocto conuenienti competunt, & concocta materia purgans Med. inſtituendum ex Hiera, Agarico Diafin. vel Pilulis Fetidis Cochis, de Agarico, de Hermodactilis, & ſimilibus; Si Melancholicus humor redundet, Syrup. de Fumaria, de Lupulis, de Pomis de Eupatorio cum Decocto conuenienti competūt, & purgantia ſint Elect. Amech. Pilulæ inde, de Fumaria, & alia Melancholicum humorem euacuantia. Niſi vero vna purgatio ſufficiat, repetenda bis, & ter, ſi fuerit opus. Reuulſiones vero interim in oppoſita parte faciendæ Frictionibus, Cucurbitulis, æres etiam Cliteres, & Glandes indendæ, præſertim ſi ſuperiores partes fuerint affectæ, & poſt vniuerſalem purgationem Caput etiam Errhinijs, Maſticatorijs, & Gargariſmatibus purgandū.

Errhinia fiant ex ſuccis Mercurialis, Betæ, Ireos, vel ex decocto Pyretri, Ireos, Foliorum Chalamenti, Origani Stechadis, Nigellæ Romanæ Agarici, & ſimilium.

Maſticatoria, ſiue Apophlegmatiſmi difti fiant, ex Pyretro Maſtice, Pipere, Staphide Agria, & Zinzibere.

Gargariſmata fiant ex decocto Sampſuci, Hyſopi, Chalamenti, Pulegij, Origani, & ſimilium, cum Squillitico Oximellite, vel Syruppo de Stechade mixto. Sternutatoria comperunt ex puluere Piperis, Pyretri, Veratri albi, Euphorbij, Staphidis Agriæ, & ſimilium.

Poſt optimam corporis purgationem, ligni ſancti Decoctum maxime eſt vtilæ, quod validus, vel imbecillius ſecundum vires, corporis habitum, ætatem. Anni tempus, & alia requiſita inſtituendum.

Recordandum etiam, quod in huiuſmodi curatione maxime Cerebrum, & Ventriculū roborare eſt vtile, & ideo poſt totius purgationem bis, vel ter in hebdomada mane ieiunio Ventriculo, Theriacæ veteris ſcrup. 1. vel dragm. 5. æger aſſumat, vel Mitridatum, vel Diamuſcū dulcæ, vel amarum, Auream Alexandrinam Aromaticum roſatum, Dianthos, Diagalanga, & Conſeruam Bettonicæ, vel Saluiæ, quibus conſeruis, ſi aliqua Caſtorei portio admiſceatur, maxime erit vtile, & magis materiæ abſumptionem iuuabit. Maxime etiam eſt vtile illinitio, & frictio facta ceruici, totæ Spinæ, & luncturis, & deniq; totæ affectæ parti infraſcriptis Oleis, vt Oleo Vulpino, vel Guaiacino, vel Oleo ſimplici centum annorum, Nardino, Rutaceo, Coſtino, vel ex Terebentina, vel Laurino, vel ex Pulegio, vel Liliorum alborum, & ſi emollire ſit neceſſe commiſcendum Oleum Sem. Lini, vel Amigd. dul. Et ſi volumus, vt magis reſoluant, cum his admiſcendum Eliſir vitis, vel ardens Aqua, vel Caſtorei, vel Euphorbij aliqua pauca portio vel his comp. Vng. fieri poſſunt, vt ſunt infraſcripta.

℞. Olei Vulpini vnc. 3. Liliorum Lumbricati, Anethini an vnc. 2. Pinguedinis Gallinæ, Medullæ Cruris vituli an anc. 1. Vng. Dialtheæ vnc. 4. Caſtori

Piperis

Piperis an drag. 3. Euphorbij dragm. 5. Aquæ Vitis, vel Elisir vitæ dragm 3. Ceræ q. suff. M. & S. A. fiat Linimentum, vel.

℞. Olei Muscellinei vnc. 1. Petrolei vnc. 5. Olei Communis, Butiri an vnc. 4. Styracis, Calaminthæ rubræ an drag. 2. 5. Mastiches, Olibani, Gummi hædaræ an vnc. 5. quæ facilitèr liquescunt, simul admoueantur, alia in puluerem redacta admisceantur, vltimo Styrax addatur, & vnc. 1. Ceræ, & S. A. fiat Vng. quo moderato calido, in loco calido, vt apud ignem, pars affecta, Ceruix, Collum, & tota Spina, & iuncturæ inungantur, partes vero inunctæ, & præcipue conuulsæ pellibus Vulpium, vel Luporum, & similiũ callidæ seruandæ.

Post optimam corporis purgationem, & exiccantia med. assumpta ad reliquum materiæ auferendum, & partes roborandas Thermalia, Balena, Sulphura, Nitrosa, Salsa, Bituminosa, & Aluminosa maximè sunt vtilia, & lutum etiam, quod in his Balneis coadunatur, si super affectam partem apponatur, & illeniatur, maxime est vtilę. Vel fiant artificialia Balnea ex Oleis prędictis, vel in Aqua coquantur Malua, Althea Bettonica, Sumplucus, Polegium, Hysopus, Chalamentum, origanum, Iuua, Flores Chamemoli, Saluia, Stechados, Anhos, Melilotum, Lini semen, Fenugreci, & similia, & ex hoc Decocto Balenum paretur, si dictorum Oleorum tertia pars addatur, magis ager, vel fiat suffitus, vt æger dictarum herbarum, dum coquuntur, suscipiat, vel huiusmodi Decoctum super molares ignitos lapides inyciatur, & toto tempore fumum recipiat, vtque hoc optime fiat, danda est opera, ne quid exalet, & post Balnea, vel huiusmodi suffitus, partes inungendæ ac confricandæ, deinde contegendæ, sicuti fuit dictum.

Si vero ex inflamatione conuulsione fuerit orta, non solum tenuis victus instituendus, & Aquæ potus, sed sanguis largiori copia mittendus, quam in conuulsione ex alijs causis orta, & inflammatio recte per tempora sua curanda, sicuti superius, & *lib. de Tum. Pret. Nat. fuit dictum, & remota inflammatione, vt superius fuit dictum conuulsio curanda, & hec conuulsio ex inflammatione frequentèr Vulneribus Neruorumq; puncturis succedere solet, de qua Gal. 6. Methodi, in Arte Med. & 3. de Med. secundum Gen. diffuse agit.*

De Curatione Conuulsionis per consensum, siue compatiendi societate orta.

COnuulsio per consensum, & per Sympatiam fiat, fit, vel ob vulneratæ partis dolorem, vel cum Vulnus Neruorum substantiam attigerit, vel ob Venenum pungens, & mordicans, vel ob insignem intemperiem, vel ob oris Ventriculi morsum. Si conuulsio igitur ob Vulneratæ partis dolorem fiat, quam primum huiusmodi dolor, vt superius cap. de Dolore fuit dictum mitigandus caulam doloris tollendo, & si Neruus, vel Neruosa pars fuerit compuncta, vel vulnerata, omnia Anodina, & alia Med. Neruorum Vulneribus conuenientia, vt proprio *Cap. de Neruorum Vulneribus dicemus, experiri debemus, & nisi his cedat per tranuersum Neruus, vel Neruosa pars omnino præcidenda, cum melior sit lesio quam mors, vt inquit Gal. Razes Celsus, & Auic.*

Si vero conuulsio ob Venenum Vulneri infixum, oriatur, scarificationibus, Cucurbitulis, fuctu, vel Med. vehementer citra calefactionem attrahentibus, & Veneno resistentibus euacuandum. Si vero ob aliquam insignem intemperiem conuulsio fuerit orta, per sua contraria huiusmodi intemperies tollenda, vt superius de intemperie remouenda fuit dictum. Si vero conuulsio ex Ventriculi morsu, idest ex acribus, & erodentibus humoribus in eo contentis excitata fuerit, statim Vomitus prouocandus vt Auenzoar inquit, deinde Ventriculus & interniś, & externis præsidijs roborandus.

Et animaduertendum quod in omnibus conuulsionibus tam per se, quàm per consensum, & ex quibuslibet causis ortis, semper Cerebrum est roborandum, & ideo Oleo Liliorum, vel alijs superius dictis, pars capitis posterior, abrasis capillis, continuo fouenda, sic Ceruix, Collum, tota Spina, & Axillæ, & Inguina, & Balnea etiam, vel ex simplici Oleo vel ex Hydreoleo, vel Decoctis superius dictis conuenientissima sunt. Si vero in exacerbatione maxime dentes agitentur, ne ex toto os claudatur, & ne linguam dilaceret, Baculum salicis, vel quid similæ inter Dentes ponendum, & circa Vniuersalia, vbi sunt opus, fiat, vt superius fuit dictum.

De

De Paralyſis. *Cap.* 26.

Quid nominis.

Paralyſis à Grecis dicta, ſic etiam à Latinis nominatur, & Neruorum reſolutio, dicitur vero ſic ab ipſo Sympromate, vt inquit *Gal.* 2. *Meth.*

Quidrei

Paralyſis eſt priuatio ſenſus, & motus in vna vel aliquibus corporis partibus, vt inquit *Gal.* 3. *de Locis Aff.* 10. & 1. *de Cauſis Sympt.* 5. Dicitur vero priuatio, vt ab Epilepſia, & Torpore deſtinguatur, cum in Epilepſia motus deprauatur, & in Torpore ſiue ſtupore diminuatur, in Paralyſi ergo omnino tollitur motus, & ſenſus, ſi vera Paralyſis ſit, vt inquit *Gal.* 2. *de locis Aff.* 1. In non vera vero, vel tantum motus, vel ſolum ſenſus ammittitur. Cum vero duo ſint motus, alter naturalis, alter Animalis; In Paralyſi tantum Animalis deperditur, ſic ſenſus, qui in Paralyſi deperditur, eſt ſenſus tactus. Diximus vero in huiuſmodi definitione, quod in vna, vel aliquibus corporis partibus motus, & ſenſus deperduntur, ad differentiam Apoplexiæ quæ eſt totius corporis reſolutio. Sed animaduertendum, quod in Apoplexia non omnino ſenſus deperditur, vt in Paralyſi, vt inquit *Auer.* 3. *Colliget.* 31. *dicens*; Senſus tactus in toto corpore omni ex parte ſine Animalis interitu non poſſe auferri; Eumdem vero in vna tantum Animalis particula poſſe auferri, quia conſeruato hoc ſenſu, in ceteris partibus adhuc Animal integram Animalis formam retinet.

Cum vita ergo non poteſt eſſe omnino de ſenſus deperditio.

Et idem *Gal. lib. de Definit. Med.* ſic Paralyſim definiuit, Paralyſis eſt affectus motum voluntarium offendens in partibus, vel in parte quadam contingens, & fit Neruis, & Muſculis patientibus.

Pars affecta.

Eſt enim Paralyſis, vt ex ſupraſcriptis *Gal. locis elicitur*, *Symptoma in genere actionum Animalium amiſſarum*. Hoc vero Symptoma ſequitur morbum in via vel intemperie, vt patet, frigida enim, & humida Cerebri intemperies craſſos ſuccos, & pituitoſos producendo, ſi ex his alter, Cerebri Ventriculus repleatur, prohibet, ne Animalis facultas ad infernas partes deferatur, & ſic Paralyſim facit, ſic in Spinali Medulla morbus in via, & intemperie fit, ſicuti enim ſi craſſis ſuccis repleatur, & his obſtruatur, Animalis facultatis ad infernas partes tranſitus prohibetur; Si aliqua mala intemperies in Spinali Medulla reperiatur, eſt in cauſa, vt Animalis facultatis illuſtratio, ſicuti recipi deberet, non recipiatur, & idem de alijs Neruis reſolutis dicendum. Partes ergo affectæ, vt ex dictis patet, ſunt, vel Cerebrũ, vel Spinalis Medulla, vel ſecundum totum, vel ſecundũ partẽ, vel aliqui particulares Nerui.

De Paralyſis differentijs.

Paralyſis differentiæ à pluribus deſumi poſſunt, vel à parte affecta, vel à magnitudine, vel à Tempore, vel à modo affectus, vel à Generationis modo, vel à cauſis. Differentiæ ab affecta parte ſunt vt Paralyſis dexterę partis, vel ſiniſtrę vel alicuius particularis partis, vt Manus, vel Pedis, & ſimilium, vt inquit *Gal.* 3. *de locis Aff.* 7. Differentiæ à magnitudine ſunt vt perfecta, vel imperfecta Paralyſis, perfecta Paralyſis eſt, in qua omnino ſenſus, & motus eſt amiſſus. Imperfecta vero in quæ tantum motus, illeſo ſenſu, vel tantum ſenſus illeſo motu, eſt deperditus. Differentię à tempore ſunt, vt antiqua, & confirmata vel recens, & non confirmata, vel ſi ſit in principio, vel augumento, vel ſtatu, vel declinatione. Differentiæ à Generationis modo ſunt, quoniã aliqua Paralyſis à principio incipit, alia alijs morbis ſuccedit, vt Apoplexiæ, & aliquando etiam in Collica paſſione ad Neruos, vel Neruoſas partes craſſa materia tranſmittitur, & Paralyſim efficit, vel diuturnis morbis ſuccedit, quĩ ex frigidis, & craſſis humoribus originem habent, vt ſunt veteri affectus, diuturnæ Febres, & his ſimilibus, ex quibus non ſolum totum corpus refrigerari poteſt, ſed etiam ad Neruos craſſa materia tranſmitti, quæ poſtea, ne Animalis facultas poſſit deferri impedit, & illius partis Paralyſim generat differentiæ à cauſis ſunt ex quibus, vel primario, vel ſecũdario Paralyſis fuerit facta.

De Cauſis Paralyſis.

Paralyſis cauſæ aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, externæ ſunt frigidus, & humidus Aer Regio, Anni, Tẽpus nimiũ ociũ, longus ſonnus, inopinati animi affectus, vt ſubito motus exira, pauore, & timore, & Auic. voluit, veluti nimiũ gaudiũ, vt Rhaſes inquit, nimius coitus, Crapulæ, Ebrietates, frigi-

frigidissimus potus, Capitis Vulnus præsertim, vel Spinæ dorsi; Casus ab alto, percussio, vel incisio Neruorum, constrictio, & vehemens compressio, Spondilium luxatio, vel abruptio, violenta, & vehemens frigiditas, alicuius partis tumor, vt Phlegmonæ vel Scirrhus, & tandem omnia illa quæ vel continuum soluendo, vel vias replendo, vel comprimendo Animalis facultatis delationem prohibent, vt elicitur ex *Auic. 2. tertij tract. 1. & ex Gal. 4. de causis Sympt. 5. & 3. de locis Aff. cap. vltimo, & 5. de Sympt. Causis cap. 2.*

Internæ causæ duæ sunt, antecedentes scilicet, & coniunctæ, antecedentes causæ sunt frigidum, & humidum corporis temperamentum, vel natiuum, vel acquisitium, & senilis ætas, cum hæc omnia ad Paralysim disponant, cum nulla causarum sine patientis aptitudine agere possit, vt inquit *Gal. 2. de Diff. Feb. cap. 4. & Arist. 2. de Anima textu 24. dixit.* Actus actiuorum fiunt in patiente bene dispositio, repletio similiter crassorum, & frigidorum humorum, & aliqui præcedentes morbi ex dictis humoribus orti, vel talium humorum cumulum facientes, vt Febres longæ, veteri affectus, & similes, & colicus etiam dolor aliquando in Paralysim terminare solet, vt inquit *Paul. lib. 3. cap. 43. & Auic. 2. tertij cap. proprio, & Apostemata etiam aliquando Paralysis sunt causa.*

Coniunctæ causæ sunt omnes humores crudi, crassi, & viscidi, vt est Pituita, & aliquando etiam, sed raro, ab humore Melancholico fit, ex quibus humoribus, vel qualibet alia re, vt compressione, vinculo, & similibus actu obstructio, & obturatio, fit in partibus, per quas animalis facultas fertur, vt ad infernas partes influere non possit, aliquando etiam immediata causa est defectus Animalis facultatis, vel propter aliquam Cerebri intemperiem, vel alium morbum, vt si in se ipsam Animalis facultas contrahatur, vt in Cerebri Vulneribus, & contusionibus accidit, vt inquit *Gal. Com. 58. lib 7. Aph.* cum tunc Animalis facultas ad aliquas partes distribui nequeat, & ideo sensu, & motu partes illæ priuantur.

De Paralysi signis.

Præcedentia signa.

EX Paralysis signis alia futuram aliam præsentem Paralysim indicant, ac significant, futuram Paralysim indicantia signa sunt, capitis, & resoluendæ partis grauitas, sic eiusdem difficilis motus, & torpidus sensus, & frigiditas, & emaciacio, Pulsus in eadem parte pusillus fit, similiter Pituitæ copia, vel Melancholici humoris in capite præsertim, contusio, vel Neruorum incisio, & similia; Habitus item corporis frigidus, & humidus, cum Neruorum imbecillitate, & in frigido, & humido aere, & victu, & vitæ studio ad crassos succos gignendos apto, *Auic. 2. tertij inquit*, Si infantis Vrina sit viridis, Paralysim vel spasmum nuntiat, & *Gal. lib. de præcognitione ex Insomnij scriptum reliquit*, Quendam somniasse se lapidem Genu habere, & paulo post illi Genu illud Paralyticum euasisse.

Concomitantia signa.

Presentem Paralysim indicantia signa sunt manifesta, quoniam paralitica pars est sine sensu, & motu, vtque plurimum frigida, & in dies gracilescit, cum male nutriatur, & ob eandem causam naturalem calorem amittit, & frigida fit. Pars vero sana, & opposita calidior fit, cum omnes spiritus ad eam confluuant, Pulsus est languidus, paruus, & tardus, Vrinæ vero vt plurimum albæ, & crassæ redduntur.

Affectam partem indicantia.

Partem affectam indicantia signa, vt inquit *Gal. 4. de causis Sympt. & 3. de locis Aff. sunt*, quoniam si talæ Symptoma a Cerebro oriatur, vna cum alijs inferioribus partibus, etiam faciei musculi dexteræ vel sinistræ partis Paralysi tentantur; Si Spinalis Medullæ principium fuerit affectum reliquæ infra faciem partes erunt Paralysi oppressæ, vel dextera, vel sinistra pars, secundum quod vel tota, vel Medullæ Spinalis dimidia pars fuerit affecta, & faciei Musculi offensi erunt; Sic si affectio fuerit in medio spinalis Medullæ, omnes superiores partes erunt illesæ, partes vero inferiores resolutæ, & paralitice. Sic si affectio in ossis sacri origine fuerit, partes supernæ sunt illesæ, & infernæ, vt Femora, Crura, & pedes sunt resolutæ; Sic si aliqua particularis pars sensum, & motum amiserit, indicium est aliquem particularem Neruum in sua origine esse affectum, & ideo ad bene curandum Neruorum originis, & ortus scientiam habere est necesse, & doctum, & exercitatum in rebus Anatomicis esse. Humores Paralysim efficientes cognoscuntur facilitèr ex habitu, & corporis temperie

ex

ex anteacto victu, regione Cœli ſtatu, & multis alijs ſuperius dictis. Sic præcedentes morbi ex ſuis proprijs ſignis, & externæ cauſæ, vel ex ſeipſis apparent, vel coniectura, vel ægri relatis facile intelliguntur.

De Paralyſis Prognoſtico.

AD bene in Paralyſi prædicendum, conſiderandum eſt quamdudum Paralyſis aduenerit, ægri vires, ætas, Anni tempus Cœli conſtitutio, & Regio, quoniam ſi Paralyſis ſit recens, & in principio in corpore robuſto, vigentis ætatis, calido tempore anni, ac Cœli conſtitutione, calidaque regione, facilius ſanabitur, quam ſi contraria hec omnia fuerint, & ideo Celius Aurelianus, & Areteus ſcriptum reliquerunt. Quod reſolutiones Neruorum in debilibus, in ſenibus, & antiquas curatu difficillimas eſſe, facilius autem curari in robuſto in adoleſcente in puero, præſertim quando recentes ſunt. Similiter ſi Paralyſi Febris ſuperueniat bonum vt de conuulſione dixit *Hipp. 2. Aph. 26. & 4. Aph 57.* (ſi Paralyſis ab humiditate, & frigiditate fiat) Cum hiſce accedentes Febres partim ſuperfluam digerant humiditatem, partim frigiditatem concoquant, quæ duæ ſunt Medicis remediorum indicationes, vt inquit *Gal. in eius com. Tertio Prorrheticorum inquit etiam Hipp.* Paralyticis Parothides vtiloſæ, & cauſa eſt, quia ad ceteras inferiores partes, ſicuti boni abſceſſus minimo deuoluuntur.

Paul. lib. 3. cap. 18. inquit, Paralyſis, quæ ad Neruorum inciſionem, vel Vertebrarum luxationem, vel contuſionem, & caſum inſequitur, incurabilis eſt, & Rhaſes *cap. de Paralyſi inquit*; Quod ſi Paralyſis ex percuſſione aut caſu euenerit, & accidit ſubito, ita quod Nerui, aliqualiter contundantur, taliter permanebit, nec vnquam ſanabitur. Sed hoc intelligendum, niſi Paralytici ſint in ætate, inqua ſpermatica membra reſtaurari poſſint, vel niſi ſubito Paralys fiat; leuiſque ſit contuſio, quia in his caſibus interdum curationem recipit vt inquit *Gal. 3. de locis Aff. de Pauſania Syroſophiſta, Celſus lib. 3. cap. 27. inquit*; Solent autem, qui per omnia membra vehementer reſoluti ſunt, celeriter rapi ac ſi correcti non ſunt, diutius quidem viuunt, ſed raro tamen ad ſanitatem perueniunt, & plerumq; miſerum ſpiritum trahunt memoria quoq; amiſſa; In partibus vero nonum quam acutus, ſepe longus, ferè ſanabilis morbus eſt, & *Auic. 2. tertij cap. citato inquit*, Paralyſis à remotione ſpondilium eueniens, vt plurimum mortifera eſt, & ratio eſt, quia ſpondilia Neruos à ſe exeuntes facile in luxatione comprimunt, & ideo niſi ad priſtinum locum reducantur, actum eſt de illis. Et eodem loco inquit idem Autor quodcumq; membrum mollificatorum & Paralyticorum ſecundum colorem reliqui corporis exiſtens non minoratur, nec extenuatur, eſt de quo maior habenda eſt fiducia, quam illud, quod eſt diuerſum ab hoc; Nam quum minoratur, aut extenuatur, ſignum eſt quod non nutritur, & ideo non ſolum Animali, ſed etiam naturali, & fortaſſe Vitali facultate priuatur. At ſi nihil horum acciderit, bene ſperandum eſt Arculanus dixit, Tremor, & Dolor Paralyſi ſuperueniens bonum, & cauſa eſt, quia vbi Tremor, & Dolor eſt, ibi ſenſus, & motus adeſt, & per tremorem etiam obſtructi meatus aliquando aperiuntur, & à Paralyſi membra liberantur, & inferius inquit hic Autor. Si Paralyſis Annum pertranſit, vt plurimum curationem non recipit, Paralyſis item ab externa cauſa proueniens, vt a Crapula, & Ebrietate, vel nimio frigore, minus eſt periculoſa, ſic illa Paralyſis quæ ex intemperie, vel humorum copia gignitur, oportunis auxilijs ſanabilis eſt, vt inquit loco citato Paulus.

De Paralyſis Curatione.

EOdem fere modo Paralyſis curari debet, ſicuti ſuperius conuulſionem ex plenitudine curari diximus, præſertim quo ad victus rationem, & alias res nonnaturales, Venæ ſectionem, humorum præparationem, euacuationem, reuulſionem, & deriuationem, Decocta etiam exſiccantia, poſt quam corpus optime fuerit purgatum, conueniunt, vt Guaiaci, Chinarum Radicis, Saliæ Parilæ, & Saſſa Fras, ſic Balnea naturalia, & artificialia, tàm ſicca, quàm humida, vt in ſuperiori Capite fuit dictum, conuenientiſſima ſunt.

Poſt hec vltima indicatio erit, materiam quandocumq; neruis aderentẽ reſoluere, &

exicca-

exiccare,quod,& internis,& externis Medicamentis faciemus, interna Med. ſunt illa, quæ caput Neruoſq; præcipuæ roborant vt eſt Theriaca vetus, Mitridatum, Aurea alexandrina cum Aqua vitæ mixta, Conſerua Saluiæ, Betonichæ, Florum Stechados Roris marini, Diamuſcum vtrumque, Roſata nouella, Aromaticum Roſatum, & Diagalanga. Sed Caſtoreum omnium conſenſu alia Medicamẽta ſuperat, & ideo in omnibus Medicamentis Cerebrum & Neruos roborãdi vim habentibus commiſceee poſſumus.

In externis, & localibus Medicamentis applicandis ſemper vera mali origo eſt inquirenda, ne derideamur, ſicuti à *Gal. deriſi fuere Medici illi, qui Pauſaniam curabant, vt* 1. *&* 3. *de Locis Aff. recitat, qui in trium digitorum Manus paralyſi ipſis digitis localia applicabant, non Spinali Medullæ, vbi erat mali origo*. Si ergo affectionis principium ſit in Cerebro ipſi Capiti Medicamenta applicanda, & inter cetera Aquarum Thermalium ſtillicidia, præſertim Sulphurearum in Coronali futura mirum in modum vtilia ſunt, ſicuti eſt Ducia S. Philippi propè Radicophanum, S. Caſiani, Lucenſium, Patauinarum, & ſimilium, & ſi mali origo, in Medullæ Spinalis principio fuerit, huic parti ſtillicidia facienda, idem etiam faciendum, ſi mali origo fuerit in medio, vel fine Spinæ, vel in aliqua particulari parte, & poſt ſtillicidia huiuſmodi partes ac etiam reſolutæ infraſcriptis Oleis, & inunctionibus illiniendæ, & optime Vulpium pellibus, vel aliorum Animalium calidæ deinendę; Er animaduertendum, vt inquit *Auic. cap. de Cura Paralyſis*, quod cum reſoluentibus ſemper aliquantulum Stipticorum adiſceamus, ne laxantibus Membri ſubſtantiam debilitemus, & reſoluentibus magis ſpiritus reſoluamus, & ideo parum ſtipticorum commiſcendum, & procedendum à debilioribus reſoluentibus ad fortiora, & quod *Auic. dixit confirmauit etiam Paul. lib.* 3. *cap.* 18. *dicens*. In relaxantibus quidem membris adſtringentia, ijs, quæ laxantur miſcere, & frictionem intenſam moliri conuenit, in conuulſionis vero curatione laxantibus dũtaxat vtendum eſt, & frictione moliri. Olea vero conuenientia ſunt Camemolinum, Liliorum, Vulpinum, Coſtinum, de Spica Irinum, de Terebenthina, Ruraceum, Laurinum de Piperibus, & de Euphorbio.

Dicta vero Olea, & per ſe, & diuerſo modo comixta, ſecundum quod magis, vel minus reſoluere noſtra erit intentio, conueniunt, ſicuti inunctiones infraſcriptæ.

℞. Olei Vulpini, Coſtini, de Euphorbio an drag. 3. Pulueris Caſtorei, Sinapis an ſcrop. 5. Vini optimi dragm. 2. M. & omnia ad Vini conſumptionem bulliant, & dicta inuntione calida mali originem, & paralyticam partem vnge, vel.

℞. Olei Liliorum, Vulpini an vnc. 5. Pulueris Tapſiæ, Euphorbij, Iuæ an ſcrup. 1. Pulueris Vermium terreſtrium combuſtorum dragm. 1. Vini albi optimi dragm. 2. M. & omnia ad Vini conſumptionem bulliant, vrq; ſuperius fuit dictum vtere.

Balſami Meſue facultates.

Super omnia vero maxime commendatur infraſcriptum Balſamum Meſuæ quod vtiliſſimum eſſe dixit in omnibus Neruorum paſſionibus, & oſſium, in laſſitudinibus, in cordis palpitationibus, in Tremoribus cum maxime, & citiſſime vitalem facultatem refocillet ac reſtauret, Febrium etiam rigores tollit, ſi ante acceſſionem eo tepido ſpina inungatur, in veteri ſtrangulatu, in Epilepſia, & ſimilibus affectibus, & Melancholicis, qui abſq; cauſa triſtantur, cum odorato Vino in pauca quantitate præbetur, & ſi cadauera huiuſmodi Balſamo inungantur illa à putredine præſeruat, & eius comp. eſt hec.

Balſamũ Meſue.

℞. Myrrhæ electæ, Aloes Hepaticæ, Spicæ Nardi, Sang. drag. Thuris, Mumiæ, Opobalſami, vel Opoponacis, Bdellij Carpobalſimi, Ammoniaci, Sarcocollæ croci, orient, Maſtiches, Gummi Arabici Stiracis liquidæ an dragm. 2. Ladani electi, ſucci Caſtorei an drag. 2. 5. Moſchi drag. 5. Terebenthinæ electæ ad pondus omnium, Pulueriza nda pulueriz entur, & omnia cum Tereb. miſceantur, & Vitreo deſtillatorio lento igne deſtillentur, & recipiatur liquor forti ac valido, & bene obturato Vaſe, & ſerua ad vſum.

Balſama alia Neruis vtilia

Vel fiant infraſcripta Balſama, quæ etiam ſunt optima.

℞. Radicum Ireos, Ariſtolochæ an vnc. 2. Conſolidæ mai; Iuæ Arthicæ, Herbæ Paralyſis, Pimpinellæ, Rutæ, Saluie an M. 1. Baccarum lauri, Baccarum Iuneperi an dragm. 6. Florum ſtechados, Florum Roris Marini an pug. 1. 5. Galange Zedoariæ, Zingiberis, Gareophillorum, Nucis Miriſticæ, Cinamomi an drag. 3. Ligni

Aloes

Aloes vnc. 1. Thuris Maſtiches an drag. 10. Mirrhæ, Aloes, Sarcocollæ, Bdellij, Galbani, Ammoniaci, an vnc. 1.5. Caſtorei vnc. 5. Gummi Elemi vnc. 2. Diachilonis ireati vnc. 3. Aquæ vitis vnc. 4. M. & omnia in Alembicum conciantur, & lento igne deſtillentur, donec liquor craſſus effluat, veluti Balſamū, & ad vſum ſerua, vel.

℞. Olei Hipericonis lib. 1. Terebenthinæ lib. 5. Olei Laurini vnc. 4. Olei Spicæ dragm. 10. Baccarum Iuneperi lib. 5. Caſtorei vnc. 1. Euphorbij vnc. 2. Gareophillorū, Macis, Nucis Miriſticæ, Cinamomi an vnc. 1. 5. Florum Lauendulæ florum Saluiæ, Florū Lilij Conualli, an M. 2. Maſtiches Myrrhæ, Thuris an vnc. 2. Mumiæ vnc. 1.5 Pinguedinis Taxi vnc. 3. digerãtur omnia per menſem in fimo, deinde deſtillentur S. A. in Alembico Vitreo, & hoc Oleo inungantur membra Paralatica, contracta, & morbi origo, & mirabilem effectum videbis, cum efficaciſſime agat.

Niſi vero prædictis remedijs omnino morbum tollamus ad rubefacientia, & Sinapiſmos aliquando deueniendum, vt eſt affectæ partis, & originis mali fricatio cum tenuiſſimo puluere Euphorbij, Nitri, Sulphuris, Tapſiæ, & ſimilium; Inuſtiones etiam, & actualia Cauteria in parte primario affecta, ideſt in origine mali, faciendæ, tùm quia partem illam conroborant, tùm quia per calorem, & dolorem, qui ambo ab actuali igne parti inferuntur, Spirituum aliquis concurſus, & attractio fit, & ideo ætius *Serm. 6. cap. 28. ad reſidui reſolutionem inquit*. Vt quatuor viſtiones fiant, vna circa occipitis cauitatem, & tres in Vertice, ex quibus inquit, non deſpero perfectam reſtitutiones, & eodem loco etiam laudat. Cucurbiculas affectis partibus applicatas, & ſi hæ inepræ fiat, vicinis, inquit, infligantur, & hoc idem etiam dixit *Paul. lib. 3. cap.* 18.

Notandum etiam quod Rhaſes præcipit quod non ſolum in hoc morbo, ſed etiam in multis alijs, ideſt in longis ac diuturnis morbis omnibus, curatuq; difficilibus, ſi dicta præſidia morbum non tollant, ſpacio decem dierum quieſcendum ab omni curatione, obſeruata tamen optima, & conuenienti victus ratione, deinde rurſus ad curationem redeundum. Quod etiam dixit *Aetius lib. 6. cap.* 10. de melanc holia verba faciens, cauſa vero non eſt ne Natura ſine vlla intermiſſione medicamentis exagitata ſimul affligatur, in quiete vero vires aſſumit, vt deinceps facilius totum morbum ſuperare poſſit.

De Syncope. *Cap.* 27.

Syncopea Grecis dicta, à Latinis eodem nomine vocatur, & conciſio, & animi defectio, vt vocauit *Celſus lib. 7. cap. vltimo*, *Celſus Aurelianus Cardiacum appellauit lib. 2. de acutis paſſionibus, & ſic etiam Gal. 12. Meth. cap. 5. & lib. 5. de locis Aff. cap.* 2. Manifeſtiſſime appellauit Syncopem, quæ fit cordis vitio, Cardiacam, & Stomachicam Syncopem, que Ventriculi vitio fit; Alij vero per Cardialgiam intellexerunt illud animi deliquium, quod oris Ventriculi vitio tantum fit, vt *Celſus lib. 3. cap.* 19. *Quid nominis.*

Syncopæ eſt coaceruatus, & præceps omnium virum lapſus, vt inquit *Gal. 12. Meth. cap. 5. circa principium*. Dicitur vero coaceruatus, & præceps omnium virium lapſus, quoniam ſi paulatim vires corporis noſtri labantur, & præcipites ruuant, mors ſequitur, & non Syncopæ, Opus eſt ergo, vt primum coaceruentur, & poſtea ruant, vt fiat Syncopæ. Dicitur vero omnium virium lapſus, ad differentiam Lipothymiæ, ſiue animi deliquij, in quo tantum vis ſenſibilis, & motrix labitur minime verò vitalis, vt in Syncope. *Quid ſit Syncopæ.*

Ex hac ergo definitione, colligere poſſumus, quod Syncopæ ſit Symptoma in genere noxę facultatum omnium, & primum Vitalium, mox aliarum abolitarum, ſaltem quoad ſenſum, ſed non realitèr, quoniam mors ſequeretur, Morbus ad quem conſequitur, vel eſt cordis aliqua intemperies, cum acuto, & venenoſo humore, aut Tumor aliquis præter naturam, vel anguſtia ex humorum craſſorum copia facta. *Syncopæ quod Symptoma ſit.*

Pars vero affecta erit cor, vel per ſe, & eſſentialitèr, vel per conſenſum, vt inquit *Hipp. lib. 2.* de Morbis, & hoc fit manifeſtum, quoniam Vitalis facultas, cuius ſedes eſt cor, eſt illa, quæ maxime ruinam patitur. *Pars affecta.*

Differt vero Syncope à Lipothymia pluribus in rebus, ſed precipue ſecundum magis, & minus, quoniam in Lipothymia tãtum vis ſenſitiua, & motrix labitur, in Syncopæ vero omnes vires, vt ſuperius fuit dictum *Aquibus differat.*

ctum, secundo Lipothymia, semper Syncopem præcedit, vt inquit *Gal. 1. ad Glauc. cap. 14.* Tertio in Lypothymia, ægri mente,& cogitatione valent, vt inquit *Arist. lib. de somno, & Vigilia cap. 3. in Syncope hæc omnia amittuntur.* Quarto Syncope etiam morboso somno laborantibus, & Letargo, Cataphora, & his similibus euenire potest, Lipothymia vero tantum vigilantibus, *vt inquit Aetius serm. 5. cap. 101.* Quinto in Lypothymia ægri non sudant, in Syncope vero frigidus sudor adest.

Species Syncopis. Syncopis species, dicere possumus, quod duæ sunt, altera est quæ fit per se, & primario corde affecto, altera per consensum aliarum partium vt Cerebri, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Vteri, & aliarum partium vt inquit *Hipp. 2. de morbis mulierum, & ex his aliqua est recens, & non confirmata, alia vetusta, & confirmata.*

De Syncopis causis.

CVm dixerimus ex Gal. mente, quod Syncope est coaceruatus, præceps omnium virium lapsus, cumq; facultates, & vires per membra spiritibus mediantibus distribuantur, & spiritus influere desistentibus non amplius actiones fiant, & vitales spiritibus à corde procedentes sunt quibus mediantibus omnes fiunt actiones, cum ex his Animales spiritus fiant, ideo quicquid hos vitales spiritus imminuit, dissipat, ac destruit, id Syncopis causa erit.

Spiritus quod modi deficiant. Duplici vero modo spiritus deficere possunt, vel quia non generantur, vel quia geniti destruuntur, & corrumpuntur; Non generantur vero, vel ob nutrimenti defectum, vel ob aliquam cordis intemperiem geniti vero destruuntur, vel quia suffocantur, vel quia ab aliqua mala qualitate corrumpuntur, vel quia tandem foras erumpunt, & euanescunt. Suffocantur verò quando intro pelluntur; Cùm ergo igneam naturam participent, & libere per corpus moueri non possint, ideo suffocantur, vt in timore,& tristitia accidit, & cum crudorũ humorum adest copia, quæ vias circa cor obstruendo, suffocationem parit, & humoralis Syncopæ à *Gal. 12. Meth. cap. 3.* vocatur, vel quando tumor aliquis preter Naturam in Pericardio, vel quilibet alius internarum partium morbus spiritum transitum impedit. Corrumpuntur vero, vel ab aliqua mala qualitate, vt à putridis, & corruptis humoribus, à putrido vapore, ab Aere pestilenti,& à Veneno. Destruuntur vero, vel quia resoluuntur, vel euanescunt, vt in magnis animi perturbationibus, vt in gaudio Vigilijs, studijs, cogitationibus, immodicis exercitijs, & laboribus, in succorum maxima tenuitate, corporis nimia raritate,& in excretionibus immodicis tùm sanguinis, tùm puris, vel alterius excrementi. Vulneribus vero syncopæ, vel ob vehementem dolorem, vel ob nimiam sanguinis profusionem, vt plurimum succedere solet.

De signis Syncopis.

EX signis aliqua futuram indicant Syncopem, alia præsentem, Futuram Syncopem indicantia sunt, aliqua ex præcedentibus causis Syncopem inducere valentibus, vt Ardens, vel pestilens Febris, insignes euacuationes, Thoracis Vulnus æger mollis, & delicatæ complexionis, frequentia animi deliquia, coloris deperditio ac defloratio, extremarum partium frigiditas, palpebrarum grauitas, & concidentia, oculorum caligo, & hebetatio, sensuum obscuritas, & difficilis omnium partium motus, & pulsus manifeste imminutus.

Præsentis Syncopis, & actu infestantis signa sunt, totius corporis frigiditas faciei, & colli frigidus, & diaphoreticus sudor, subitus omnium virium prostratio, & resolutio, Pulsus aboliti, saltem quo ad sensum apparent, vel ita parui rari, languidi, & obscuri, vt formicantes videantur, vtque summatim dicam, eorum facies, & totum corpus Mortui imaginem refert ac representat, ad hæc aliquando accidit animi angor ac desperatio, & corporis iactatio, præsertim in ea, quà fit ob Ventriculi consensum, vt inquit *Gal. 1. de motu Musculorum circa finem.*

Signa causarum sunt, quoniam fiori atur Syncopæ, quia spiritus non generantur manifesta atrophia apparet; vel maxima præcessit inedia, vel aliquis Chronicus morbus, vel acuta, & colliquans Febris, vel aliqua cordis magna adest intemperies, quæ ex suis signis dignosci potest. Si verò ex spirituum suffocatione, corruptione, & dissipatione prouenit, aliqua præcessit causa ex ijs, quæ, vel spiritus suffocare, vel corrũpere, vel resoluere,& dissipare potuit

Si fiat Syncopę ob cor per ſe,& primario affectu, vel per conſenſum, etiam ex ſuis dignoſcitur ſignis, quoniam ſi cor per ſe affectum ſit, aliarum partium male affectarum ſigna non aderunt, vtque plurimum ſubitanea mors ſequi ſolet. Si Ventriculi ratione, vel Cerebri vel aliarum partium, ex ſuis ſignis illas partes male affectas indicantibus in cognitionem deueniemus.

Confirmata Syncopis ſigna ſunt, faciei viridis color, Collum veluti ſtrangulatis inflectitur, vtque ſit confirmata, tria requiriuntur; Primum quod ſit continua. Secundum vt ſit vehemens. Terrium vt ſit ſine cauſa manifeſta.

De Syncopis Prognoſtico.

HIpp. 2. *Aph.* 41. *dixit*; Qui ſepe, & vehementer abſque cauſa manifeſta animo linquuntur, derepente moriuntur.

In vehementi Syncope igitur, vt ex dicta ſententia elicitur, nullum valet remedium, quoniam, vt inquit *Gal. in eius com.* Vbi hec tria concurrunt, ideſt ſi frequens, & vehemens, & abſque manifeſta cauſa exolutio fiat, ſignum eſt vires maxime eſſe imbecillas, & in viribus imbecillis Syncopæ inſanabilis eſt, vt inquit *Gal.* 12. *Meth. cap.* 6. *Et Paul. lib.* 3. *cap.* 34. *inquit* In Syncope valida Medicinæ locus non eſt, ſed ſi vires adhuc tantillum conſtent, aliquando ad ſanitatem recurſus eſt, *Gal. ſimiliter* 12. *Meth cap.* 5. *inquit*; Si copia humorum crudorum vires pręmant, & propter tùm multitudinem, tùm craſſitiem exiguo animalis meatus obſtruant, iam multis nominibus exitialis eſt Syncopæ.

Omnis igitur Syncopæ mala eſt, ſed peſſima eſt illa, quæ in corpore inualido ſit ſimiliter, & quæ vetuſta, & confirmata eſt.

Item quæ per eſſentiam in corde fit exitialiſſima eſt, quæ fit per conſenſum, non omnis eſt exitialis, ſed non ſine periculo.

Ideo Auic. vndecima tertij Tract 2 *cap.* 6. *inquit*; Et ſcias quod Syncope confirmata curam non recipit, & proprie quando perducit ad viriditatem faciei, & conuerſionem colli, & illæ cuius res peruenit ad hoc, tunc quam caput eleuat, ſtatim moritur, & eodem loco inquit; Quumque confirmatur in corde malitia complexionis, non recipit curam, & quando non eſt confirmatio, non facile curatur, Apoſtema quidem calidum eſt interficiens ſtatim, & frigidum ex ijs eſt, quæ ſunt difficilia, quumque cor non tolleret, vt apoſtemetur, quo modo tollerabit, vt collectio, & ſanioſitas in ipſo fiat? cor longinquius eſt ad hoc, vt tollereur ſolutionem ſingularis, & quando accidit, vt penetret vſque ad Ventres eius, interficit ſtatim, & ſi non eſt penetrans, poſponitur eius interfectio vſq; ad ſecundum diem, & quando permutantur materiæ ex pulſæ ad cor ex Pleuritide, & Peridneumonia, ſunt cauſa magni timoris, & ſubitæ, & quando calor paruus aut frigus paruum peruenit aut frigus paruum peruenit ad cor, moritur, & quandoque vidi congelatum loqui, & etiam moriebatur cum ſudore, & Z.

Et dictis colligitur, quod Syncopæ, quæ fit ex Thoracis Vulnere, lethalis eſt, quæ fit ex animi affectibus, vt timore, gaudio, & his ſimilibus. Si vires validæ, & robuſtæ ſint, non ſunt valde periculoſæ; Sed ſi ab huiuſmodi cauſa in corporibus pinguibus imbecillis, & timidis fiat, periculoſiores ſunt.

De Syncopis Curatione.

SIcuti ex ſignis diximus, quod alia ſunt quæ præſentem indicant Syncopem, alia futuram, ſic eius curatio duplex eſſe debet, altera, quæ actu infeſtantem curat, altera quæ futuram præcauet.

Hoc enim Symptoma, cum ſit inſignæ, & ſeuum, & cauſæ rationem habeat, a ſe totam curationem trahit, vt inquit *Gal.* 12. *Meth. cap.* 1. *& etiam* 6. & ideo huic quãprimum ſuccurendum eſt, & in hac curatione, quando talæ Symptoma hominem apprehenderit, tres intentiones habere debemus. Prima erit ſpirituum, qui remanſerunt, omnimodam reſolutionem prohibere. Secunda ſpiritus regenerare, & cordis virtutem roborare. Tertia erit vires excitare, & ſpiritus, & calorem ad exteriora retrahere.

Primam intentionem conſequemur faciei irroratione, vel violenta proiectione cum Aqua Roſaceo Aceto mixta, vel ſimplici Aqua gelida, vel Vino facta, & Narium conſtrictione, vt inquit *Gal.* 1. *de Arte Curatiua ad Glauc. cap.* 14.

Secun-

Secundam consequemur rebus maxime & citissime nutrientibus, vt sunt boni, & grati odores, vel Florum, vel Aromatum, vel potentis Vini, vel Aquarum odoratarum vt Florum Aturantiorum, Rosarum, & similium. Cum inter cetera odores maximè nutriant, vt inquit *Gal. ex Hipp. mente lib. de Alimentis, & in Com.* 11. *Aph.* 2. *Lib.*

Notanda Sed animaduertendum, ne odorata in Syncope ex vteri prefocatione orta; Naribus admoueamus, sed potius vtero, cum odoratis vterus gaudeat, & naribus fetida admouenda, vt hac ratione spiritus ad vterum trahantur. Similiter animaduertendum, vt in Syncope ex calida causa excitata, frigidis odoramentis vtamur, sicuti in Syncope ex frigida causa orta, calidis. Ore item adaperto imponendum Vinum generosum, vel Panis frustulum in huiusmodi Vino imbibitum cum Vinum maximè, & citissime nutriat, & celerrime vires, & spiritus reficiat, vt inquit *Gal.* 3. *de Temperamentis cap.* 2. *Sed reiciendum Vinum præ vetustate amarum factum, vt inquit Gal.* 12. *Meth. quia laudabilem nutrientem succum amisit, & gustui est iniocundum & Ventriculum ledit.*

Et in omni Syncope Vinum dari potest, etiam si causæ aduersetur Symptomatis ratione, vt inquit *Gal.* 12. *Met. cap.* 4. Similiter Mel, Saccarum, Oua sorbilia, & Aqua Carnis conueniunt, & tandem omnia, quæ facillimè, & citissime nutrire possunt.

Tertiam vero intentionem consequi debemus extremorum Frictionibus, arctioribus vinculis supra iuncturas per 4. digitorum spacium adhibitis, & si causa Syncopis aliqua magna euacuatio fuerit, contrarijs partibus, & maximè distantibus faciendæ, vt reuulsio fiat, sternutatoria etiam naribus indenda ex albo Helleboro cum aceto mixto instituta, & his similibus, alta voce proprio nomine vocandi; Nares, & aures sunt vellicandæ, euellendi pili digitorum extorsiones, & compressiones faciendæ, & quecumq; in extremis partibus dolorem possunt inferre, vt concentratus calor, & spiritus ad has partes reuocentur, & sic à Syncope liberabitur æger, nisi vero dictis ad se redeat, Palatum optimo, Balsamo inungendum, & tempora Theriaca illinienda, nisi vero Balsami commoditas detur, eius vice, Theriaca vti possumus, vel paucam quantitatem ardentis Aquæ, vel aliquas guttas Elisir Vitis intra os imponemus.

Curatio quæ futuram præcauet Syncopem, secundum causarum diuersitatem, diuersa esse debet, sed in omni Syncope ex qualibet causa orta, semper cor roborari debet gratis odoribus, Inunctionibus, Epithematibus, Sacculis, & his similibus; Animaduertendo, vt superius fuit dictum, vt in causa calida, refrigerantia hæc sint, & in frigida causa calefacientia, quæ breuitat i studens non ponam. *Syncopē Auertē- tia.*

Quando ergo cor primario, & per se est affectum, ad duas causas reduci potest, vel ad spirituum suffocationem ex multitudine, & humorum crassitie facta, vel ad eorum deperditionem, & dissolutionem.

Si igitur Syncopæ à prima causa fiat, vel immineat, humores extenuandi, incidendi, & præparandi, deinde paulatim, & per Epicrasim euacuandi, si vires constet, & patiantur, si vero sint valde imbecillæ, frictionibus vti debemus, inunctis prius manibus aliquo discutienti Oleo sale commixto, vel Nitro. Victus similiter sit parcus & attenuans, idest calidus, & siccus, & ex rebus odoratis, & cordi familiaribus, & facilis nutritionis, & Vinum pro potu dandum, nisi Febris adsit, & aliæ res nonnaturales, vt decet, instituendæ, quæ breuitatis causa relinquo. Si vero Syncopæ ob spirituum resolutionem ac deperditionem fuerit orta suis contrarijs curanda, vt si ex Vulnere, vel immodico sanguinis fluxu, vel qualibet alia immodica euacuatione, quamprimum Vinum in os dandum, vel Panis Buccellam in Vino Rosacea Aqua diluto imbibitam fugendam præbeto, & omnis hominum turba remouenda, ne laborantem deterreat, & nimis Thalamum excalefaciat, & deinde euacuatio proprijs remedijs sistenda, & Reuulsionibus, deriuationibus, & alijs præsidijs superius dictis.

Similiter si ex maximo dolore Syncope fuerit orta, dolor anodinis mitigandus, & doloris causa remouenda, vel studefacientibus tollendus, vt superius *cap. de sedando dolore fuit dictum.* Si vero ex Vigilijs & immodicis laboribus spirituum deperditio fuerit facta, quod fuerit deperditum restaurandum, & somnus, & quies conducit.

Si ex inedia, cibis optimæ qualitatis, & facilis, & citæ refectionis spiritus reficiendi vt Ouis recentibus, Pulli contuso, Aqua Carnis, & his similibus.

Si ex venenosa, vel mala qualitate spiritus destruantur, Alexipharmicis succurrendum, vt Theriaca Bezzoar, Bolo Arm. Orient. Terra lemina, Electuario de Gemmis, Diamargariton, & his similibus, Aer venenosus, & pestilens fugiendus, & nisi hoc fieri possit; Aer secundum contrarias qualitates rebus potissimum odoratis, vt lotionibus, suffumigijs, & his similibus alterandus, ac corrigendus. Si vero fiat ob spirituum subtilitatem, & ob corporis raritatem, spiritus, & humores victus ratione præcipuæ incrassandi, & corpus externis remedijs, & internis densandum, vt optime *Gal. 12. Meth. cap. 6. docet*.

Si vero ob alicuius partis consensũ Syncope fiat, certum est summam curationis ad earum partium primario male affectiarũ pertinere, de quibus nostra Intentio hoc loco non est agere, sufficit hoc, vt causæ Syncopem efficientes remoueantur, corroboretur, consumptiq; spiritus reficiantur.

De Delirio in Vulneribus orto. *Cap* 28.

Quidnominis. DElirium ab aliquibus Descipientia, & mentis alienatio appelatur; Delirium est principalis facultatis Animæ quę in Cerebri substantia, tam-

Quidrei. quam in proprio domicilio residet, depraua ta functio, vt inquit *Gal. 5. de causis Sympt. & 2. de causis Sympt. iuxta finem inquit*. Omnæ delirium depraua tus est principis facultatis motus a praui succis, aut Cere-

Quod Symptoma sit. bri intemperie ortum habens, est ergo delirium Symptoma in genere Animalium actionum, & principium præsertim depraua tarum, & sequitur morbum in intemperie, est cum materia, vel sine materia, & secundum diuersam Cerebri intemperiem, modo immaginatio, modo ratiocinatio, & discursus, modo memoria leditur, vt inquit *Gal. de Sympt. Diff.*

Pars affecta. Pars igitur affecta est Cerebrum, cum facultates, & actiones quę offenduntur in Cerebro resideant. Sed cum duobus modis Cerebrum ledi possit, vel per se, siue per essentiam, vel per consensum; Ideo duæ erunt

Delirij species. delirij species, altera, quæ fit quando per se, & primario Cerebrum leditur, de qua nos modo non pertractabimus, cum ad rem, nostram non pertineat, altera, quæ fit per consensum, & per compatiendi societatem & de hac delirij specie, quæ consortij lege fit, sermo noster erit, cum in Vulneribus, & percussionibus Articulorum, & aliarum Neruosarum partium tantum delirium per consensum, & non per se oriatur.

De Causi Delirij.

DElirij enim in Articulorum, & aliarum Neruosarum partium Vulneribus, vt inquit *Gal. 3. de locis Aff cap. 3. generatio persimilis est enim suffusioni, quæ aliquas Ventriculi dispositiones sequitur*. Si Neruosis partibus inflammatis, promptius quam delirium superuenire solet; Idque ascendente ad caput, interdum per continuas partes solo calore, interdum spiritu vaporoso, vel fumoso, vel fuliginoso, propter ergo maximum consensum, quam neruosæ partes cum Cerebro habent, delirium in harum partium offensione exercitatur. Quod vero cum partibus Neruosis Cerebrum maximum habeat consensum, inquit *Gal. eodem in loco loquens de Ventriculo parte maxime neruosa dicens*. Namque Ventriculo Cerebrum, Cerbroq; Ventriculus suas affectiones transmittit, idque propter Neruorum à Cerebro ad Os Ventriculi descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic particulæ, quam vllæ reliquarum corporis partiũ acutior est. Quocirca Fracturas quidem Capitis, vbi ad Membranas vsq; peruenerit, Biliosus vomitus. Capitis autem dolores quomodocumq; fiant, Nausea, stomachiq; morsus consequitur; *Auic. vero dixit*; Quod omnia, quæ sic delirium aut frenitidem inducunt, siccandi facultate pollent, & ideo cum multo, & acri calore participent, sunt in causa, vt delirantes fere inrequieto motu agitentur, & ideo *Gal. pluribus in locis, & præcipue 13. Meth inquit*; Quod ex frigore segnities, immobilitas, & in sensibilitas oritur, ex calore immodicus, motus, & ex humoris vitio demenria, & 2. *de locis aff. inquit*; Quod deliria, & Vigiliæ à causa potestate calida oriuntur.

De signis Delirij.

PAuca de signis Delirij dicere est opus cum per se manifesta sint, quoniam, vt inquit *Gal. Com. 14. lib. 7. Aph.* Aegri mente non constat, & dissentanea, & ratio-

& rationis nihil habentia loquuntur, & agunt ideo præpostere ratiocinantur, vel aliena cogitant; qualia aùt nunquam, aùt alio pacto subsistunt, vel impudenter loquuntur, & ferocitèr respondet, cum prius mansueti, & modesti essent, & aliquando multa absq; vllo ordine, nulloq; iudicio loquuntur. *Hipp. 6. Aph. 2. lib. aliud Delirij signum præbet dicens*; Qui aliqua corporis parte dolentes fere dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat.

Si ergo æger ipsas affectiones, quæ cum dolore fieri consueuere, vt Erysipellas, vel Phlegmonem, aùt Vulnus, aùt Contusionem, aùt Ruptionem, aut Fracturam, & quicquid est huiusmodi ipsæ non sentiat, argumento certe est in eo mentem laborare, vt inquit *Gal. in eius com. & Gal. 5. de locis Aff. cap. 3. aliud signum affert dicens*; Delirium per consensum nullum perpetuũ oriri potest, dempto septo transuerso, cuius vitio excitatum delirium, parum à Phrenitide distat. Similitèr eodem *lib. 4. inquit* Quod Delirium per consensum statim fieri solet, quod vero per se, paulatim.

Rabi Moisis lib. 5. Aph. 3. inquit. Delirium ex solo calore nulla materia corrupta natum similæ est Ebrietati. At quod ex Flaua Bile incensa oritur, temeritatem, solecitudinem, & tristiam infert, & plerumque si forte incensior fiat, & vtramq; Bilem admisceat, Maniam.

De Prognostico Delirij.

Hipp. 7. Aph. 9. inquit; A sanguinis profluuio Desipientia, aùt etiam conuulsio mala, & ab hac causa, vt inquit *Gal. in eius com.* Desipientia ob defectum fit, sicuti artuum tremores fiunt, cum hi propter motricis virtutis imbecillitatem motiones habeant infirmas, Cerebrum vero depraua tas, atq; ideo nunquam vehemens est hoc desipientiæ genus, sed moderatum, & ita dicam delirium, cum *Hipp. leuem mentis vacillationem, siue titubationem, delirationem appellare soleat*. Desipientia ergo sanguinis fluxum consequens, prauum est Symptoma, etiam si sola sit, & cum conuulsione coniuncta multo est peior.

Quemàdmodum ab ilio desipientia est mala, vt 10. *Aph. 7. lib. inquit Hipp.* Nernorum principio, idest Cerebro, propter stomachi vitium per consensum affecto. Sic delirium, quod per consensum aliarum neruosarum partium malum esse dicere possumus.

Vigiliæ quotmodis Delirium faciat.

In Neruosarum etiam partium Vulneribus maximi dolores excitantur, & immodicæ Vigiliæ vt superius fuit dictum. Si igitur propter Vigilias desipientia fiat, vt inquit *Hipp. Aph. 18. eiusdem lib.* malum erit cum Vigiliæ ob duas causas delirium excitent, vel quia per longus vigilias biliosior sanguis fiat, vel maxime euacuant, & siccant, & nimiæ siccitatis ratione desipientiam excitant, vt inquit *Gal. in eius Com.*

Lib. vero 4. Aph. 72. inquit Hipp. Quibus perlucidæ, & albæ sunt vrinæ malæ, præsertim si in Phreneticis siue delirantibus appareant, vt in eius *Com. Gal. inquit.* Huiusmodi enim vrinæ aquosæ maximam cruditatem ostendunt, & totius Flauæ Bilis motum in caput factum, ideo inquit, in quo talis apparuerit vrina, nullum Phreniticum seruatum vidi; *Et 2. Aph. 2. inquit*: Vbi somnus delirium sedat bonum; Et hoc signum est, quod delirium huiusmodi non fit Cerebro patiente, sed tantum, nuda caliditate, & ideo mirum non est, si id somnus de medio tollat.

De Curatione.

DElirium igitur quod Vulneri superuenit, cum fiat ob assurgentem ad Caput calorem, vel vaporosum, & fuliginosum spiritum, vt ex *Gal. mente superius fuit dictum*; Medici intentio in curando erit huiusmodi fumosos ac vitiosos vapores, quam primum, de orsum repellere, vt præcidit *Auic. quod pluribus modis fieri debet, vt infertius dicemus quando de Vniuersalibus præsidijs verba faciemus.*

Quod ergo ad sex nonnaturales vt recte ac ordinate procedamus. Aer non debet esse, neq; nimis frigidus, neq; nimis calidus, quoniam si nimis frigidus esset, materiã in affecta parte condensaret, si nimis calidus, morbi causam augeret; Sit ergo moderate frigidus, quo vero ad luciditatem, & tenebrositatem, sit secundum quod infirmus melius se habet, vel in tenebris vel in sp. ẽdote, cum alij melius in tenebris, alij melius in luce se habeant, & omnes Picturæ à Thalamo tollantur, ne illas aspiciendo,

maioris delirij sint causa. Victus sit frigidus, & humidus, & tenuis, tùm ratione delirij, tùm Vulneris ratione; Ideo Hordei Prissana maxime conuenit, Panatella in Aqua facta, vel in patuæ pullæ iure, si vires sint imbecillæ, & his similia. Pro potu Aqua Hordei cum aliquo Iulapio vt aut; In quiete, quantum est possibile, detineatur, & somnus omni industria, procuretur, hominum turba deuietur, ne maioris delirij sit causa. Animo placidi, & quieti quantum fieri potest, detineantur, & cum eis nullo pacto alterandum. Reuulsionis, & alterationis gratia si corpus pletoricum fuerit, & vires permittant, neque quid obstet, Venæ sectio facienda ex contraria Vulneris parte ex media Vena, & sanguinis quantitas sit secundum vires, & alia in sanguinis missione requisita. Et si quid Venæ sectionem impediat, aliquod leuæ Medicamentum Bilem purgans est propinandum, sicuti est Cassia, Tamarindi, Rhabarbarum Manna, Syruppus, Rosaceus, vel Violaceus sol, & huiusmodi. Extremis partibus, & præsertim inferioribus, faciendæ Frictiones dolorosæ Ligaturæ, applicandæ etiam Cucurbitulæ, & Lotiones etiam faciendæ ex Decocto Foliorum Salicum, Vitis, Lactucæ Violarum, Nimpheæ, Rosarum, & aliorum refrigerantium, aluus etiam lenibus clisteribus frequenter sollicitanda, minime vero acribus, cum excalefaciant, & humores exagitent, vnde vapores facilius in caput efferuntur. Quo ad partem primario affectam, & Vulneratam, si dolor adsit omni industria, & arte sedandus, vt *cap. de sedando dolore superius fuit dictum, vtque decet tale Vulnus curandum.* Quo ad partem per consensum affectam, idest ad Caput, imprimis, & ante omnia radendum, & ad repellantia Medicamenta deueniendum est, quæ, vt inquit *Gal. lib. Artis Med. cap. 95 sunt frigida, & adstringentia, & inter cetera a Gal. 13. Meth.* Oxirodinum laudatur, in principio præsertim, quod si in Aestate tepidum, in Hyeme moderate calidum, vel magis, & minus calidum, secundum, quod magis, vel minus repellere volumus, & secundum ægrotantis temperiem. Oxirodinum igitur in principio Coronali suturæ continuo, & sine intermissione applicandum, maditis ex eo linteis, vt inquit *Gal. 4. de locis Aff. cap. 2. sic decocta ex rebus refrigerantibus conferunt.*

Oxirodinum ergo sit huiusmodi.

℞. Olei Rosacei vnc. 3. Aquæ Rosarum vnc. 4. Aceti vnc. 3. Decocti Lactucæ, Plantaginis, Ninpheæ vnc. 8. M. & vtere, vel.

℞. Olei Rosacei Omphacini, Olei Nenupharini an. vnc. 1. 5. Aquarum Rosarum vnc. 3. Aceti vnc. 1. 5. M. & fiat Oxirodinum.

Cum vero in summo vigore sunt deliria, profusiones ex Papauerum capitibus capiti faciemus, vt inquit *Gal. & cum sopire & stupefacere principem facultatem oporteat, vt illæ inquit, Cerebrum scilicet quod supra modum incaluit refrigerando;* ideo odores ex rebus refrigerantibus naribus apponemus, & nares ipsę intus, & frontem humidam ex similibus Med. illiniemus in huiusmodi formam, vel similem odorifera faciendo.

℞ Aquarum Rosarum, Plantaginis an. vnc. 3. Sem. Lactucæ, Santalorum Rubeorum subtilitèr pul. an. dragm. 5. capitum Papaueris num. 1. Aceti parum M. & fiat odoriferum.

Sed cum in delirio Vigiliæ maxime vt geant, & maximi sint momenti, cum, vt superius fuit dictum, delirium excitent, & iam præsentem augeant, Ideò huic Symptomati totis Neruis est occurrendum, & ideo *Gal. 13. Meth. cap. 21. inquit.* Quod non solum leuioribus præfidijs, sed valentioribus esse agendum, qualia sunt, quæ Cerebrum insignitèr refrigerando principem partem stupefacere possunt. Hec vero Medicamenta vel sunt interna, vel externa; Externa sunt lotiones, & capitis profusiones, vt *Hipp. 1. Epid. 3.* Mitoni deliranti fecit, cui caput lauit, dormiuit, & mente constitit, & non solum caput albuere conduci, sed etiam Manus crura, & Pedes, sint ergo lotiones huius formæ. *Vigilijs occurentia.*

℞. Foliorum Maluarum, Lactucarum an. M. 2. Solani M. 5. Capitum Papau. num 8. Florum Chamemoli M. 1. 5. M. & coque in Aqua ad tertię partis consumptionem vel.

℞ Hordei mundi, Lactucæ, Violarum Foliorum Mandragoræ, Florum Rosatum Violarum, Camphuræ, Aquarum Rosarum, Nenupharis, & similium.

Post etiam addi Foliorum Rosarum rub. Plantaginis M. 1. Sanpusci drag. 2. & si videatur opij drag. 1. vel tantum dimidiam

Odores

Odores etiam hoc efficiunt, vt Pomorum Mandragoræ, Florum Rosarum Violarum, Camphuræ, Aquarum Rosarum, Nenupharis, & similium. Similitèr Linimenta naribus, & temporibus adhibita maxime conducunt, & cum his semper aliquod odoratum miscendum, vt Moschus, vel Camphura, vel quid similæ, & à prauis odoribus, & fetentibus cauendum. Linimenta ergo fiant Oleo de Papauere, Nenupharino, Mandragorite Violaceo, vel Vnguento populeo, quibus, si opus fuerit, parum Opij etiam miscendum, vt hac forma, vel simili.

℞. Olei Violacei, Nenupharini an. drag. 1. 5. Vng. populei vnc. 5. M. & vtere, vel ℞. Opij G. 4. Moschi, Croci orient. an. G. 1. Olei Nenupharini q. suff. M. & fiat Linimentum.

Interna verò Medicamenta multiplicia sunt, & alia mitiora, alia valentiora, intermitiora sunt, Syruppus de Lactuca, de Papauere, Diacodion cum Melle compositum similitèr emulsio seminum. Papaueris ad pondus dragm. 6. vel vnc. 1. cum Aqua Lactucæ, vel Violarum extracta, & Ferculis permiscenda. Post hæc valentiora sunt quæ Narcotica, & stupefacientia dicuntur quibus caute vti debemus, vt inferius dicemus, & huiusmodi sunt Philonium Romanum, vel persicum, & Requies Nicc. quæ tanto minus sunt noxia, quanto sunt vetustiora, vt inquit *Gal. 12. Meth. cap. 1. & horum quantitas dragm. 1. non excedat.* Animaduersiones vero in his Narcoticis, & stupefacientibus Med. habendæ sunt, vt numquam ægris cum virium imbecilitate propinentur, quoniam in his natiuum calorem extinguunt.

Notandũ

Secunda est, vt à frequenti horum Medicamentorum vsu abstineamus, quoniam, vt inquit Aetius, periculum est ne delirantes nimium refrigerentur, & Latargici fiant. Animaduertendum etiam, vt post quam à delirio æger fuerit liberatus, vt intrinsecis, & extrinsecis Medicamentis caput postea roboretur de quibus postea alias verba faciemus, & hæc de delirio satis.

De Pruritu in Vulneribus.

Cap. 29.

INter Symptomata, quæ Vulneribus superuenire aliquãdo solent diximus esse etiam Pruritum, qui, & si leuæ Symptoma sit, tamen quia hoc etiam miserum ægrotantem torquet, & si partem scalpat, vel dormiendo confricet, periculum est ne sanguinis è Vulnere Hemorragia fiat, vel dolorosa partis excoriatio, vel materiæ fluxus ad affectam partem; Ideo remouendus.

Pruritus, vt inquit *Gal. 2. de Symptom. causis propè finem; est excrementorum leuiter mordicantium sensus, vel dicere possumus, quod pruritus est scalpendi assidua cupiditas.* *Quid sit.*

De Pruritis Causis.

PRuritus vero causa eodem in loco dixit *Gal. quod est exigua, tenuis, salsa, & immota materia & in com. 1. in lib. de Fracturis com. 41. dixit Pruritus excitatur à vapidis excrementis quæ mediocritèr inter expirandum mordicant, & 6. Epid. 6. dixit Hipp.* Pruritus fit ex humoribus acribus amaris, salsis, erodentibus ac vasa secantibus, in Vulneribus vero vt plurimum à saniei acrimonia cutim ex edente excitatur.

De Pruritus signis.

HOc Symptoma ex ægri sermonibus prompte dignoscitur, & in particula aliquando paruæ pustulæ, & aliquis rubor excitatur.

De Pruritus Prognostico.

NEglectus à Medicis pruritus in dolorosam Excoriationem, & interdum in inflammationem terminari solet, & ideo quam primum infrascriptis remedijs ei occurrendum.

De

De Pruritus Curatione.

MEmbrum ergo, siue pars affecta Aqua temperate calida perfundatur, ac abluatur ex *Hipp. & Gal.* præcepto, aut Spongia dicta Aqua imbibita, & expressa foueatur, vt poris apertis materia pruritum excitans facilitèr euacuari ac dissflari possit, & si volumus vt magis agat, Profusione siue Fomentum ex Aqua salsa siue Marina fiat, quæ propter salem magis expurgat, & poros aperit; In hoc casu conuenit etiam aliquod Linimentum ex aliquo Vng. Plantaginis succo diluto, vt est Vng. de Cerusa simp. vel Camphuratum vel cum his Populeum Vng. miscendum, & si maxima caliditas sit coniuncta, simplici populeo Vng. vti possumus, & his facilitèr, & Altissimi auxilio, pruritum remouebimus.

De duricie, Liuore, & Vulneris ariditate. *Cap. 30.*

DE his omnibus cruditatem consequentibus paucis dicemus, cum 8. *lib. de Tumoribus fuerit satis de his nobis dictum & inferius etiam aliquid dicemus.* Hæc enim necessario consequuntur, ex *Gal. probatur qui lib. de Euch. & Cacochimia dixit Porro ariditas in duris valdeque siccis rebus, Friabilitas in mollibus, & 2. de Temperamentis dixit*, Si quidem, quod siccum est, durum prorsus est. Nam quod à frigore concretum est, durum cernitur.

Durum quid fit. Durum ergo id corpus dici solet, quod pressum carni nostræ minime cedit, vt inquit *Gal. com. 1. in 6. Epid. cap. 29.*

De Causis.

INdurationis vero causæ, vt inquit. *Aetius Serm. 2. cap. 224 tres sunt aut siccitas, aut plenitudo, aut congelatio; Idem etiam inquit Gal. loco citato, & 5. lib. simp. cap. 5. & multis alijs in locis.*

Liuiditas similitèr duobus modis fit, vel ob frigidam intemperiem, & innati caloris extinctionem, vt inquit *Hipp. Aph. 17. lib. 5. aut ob humoris nigri, & Melancholici præsentiam.* Fit vt plurimum Liuiditas in Vulneribus, quia nutriens facultas continuo imbecillior fit, & succi ad interiora secedunt, quia parum etiam alimenti confluit, ideò etiam aridum Vulnus redditur, cum nutriens facultas langueat, vt *lib. Prog. inquit Hipp.*

De Prognostico.

SI ergo Vulneris color ob frigidam intemperiem, & caloris natiui exinctionem mutetur, & ad Liuiditatem tendat, malum est, & ideo *Hipp. 7. Aph. 2. inquit*, Propter Os ægrotans caro liuida malum, & *Gal. in eius Com. inquit*; Quod hæc liuiditas non fit nisi in maximis Ossium corruptionibus, quia in ipsis natiuus calor extinguitur.

De Curatione.

AEtius loco superius citato, ex qualibet causa duricies oriatur, curationem tradit dicens. Si quidem igitur ob siccitatem pars dura fiat, humectare omni modo eam oportet. Si vero ob plenitudinem euacuare eam ipsam oporteat. Si verò ob congelationem fuerit indurata, congelationem moderate calefacientibus dissoluere oportet. Nam congelatio ex Frigore est, quæ autem vehementèr calefaciunt, magis congelant. Consideranda ergo est Duricei causa ad recte curandum quæ vero sunt Medicamenta hoc efficientia *lib. de Tumoribus cap. de Scirrho abunde à nobis fuit dictum; Ideo vide ibi, & aliqua etiam inferius dicemus.* Ariditas similitèr foru ex Hydrocolo, vel alijs humectantibus, & emollientibus tollenda, vt Pinguedinibus, Adipibus, Medullis, & similibus.

Liuori vero nulla adest medela, nisi ob refrigerantium Medicamentorum vsum talis liuiditas fuerit orta, vt inquit *Gal. lib. de Medicamentis Sec. Gen.* In quo casu vt ille inquit, solum Phinicinum Emplastrum veteri Oleo liquatum id discutere potest, quo tempore partes liuidæ Aqua calida fouendæ, & inferius inquit; Intrepide itaque in Rheumaticis affectionibus hoc vtemur, Medic. vt pote quod

adstrin-

adstringat, tùm digerat, tùm robur particularum confirmet.

Quod igitur Vulnus crudum fuerit, quod, vt dixi, cognoscitur ex Duritie, liuore, & ariditate, pauca saniei copia à Vulnere exeunte, vel si cruditas fuerit orta ex instrumento contundente, vel ab Aere, vel Med. nimis frigido imposito, vel à nimia compressione vinculis facta, vel qualibet alia causa, concoquentia Med. applicare debemus, vt est commune digestiuum ex Oleo Rosaceo, Oui Vitello, & Terebenthina compositum; Si vero volumus, vt calefaciat, vice Rosacei, Chamemolinum, vel Amigdalarum dul. vel simile admiscebimus, vel fiat digestiuum ex Butyro, & Oui Vitello, & circum circa imponendum Diachilon simp. vel Diachilon magnum, vel cum Gummis; Et si magis concoquere volumus, crassa Cataplasmata puris generationem adiuuantia circum circa Vulnus imponenda, quæ fiunt ex Maluarum foliis, & Radicibus, Altheæ, Triticea Farina, Oleis, Pinguedinibus, & his similibus vt *lib. de Tumeribus à nobis fuit dictũ*. Quando vero Vulnus non amplius crudum fuerit, sed bonum pus, & quantitate moderatum apparebit, Vulneriq; labia rubicunda fuerint, sarcoticis, & carnem gignentibus vti debemus, vtq; Vulnus requirit, postea curandum ad duriciem mesues infrascripta Cerata maxime valere dixit.

℞. Olei Yrios, vel de Lilio vnc. 3. Ysopi humidæ vnc. 2. Terebenthinæ, Ceræ Citrinæ an. vnc. 1. 5. M. & S. A. Fiat ceratum, vel.

℞. Olei Chamemolini, Ceræ Citrinæ, Olei Yrini, vel Liliacei an. vnc. 3. Masticis vnc. 5. Spicæ drag. 1. 5. Croci scrop. 2. Terebenthinæ vnc. 5. Resinæ dragm. 2. Yiopi humidæ vnc. 5. M. & S. A. fiat Cerarum, & hoc maxime valere dixit, ac etiam ad duriciem, & Neruorum nodositatem.

Ad liuiditatem siue nigredinem maxime infrascripta valent.

℞. Parum Croci, & M. cum Aqua calida vt virtus inde egrediatur, & in hac Aqua concoque Farinam Hordei ad spissitudinem, deinde adde parum Sandrachæ, siue rubri Arsenici dicti, & calidum applica vel.

℞. Ceræ vnc. 1. Olei Chamemolini vnc. 3. suc. Maioranæ vnc. 1. Sandrachæ tenuissimæ, & per Pannuncribatæ vnc. 2. Cera cum succo, & Oleo liquescant, deinde Sandracham adde, & vtere.

Et notandum, quod ista valent illita nigredini, siue liuiditati in Facie, & alijs partibus ex percussione ortæ.

De Particulari Vulnere Theorica ac Curatione.

IN pertractando de Vulneribus in particulari hunc ordinem sequemur, imprimis enim de similiarium partium Vulneribus, idest Carnis, Venarum, Arteriarum, Neruorum Ligamentorum, & Ossium verba faciemus, deinde de partium compositarum Vulneribus, vt Capitis, Thoracis, Abdominis, & aliarum partium pertractabimus. *Ordo seruandus.*

De Carnis Vulnere. *Cap.* 31.

ANte omnia videndum quid per carnem sit intelligendũ; Secundo quot modis hæc pars vulnerari possit. Per carnem enim intelligere debemus cuticulam, cutem, Pinguedinem, Membranam carnosam, ac etiam suppositam Musculorum carnem, cum hæc omnia vnum sub alio consistant ac contineantur. Caro vero pluribus modis vulnerari potest vel incidendo, vel pungendo, vel rumpendo, vel contundendo, vel erodẽdo. Nos ergo imprimis de incisione pertractabimus quod diuisionis genus frequentius accidit & cum hoc alia diuisionis genera sæpe coincidant ac coniungantur, incisio vero multiplex esse potest, vel enim est simplex, & sine substantiæ deperditione, aut cum deperditione, aut amissione substantiæ.

Per Carnem quid intelligẽdum.

Caro vtutmodis Vulnerari possit.

Incisionis species.

Quod enim simplex est, & sine substantiæ amissione, aliud est in superficie, & in summo residens, aliud profundum, aliud ex vtrisque particeps, quod inequale dicitur, cum aliqua Vulneris pars superficialis alia profunda sit, & ex his Vulneribus aliud est magnum, aliud paruum, aliud mediocre, secundum quod maius, vel minus spacium occupauerit.

Vulnus similiter, quod est cum substantiæ deperditione, aliud est cum solius Cutis deperditione, aut cum amissione Cutis, & substantiæ Carnis simul. Et ex his Vulneribus, alia sunt simplicia, idest absque vllo accidente ac Sympto-

Species Vulnerũ cum deperditione substãtiæ.

Symptomate, & alia sunt cum aliquo Symptomate coniuncta, & ex his Symptomatibus alia ad se curationem trahunt, quando causæ rationem habent, ideſt quando sunt insignia, & leua, & vires deficiunt, vt inquit *Gal. 12. Meth. cap. 1. & alia ad se curationem minime trahunt, ideſt cum parua, & mitia sunt, sed in curatione aliqua de ijs ratio habenda est.*

De Simplicium ac superficialium Curatione. Cap. 32.

IN pertractando de his Vulneribus, nihil de causis, signis, Prognosticis ac de Vniuersalibus præfidijs dicemus, cum abunde superius in tractatu de Vulneribus in Vniuersali de his fuerit dictum.

In simplici ergo Vulnere Medici intentio simplex, & vnica esse debet, cum in huiusmodi igitur Vulnere tantum superficialis diuisio adsit, solum quod erit diuisum reuniri debet, sed antequam hoc faciamus imprimis, si quid extraneum inter Vulneris labia erit, vt sanguinis grumi, Pili, puluis, vel quid similæ, remouendum, deinde sanguinis effluxi quantitas consideranda, & si in pauca sit copia, à Vulnere fluere sinemus, *Hipp præcepto lib. de Vlceribus, vel ab adiunctis partibus effundemus, quod etiam dixit Gal. 4. Meth. cap. 5. cum ex sanguinis effluxione Vulnus siccius reddatur, & quod siccum est ad sanum magis accedit, & quod humidum ad vitiatum, & non sanum, vt inquiunt dicti Autores & sanguinis etiam moderata fluxione, ab inflammatione obstructione & Febre, & ab alijs prauis symptomatibus Vulnerati liberantur.* Si vero sanguis in magna copia, & magis quam decet, fluat, Medicamentis suppriméndi vim ac facultatem habentibus talis sanguinis fluxus sistendus, vt de Venarum Vulneribus dicetur.

Sanguine ergo optimè suppresso, & detersо, & mundato optime Vulnere, labia in vnum adducenda, & simul vnienda, & sic vnita seruanda, quod, si commode fieri possit, Vinculo siue fascia ex duobus initijs circumdata exequendum; Nisi vero Vinculo labia simul vnjri ac coniungi possint, vel quia Vulneratæ parti fascia adaptari nequeat, vel quia Vulnus est per transuersum membri, tunc sutura vel glutino vti debemus, & sic cito, si paruum Vulnus fuerit, sanabitur, dicente *Gal. 3. Meth. cap. 4. de simplici Vulnere loquens.* Quæ enim dissident, atque inuicem distant si in idem adamussim componas, citra omnem reliquam extrinsecus molitionem coalescunt. Supra vero huiusmodi riunitum Vulnus, si paruum sit, tantum Oui albumen diu agitatum leuique stuppa exceptum applicandum, quo, vt inquit *Gal. 11. de simpl. Med. Facult. sanguinem supprimit, dolorem sedat, & refrigerando repercutit, inflammationesq; prohibet, & sic partis etiam temperiem seruat, vel aliquot aliud Glutinans Medicamentum apponendum & postea Vulnerata pars commode situanda, & in quiete vsque in tertiam vel quartam diem detinenda quo tempore, nisi aliquod simptoma superueniet, Vulnus non soluendum cum, vt inquit Gal. 13. Meth. Simplicia, & parua Vulnera spacio vnius aut duorum dierum, pro eorum vnione ac optima conglutinatione, egeant.* Curantur igitur huiusmodi Vulnera per primam intentionem, quæ nihil aliud est nisi partium diuisarum vnio, & agglutinatio absque interuenientе medio, veluti si duæ Cere, vel Luti partes simul coniungantur, & ex duabus partibus vna fiat. Si vero Vulnus cesim factum superficiale, & magnum sit ideſt magnum occupet spacium, & vinculo eius labia probe committi non possint, similiter Glutino, vel Sutura, vel Fibulis, vt inquit *Gal. loco citato, sunt coniungenda*; Deinde tenuissimum Linteum infrascripta Compos. oblinitum, & imbibitum superponendum, & supra tenues stuppæ eadem compositione imbibitæ, & oblinitæ apponendæ, & desuper aliæ stuppæ solo Oui albumine oblinitæ applicandæ. Tenue vero Linteum superponendum imprimis, ne in stupparum remotione puncta abrumpantur, & ne patienti dolor inferatur.

Curatio per primam intentionē quid sit.

Cur supra consutum Vulnus tenue linteum ponendum.

Compositio igitur pro primo apparatu fiat cum Pulueribus Agglutinatiuis, & futuræ conseruatiuis, & Oui albumine simul mixtis ad Mellis consistentiam. Semper animaduertendo, ne puluis neq; quid aliud intra Vulnus ingrediatur, ne Glutinationem impediat, & huiusmodi compositio sanguinis profluuium sistit, Dolorem sedat, & partem ab inflammatione tuetur, vt inquit *Gal. 3. cap. 4.*

Pulueres vero agglutinātes siue incarnātes, & futuræ conseruatiui fiant huiusmodi

Pulueres Agglutinatiuorū cōpositio.

℞. Aloes, Myrrhæ an. dragm. 1. Sarcocollæ drag. 1. 5. Sang. Drag. Terræ Lemniæ an. drag. 2. 5. Tutiæ, Litargirij, Tragacanthæ an. dragm. 1. M. & Fiat pul. Tenuissimus. Vel ℞. olibani, Aloes, Sarcocollæ, Sang. Drag. Rad. Ireos an. q. suff. & fiat puluis tenuissimus, vel.

Thuris, Mastiches, Fenugreci an. q. suff. M. & fiat puluis tenuissimus, vel ℞. Buli Arm. Terræ sig. an. drag. 2. Thuris, Mastiches, Sarcocollæ an. dragm. 1. Myrrhæ Aloes an drag. 5. Tragacanthi Sang. drag. an. scrop. 1. Farinæ Hordei Fabarum an scrop. 5. M. & fiat tenuissimus puluis.

Ne vero afflicta pars inflammetur, vtq; illam à dolore preseruemus, partes circum circa Rosaceo Oleo inungendæ, & sic vnitis Vulneris labijs, & superpositis dictis Medicamentis, vtq; decet, alligato Vulnere & optime situata affecta parte, vsq; in quartam diem, vti superius diximus, nisi aliquod superueniens prauum Symptoma prohibeat, talæ Vulnus detinendum, & aliud Medicamentum non renouandum, neq; soluendum. Qarta vero die omnia superposita Medicamenta leniter tollenda, neq; facilius hoc exequamur, Vino nigro austero calido exiccatæ stuppę optime madefaciendæ, & leniter, & iocunde ablatis omnibus, aspiciendum, vtrũ Vulneris labia simul coaluerint, & nisi conglutinata fuerint, Stuppæ, vel, Spongiæ, vel duplicata Lintea Vino stiptico austero calido imbita, & expressa Vulneri superponenda, & alligãda, & sic citissime sanescet, Animaduertendo ne exiccentur, ne Vulneri noceant.

Alij quando Lintea, vel Stuppas, vel Spongias dicto Vino imbibitas, & expressas superponunt, prius in frascriptum pulrem, vel aliquem ex suprascriptis super Vulnus aspergunt.

℞. Myrrhæ dragm. 3. Aloes Hep. vnc. 5. M. & fiat. puluis tenuissimus.

Quod vero Vinum Vulneribus competat, *Hip. lib. de Vlceribus his verbis dixit*, Vulnera nulla re debent madefieri præter quam Vino, quod etiam dixit *Gal. 4. Meth. & 3. eiusdem Methodi dixit*, Vinum namque omnis Vlceris, quà Vlcus est, idest quod citra aliam cum eo implexam dispositionem reluctantem consistit, optimum est Medicamentum.

Cum ergo omnæ Vulnus, quotiscumque ius labia simul fuerint coniuncta, medicamento exiccante, & modice adstringente egeat, si qua sanies subsit, absumatur, & materiæ ad huiusmodi partem conflaxus prohibeatur, vt inquit *Gal. loco citato, dictum Vinum hæc omnia efficit*. Ergo Vinum huiusmodi pro Vulneribus optimum est Medicamentum. Alij pro secundo apparatu vtuntur Therebentina, vel Abietino Oleo dictis Glutinatiuis pulueribus ad Vng. formam commixtis. Alij à principio vsque ad finem Glutinantia Medicamenta semper apponunt, vt sunt ea, quæ abunde superius cap. de conseruanda partis temperie descripta à nobis fuere, vel infrascripta, quibus detersо à sanguine Vulnere, & eo non amplius fluente calidis vti debemus.

℞. Terenbenthinæ claræ lib. 1. Olei sem. lini vnc. 6. Resinæ Pini vnc. 3. Thuris, Myrræ, Aloes, Mastiches, Sarcocollæ an. vnc. 1. 5. Macis ligni Aloes an. vnc. 1. Croci dragm. 2. M. & omnia in retortam imponantur, & lentissimo igne destillentur, & primum exhibit Aqua clara, paulo post rubicundum sequetur Oleum, & tunc auge ignem, semper magis magisque intendendo vsq; ad destillationis finem quo facto, separa oleum ab Aqua, & vtrumque seorsum serua, & Aqua succedente tempore rebuescit, & Oleum Rubini colorem acquirit. Istud Oleum valet Vulneribus conglutinandis, præcipue vero partium Neruosarum ossium, & Venarum, & citissime absq; nullo dolore consolidat, vel. *Glutinã optimum*

℞. Terebenthinæ claræ lib. 1. Thuris, Myrræ, Mastiches, Sarcocollæ an. vnc. 1. Aquæ ardentis vnc. 8. M. & omnia in loratam Retortam ponatur, & in Cineribus destilentur, Oleum ab Aqua separa. *Aliud.*

Quod Oleum breuissimo temporis spacio omnia Vulnera absq; nullo dolore consolidat, & præsertim Capitis, claudendo eo Vulnus superficie imponendo; Vel

℞. Terebenthinæ claræ lib. 1. Euphorbij, Sulphuris an. vnc. 5. salis, & in comm. vnc. 1. Olei veteris lib. 1. M. & omnia per horas duas lento igne coquantur, deinde colentur, & dicta compositione calida. Vulnus continuo fouendum, & sic cito conglutinabitur.

De

De Vulnere profundo, & recondidito, citra substantiæ Amissionem in Carne accepto *Cap. 33.*

IN huiusmodi curando Vulnere imprimis animaduertendũ quo Vulneris orificium spectet, & eius fundum; Si enim orificium deorsum spectet, & eius fundum supressu sit, & libere sanies ab eo sua sponte effluere possit, decenti ligatura, & sutura etiam, si fuerit opus, & dictis Glutinantibus Medicamentis facillime curationem recipit, Animaduertendo, vt vsq; in fundum talia Medicamenta penetrent, vbi prius glutinari est opus. Si vero sursum eius orificum spectet, & eius fundum deorsum, & in eius cauitate sanies detineatur tunc videndum ac considerandum vtrum partis commoda situatione ita collocare possimus, vt deorsum orificium spectet, & fundum sursum, vt sanies libere effluere possit, & quando sic commode talis pars fuerit situata, vsu dictorum Medicamentorum, vel similium, & expressiua fasciatura à Vulneris fundo incipiendo, & orificium versus tendendo, cito curabitur, & noua sectio facienda non erit, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 8.*

Nisi vero Vulneris orificium deorsum spectet, neque conuenienti situ, & figura vulnerata pars ita, situari possit, vt orificium deorsum, & eius fundum sursum tendat, & sanies in Vulneris fundo contineatur, & in eius fundo aperiendum est, & sectio facienda, vt retentæ in fundo materiæ exitus detur, vel tota cauitas idest ab orificio vsq; ad fundum secanda. Tunc vero tota cauitas secanda, quando Vulnus non erit nimis profundum, neq; Venarum, Arteriarum, aut Neruorum sectionis vllum adest periculum. In fundo vero tantum aperiendum, quando valde profundum est Vulnus, ne magnum Vulnus fiat vel de dictarum partium sectione periculũ instat; Et post sectionem expressiua Fasciatura à superiori parte incipiendo huiusmodi pars vincienda, & in partem inferiorem, vbi noua sectio fuerit facta, desinat. Quod vero ita debeat fieri *Gal. 3 Meth. cap. vltimo optime expressit dicens.* Si Vulnus cauitatem alte reconditam sub cute habet considerare oportet, vtrum ea in superiori parte sit, ita vt sanies ex ea parte effluat an in inferiore, sic vt illic si statur; Eius igitur, cui affluxus patet, eadem quæ aliorum curatio est; Cui vero non est, huic ipsi moliamur affluxum oportet. Eius autem (effluxus moliendi) duplex ratio est (vbi exprimente deligatura nihil promouemus) alias tota cauitate detecta, alias in fundo tantum aperta. Quando vero horum altera sit ineunda, docebit tùm locorum ipsorum natura, tùm vero Vlceris magnitudo. Si namque ea loca ipsa dubiam (seu fallacem ac periculosam) sectionem faciant, & Vulnus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit. Si contra se habeant præscindere seu diuidere præstat. Deligatio vero eius incipiat quidem (vt dictum est) superne, finiatur infra, vbi scilicet patet effluxus, & hæc *Gal.*

Quando vero sectio facienda, vt sectio commode fiat, imprimis intra Vulnus specillum vsq; in fundum immittendum, vel astula quædam lignea, & super eam sectio facienda. Facta sectione pro apparatu primo, Turanda siue Penicillum oui albumine imbibitum immittendum, vt sanguinem sistat, & dolorem leniat, & desuper aliæ stuppæ eodem albumine oblinitæ; Deinde quousque talæ Vulnus purgatum fuerit, bis in die detersiuis siue mundificatiuis Medicamentis vti debemus; Deterso ac purgato optime Vulnere, sarcoticis, & conglutinandi vim habentibus Med. vtemur, & tandem Epuloticis, & cicatrizzandi facultatem habentibus.

De Vulnere Carnis composito siue Cauo. *Cap. 34.*

CAuum Vulnus dicitur, tùm illud in quo aliqua substantiæ adest deperditio, vt cutis & subiectæ carnis, tùm id in quo, & si nulla adsit substantię deperditio, & ex simplici incisione factũ fuerit, tamen Vulneris labia ob Vulneris magnitudinem, & nimiam inter se distantiam non possunt in fundo ad mutuũ contactum adduci, & ideo in eius fundo cauitas remanet, quæ vt repleatur, vtque partes simul vniantur, noua carnis generatione est opus. Curari ergo debent hæc Vulnera per secundam intentionem, quæ nihil aliud est, nisi duorum vnio corporum per interuenien-

Curatio per secũdam Intentionẽ quid fit.

uenientem medium, sicuti fractam ossa colligantur per Sarcoidem porum siue Callum sic caua Vulnera per nouam Carnis generationem vniuntur; Modo ad curationem accedamus.

Huiusmodi Vulneris curatio cum optime, & diffuse à *Gal. 3. Meth. fuerit tradita, ideo cum, vt maiores nostri fecerunt sequemur*. In cauo igitur Vulnere curando vniuersalia præsidia totumque corpus spectantia conueniunt, similiter externarum rerum ablatio, temperiei partis conseruatio, & accidentium prohibitio ac remotio, sicuti superius in curatione Vulnerum in Vniuersali diximus, & moderatus sanguinis fluxus in hoc etiam Vulnere competit, vt in simplici Vulnere diximus. Sed in hoc Vulnere, cum duo se nobis offerant, vnitatis scilicet diuisio, & cauitas; Ideo duplex eius curationis scopus proponitur. Quod enim diuisum est, vnitionem, & cauitas repletionem desiderat. Sed cum in dicto Vulnere partes inter se diuisę vniri non possint, nisi prius repleatur cauitas; Ideo prima nostra intentio erit nouam regenerare carnem, & consequenter postea cauitatem replere. Sed in hoc faciendo quatuor intentiones habere debemus; Prima erit, vt caro similis deperditæ restituatur, aliter cauitas repleri non poterit, & ideo in adinuentiendis particularibus ac conuenientibus remedijs; optime totius corporis, & affectæ partis temperamentum spectandum ac considerandum, & in hoc præcipue Medici scientia ac iudicium consistit, Materia vero ex qua caro gignitur est optimus sanguis, opifex vero atque Autor est illius corporis Natura, cui caro superinduci debet, & Natura cuiusque partis in quatuor qualitatum temperie consistit. In huiusmodi ergo Vulnere curando hæc duo consideranda veniunt; Si pars Vulnerata propriam temperiem seruet necne; Et an sanguinis, qui influat, bonus ac mediocris sit.

Ex quibus caro gignatur

Nam si horum alterum deficiat, vt si affectam pars aliqua intemperie laboret, ad propriam temperiem reducenda, sicut superius de curatione Vulnerum in Vniuersali diximus, & si sanguis sit vitiosus, ideſt aliqua mala qualitate præditus, & victus ratione, & Medicamentis corrigendus, & si in quantitate peccet, ideſt quod in maiori copia, quam sit opus confluat, & Reuulsionibus, Euacuationibus, & reprimentibus Medicamentis talis sanguinis confluxus inhibendus, & si in pauca copia confluat, & optima victus ratione, & Medicamentis ad affectam partem sanguis attrahendus.

Quando ergo pars affecta propriam temperiem seruabit, & sanguinis confluxus citra omne fit vitium, nihil obest, quo minus optima caro prospere gignatur. Carnis si quidem generatio, inquit *Gal. ex subiecta, qua sana est, ortum ducit ex ægrota vero gigni caro noua non potest*. Sed cum in prima carnis generatione, veluti in omni alia coctione duo excrementa necessario gignantur. Alterum quidem tenuis, quod in Vulnere sanies dicitur. Alterum vero crassius, quod lordes nominatur; & ex tenui Vulnus humidum redditur; & ex crasso sordidum. Ideo huiusmodi Vulnus Medicamento duplici facultatæ prædito eget, ideſt siccante, & detergente; Siccandi enim facultate humiditatem corrigit, & detergendi ac mundificandi vi lordiem tollat. Cum ergo nullo vnquam tempore Natura cesset, certe nec tempus vllum erit in quo ambo hæc excrementa in caua Vulnere non colligantur; Et ideo nullum debet esse tempus, in quo non vtrumq; Med. genus, siccans scilicet, & detergens desideretur ac requiratur, & 5. *Meth. Gal. in principio dixit*, Et si dictum sit, omnia Vlcera siccantia Medicamenta requirere. Cæterum quod sinum habet, vt minus sane, quam reliqua, sic ea, quæ præter quam quod modice siccent, etiam detergendi facultatem possideant, desiderare. Sed non sufficit Med. genus adinuenisse, sed opus est speciem adinuenire, quæ ipsi Vulneri sit commoda, & statuto ordine, & gradu circumscripta, vt Carnem producere possit. Modice ergo siccantia, & detergentia Medicamenta carnem gignentia esse debent, vt sunt ea, quæ in primo gradu exsiccant, & detergunt. Sed cum duobus modis intelligi possit aliquod esse siccans, & detergens in primo gradu, aut absolute, aut comparatiue. Non credendum quod omnia Medicamenta in primo gradu absolute intellecta carnem generare possint, cum aliquando sit opus vt Medicamenta in secundo, & tertio gradu exsiccantium, & detergentium sint, vt carnem generent, vt in corporibus, & in siccis par-

Sarcotici Medicamenti qualitas.

tibus. Sed intelligendum, quod in comparatione ad lesam partem, ideſt quod Medicamenta, vt Carnem generent, debeat excedere partem affectam in ſiccitate per gradum vnum. Non debent vero ſarcotica Med. adſtringendi facultate eſſe prædita, quoniam vt *Gal. 3. Meth. cap. 4. inquit.* Sordes Vlceribus arctius affigerent, quam, vt facile poſtea poſſint elui. Ex his igitur Medicamentis carnem generantibus tres gradus conſtituemus; Primus debiliter exſiccans erit; Secundus mediocriter exſiccans; Tertius valde exſiccans. Debiliter exſiccantia conueniunt in corporibus humidis, & humidis partibus, vt in pueris, mulieribus, & carnoſis partibus, & huiuſmodi ſunt Olibanum, Maſtix, Pix colophonia, Farinæ Hordei, & Fenugreci, Thus Thuris Manna, Thuris cortex, Aloes, Reſina, Vinum rubrum, & Vng. raſi vna imiter compoſita.

Debil ter exſiccantia quæ, & quibus conueniant.

Mediocria vero ſiccioribus corporibus partibuſque ſiccioribus comperiunt, vt ſunt Ariſtolochia, Yreos, Farina Lupinorum, Orobi, Fabarum, Panax, & inter compoſita Vng. Baſilicum malus de Betonica, de Ceruſa, Aureum, & de matreſilua. Valde exſiccantia corporibus, & partibus valde ſiccioribus conferunt, & cum in his vulnus ſit valde profundum, & huiuſmodi ſunt Centaurium, Polium, Glutinum, Limaces vſtæ, Cadmia, Calcitis, Plumbum vſtum, & lotum, ſic Antimonium, & alia Metalica, quæ omnia vtenda ac lauanda, vt eorum acrimonia obtundatur, Myrrha ſimiliter, quæ etiam oſſa carne veſtit, & ex his eſt Vnguentum Iſidis Apoſtolorum, & de Futia.

Exſiccãtia mediocria.

Valde exſiccantia

Ex dictis ergo ſimplicibus multæ compoſitorum formæ adhibitum fieri poſſunt, vel ſiccis vti poſſumus, eorum puluere Vulnus aſpergendo poſt Vini ablutionem. Notæ vero imbecillioris, & languidioris ſarcotici admoti ſunt, ſanies magna copia ac coaceruatio, & mollis, & fluidæ carnis generatio, cum non poſſit, ob imbecillam ſiccandi facultatem putredo prohiberi, & humiditas abſumi, vt inquit *Hip. lib. de Vlceribus*. Validioris vero, & efficacioris ſarcotici ſigna ſunt aridas, & quaſi Vulneris callofitas, & eroſio, cum ob nimiam ſiccitatem carnem abſumat ac colliquet, dolor aliquando excitatur, & humida fiunt Vulneris labia, rubicunda, & inflammata, ſic circumſitæ partes, & Labiorum rubedo, & color aliquando ſalitæ carni ſit ſimilis, pus ſubtile, & icores fluunt, & nonnunquam ſanguis, & aliquando etiam punctio, & mordicatio perſentitur. Si ergo debiliter exſiccantibus in partibus vel corporibus ſiccis vteremur, non carnem produceret, ſed potius pus moueret. Sic ſi in humidis corporibus, & humidis partibus valentioribus exſiccantibus vteremur non carnem produceret, ſed potius abſumeret, carniſq; productionem impediret, & exederet.

Signa debilioris vel validioris Sarcotici.

Secunda igitur indicatio in adinueniendo Med. & Medicamenti genere, à totius corporis, & affectæ partis temperie in cauo Vulnere curando, & in carne regenerãda ac reparanda deſumenda erit, quoniam vt inquit *Gal loco citato*. Quod ſecundum naturam ſe habet, ſui cuſtodiam indicat, & propterea, quæ ſibi ſimilia ſunt poſtulat.

Quod vero eſt præter naturam ſui ſublationem, eoq; requirente contraria. Peritenim quodque contrarium à contrario Vulnus igitur quidem, quia præter naturam eſt, quo eſt humidius, eo ſane Medicamento quod magis ſiccet, indiget. Corporis vero natura, propterea quod ſecundum naturam eſt, quanto eſt humidior, tanto quod minus ſiccet Med. poſtulat, proindè ſi qua ſint in diuerſis corporibus Vulnera, quibus par ſit humiditas, quod in ſiccioris corporis temperamento conſiſtit, vtique magis ſiccari poſtulat, quod in humidiori hoc ſane minus, quatenus Natura Naturæ intereſt. Si quidem producat in carnem ei quæ antea erat, ſimilem eſſe oportet. Vbi igitur priſtina ſiccior fuerit, nouellam quoque ſiciorem fieri conuenit. Quare vberius hæc ſiccari poſtulet, quanto magis ſicca fuerit, tanto quod admouetur Med. magis ſiccam facultatem habere debebit; At in humidiori natura tanto rurſus ijs, quæ minus ſiccent Medicamentis eſt opus, quanto caro ipſa minus eſt ſicca.

Tertia indicatio in adinuenendis remedijs ab annexis Vulneri ſumenda eſt, vt inquit *Gal. eodem in loco*, vt ſi aliqua intemperies calida, vel frigida ſit Vulneri conjuncta, Med. non ſolum exſiccans eſſe debet, ſed etiam, vt tantum calefaciat, vel refrigerent, quantum ſubiecta caro à naturali ſuo habitu receſſit, cũ in Vulnere caro

produci

produci non possit, neq; sinus impleri, vel agglutinari, vel cicatrix induci, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat. Sic si cum huiusmodi Vulnere inflammato, vel dolor, vel quid simile sit coniunctum, conuenientibus remedijs, quod coniunctum, & annexum erit, inprimis tollendum, vt caro produci possit, cauitasq; repleri.

Quomodo verò Symptomata Vulneri superuenientia tolli ac curari debeant, superius de curatione Vulnerum in Vniuersali abunde fuit dictum. Sic indicatio ab Aere nos ambiente in Med. adinueniendis desumenda, & ideo calidioribus anni temporibus magis refrigerandi vim habentibus, & in frigidioribus magis calefaciendi facultatem habentibus vti debemus.

Quarta indicatio in cauo Vulnere sanando, & in oportunis Med. adinueniendis ab indicationum contrarietate desumenda, vt si eodem tempore, eodemque subiecto contrariæ adsint indicationes, vt si habitus totius corporis humidus sit, pars vero affecta sit temperamenti sicci, vel contra, sic etiam de frigore, & calore dicendum; ideſt quod pars sit contrario temperamento toto corpori. In tali casu in adinueniendis, & componendis Med. aliquid etiam habitui totius corporis concedendum, vt si totum corpus humidissimum sit, & affecta pars ficcissima, minime ficcissima Med. conueniunt. Sed moderatè ficca, respectu habito ad totius corporis temperē. Sic in alijs contrarietatibus faciendum, & qui plura desiderat, vt eat *Gal. loco superius citato, vbi de his indicationibus diffuse egit.*

In curandis igitur huiusmodi Vulneribus opus est vt Medicus optime totius, & partium temperamentum cognoscat, similiter Aeris temperiem consideret, Temporis, Anni, Regionis, Aetatis, & aliorum superius dictorum, & optime indicationes inter se contrarias discernere sciat, medicamentorumq; omnium, ideſt eorum facultatum, & temperatorum optimam scientiam habeat.

Post quam diximus, quæ intentiones sint habendæ in adinueniendis oportunis Med. pro hoc Vulnere curando, modo videndum quomodo, & quo ordine curandum. Et imprimis quo ad Vniuersalia, & rerum externarum extractionem faciendam, vt superius in curatione Vulnerum in Vniuersali diximus, & mundificato huiusmodi Vulnere à sanguine, & Vino abluto. Cum intus semper aliqua materia præter naturam contineatur, quam natura expellere non potest. Ideo à principio concoquentibus ac digerentibus Med. vti debemus, ita tamen, vt in principio concoquentia, in fine Detergentia præualeant, & huiusmodi Med. vti debemus, quousq; bonum pus appareat, ideſt quod sit album leue, & æquale, & quam minime fetidum. *Concoquentia Med. ex quibus fiant.* Concoquentia vero fiunt ex Quorum Vitellis, Farina Triticea, pul. Thuris, Croco Resina, Tereb. vel abietina, & his similibus Detergentia fiunt ex Melle Rosaceo, Syruppo Rosaceo, Farina Hordecea, Fabacea, & alijs, quæ absque morsu detergunt vt inquit *Gal. 5. Simp. Med.*

Detersо ac optime mundificato Vulnere sarcoticis siue carnem generantibus conuenientibus vti debemus, sicuti superius fuit dictum. *Detergẽtia ex quibus fiunt.* Et animaduertendum in huiusmodi Vulneribus, si profunda sint, vt vsque in fundum huiusmodi Med. perueniant, & ideo vel Turundis, siue Linea mentis, vel quolibet alio instrumento immittenda. Si vero Vulnus sit cauum, absq; substantię deperditione, & cauitas in fundo remaneat, ob eius profunditatem, & magnitudinem tale Vulnus altis futuris suendum, & in decliuiori parte foramen relinquendum, per quod sanies libere effluere possit, & per huiusmodi foramen conuenientia Med. Penicillo siue Turunda, siue oblongis, & inuolutis filamentis intromittenda, & ijsdem etiam foramen apertum seruabitur, & excrementa, quæ in cauitate gignuntur, conbibentur, & desuper splenia, vel duplicata Lintea vino nigro, & austero, vel naturali, vel arte facto imbibita, & expressa applicanda, postea contentiua Fasciatura vinciendum, & cõmode pars situanda, vel aliquod Ceratum ad sarcotica detinenda, & Vulnus à frigore defendendum superponendum, vt est Diapalma, vel Barbarum *Gal. & sic mederi debemus semel vel bis in die, secundum quod fuerit opus quousque Vulnus carne fuerit repletum.*

De Æquali siue repleto Vulnere. *Cap. 35.*

Equale siue impletum Vulnus illud dicitur, quod repurgatum, & deficiente carne fuerit ita repletum

vt cum reliqua cute circum circa æquale fuerit. Tale enim Vulnus nil aliud desiderat, nisi vt cutis inducatur; quæ cum iterum (cum pars spermatica sit) regenerari non possit, vtinquit *Gal.* 3. *Meth. cap.* 5. Ideo quot cuti quamsimillimum, & quod eius minus præstet restitui debet, & ideo *Gal.* 14. *Meth. dixit*. In summa vero quibus aliquid perit subiectanæ, maxime quidem curandum est, vt ei simillima restituatur. Si id fieri nequeat, saltem aliquid, quod eundem præstet vsum machinabimur, vt in cauis Vulneribus caro calli modo dura gignitur, quæ cuti quidem est simillima, cutis tamen non est sed cicatrix. Et sicuti cutis carne densior, durior, & siccior est, vt inquit *Gal.* 3. *Meth.* ita caro, ex qua cicatrix fieri debet, alteranda, donec ita densetur, durescat, & siccetur, vt cutis officium supplere possit.

Cicatrix ex quibus fiat.

Materia ergo ex qua cicatrix debet fieri est superficialis, æqualis, & repleti Vulneris caro, & sicuti caro ex concreto à Natura sanguine fit, sic ex densata, & siccata superficiali carne cicatrix fit ac formatur. Efficiens vero duplex est, epuloticum Med. à Medico impositum, vt inquit *Gal. loco superius citato*, & circumstantis cutis natura, & ideo videmus, quod cicatrix fieri, & induci nunquam in medio incipit, sed circum circa, & sicuti sarcotica Med. sanguinem siccioremreddendo sunt Naturæ auxilio, vt carnem facilius generet. Sic epulotica carnem siccioremreddendo, & eam densando, & indurando Naturæ auxilium præstant, vt citius ab ea cicatrix inducatur. Et quod Natura aliquid in cicatrice obducenda agat, manifeste apparet in illis Vulneribus tam brutorum, quam hominum, quæ aliquando ex sponte, & nullo adhibito adminiculo, & artis auxilio sanescunt, & cicatrizzantur.

Vt vero Med. ad cicatricem inducendam apta adhibeamus, recordandum, quod superius ex *Gal. mente loco citato diximus*.

Idest quod ad carnem Medicamenta in primo gradu sicca erant oportuna, cũ tunc excrementa, quæ in carnis generatione resultant, siccare debeant, & Glutinantia similiter debere esse sicca in secundo gradu, quia non tantum excrementa debent exsiccare, sed etiam id, quod aliunde influit. Cicatrizzantia vero, siue epulotica dicta in tertio gradu sicca esse debent, quia non tantum excrementa, & quod aliunde influit, sed etiam ipsius partis naturales humiditates exsiccare, & aliquid ab ea abradere debent, & ideo *Gal.* 2. *lib. de comp. Med. Sec. Gen. dixit*. Quanto autem glutinantia Sarcoticis magis dicuntur sicca re tanto glutinantibus epulotica, siue cicatricem inducentia. Et hoc intelligendum in comparatione ad partem affectam, sicuti superius de incarnantibus diximus, & non quod absolute epulotica in tertio gradu sicca esse debeant; Et ideo in cicatrizzantibus Med. applicandis, sicuti de sarcoticis diximus, ægrotantis, & affectæ partis natura, & Vulneris magnitudo considerandæ, cum mitioribus epuloticis in pueris, & in mulieribus, & in paruis Vulneribus vti debeamus, quam in adultis viris, & magnis cicatricibus inducendis.

Epulotiorũ qualitates.

Si igitur, vt nos superius ex mente *Gal. lib. 5. de Simp. Med. Fac. cap.* 15. In planis Vulneribus tantum cicatrix induci debeat, & caro ita alteranda, vt cuti similis fiat, quod perficitur per ea, quæ illam contrahere, constringere, & constirpare, densare, siccare, & in callum cogere valeant, quum cicatrix sit veluti in Callum, indurata caro, & quod hoc efficiunt refrigerantia exsiccantia, & adstringentia esse debent Refrigerandi enim facultate constringendo, & densando tenuioresque partes, veluti exprimendo, & crassos in vnum cogendo, indurant. Siccandi vero facultate, tenuiores partes absumendo, siccioremdurioremq; & densiorem carnem reddunt, astringendi facultate retinent, & reprimunt sanguinem, ne ad huiusmodi partem pro generanda carne confluat, quod fieret si confluere. Horum vero epuloticorum duo sunt genera. Alterum quod per se id efficit, valenter exsiccando, & sine mordacitate astringendo, vt inquit *Gal. lib. artis Med. cap.* 87. quæ vt plurimum sunt frigida, & primario, & proprie Epulotica, siue ad cicatricem ducentia dicuntur Alterum per accidens, & secundario, carnem alterando, & Calli instar indurando, vt sunt calida Medicamenta, quæ carnem colliquandi, & detrahendi vim habent, vtinquit *Gal lib. 5. Simpl. cap.* 14.

Per se Cicatricem inducentia.

Per se proprie, & primario cicatricem inducentia sunt Galla immatura, Malicorium, Balaustium, Aegiptiæ Spinefructus

Acacia

Acacia Rhub, siue Sumach. Bolus Arm. Cerusa, plumbum vstum, & lotum, Litargirium, Pini cortex, ostrea vsta, puluis etiam Arnoglossæ, lingua canis dicta mirabiliter cicatrizzat, & alia adstringentia, & exsiccantia.

Cicatrizantia per accidens.

Per accidens, & secundario cicatricem inducunt Aes vstum, & non lotum, quoniam quod est lotum, vere est Epuloticum Squama Aeris, Alumen, Calchantum, siue Vtriolum, Centaurium, Aristolochia vsta Chalcitis Mysi, quibus in pauciſſima copia ad cicatricem inducendam, vtimur, ne carnem absumant, & hæc, si volumus, vt sint minus acria, adurere debemus, & si adhuc, vt mitiora sint, exoptamus etiam abluemus.

Cum ergo diuersis corporibus diuersa Epulotica conueniant, ideo in tres gradus distinguemus, sicuti de Sarcoticis superius fecimus, idest in mitiora, mediocria, & valentiora.

Mitiora ergo epulotica, quæ in molliorib corporibus, & paruis cicatricibus inducendis conueniunt, sunt Aloes, Thuris cortex, Pini cortes, Radix Ciperi, cadmia optime lota, plumbum vstum, & lotum. Cinisq; Ostrearum lotus. Inter composita mitiora sunt Vng. de Minio, de Cerusa, de Litargirio, Ceratum de Minio, & Diapompholigos Aetij.

Mediocria Epulotica, quæ in durioribus, & maioribus cicatricibus inducendis competunt, sunt Galla immatura, Malicorium, Balaustia, Citri, Sumach, Mirabulani Citri, Myrtilli, Sanguis Drag. in lachryma, Sanguis drag. communis, Bolus Arm. orient. Bolus Arm. Fabrilis, Cimolia Terra sig. & similia. Inter composita sunt Diapalma, Diapompholigos Oribasij Vng. de Turia Mag. & Deficatiuum rubrũ

Valentiora Epulotica ficciſſimis. Corporibus, & magnis cicatricibus inducendis conueniunt, vt sunt Aes vstum præparatum Squama Aeris præparata, Mysis, Sori, Calcitis, Alumen scissilæ, præcipitatum optime lotum, & similia, quæ potentiſſima sunt. Inter composita valentiora sunt Ceratum de Bolo Armenio, Vng. de Turia Mag. si cuilibet vnciæ dragm. 1. squamæ Aeris addatur, vel vsti Aeris, & qui plura desiderant, videant Aetium, & Paulum apud quos in finita Epulotica adinuenient.

Notandũ

Sed animaduertendum, vt hæc valentiora Epulotica in pauciſſima copia applicentur, ne carnem exedant. Et si in calidis locis cicatrix debeat induci, refrigerantia addi debent, vt puluis Sandalorum, Nenupharis, Rosarum siccarum, Siccæ Cotulæ, & similium.

Cicatrix quo tempore fit inducenda.

Quo vero tempore cicatrix induci debeat, inquit *Gal.* 13. *Meth. cap.* 5. *dicens*. Vtendum vero Med. id genus, idest Epuloticis, prius quam vlcus ad æqualitatem prorsus impletum fuerit, ne ipsa forte cicatrix circumscripta sit cute eminentior, & Auic. etiam hoc idem inquit, causamque redit dicens. Dum enim studemus cicatricem inducere, Natura carnem generat, quia Natura nunquam cessat carnem generare, licet Epulotica imponantur. Ideo, ne hoc accidat, oportet Epuloticum imponere, non quando caro est omnino ad æqualitatem producta, sed quando aliqua adhuc est cauitas non tamen notatu digna. Sed animaduertendum, quod in illis Vulneribus, in quibus subiectum os fuerit Vulneratum, & aliqua particula abscessit, necessario est opus, vt cauitas fiat cicatrix, & ideo in his non statim ad Epulotica deuenendum est, sed diu in sarcoticis persistendum, vt caro quantum est possibile crescat solidaq; fiat, & cauitas repleatur.

Cicatrix quomodo inducenda.

Quomodo cicatricem inducere debeamus dixit *Gal. loco superius citato*, vtque eius textum intelligamus, scire oportet duplex esse Epuloticum. Aliud actu, & potestate siccum. Aliud actu, & consistentia humidum, & potestate siccum; Secundo notandum, quod omne Vulnus, quod cicatrice egeat, semper in medio maiorem cauitatem habet, quam in circuitu. Et cum semper, vt superius diximus. Cicatrix circumcirca, prius quã in medio inducatur. Ideo in circuitu Epulotica actu, & potentia sicca subtiliter, & in pauca copia imponenda, cũ hæc pars maiori exsiccatione egeat. In medio vero, vt inquit *Gal. Epuloticum actu & consistentia humidum & potestate siccũ imponendũ cum hæc pars minori exsiccatione egeat & serius cicatrizzari debeat, & interim maior illa cauitas aliquatenus repletur*

Quando vero postea caro omnino æqualis fuerit, amouebitur Med. consistentia humidum, & siccũ actu, & potentia vtemur & deforis tantũ sicca Lineamenta imponemus, quæ siccandi carnemq; densandi vim ac facultatẽ habent. Si vero in aliquo magno Vulnere plures adsint indicationes, idest quod in vna parte cicatrix sit inducenda,

in alia carne debeat repleri, in alia deterſione egeat, his omnibus diuerſis Med. diuerſis locis applicatis ſatisfaciendũ; Imponendo in vna parte Epuloticum in alia ſarcoticum, & in alia mundificatiuũ ac detergens.

Ex dictis igitur adhibitum Epulotici puluer̃es componi poſſunt, vel Vng. fieri, ſi cum his Oleum, & Cera commiſceantur, vel lotiones faciendæ, coquendo ſimplicia dicta in Vino auſtero, vel acerbo.

De Cicatricibus in Vulneribus reparandis ſiue de eorum deformitate tollenda. *Cap. 36.*

Si poſt Vulnerum curationem, indecore, & deformes cicatrices remaneant, ideſt vel concauæ, vel eminentes, vel male coloratæ, vel rugoſæ, vel in magnitudine, vel in forma peccantes; Inquantum fieri poteſt, ſunt corrigendæ ac reparandæ. Quod facilius ſuccedit, ſi recentes ſint, quam ſi fuerint inueteratæ. Cicatrices, quæ in magnitudine, & figura peccant, ex quauis cauſa fuerint, difficillime corriguntur. Concaue fiunt cicatrices, vel Vulneris ratione, vel Medici incuria, & ignorantia, Vulneratione, fiunt, vt ſuperius diximus, quando al qua oſſis portio deeſt; Medici incuria cauæ cicatrices fiunt, vel quia Epulotica citius adhibuit vel quia continuo Vulneris labia depreſſa ſeruauit, quæ vel ſiccis Lineamentis ſubleuata, & ſuſpenſa retinenda, aùt Glutino aliquo admoto cum ſuis Anſulis, quibus labia attollere poſſumus, ne interius depreſſa conſolidentur. Caua verò cicatrix ratione oſſis deficientis in adultis, & Aetate inclinantibus facta, inſtaurari nequit. In crescenti vero, & robuſta Aetate aliqua ſubſtantiæ portio regenerari poteſt. Sic igitur cauæ cicatrices ex qualibet cauſa factæ corrigendæ; Primum enim frequentiſſimis ſectionibus, ſed minime profundis ſcarificandæ. Deinde Sarcotica Vng. & emolientia, quæ minus ſiccent, quam ſit ex vſu, applicanda, emollita poſtea parte, ad ſiccio à ſarcotica deuenientendum, & his, quantum fieri poteſt, caro regeneranda, & cauitas replenda, vt inquit *Celſus lib. 5. cap. 28.*

Cicatrices cur fiant cauæ.

Eminentes cicatrices ſemper Medici culpa fiunt, vel quia nimis carnem excreſcere ſinit, vel quia vnum labium ſuper alteram glutinat. In hoc caſu, ſi recens ſit cicatrix, ſcarificandum, deinde erodentia & excedentia Med. ſuper eminentiam applicanda ſunt, vt inquit *Celſus, & quando Vulnus fuerit à qualis, tunc cicatrix inducenda.* Et ſi dictis Med. eminentia non tollatur, id totum, quod ſuperueniem; Nouacula excindendum, vel actuali cauterio ammouendum, deinde pinguedinibus eſcara tollenda, & tandem epulotica applicanda.

Eminentes Cicatrices cur fiant.

Praui coloris cicatrices fiunt, ob prauos humores ad huiuſmodi partem confluentes qui vel à praua victus ratione, vel alicuius viſceris intemperie fuerint orti. Corriguntur vero huiuſmodi cicatrices ablatis cauſis, vt viſceris diſcraſia, & optima inſtituta dieta. Supra verò talem cicatricem Med. Detergentia, Reſoluentia, & exiccantia applicari debent, & ſuper albam cicatricem, vel ad huiuſmodi colorem tendentem. *Celſus loco citato inquit.* Tum deligari deſuper Plumbum oportet, quo, & reprimitur cicatrix, & colorem maxime ſano corpori ſimilem accipit. Idem Radix ſilueſtris Cucumeris præſtat, cum Pituitam euacuandi vim habeat, quæ album efficit colorem, vel infraſcripta Celſi compoſitio applicetur. ℞. Elaterij partem 1. Spumæ Argenti, part. 2. Vng. pond. 4. quæ excipiuntur Reſina Tereb. donec Emplaſtri craſſitudo ex omnibus fiat, vel.

Prauus color in cicatrice cur fiant.

Albam cicatricem corrigentia

℞. Olei de Tartaro vnc. 1. 5. Mucilaginis Sem. Pſilij drag. 2. Ceruſæ in Roſaceo Oleo diſſolutæ vnc. 5. Boracis, aùt Salis Gemmæ drag. 1. M. & F. Linim. vel ℞. Axungæ Suillæ vnc. 3. Litargirij, Aeruginis raſilis, Vetrioli combuſti an. dragm. 2. M. & fiat emplaſtrum.

Ad nigras cicatrices, vel ad nigredinem tendentes idem Autor laudat Aeruginem & Plumbum eorum pari portione mixtis. Præterea calcanthum Vino decocto, & Emplaſtri modo appoſitum, ſimiliter conferunt ea, quæ Melancholicum humorẽ euacuant, vt nigrum Helleborum puluerizzatum, & Vng. aliquo admixtũ cum melancholicũ humorẽ euacuandi vim habeat, vel

Nigras cicatrices corrigentia.

℞. Argenti Spumæ, Thuris mentæ an. partes æquales M. cum Melle q. ſuff. in Vng. formam. Vel inungantur cicatrices Oleo in quo Radices candidæ Brioniæ, & nigræ ſint ita decoctæ, donec ſuccus extrahatur, & coctæ ſint, & qui plura deſiderat videat *Paulum lib. 4. cap. 47. & Aetium Serm. 13. cap. 129. vbi multa adinueniet.*

Rugoſa vero cicatrix fit ſimiliter Medici

Rugoſa.

Cicatrix ex quibus fiat.

dici vitio, quia non bene, & æqualitèr simul Vulneris labia coaptauit, vel quia non debitò tempore, & æqualitèr per totum Vulnus epulotica apposuit, sed in vna parte debiliora, in alia fortiora.

Hæc cicatrices similitèr, vt corrigantur sacrificandæ, deinde exedentia Med. applicanda, donec Vulneris partes æquentur, & tandem epulotica imponenda.

Si verò cicatrices cute sint duriores, & ideo valde rubræ appareant, cicatrix huiusmodi emollienda Oleo de Ouorum Vitellis, de Been, vel Humana pinguedine, & Oleum Balsamitæ etiam duriores, & crassiores cicatrices reparat. Deformes etiam ac recentes, & adhuc teneræ cicatrices admoto Diachylo, aut Lytargirio nutrita emendantur.

De Vulneribusq; supercrescentem Carnem habent. *Cap.* 37.

Cur caro super crescet.

ET si carnis productio sit Naturæ opus vt superius diximus, tamen supercrescens caro in Vulneribus enascitur ex Medici in curia, qui non vt decet, exsiccantia Med. apposuit, & diutius sarcoticis fuit vsus.

Hæc verò carnis supercrescentia, vt inquit *Gal. 3. Meth. est morbus in magnitudine, & cum sit Vulnus, est etiam morbus in solutione continui sicuti diximus etiam esse Vulnus cauum.* Sed in hoc differunt, quoniam cauum Vulnus est morbus in magnitudine imminuta, & Vulnus supercrescentem carnem habens est morbus in magnitudine aucta. Et sicuti in illo diximus, duas in curatione esse habendas intentiones, idest cauitatis repletionem, & solutæ vnitatis vnionem. Sic in Vulnere supercrescentem carnem habente, duæ intentiones habendæ sunt, idest solutæ vnionis coniunctio ac vnio, & supercrescentis carnis abolitio, quæ nunquam Naturæ opera fit, sicuti carnis restitutio, & glutinatio, sed tantum Medici, & Medicamentorum ope ac facultate, vt inquit *Gal loco superius citato*. Si quis verò dicat, ad carnem generandam Med. etiam applicantur. Ergo carnis generatio ope etiam Med. fit. Respondendum in carnis generatione nil aliud Med. moliri, quam illa submouere, quæ carnis generatio. ē impedire possent. In absumenda verò supercrescente carne opus est vt Med. sua facultate eam minuant ac absumant, cum nunquam Natura hoc efficere possit. Vt verò Med. sint exedentia, & carnem minuentia, opus est, vt magis exsiccent ac detergant, Sarcoticis, Glutinantibus, & Epuloticis Med. cū maior vis ac facultas ad carnis, & cutis corrosionem, & destructionem requiratur, quam ad carnem generandam, conglutinandam, & indurandam, & ideo si in carnis generatione in primo gradu Med. sicca esse debent, in Glutinatione in secundo, & in cicatrizatione in tertio, cum tantum opus sit naturalem ac accidentalem humiditatem exsiccare. Ergo corrosiua erunt sicca in quarto gradu, cum maioris facultatis esse debeant, cum non solum humiditates exsiccare, sed carnem ipsam absumere debeant. Et notandum, quod debent esse sicca in quarto gradu, respectu habito ad corporis totius, & partis, cui applicantur, temperiem, & non absolute vt de alijs superius fuit dictum, & ideo *Gal. loco superius citato dixit*. Hoc autem semper curantis animo hereat, non omnem naturam eadem remedia requirere. Sed infirmiores molliores; mitiora, validiores siccioresq; valentiora, & ideo natura Aegri imprimis consideranda venit. Cum eadem Med. quibusdā naturis excrescentē carnē absumant, alijs vero cicatricē inducant alijs vulnera conglutinēt

Dubitatio.

Solutio.

Exedentia Medicamentorum qualitates.

Non solum vero oportet, vt in quarto gradu erodentia Med. sint sicca, sed opus est etiam, vt sint acria, & absterſiua, cum absterſio carnis imminutionem adiuuet, & quo magis acria, & absterſiua erunt, eo magis erodentia erunt. Et ideo *Gal. 3. Meth. dixit*. Med. carnem minuentia proxima tùm his sunt, quæ valenter, detergūt, tum, quæ cicatricem inducunt. Cæterum missis, & Chalcitis, si humidæ naturæ applicentur, & si Epulotica sint, potius carnem exedunt, quam cicatricem inducant, nisi forte in pollinem admodum tenuem redactis parcissimè illis quispiam vtatur. Nam sic imposita partibus cicatricem conciliant. Quod si minuere, quæ supercruere studeamus, liberalius sunt imponenda.

Erodentia Med. quæ sint.

Ex erodentium vero genere sunt Chalcantum siue Vetriolum, Aerugo, Alumen, Hermodactilus, Radix Aspodeli, Spongia minutas partes incisa, Stuppæ, Canabinæ minutim incisæ, Lineamenta ex veteri Linteo carpta, & acriarium imbuta, & exsiccata, & Vng. Apostolorum.

Si vero caro in magna quantitate sit aucta,

cta, & in ſiccis naturis, tunc competit viride Aeris, Vng. viridæ, Aegiptiacum, Trociſci de Calce, Trociſci Alphodelorum, de Minio, præcipitatum, & multa alia, quæ omnia enumerare longum, & ſuperfluum eſſet. Et ex his erodentibus ac carnem abſumentibus ſicuti de ſarcoticis, Glutinantibus, & Epuloticis diximus, alia ſunt imbecilliora, alia mediocria, & alia valentiora, & ex his alia cauſtica, & eſcas ram inducentia ſunt.

Notandũ Quibus quando vtimur, animaduertendum ne circumſtantes partes inflammentur, cum dolorem inducant, & ex dolore fluxio excitetur, & ideo dictis circumſitis partibus refrigerantia Med. applicanda, deinde cruſta ſiue eſcara Vulneri inducta, Pinguedinibus reſoluenda, & tandem Vulnus cicatrizzandum.

De Vulnere Contuſo. *Cap.* 38.

Cauſa. Contuſio in Vulneribus accidit, quando Vulnera non ſolum à Telo incidendi vim habente fiunt, ſed etiam contundẽdi. Fit ergo contuſio à graui, & retuſo Telo, & delacerandi vim habente, & ideo *Gal.* 12. *Meth. dixit*, Contuſionem ex eo, quod aliquod corpus occurſarit extrinſecus, quod vel durum, vel magnum, vel graue, & ſimul ambo extitit, *& com. in tertium lib. de Medici Officina cap.* 30. *dixit*.

Contuſiones fiunt, cum graue quippiam in corpus indicit ac veluti carnoſum genus diuellit. Contuſio igitur eſt muſculi, ſiue carnoſæ partes continui ſolutio in multas partes facta. Non ſolum ergo in Vulnere contuſo adeſt vna continui ſolutio, vt in reliquis Vulneribus, ſed etiam multiplex continui ſolutio in carne circumſtanti facta.

Signa. Cognoſcuntur vero contuſa Vulnera, ex inſtrumento, quo fuerint facta, ex dilaceratione quæ in Vulnere apparet, ex tumore, & circumſtantium partium colore, quid ad huiuſmodi tendit.

Curatio. Quo ad huius Vulneris curationem, cũ duo ſe nobis offerant, ideſt Vulnus, & contuſio, duæ etiam curationes ſunt inſtituendæ. Altera ad Vulnus, altera ad contuſionem. Sed cum omne Vulnus, cui aliquis alius affectus ſit coniunctus, non poſſit curari, niſi affectus ille prius tollatur. Ideo primum contuſionis curatio eſt molienda cum nunquam Vulnus ſanari poſſit, niſi pars in quà Vulnus conſiſtit, ſana ſit, dicente *Gal.* 3. *Meth.* Fieri non poteſt, vt in vlcere carnis productio, vel ſinus molitio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio recte vnquam cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Vt igitur, ſi in Phlegmone vna cum vlcere vrgeat, vel contuſio, prius quam hæc ſint diſcuſſa, nemo id carne implere, vel glutinare, vel cicatricem inducere tentaret. Ad eundem (arbitror) modum, viti ſi ſine Phlegmone, ſola intemperies ſubſit, nullum horũ fore prius ſperabimus, quam illa fuerit ſanata.

Prima ergo curatio ad id, quod cum Vulnere eſt coniunctum dirigenda. Sed in caſu noſtro contuſio cum Vulnere eſt coniuncta. Ergo primum ante Vulnus contuſio curanda.

In huiuſmodi igitur Vulneris curatione plures intentiones habere debemus. Prima circa vniuerſalia præſidia conſiſtit. Secunda erit dolorem mulcere ac remouere. Tertia quod eſt contuſum, & extrauenatum ſanguinẽ in pus conuertere. Quarta Vulnus detergere, & mundificare. Quinta carne replere. Sexta conſolidare, & ſeptima erit ſuperuenientia Symptomata corrigere, & remouere.

Quo ad primam intentionem aſſequenda, conueniens victus, ideſt tenuis, & frigidiuſculus inſtituendus, & ad humorum defluxionem inflammationemq; prohibendam, Reuulſiones Venæ ſectione, niſi quid obſtet, vinculis, frictionibus, & Cucurbitulis faciendæ oppoſitis ſcilicet partibus, & purgationes etiam pro humoris peccantis natura inſtituendæ, ſicuti ſuperius in curatione vulnerum in Vniuerſali fuit dictum

Secundam intentionem Topicis ac particularibus præſidijs conſequemur, & pro primo apparatu ſupra affectam partem applicandum Albumen Ouj, vel Ouum integrum cum puluere Myrtillorum, emplaſtri modo, & hoc ad repellendum doloremque mitigandum faciendum, ſic Vulneris ambitum Oleo Roſaceo, vel Myrtino liniemus, & deſuper puluerem Baccarum, vel foliorum Mirti aſpergemus, & in ſuperiori parte Vng. defenſiuum, & circumcirca vulnus etiam, ad defluxionem prohibendã, applicabimus, cum curari debeamus quæ contuſa ſunt maxime ab inflãmatione defendere. Deinde ad ſuppurantia quãprimum deuemendũ eſt, quod eſt tertium intentũ, ex *Hipp. præcepto lib. de Vlceribus, vbi inquit*. Minus inflammatione tentatur

recens

recens Vlcus omne, & cum ipso quod iuxta est, si quis quamcelerrime pus moueat. Et inferius inquit idem Autor.

Si quid Carnis collisum attritumque à Telo fuerit, ita curandum est, vt quamcelerrime suppuret, nàm, & minùs inflammatione præhenditur, & necesse est collisam, detritamq; à Telo carnem in pus versam tabescere, deinde nouam creari. Duæ igitur indicationes in contuso Vulnere curando ab Hipp. nobis proponuntur, nempe suppuratio, & nouæ carnis regeneratio vtq; idem Autor inquit; Suppuratio quamprimum molienda est, ne inflammatio superueniat. Cum caro, quæ contusa, & lacerata est, & perruptis Venis sanguine suffusa, nec sanari possit, nec inhiberi, quò minus putrescat, cum per Vulnus naturalis calor expiret. Cumq; suppuratio, vt inquit dictus Autor, fiat ex feruente, & alienato, & tandem putrescente, & in pus verso sanguine, & quæ hoc efficiendi vim habent, vt inquit *Gal. 4. Meth. cap 5. calida, & humida esse debeant, ideo calida, & humida huiusmodi Vulneribus applicabimus, ex quibus Gal. loco citato esse dixit*; Malua cocta, Radices Altheæ, Catapl. quod ex Hordei Farina Oleo, & Aqua constat; Item Panis ex Aqua, & Oleo, Preterea fomentum multæ calidæ Aquæ, & Tetrapharmacum, quod, vt inquit *Celsus lib. 5. Cap. 19.* ex Cera Pice, Resina, Seuo Taurino, vel Vitulino constat, & omnia deniq; calefacientia simul, & humectantia pus quamcelerimme mouent, vt inquit *Gal loco citato*. Inter cetera contuso Vulneri maxime prodesse infrascriptum inquit Auic.

Suppurãtia siue pus mouentia.

℞. Radicum Altheæ, Cucumeris Agresti an. vnc. 5. Origani siluestris, siue vulgaris, Hysopi an. M. 5. Florum Chamemoli, Sem. Lini an. pug. 1. Caricarum ping. num. 6. Vuarum Passularum parinũ vna bulliant, & tandẽ ijs præssis ac diligentèr tusis, adde Galbani Myrrhæ, Stiracis liquidæ, Oesipi an. drag. 1. 5. Sang. Drag. Apidis suis an. vnc. 5. & S. A. Formetur Malagma, vel applicetur infrascriptum.

℞. Foliorum Maluarum; Violarũ an. M. 1. Radicum Altheæ *lib. 5.* decoquantur in iure carnium absque sale pustea in Mortario subigantur, & cribro traiciantur, & ex cribatura cum prædicto decocto, & Farina Hordei ac Tritici q. suff. S. A. Fiat solidum Catapl. addendo Butyri, & Olei communis an. vnc. 3. Vitellorum Ouorum num. 2. & Croci momentum. Huiusmodi Catapl. & similia non supra Vulnus, vt multi indocti faciunt, imponenda sed circum circa, vbi caro contusa adest, & hoc *Hip. lib. de Vlceribus præcepto, vbi inquit*. Vbi Cataplasmate vlcus nutriendum esse videatur, reduci à plaga debet, & proximis partibus imponi, vt pus euadat, & quæ dura sunt, emollientur. Causa ergo cur Catapl. ab Vlceris ore debeat reduci, vt inquit dictus Autor, est, vt pus exitum habeat, quoniam, si intra Vlcus retinererur, inflammationem augeret, proximasq; partes corrumperet; Et eadem etiam de causa Gal. pannum, quem ad Fistulas adhibet, medium excidit, vt puri ac saniei commode exitus detur. In ipso vero Vulnere digestiuum ex Resina Tereb. & Ououorum luteis fastum imponendum, & desuper similiter Filamenta dicto Digestiuo oblenitæ imponenda. Suppurato Vulnera, & vt quartam intentionem consequamur, ad detergentia deueniendum est, sicuti est Mel Rosaceum, Succus Apij, Vng. Apostolorum, & similia, quibus Penicilli, siue Turundæ ex filamentis factæ imbuendæ, & intra Vulnus immittendi, & desuper sicca Lineamenta, vel aridæ stuppæ imponendæ, & contentiua fasciatura dicta continnenda. Deterso, & purgato optime Vulnere, quod cognoscitur ex signis, quæ tradidit *Celsus lib. 5. cap 26. dicens*. Tùm demum vero prauum Vlcus est cum rubet ac minimum neq; siccum, neq; humidum est, ac quandoque sensu caret, quod non naturalitèr sentit, quod nimium, aùt aridum, aùt humidum est.

Catapl. vbi applicanda in Vulneribus.

Vulneris detersi signa.

Quòd aùt pallidum, aùt albidum, aùt liuidum, aùt nigrum est, id purum non est purgato igitur ac deterso, vt decet, Vulnere sarcoticis Medicamentis quintam intentionem consequemur, cum tunc carne tale Vulnus repleri debeat. Hoc verò consequemur semper in dies. Turandas siue penicillos minores faciendo, & sarcoticis Medicamentis superius in Caui Vulneris curatione dictis. Carne repleto Vulnere, & æqualiter facto, vt superius fuit dictum; ad cicatricem perducendum, quod erit sextum intentum. Si vero in huiusmodi Vulnere caro multum esset dilacerata, & Vulneris labia in varias partes sicca, & sutura vtilis videatur, retentiua sutura dictæ dilaceratæ partes laxe consuendæ, & si

dictæ

dictæ conſuendæ partes ſint tra ab Aere alteratæ, & duræ, & calloſæ ſint reditæ. Antequam conſuantur, niſi quid obeſt, ſcalpello colloſitas illa roſſenda. Niſi vero dictis auxilijs tale Vulnus ad ſuppurationem perduci poſſit, & in partis corruptionem, & Gangrenam degeneret; Quod dignoſcitur ex tarda, & difficili maturatione, & ex coloris floridi extinctione, & ad fuſcum tendente, vt inquit *Gal. lib. de Tum. Præt. Nat.* Similitèr ſenſus in tali parte hebes fit, & dolor ſedatur, & pulſatio recedit, & alia Gangrenæ ſigna adſunt, vt *lib. de Tumoribus à nobis fuit dictum*. Quando ergo huiuſmodi ſigna apparere cæperint ſtatim imponendum aliquod Medic. huiuſmodi corruptioni ac mortificationi reſiſtens vt eſt Vng. Aegipti-cum, vel quid ſimile, vt in Gangrenæ curatione à nobis fuit dictum. Si verò aliquod prauum Symptoma ſuperueniat, ſicuti ſuperius fuit dictum. Congruis remedijs pugnandum, & ſic ſeptimam intentionem conſequemur.

Note Vulneris in Gangrenã degenerantis.

De Ecchymoſi. *Cap. 39.*

Ordo.

VM Ecchymoſis maximam cum Vulnere contuſo affinitatem habeat, cum vna cum Contuſione, & Ruptione indicat, vt inquit *Gal.* 4. *Meth. cap* 1. Ideo de hoc affectu poſt contuſum Vulnus verba faciemus; Ecchymoſis, ſiue Ecchymoma à Græcis dictus, à Latinis ſanguinis ſubter cutem effuſio, & coadunatio dicitur. *Gal. Com* 2 *in lib* 6. *Epid. dixit, appellari ab Hipp.* Ecchymoſis effuſiones cuacuationeſq; à vaſis factas. Ecchymoſis igitur eſt effuſio, & cotus ſanguinis ſubter cutem, & ideo *Gal. com.* 20. *lib.* 6. *Aph dixit*, Ecchymoſis dum fit ſanguis effunditur in ſpatia vaſi circumiacentia. Eſt ergo Ecchymoſis morbus in ſolutione continui.

Quid nominis.

Quidrei.

Quid morbus ſit.

Cauſæ.

Hoc enim vitium, Ecchymoſis ſiue Ecchymoma dictum, ab omnibus illis cauſis quæ ſanguinis effuſionem, ſiue extrauenationem poſſunt efficere, oriri poteſt. Vtq; inquit *Gal.* 4. *Meth. cap.* 2. Profluit ſane ſanguis ex Vena, & Arteria, aut relerato eorum, aut tunica earum diuiſa, aut tranſcolatus, ſiue ſudoris inſtar transfuſus, & præcipue quando ab Arteria ſanguis ſub cute effunditur, aneuriſma appellatur. Diuiditur verò ipſa tunica aùt Vulnerata, aùt contuſa, aùt rupta, aut eroſa. *Et Paul. lib.* 4. *cap.* 30. *inquit*, Carne à graui aliquo corpore illapſo contuſa exilibuſq; in ea venulis diſruptis, ſanguis exudans per ſubſultum tranſcolatur, qui ſub cute collectus Ecchymoma appellatum inducit.

Quot modis sãguis a vaſis effluat.

Aneuriſma quando fiat.

Grauis ergo ictus, ſiue grauis caſus Ecchymoſim efficere poteſt, tantum contuſionem faciendo, citra carnis muſculoſæ in profundo herentis corpore ruptionem, & ideo *Gal. com.* 3. *lib. de Officina cap.* 30. *inquit*. Ecchymoma, hoc eſt ſuggillatio, fit, vbi per contuſiones carnis ſanguis ad regionem ſubcutaneam effunditur. Similitèr motus valenter, & confertim factus, abſque hoc, quod aliquid grauæ extrinſecus inſidat, carnem abſque vlla contuſione diſrumpendo, Ecchymoſim efficere poteſt.

Aliquando vero ex ambabus dictis cauſis ſimul talis affectus procreatur, vt quando ex graui aliquo ictu, vel graui caſu ab alto non ſolum carnoſæ muſculorum partes, ſine cutis diuortio contunduntur, ſed etiam ex diſtenſione violenter, & confertim facta abrumpuntur. Ex his enim cauſis Ecchymoſis ſub cute oritur, quia ab exiguis Venis in contuſa ſiue rupta carne diuortium expertis, ſanguis in ſpatia circumiacentia effunditur. Fit etiam Ecchymoſis ex oris vaſorum apertione, Anaſtomaſin à Græcis dicta, & ex ea, quam Diapediſin vocant, ideſt tranſcolatio, exilatio, vel tranſmiſſio aùt ſublatus dictus, vt inquit *Gal.* 4. *Meth. cap.* 1. *Anaſtomaſis. hoc eſt tranſcolatio, vt inquit Gal.* 5 *Meth cap.* 2. *accidit propter tùm vaſis imbecillitatem tùm ſanguinis, qui ad os eius impetum facit, copiam ad hæc acrem quampiam, quæ illic extrinſecus incidit qualitatem.* Diapediſis vero ex tunica tarefacta, & attenuato ſanguine oritur. Accidere tamen poteſt ob gracilium vaſorum adapertum, hæc *Gal* Nos tamen tantum de ea Ecchymoſi, quæ à contuſione ſiue ruptione fit, verba faciemus.

Quæ ſub Ecchymaſi conpræhendantur.

Sub Ecchymoſi igitur compræhenduntur ſuggillata à latinis dicta à Græcis Hypopia, & Liuores ex ictu proueniente à Græcis Hypoſphagmata dicta, à Latinis vibices, & ab Auricenniſtis percuſſionis veſtigia nominantur, & ideo *Paul. lib.* 4. *cap.* 30. *inquit.* Quod ſpecies Ecchymomatis ſunt ſuggillata, & rupturæ Venarum, & Liuores ex ictu proueniẽtes. Hypoſphagmata nuncupata, & sãguis ex plaga inter vngues coitus

Signa.

Ecchymoſis ſigna, *vt loco citato inquit Paul.*

Paul. fiunt cure nullum diuortium experiente, tumor mollis, tactui cedens, liuidus, & vt plurimum, dolore vacans. Propter verò vnitatis solutionem affatim factam dolores etiam interdum, & ob sanguinis profundũ concursum, & abscessus aliquando insequuntur, qui tamen magna ex parte per halitum digeruntur.

Prognosticum. Ecchymoma, quod cum magna ac violenta contusione incidit, periculo non vacat, Solet enim frequenter, si negligatur, non modo affectæ particulæ, sed etiam corporis totius corruptionem afferre.

At si in contusione, quæ cum Ecchymosi consistit, cutis à carne disiuncta pendula maneat, raro vel nunquam agglutinatur. Et ideo melius erit eam prescindere, & exiccantia Medicamenta admouere, vel absque deligatura locum sic excoriatum relinquere, cum ambiens Aer ipsius cutis instaurationem non mediocriter, adiuuet.

De Ecchymosis Curatione.

QVinquæ intentiones in Ecchymosis curatione sunt habendæ. Prima in optima dietæ constitutione consistit; Secunda in reuulsione ac materiæ ad affectam partem confluentis euacatione; Tertia in doloris lenitione, & affectæ partis roboratione; Quarta in sanguinis effusi euacuatione; Quinta in diuisarum partium agglutinatione ac consolidatione consistit.

Pro prima intentione consequenda tenuem victum frigidum, siccum atque sanguinis putredinem prohibentem instituemus, & si magnus sit affectus, non solum tenuis victus instituendus, sed tenuissimus, donec febris abierit, & inflammationis periculum transierit.

Secundam intentionem non solum venæ sectione è conuenienti loco factam, & pro virium, & morbi magnitudine, nisi quid prohibeat, consequemur, qua fluentem ad affectam partem materiam auertimus, & euacuamus. Sed etiam purgatione, pro humorum peccantium ratione, & Syruppi sanguinis putredini ac conglutinationi resistens sunt instituendi, vt sunt de Succo Limonum, de acredine Citri, de Succo Acetosæ, similes. Pro tertia consequenda intentione, rebus anodinis, sed frigidis, & adstringentibus est opus, cum non solum dolorem sedare oporteat, sed etiam laboranti parti, ne fluxionem recipiat, robur adferre, & his etiam Venulas ne amplius sanguinem effundant constringemus, & ideo primum super affectam partem Oui Albumen Rosaceo Oleo mixtum applicabimus, & mediocri ligatura stringemus, vel affecta pars Rosaceo inungenda, & Myrti puluere superaspergenda, vt voluit Rhases, Vel Oleo Rosaceo Myrtino, & Lumbricorum simul mixtis inungemus, & desuper puluerem Rosarum, & Myrti simul mixtis aspergemus, vel si commoditas detur, Arietina pellis recenter ab Animali detracta, & adhuc calida tenuissimo Sale, & Nasturtij puluere respersa, vel tantum puluere Myrtino affectæ parti circumuoluenda. Quod remedium Paulus, Aetius, & multi alij boni Autores etiam flagellatis, siue Verberibus cesis optimum esse inquiunt.

Quartam intentionem, *vt inquit Paulus loco superius citato* consequemur, sanguinem subter cutem effusum, ante quam nigrescat, & in grumos conuertatur, euacuando, & ideo *Gal. 4 Meth. cap. vltimo dixit.* Ecchymosis omnis vacuationem pro curationis remedio indicat. Hęc vero euacuatio duobus modis fieri potest, vel sensibiliter, vel insensibiliter, insensibiliter euacuare debemus resoluentibus ac digerentibus Medic. quod facilius succedet, si effusus sanguis tantum subter cutem contentus fuerit, quam si profundius sit situs; Et ideo quo profundius effusus sanguis continetur, eo valentiora Me. exigit, & ideo *Gal. loco superius citato dixit.* Porro valentiora Med. requirunt affectus in alto delitescentes corpore, quam in summa superficie consistunt.

Calefacientibus ergo, & modice siccantibus Med. est opus, vt inquit dictus Autor. Sed animaduertendum, vt in principio moderate calefacientibus, & siccantibus vtamur, quoniam si à principio vehementer siccantibus vtamur, rem bene processisse appareret, quoniam cutissime subtiliores partes resoluerentur, sed crassiores durescerent, & veluti in Scirrhum conuerterentur, quod postea difficilæ curatu esset. Sed cum Venularum tunicę ex quibus sanguis exilit contusæ sint, per initia, idest post primum apparatum, quæ aliquam

constrin-

conſtringendi habent facultatem cum diſcutientibus admiſcendum, vt inquit *Gal. lib. 5. de Comp. Medicamentorum S. loca cap. 1 & Paul loco ſupertus citato*. Cum Venularum contuſæ tunicæ aliquam denſationem ac adſtrictionem requirant, vt ad naturalem ſtatum ſuum reducantur, & ne noua materia ob dolorem attracta ad contuſum locum delabatur. Quoniam ſi ſolum diſcutientia Medicamenta ab initio apponeremus, non ſolum effuſum ſanguinem diſcuterent ac reſoluerent, ſed etiam aliquid ſanguinis, qui in contuſis Venis continetur, extraherent. Quando vero conſolidatæ, & in priſtinum ſtatum Venulæ redierint, tunc ſolis diſcutientibus, abſque vlla adſtrictione, vti debemus. Secunda igitur die, detracta pelle, vel ſupraſcriptis adhibitis præſidijs, infraſcripto Vng. vel ſimili partem inungemus, quod dolorem lenendi, ſanguinem reſoluendi vim, ac etiam aliquam adſtringentia habet.

℞. Bol. Arm. Reſinæ, Thuris, Fenugreci, Dragaganthi an. vnc. 5. Croci dragm. 1. pul. Roſarum, Myrtillorum, Sumachi an. dragm. 3. Vng. Dialtheæ, Olei Roſacei, Myrtini, Chamemolini, Anethini an. vnc. 2. Ceræ nouæ, Terebenthinæ an. vnc. 1. puluerizzanda puluerizzentur, & his omnibus S. A. fiat Vng. quo calido vti debemus.

Tertia die foueatur pars affecta moderate diſcutienti Medicamento, vt quod conſtat ex Vino, Melle, & Sale ſimul mixtis, vel fiat ex Hordeacea Farina, & Calaminthæ in Vino coctis, vel quod ex Cumino, & Cera fit, vel quod ex floribus Chamomeli, Melliloto, Stechade, & Cumino omnibus in Vino decoctis, vel quod fit ex Malis, Furfure, Abſinthio, Cumino, & Anetho Aqua, vel Vino incoctis; Item quod ex Farina Hordei, & Fenugreci, Croco, & Sandrachæ momento, hoc Auripigmenti omnibus quidem Aqua Calaminthæ incoctis.

Inueteratis vero Ecchymomatibus, & quando nigreſcunt, vel quando effuſus ſanguis altius continetur, tunc valentioribus Medi. eſt opus, & ideo magis acria, & magis incidentia eſſe debent, vtque ſummatim dicam, tanto efficaciora eſſe debent, quanto magis à cute ad profunda Ecchymoſis receſſit, & ideo *Paul dixit* Ad inueterata Ecchymomata accommodatus eſt Raphanus Cataplaſmate agglutinatus diſcutit enim ipſa, vbi errodere cæperit, vel Raphanorum cremor cum micis panis impactus, vel applicetur infraſcriptum Cataplaſma.

℞. Symphiti vtriuſque an. lib. 5. Florum Chamomeli, Melliloti an. pug. 1. Croci dragm. 5. Farinæ Fabarum vnc. 3. Farinæ Fenugreci dragm. 5. Butiri recentis vnc. 1. Succi Abſinthij, ſucci Cumini an. vnc. 1. coque, quæ ſunt coquenda, & contunde contundenda, & S. A. Fac Cataplaſma. quod valenter diſcutit.

Si vero locus humidus ac emortuus ex concreto ſanguine videatur, huiuſmodi pars calido Aceto fouenda, vel decocto Radicis Raphani Serpentariæ, & Ari in Vino facto, vel Aqua ſi calor adſit, & poſtea de ſuper applicetur Diachilon Ireatum vel Cera cum Cumino mixta. Vel ℞ Puluerum Abrotani, Sem. Cumini, Florum Camemoli an. dragm. 1. M. cum ſucco Apij, & Melle q. ſuff. & fiat Cataplaſma.

Et qui plura deſiderat, videat ſuperius de Nigredine ac Liuiditate tollenda, vbi alia efficaciſſima remedia adinueniet.

Nihil vero ſupraſcriptis reſoluentibus inſenſibiliter Ecchymoſis diſcuti ac curari poſſit ad ſenſibiliter euacuantia deueniendum eſt, & ideo pars affecta ſcarificanda, & Cucurbitulæ applicandæ, quo inſtituto vtitur *Gal. etiam, vbi Ecchymoſis altius deſcendit, dicens 4. Meth. cap. vltimo*. Quod quidem inſtrumentum fuit a Medicis ad violentam attractionem excogitatum. Et ſi dicta remedia profuerint, & humor in pus conuertatur, ſuppuratio adiuuanda, & poſtea Vomica aperienda, deinde Vlcus detergendum, & tandem more aliorum abſcedentium curandum. Solent etiam in caſu ab alto, effuſione, & violento membrorum tractu ac in violenta diſtenſione, quæ iam per os dari, quæ ſanguinem concretum, & extra vaſa effuſum diſſoluendi facultatem habeant, vt ſunt infraſcripta.

Sanguinem intus concretum diſſoluëtia.

℞. Rhabarbari electi pul. dragm. 1. Mumiæ dragm. 5. Aquæ Rubiæ maioris vnc. 2. Syruppi de Rosis vnc. 5. M. & fiat potio, quæ ſtatim detur, vel ſu-

℞. Rhabarbari torrefacti, Terræ ſig. Boli Arm. Orient. Mumiæ, Sem. Naſturtij torrefacti an. drag. 1. M. & omnia in puluerem redigantur de quo ſingulo mane

cap.

cap. drag. 1. cum Aqua plantaginis, vel Virgæ, vel Burſæ Paſtoris, vel ℞. Rhab. torrefacti, coſti, Rad. Rubiæ mai. Ariſtolochiæ Rot. Bdelli an. vnc. 5. Fiat exomnibus puluis tenuiſſimus, & quotidie detur dragm. 1. cum Syruppo acetoſo per dies 9. vel.

℞. Terræ ſig. mumiæ, Rubiæ tinct. Coſti, Rhab. torrefacti an. ſcrop. 1. ex omnibus fiat pul. ten. & cum dictis adſtringentibus Aquis propinetur.

Quando Ecchymoma fuerit diſcuſſum ad quintam intentionem conſequendam eſt deueniendum, & ideo vehementer ſiccantibus vti debemus ac conuenienti deligatura diſiunctas partes coniungere eſt opus, & denique omnia facienda, quæ ad Vlceris coaleſcentiam conducunt, vt ſuperius pluries fuit dictum. Vtque inquit *Gal. 4. Meth. cap. vltimo*; Ergo ſi diſcuſſum celeriter totum Ecchymoma ſit, facile coaleſcet rupta ipſa caro. Si longiori ſpatio ſordes multa ſubſaneſcens, medium inter vlceris labia ſpatium occupat, ita vt iam coire ruptio non poſſit. Aque in le adeo ſit, vt qualibet leui de cauſa nos hæc ſui admoneat. Nam ſiue quis obriguit, ſiue parum concoxit, ſiue febre laborauit, ſiue ſe vehementius fatigauerit, eiuſmodi particulis illico dolet. Non enim in idem coire eruptionis labia, ſed tantum prope ſunt admota. Quo fit, vt leuis occaſio ea facile ſeparet, & medium locum ſuperuacuo humore repleat. Et quid queſo aliud quam aſſidue nouum Ecchymoma his gignitur, & primo illi, quam videlicet primum caro eſt rupta perſimile. Nſi quod nunc ex tenui magis ſanie conſtat, quam à principio è ſanguine Ecchymoma eſſet, ideo facilius etiam nunc quam intrà initia diſcutitur, & hæc omnia loco citato inquit *Gal.*

De Flagellatis. *Cap.* 40.

VIm ſuperius de contuſionibus, & Ecchymoſi verba feciſſemus modo de ijs, qui vapularunt, cum parum à contuſione differant, immò ſit quædam contuſionis ſpecies, pertractabimus, quamus aliquantiſper à proprio ſcopo diuertere videamur.

In hac igitur curatione, ſi fuerit opus, & nihil obeſt, indito prius Clyſtere, Baſilica Vena eſt ſecanda, & quantitas ſit ſecundum ætatem, vires, Anni tempus morbi magnitudinem, & cætera requiſita.

A principio victus tenuis inſtituatur, & Vinum, & caro interdicantur, deinde plenius concedatur. Et ſi de ſanguinis ſuffuſione ac congelatione in partibus internis dubitamus, aliquo ex infraſcriptis Med. per os propinetur.

℞. Rhabarbari electi drag. 1. Mumiæ G. 3. Rubiæ tinctorum G. 4 M. cum Syruppo Myrtino, vel de Roſis ſiccis q. ſuff. & fiat bolus cap. per horas 5. ante prandium, vel.

℞. Rhabarbari electi dragm. 1. Boli Arm. orient. Zinziberis an. ſcrup. 1. M. & ſimplici calida Aqua, vel plantaginis, ieiunio ventriculo propinetur. *Sanguinis grumos intus diſſoluentia & ſanguinem ſiſtentia.*

Hæc enim Medicamenta grume factum ſanguinem diſſoluunt, aluum lubricam reddunt, & fluentem ſanguinem ſiſtunt.

Quo ad Topica ac particularia præſidia ab omnibus laudatur Quilla, vel Arietina pellis recentèr ab animali excoriata, & adhuc calidæ affectæ parti circumdata, quæ vnius naturalis diei interſtitio. Flagellatos curat, & aliqui dictam pellem tenuiſſimo Sale, & Naſturtij puluere ſubtiliter aſpergunt. Vel infraſcripto Vng. calido pars inungatur, quod dolorem lenit, ſanguinemque reſoluit.

℞. Olei Anethini, Chamemolini, Myrtini an. vnc. 1. Roſacei dragm. 5. Boli Armenij vnc. 5. pulueris Myrtillorum, Roſarum Rub. Chamemoli, Anethi an. dragm. 2. Vnguenti Dialthææ dragm. 3. Croci ſcrup. 1. Cere q. ſuff. M. & S. A. Fiat vnguentum, vel.

℞. Olei Roſacei vnc. 5. Chamemolini vnc. 1. 5. Aceti vnc. 1. M. & coque ad aceti conſumptionem, deinde adde pulueris Florum Chamemoli, Aneti an. drag. 2. Calcis lotæ dragm. 5. pulueris Thuris dragm. 1. Mellis vnc. 2. M. cum Cera q. ſuff. & S. A. Fiat Vng. quod magis reſoluit, vel.

℞. Ceruſæ, Spumæ Argenti an. vnc. 5. Ceræ vnc. 2. Olei Raſacei q. ſuff. M. & fiat in Vng. forma, vel.

℞. Croci pulueris Tragaganthæ an. dra. 1. M. & cum Oui Vitello, & albumine ſimul cõmute, & applica. Et ſi locus ſit valde contractus, applicetur infraſcriptum Catapl. quod exſiccat reſoluit ac dolorem lenit.

℞. Farinæ Fabarum lib. 5. pul. florum Chamemoli vnc. 2. Croci ſcrup. 1. Oximellitis q. ſuff. M. & S. A. fiat Catapl. & tandem omnia, quæ alijs contuſionibus conueniunt, hic etiam vtilia ſunt, quorum copiam in Ecchymoſis curatione diximus contuſionibus, quam in flagellatis, & eius vſu eſt, vt ſuper linteum extendatur, & calidum applicetur bis vel ſemel in die, & ſi adſit plaga, circum circa apponatur.

℞. Olei de Abſinthio, Myrtini, Coſtini, Roſacei an. vnc. 4. Oeſipi vnc. 5. Boli Armenij vnc. 1. 5. Pinguedinis pulli Reſinæ Terebenthinæ an. vnc. 1. 5. Ceræ flauæ vnc. 5. M. & S. A. fiat in Vnguenti forma.

De Vulnere ex morſu vel ictu tùm Venenatorum Animalium tùm aliorum non ita noxiorum illato. *Cap.* 41.

VIm omnibus morſus ex quocumque animali fuerit illatus vt inquit *Celſus lib. 5. cap. 27. aliquam virulentiam habeat, ideo diuerſam curationem huiuſmodi ab alijs requirunt & hac de cauſa propria ac particularis curatio eſt inſtituenda.* Tamen ſciendum, quod ex morſibus, vel ictibus alij ſunt magis venenati, alij parum, vel minimum habent venenum. Morſus vel ictus, qui plurimum habent veneni ſunt, qui à venenatis, & ferocibus feris inferuntur, vt ſunt inter Serpentes Aſpis, Vipera, & ſimiles, inter maiora Animalia rabioſus Canis, vel quoduis aliud animal rabie correptum, & inter ea, quæ venenum pungendo inferunt ſunt Scorpio, mus Araneus, & ſimilia animalia. Morſus qui minimum habent veneni ſunt qui ab alijs Animalibus rabie non correptis fiunt, vt ab Homine, Simia, Carne, Lupo, Equo, Aſino, & ſimilibus.

Morſus vel ictus quæ plurimum veneni habent

Morſus quæ minimum veneni habent.

Primum ergo de Vulneribus ex morſu magis venenoſis verba faciemus, deinde de alijs, quæ minimum habent veneni.

Venenum quomodo infligatur.

In Animalium venenatorum morſibus vel ictibus maxima apparet ſeuitia, tùm ex agentis ratione, tùm patientis, ex parte enim agentis manifeſte apparet, quia illa ex morſu illata venena actualem habent calorem, qui quamcitiſſime ſui veneni vim in patientis ſpiritus eiaculatur, & ad intimas cordis ſedes impellit. Ex patientis parte etiam ſeuitia apparet, quia ex morſu ictum venenum, vel per capillares Venas vel arterias, quæ ad cutim pertingunt, vel per extrema Neruorum capitula, & propagines, ſtatim ad principalia membra penetrat, & hoc mirum non eſt. Cum vt inquit *Gal. primo Meth. totum corpus noſtrum conſpirabile, & confluxibile ſit. Vtque etiam Hipp. lib. de alimentis dixit, vt refert ipſe Gal. in corpore noſtro adeſt confluxio vna, conſpiratio vna, conſentiens omnia.* Et conſpirationibus ergo, & primum per cutis poros, & deinde per latiores vias venarum cor petit. Hunc verò veneni motum adiuuat noui Aeris attractio, quem corpropter ſui refrigerium etiam continuo per cutis poros attrahit, & vna Aer deforis attractus ærem præcedentem veneno imbutum impellit, & ad cordis ſinus compingit.

De Venenati Vulneris Prognoſtico.

VEnenati morſus ſiue Ictus ſigna ſunt maximus dolor ex inflicto Vulnere & punctionis, & mordificationis vehemens ſenſus, Vulneris, & laborantis partis floridus color petit, quoniam aùt rubet, & inflammatur, aùt liuet, vel ad nigredinem tendit, Laborans grauibus moleſtijs angitur, & aliquando maximum calorem perſentit, vt ſe vri videatur. Aliquando vniuerſum ægrotantis corpus ita ſtupidum redditur, vt tangentem non ſentiat, ſed non neceſſario hæc omnia ſigna in omni venenoſo Vulnere adſunt, ſed ex his aliaqua, & atiquando huiuſmodi ſigna maiora apparent, aliquando minora.

De Venenati Vulneris Prognoſtico.

HOmines, vt ex dictis elici poteſt, facilius, & periculoſius ex virulentis morſibus cæteris animalibus afficiantur, tùm ob vaſorum latitudinem, cum ob ſpiritus, & attractiui caloris copiam, his enim de cauſis venenum citiſſime penetrat. Venenoſa etiam plaga quo cordi proximior fuerit, eo erit periculoſior.

Cur Homines facilius, & phoptius veneno afficiantur.

In venenoſis item plagis, in quibus praua increſcunt Symptomata nec vlla Medici ope, aùt adhibitis conuenientibus auxilijs

xilijs cedunt, extremam minantur perniciem, & quo seuiora perseuerauerit Symptoma, eo maius periculum sit. Contra si praua Symptomata continuo ob adhibita conuenientia præsidia minuantur, certam salutis spem indicant.

De Venenati Vulneris ex Morsu Curatione.

IN Curandis Venenosis morsibus quam citissime, exiguo etiam apparente signo, salutaribus ac præsentaneis remedijs occurrendum ex *Hipp. Sententia* 4. *Aph.* 10. *dicens.* Purgandum in valde acutis, si ad sui excretionem inuret materia, eodem ipso die, differre enim in talibus malum. Quæ sententia in casu nostro locum habet, cum prius Veneno sit occurrendum, quam vires dissoluantur, & Symptomata confirmentur, & augeantur, & prius quam cor offendatur.

In hoc igitur Vulnere curando tres intentiones sunt habendæ. Prima in victu ac alijs non naturalibus rebus consistit. Secunda in virulenti liquoris euacuatione. Tertia in cordis roboratione.

Quo ad primam intentionem, victus conuenit tenuis, frigidus, & humidus, & qui putredini, & Veneno maxime resistat *vt cap. de Carbunculo, à nobis fuit dictum*; Vigilans etiam æger adseruandus, est, ac desidens per totum curationis tempus, donec euidenter remissionem acceperint molestiæ concomitantes.

Excrementa pro consuetudine reddantur, & nisi naturaliter excernantur, indantur clisteres, vel suppositoria, & sic prouidentur.

Quomodo vero secundam intentionem assequi debeamus, & quodlibet Vulnus, vel ictus ex venenoso animali insectus generaliter curari debeat, inquit *Gal. 13. Meth. cap. 7. his verbis.*

Quod si ex Animali punctu morsue dolor accidit, à quo exorta sit Phlemonæ; duplex sanandi doloris ratio est, vel virus ipsum euacuando, vel quod excitet alterando. Virus autem iaculatum vacuant tùm Alexipharmaca Medicamenta omnia, tùm quæ citrà calefactionem vehementer trahunt, veluti, & Cucurbitulæ, & cornua quædam, quibus nonnulli Cucurbitularum vice vtuntur.

Sunt autem, & qui ore suo virus extrahunt, ægre videlicet particulæ admoto. Ipsumque Vulnus labij complexit. Huc fere pertinet cauterium, & Medicamenta quæ cauteris similiter crustam efficiunt, atque omnia, quæ totam eius, quod infestat substantiam, extrahunt. Alterum auxiliorum genus est eorum, quæ qualitatem per contrariam qualitatem alterant, scilicet exhibentibus nobis, si vehementem calorem æger, vel in ipso demorso loco, vel in toto corpore sentiat, auxilia refrigerantia. Si frigus sentiat, calefacientia, hæc Gal. Cum in morsibus omnibus venenatis causam abscindere nostra debeat esse intentio. Ideo in his Vulneribus curandis, & dictis à Gal. præsidijs adhibendis hanc ordinem seruabimus.

Imprimis igitur, vbi inquit *Celsus lib. 5. cap.* 27. Super Vulnus id membrum ligandum est, non tamen nimium vehementer, ne torpeat.

Et hoc faciendum, ne Venenum tàm cito, cor petat. Deinde Venenum extrahendum est, & si Vulnus non valde magnum sit, & Venenum non valde fuum, Vulnus calida posca, vt inquit *Paul. Lib. 5. cap. 2. & Aetius Serm. 13. cap. 10. vel Decocto Chamemeli, vel Radicum Lapatij, silue stris fouendum.* Deinde huiusmodi Vulnus ab homine tatuto, qui prius Vino sibi os abluerit, & parum Olei in ore tenuerit, est fugendum, & Venenum expuendum. Animaduertendo, ne qui tale Vulnus sit exuctus, aliquod Vlcus in ore habeat, cum Venenum, *vt loco superius citato, inquit Celsus*, non gustui sed in Vlcere noceat, alij ad virus extrahendum Gallinæ, vel Columbæ deplumatum podicem constricto eius Rostro, vt per Podicem respirare cogantur, apponunt, & si huiusmodi animalia postea pereant, Venenum esse extractum, & euacuatum excogitant. Post hæc vero, vt inquiunt supradicti Autores cinis Fœniculneus, vel vitius, vel lauri, vel cuius vis generis, si dictorum comoditas non detur, Aceto subactus pro Cataplasmate imponatur. Si vero minus nobilæ sit membrum, vel vehementior morsus, Vulnus ipsum, & circum circa alte, & profunde sacrificandum, & deinde Cucurbitula, vel quodlibet simile vas, quod idem possit, cum plurima flamma applicandum, & vna cum sanguine virus etiam attrahatur. Post Cucurbitulæ vero remotionem, &

ſanguinis euacuationem optime auxiliantur parua Animalia diſcerpta, ideſt per medium diſciſſa, & aduch calida plagæ applicata, ideſt, vt eam tangant, vt ſunt Gallinæ, Hedi, Agni, Porcelli, & ſimilia quoniam huiuſmodi carnes venenum gugendi, & extrahendi ac dolorem leniendi vim habent, ac demorſæ partis calorem languentem erigunt, & ipſum pariter ad venenum depellendum ſuſcitant, & quo calidiora ſunt dicta Animalia, eo ſunt præſtantiora, & ideo Pulli Gallinacei alijs præſtant. Proinde animantis calore ſpiritus ictæ partis impetum capeſſens Venenum extrahit. Vtilia etiam his ſunt dilaniantia Catapl. ab Aetio, & Paulo deſcripta, vel infra poſita. Sed omnia alia ſuperat actualis inuſtio vſq; ad Cruſtæ productionem, vbi pars affecta Neruoſa non ſit. Vel Cauſtica, & vrentia Medicamenta applicanda, cum vt inquit Dioſcorides. Inuſtio candenti Ferro facta expeditiſſimum ſit remedium, tùm quia ignis cęteris præſtat viribus, Venenum cohibet, vireſque eius heberat, & id edomat ac aboler, & ad intima labi non ſinit, & pars igne experta non vulgaræ poſtea fundamentum futuræ curationi præbet, & apertam ſubinde plagam aliquandiu ſeruat, quod in omni venenoſo Vulnere faciendum, vt venenum euacuari poſſit, & indecoram cicatricem non relinquit, & ideo Democritus de venenoſorum Vulnerum curatione agens infraſcripta carmina ſcripta reliquit.

Actualis inuſtionis facultas.

Vnus idcirco eſt omnium curæ modus.
Omnibus carnem virulentam protinus.

Scalpello circumcide, vel igne amputa poſt vſtionem Eſcaram remouentia imponenda, & infraſcripta Cataplaſmata, vt diu plagam apertam ſeruent, ſuperponenda. Et ſi citius, quam ſit ex vſu, cicatrizzetur, iterum deducenda cicatrix, & Salpello circinnanda, & ſacrificanda, & iterum inurenda, & dicta Medicamenta apponenda, vt vſque ad legitimum tempus, plaga aperta ſeruetur, deinde cicatrix inducenda eſt. Si verò Animal, quod momorderit, maxime venenoſum ſit, ineuitabileque periculum afferat, & morſus vel ictus in aliqua extrema, & ignobili parte ſit, huiuſmodi partem amputare importunum non erit, vt de quodam Vinitore à Vipera demorſo 3. *de locis Aff. cap.* 7. *recitat Gal. qui, vt Beſtiam cognouit, demorſum digitum.* Falce abſcidit ac amputauit, & ita à periculo incolumen ſe reddidit. Dicta vero auxilia à *Gal. & ab alijs dictis Autoribus propoſita ſtatim, vel primis diebus facienda.* Aliter ſi primo tempore fuerint prætermiſſa, fruſtra poſtea adhibentur.

Cataplaſtrahētia ex quibus fiat.

Attrahentia Catapl. fiunt, ex alijs, Cepis, Scabioſa, Dictamo Pulegio, Porro ſilueſtri, Ruta, Flammula, Calamintho, Polio, Gentiana, Camedrio, Scordio, Scylla, Brionia, Aſphodelo, Galbano, Euphorbio, Fermento, Caprarũ ſtercore, & hiſſimilibus

Aetius præter opinionem valere inquit Andromaci Theriaca, Emplaſtri modo adhibita, alij miſcent, cum Gentiana Dictamo, Scabioſa, Terebenthina, & Butyro. Vel fiat Catapl. ex alijs Cepis coctis, & cum Theriaca mixtis, vel Scilla decocta applicetur, vel fiat Catapl ex Cepa, Sale Ruta, Sinapi, & Caprarum ſtercore, vel fiat Catapl. ex Iugland bus Nucibus cum alijs tàm ſatiuis, quàm ſilueſtribus coctis, & contuſis, & cum fermento, & Melle, Oleo, & Sale mixtis. Confert etiam Triticum commanſum appoſitum, vel eius Farina cum Aceto impoſita, vel furfures cum Aceto, vel Orobi Farina cum Aceto mixta, vel applicetur Catapl. ex Diptamo, & ex alijs calidis Medicamentis quæ vehementer trahendi vim habent. Dictis vero Medicamentis primis quinq; vel ſex diebus vti poſſumus, his elapſis, valentiora applicare poſſumus, vt ſunt infraſcripta, quæ in magnis quoq; ac vehementioribus, tùm ictibus, tùm morſibus, cum acris ſint potentiæ, à principio applicare poſſumus.

℞. Galbani, Sagapeni, Opoponacis, aſſæ Fetidæ, Myrræ, Piperis, Sulphuris an. dragm. 5. Stercoris Columbini, & Anatis an. vnc. 2. Calaminthæ, Mentaſtri an. vnc. 1. diſſoluantur Gummi in Vino, & addito Melle, & Oleo antiquo fiat Cataplaſma, vel.

℞. Puluerís Ariſtolochiæ longæ vnc. 2. Aſphodeli, Bryoniæ an. vn. 1. Aſſæ fętidæ, Galbani, Myrrhæ an. vnc. 5. & cum Oleis Laurino, Sambucino, & Cera q. ſuff. S. A. Fiat Empl. Quo vti debemus, donec ſatis virus effluxiſſe videbitur, vel applicetur infraſcriptum, quod non ſolum venenum à Vulneribus eliciendi vim habet, ſed Plumbeas Glandes, Ferrum, Oſſium, Lignorum, & veſtium fragmenta ad ſe attrahit.

℞. Gum-

Valdiſſimum attrahens.

℞. Gummi corticis medij Tiliæ extracti vnc. 2. Magnetis præparatæ vnc. 1. Succini flaui præparati vnc. 5. Opoponacis repurgati cum ſucco Serpentariæ drag. 3. Reſinæ Tereb. & Ceræ an. q. ſuff. M. & S. A. Fiat Empl.

Corroborantia, & virus alterantia.

Tertia intentio quæ ad cordis confirmationem pertinet, & virus alterationem ne præcipuis partibus noceat, conſequitur præſidijs per os aſſumptis, & deforis applicatis; Per Os enim Theriaca tertio quoq; die aſſumpta à drag. 1. 5. vſque ad dragm. 2. cum vnc. 4. potentis Vini maxime prodeſt, vel dentur drag. 5. Decocti facti ex Gentiana, Chamedrio, Scordio, Polio, Anetho, & Cancris fluiatilibus addito ſaccaro ad ſaporis iucunditatem, vel detur, dragm. 1. Puluueris Cancrorum Fluuiatilium, puluueris Gentianæ ſub Canicula collectæ dragm. 5. cum vnc. 4. Aquæ Pimpinellæ per aliquot dies, vel.

℞. Theriacæ veteris ſcrup. 2. Galbani Aſſæ fetidæ an. ſcrup. 5. Lapidis Magnetis drag. 5. Aquæ ſcabioſæ, vel ſucci Cydoniorum vnc. 3. M. & ſingulo mane per tres dies propinetur. Magnes etiam ad drag. 2. cum Vino propinata ſimiliter prodeſt, ſic aſſa fetida. Conferunt etiam aliæ Cardiacæ potiones, & Electuaria, vt Confectio Alchermens, Elect. de Gemmis Conſerua Citri, Borraginis, Bugloſſæ, & ſimilium, Epitemata ſimiliter, & Olea, & aliæ inunctiones veneno reſiſtentes & corroborantes, vt cap. Carbunculo à nobis fuit dictum.

De Vulneribus ex Morſu, quæ minimum Veneni habent. *Cap.* 42.

Vm omne Vulnus ex morſu illarum virulentiam habeat, vt inquit Celſus, ideo ne in aliquod prauum malum degeneret, diligenter curari debet, & diu apertum ſeruandum.

In huiuſmodi igitur Vulneris curatione tres Intentiones habere debemus. Primam in Dieta conſiſtit. Secunda in Vniuerſalibus præſidijs ſi Vulnus ſit Magnum, vel Corpus Cachochimium. Tertia particularibus ac localibus præſidijs adimpletur. Quo ad primam intentionem victus ad tenuem, & frigidum declinet, & hac dieta vtemur, quouſq; ab inflammatione, & Apoſtemate ſimus tuti. Secunda intentio, quando ſit opus, ideſt in dictis caſibus completur Venæ ſectione, & peccantium humorum euacuatione, vt pluries ſuperius fuit dictum.

In tertia intentione aſſequenda, optime animaduertendum à quo animali Vulnus fuerit factum, cum quædam animalia dentibus incidendi, perforandi, & dilaniandi tantum vim habeant, vt ſunt Canes Simiæ, Homines, & ſimilia, alia vero contundendi, dilacerandi, vt ſunt Equi, Aſini, & ſimilia Animalia, in quorum morſibus ob contuſionem diutius ac maturantibus præſidijs perſiſtendum.

In horum Vulnerum circuitu, ac etiam in ſuperiori parte. Defenſiuum Vng. applicandum, intra Vulnus à principio, vt eius malitiam corrigamus, Oleum Sambucinum feruens admouendum, vel infraſcriptum Empl. applicetur. ℞. Cæpam vnam coctam, Scordij vnc. 1. Salis, Olei an. dragm. 2. Mellis Roſacei vnc. 3. M. & S. A. Fiat Empl.

Secunda die ad dolorem leniendum, & ſuppurandum, & Vulnus apertum ſeruandum vnum ex infraſcriptis apponatur.

℞. Ouum integrum, Butyri vnc. 5. Croci ſcrup. 5. Olei Violacei drag. 2. M. & vtere, vel applicetur infraſcriptum Emplaſtrum.

℞. Radicum Altheæ vnc. 3. Foliorum Maluarum, Violarum, Abſinthij, Florum, Chamemoli, Meliori an. M. 1. coquantur, & contundantur, deinde adde Vitellorum Ouorum num. 4. Olei Roſacei, & Chamemelini an. q. ſuff. M. & fiat Catapl. & dictis Med. ſeptem diebus ſaltem vti debemus.

Deinde vti poſſumus Vng. Fuſco, vel Baſilicon cum Melle Roſaceo mixto, vel Reſina Tereb cum Oui vitello, Melle Roſaceo, & parum Croci. Poſtea ſi maiori deterſione ſit opus, ſimplici Melle Roſaceo vti debemus. Deterſo, & mundificato optime Vulnere, ad ſarcotica deueniendum & carne repleto tandem Vulcere; Epuloticis cicatrix inducenda, ſicuti in Vulneribus alijs. Et hæc de Vulnerum ex ictu morſuue Animalium venenatorum, & non venenatorum communi curatione ſufficiant. Si quis verò peculiarem ſingulorum venenatorum Vulnerum curatio-

nem deſideret, videat *Paul. Aetium, Celſum, & Dioſcoridem locis ſupertus citatis.* De is enim, quoniam rariſſime accidunt ſuperfluum ſcribere iudicauimus, ſed tantum de eo Vulnere, quod à Rabido Cane infertur pertractantibus, cum hoc frequentius accidat.

De Rabidi Canis Morſu *Cap.* 43.

CVm Canis animal domeſticum ſit vtque inquit *Paul. lib 5. cap.* 3. Frequens, & contubernalæ, & ſæpe rabie concitetur, identidem, & ob eius familiaritatem vitatu perdifficile, & periculum ex eo fit ineuitabile; Ideo de hoc venenato morſu ſermonem facere decreuimus. Hic enim Rabidi Canis morſus eſt Venenum toto genere præter naturam, quod ex quacumque corporis parte, & minimo etiam Vulnere proueniat, hominemque ſtatim inficere poteſt.

Canis Rabidi Morſus quod veneñ ſit.

Pro materia verò humorem Melancholicum obſedit, ex quo lentos habens progreſſus, grauiſſima poſtea Symptomata, & permoleſtas animi paſſiones inducit, & vniuerſum corporis habitum, humoreſque omnes in corruptionem trahit, & principes animæ facultates. Immaginatiuam præſertim, & Rationatricem offendit ac deprauat.

Ex intenſa igitur omnium partium calida, & ſicca intemperie ægri furibundi fiunt, & in Aquæ timorem cum igentiſſima ac confragrante ſiti incidunt, Febri corripiuntur, Dentibus ſtridunt, veluti Canes latrant, & ſic ſui, & domeſticorum obliti, quemuis mordere querunt, & ſic furibundi miſerrime intereunt.

Hydrophobia quid ſit.

Aquæ timor, à Græcis Hydrophobia dictus, vt inquit *Gal. lib. de Definti.* Med. eſt affectus præter naturam à Canis morſu rabie furentis, cum potus auerſione, conuulſione, ſingultus, atque ſuperueniente Delirio; Vel dicendum, quod eſt affectus præter naturam cum Delirio, & Aquæ timore inrationali, & vehementi.

Quod Symptoma ſit.

Eſt ergo Hydrophobia Symptoma in genere actionis principis leſæ, cum Aquæ timor abſque vlla ratione ſit, & ideo imaginatiua, & Rationalis facultas leditur, & aliquando etiam memoriam. Sed cum optimæ principes Animæ facultates, ex optima Cerebri temperie proueniant. Sic cum hæ omnes faultates deprauantur, ex mala huius partis intemperie prouenire eſt neceſſe. Hoc ergo Symptoma ad malam Cerebri intemperiem ſequitur, quæ eſt calida, & ſicca cum aduſta materia, vt inquit *Auic. 6. 4. tract. 4. cap. 5.*

Aquibus differat.

Differt verò hoc Symptoma à Phrenitide, & Inſania, ſiue Mania, quia Phrenitici ſemper magna Febre laborant, & ſimul membranatum Cerebri inflammatione afficiuntur, ſimiliter lucem effugiunt, omniaq; timent; Hydrophobi vero pauca, vel nulla Febre laborant, & ſi in capite adſit calida, & ſicca intemperies, tamen non adeſt inflammatio, & ſolum Aquam, & liquida omnia timent. Differt ab inſania ſiue Mania, quia eſt morbus cronicus, & non fit à morſu, ſiue procatarctica cauſa. Hydrophobia verò ab externa cauſa fit, vt à morſu, vel Saliuæ ſeù ſpumæ rabidi Canis contrectatione, & eſt morbus acutus, cum ægri raro quartam diem effugiant, metiendo tempus ab eo inſtanti, quo Aquæ timor manifeſtari incipit, vt inquit *Gal 6. de locis Aff cap 5. & 1. de Coacis Pran. 2. textu 17.*

De Rabiei Cauſis.

PRimitiua rabiei cauſa eſt Rabidi Canis morſus, vt inquit *Gal. 6. de Locis Aff. cap. 5.* Tanta enim fit in Cane humorum corruptio, vt vel ſolum eius ſputum ſi humanum corpus contigerit, rabiem excitare ſit potens; *Et Celius Aurelianus 3. de acutis cap. 9. inquit.* Quod ſola rabidi Canis reſpiratio facere poteſt, ex ea parte igitur, quam Canis momorderit, vel qua eius Spuma fuerit contrectata, virus in Hepar propagatur, deinde in ventriculum, poſtea in Cerebrum, & tandem in vniuerſum corpus, vbi venenatam intemperiem inducit, vt inquit conciliator *Diff 179 & quam primum huiuſmodi pernicies cor attigerit, ſtatim homo moritur;* Primum verò ſpiritus Animales, tamquam tenuiſſimi, & facile alterabiles afficiuntur, deinde vitales, vltimo Naturales, & ideo in Animalibus facultatibus prius leſio manifeſtatur.

Antecedens cauſa eſt habitus Cacochymus, & prauus, & præſertim melancholicus, cum melancholici facilius, & citius Rabie corripiantur, cum omne agens in

patien-

patientem bene disposítum agat, & ideo canes, quoniam natura calidi, sicci, & melancholici sunt præcipue, & per se Rabie corripiuntur.

Coniuncta verò, & huius Symptomata immediata causa est intemperies calida & sicca, & calidus, & siccus, & adustus humor cum praua occulta qualitate. Ob excessum ergo siccitatis cerebri, & corruptionem quandam humidæ suæ substantiæ in contrarium pænitus habitum, in Aquæ timorem homines indicunt, vt inquit *Paul. loco citato, & multi alij Autores; Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 16. inquit*. Timor Aquæ fit, quoniam ægri corruptum habent mentis iudicium.

De Rabiei signis.

SIgna à tribus desumi possunt, vel ex parte agentis, vel ex parte Vulneris vel ex parte patientis, idest ex superuenientibus Symptomatibus. Agentis, & Rabidi Canis signa sunt, vt inquit *Gal de Theriaca ad Pisonem, & Dioscrides lib. 6. cap. 35.* Motus tremens, & incompositus, Oculi inflammati, & torue, & solito tristius intuetur, tenebrosè videt, Cures habet demissas, & sepe eas dimouet. Os est large spumans, & anelans, Lingua exerta eaq; Bilis colore infecta, à Naribus retrum quendam mucum emittit, & veluti insanus demissa cauda ambulat, cibum, & potum, quam vis sitiat, auersatur, gracilis est corpore, & Pustulis est plenus, sine latratu in omnes passim irruit, & non modo Canes, & Bestias mordet, sed etiam domesticos, & proprium dominum, & præ interno horrore propriam etiam ad parietem fugens vmbram. Alij Canes quodam naturali instinctu ipsum aufugiunt, & vrinam nigram, & turbulentam emittunt.

Rabidi Canis signa.

Signa vulneris facti à Rabido Cane.

Signa ex parte Vulneris, idest ad cognoscendum, vtrum morsus sit venenatus nec ne, quamuis sit difficile, vt inquit *Gal. Lib. de Artis constitutione cap. 2.* cum nulla adsit differentia inter morsum a Rabido, & non Rabido Cane factum. Tamen Oribasius, vt *Paul. loco superius citato* recitat, ac docet quomodo ex Vulnere Canem, qui momurderit an Rabie sit correptus, cognoscere possimus dicens; Nuces Iuglandes accurate tritas Cataplasmatis instar Vulneri agglutinato. Postera die demptas Gallinaceo, Gallineue in cibo obici, orimum quidem non attigent, fame autem pressi, si vorauerint, curiosius attendito. Enimuen si Canis, qui momorderit, non rabierit, superstites euadent, sin rabie percitus fuerit, mortem postridie obibunt. Alij Panis micas Vulneri confricant, vel sanguine à Vulnere exeunte eas inficiunt, vel ex eo, & Tritici Farina Placentam efficiunt, & alijs Canibus porrigunt, & si abhorent, & gustare noluerint, inquit Vulnus esse venenatum. Si verò commedant, minimè venenatum esse, vel huiusmodi Panem Gallinaceo Pullo commedendum præbent, & si pereat, inquiunt Vulnus esse venenatum, si superstes remaneat, minime esse venenatum. Signa ex parte patientis sunt si Canis, vbi momorderit, protinus nihil infestum infligit, præter quam ex Vulnere dolorem.

Signa hominis Rabidi.

Tamen temporis progressu Symptomata, & accidentia Rabiem minantia superueniunt, & sunt totius corporis rubor, & præsertim faciei, Tenebre oculis obuersantur, Somni turbolenti, vigiliæ, promptitudo ad iram, Mutatio vocis quasi raucæ. Insolita admodum debilitas ac lassitudo, Pandiculatio, Arctuum distensio, Improuisus tremor, Palpitatio circa Pectus. Preteriti morsus recordatio, & informatio habita illius Canis, vel Hominis rabiosi; In progressu mente tentari incipiunt, & absq; alia manifesta causa cogitabundi, & mesti manent, in somno horrescunt, dentibus frendent, & laboriose dormiunt.

Vigilantes verò secum obmurmurant, Hominum consortia fugiunt, & solitudinem amant, omnia timent, & se ipsos, & lucem fastidiunt.

Postea instante Aquæ metu, & humorum, & temperamenti corruptione, in somno, terribilia, & maxime expauescentia in somnia eueniunt Linguæ, & Fauces maxime eis exsiccantur, siti maxima infestantur, vox rauca fit, Febris superuenit, singultus stomachi grauitas, Imbris abominatio, parua bibendi, præter consuetudinem, cupiditas, vrina turbida, & aliquando nigra mingitur.

Vbi verò hoc Symptoma fuerit confirmatum, ægri Aquam timent, & omnia liquida, & non solum aspectum, sed etiam nomen, & Aquæ sonitum, & murmur abhorrent, & quando Aquæ tantillum

vident

videnſtatim tremunt, & conuelluntur; Intollerabil tamen ſiti, & incendio ſe conflagrari ſentiunt, pulſus fit paruus & inordinatus, aluus adſtringitur, vrina guttatim emittitur, quæ rubida, & nigra eſt, & aliqui inquiunt, quod in huiuſmodi vrina carunculæ immagini Canis ſimiles apparent; Omnes Articuli ſtupent. Diſtenduntur Nerui, vox obtunditur, & ſicuti Canes latrant, adſtantes mordere querunt. Difficulter ſpirant, vultus præſertim maxime fit rubicundus, Bilioſa vomunt, Pudenda tenduntur, maxime excandeſcunt, & inordinatiſſime ſe iactant, ac ita lacinantur, vt veluti mortui poſtea concidant, Paulo poſtea excitatis à Rabie ſpiritus, ad eaſdem pœnas, & cruciatus inſurgunt, & ita perſeuerant vſq; ad vltimum vitæ finem.

De Rabici Prognoſtico.

Celſus lib. 5. cap. 27. inquit. Hydrophobia miſerrimum eſt morbi genus, in quo ſimul ægri, & ſiti Aquæ metu cruciantur; Quo oppreſſi in anguſto ſpes eſt.

Paul. lib. cap. 3. inquit. Eorum verò qui ad id perueniunt malum, neminem nouimus ſeruatum, dempto ex Hiſtoria vno, aùt altero eoſq; non a rabido Cane morſos, ſed à morſo homine mordicus petitos. Verùm ante huius affectionem id eſt Hydrophobiam, non pauci etiam à canibus morſi ſoſpitem recuperauerunt, & hoc idem inquit etiam Auic.

Quo verò tempore in Aquæ timorem indicant, inquit Paul. Quod non confertim, ſed plerumq; poſt quadrageſimum à morſo diem ſolet in grueſe quibuſdam vero poſt ſex Menſes, aliis poſt ſeptimum.

Hydrophobia quo tempore euenit.

Gal. Com. 2. in Coacis Pren. cap. 16. inquit. Cane a rabido morſi, nonnulli Aquas formidauerunt atq; à morſus initio poſt duos, vel tres, vel quatuor menſes perierunt. *Et Com. 3. in lib 5. Epid. cap. 7 inquit*; Canis Rabidi virus nec otiari, neq; conquieſcere in corpore eorum, qui ſunt impetiti; Licet ſe aliqua hora non prodeat, multis interim proximis menſibus; Et eodem loco etiam inquit. Quos Rabidus Canis momorderit, vbi Aquam cernentes expaueſcunt breui poſtea moriuntur.

Auic. narrat aliquos a morſu poſt ſeptimum Annum Aquæ metum euemiſſe. Alberrus Mag. 2. de Animalibus narrat de quodam poſt duodecimum à Canis morſu annum Hydrophobia fuiſſe tentatum, & fuiſſe mortuum.

Dubitatio. Si quis verò obiceret dicendo, quod homines rabie tentari non poſſunt, & probaret hoc autoritate *Ariſt. 8. de Hiſtoria Anim. textu 2. vbi dixit*. Omnia Animalia a Rabido Cane commorſa Rabie corripi, & interire, præter hominem, & adderet etiam *Gal. Autoritatem 6. de locis Aff cap 5. vbi ſcriptum reliquit infraſcripta verba*. Hic morbus ſolum in carne naſcitur ob diſpoſitionem illius corporis.

Solutio. Reſpondendum, & ad Ariſt. autoritatem dicendum, quod non intellexit illæ Autor, quod homines rabie non corripiantur, & tali affectu non intereant, cum hoc manifeſtum ſit. Sed quod homines ſerius & tardius omnibus alijs Animalibus rabie corripiunt, & intereunt, & cauſa eſt quia cum hoc Symptoma ex calida, & ſicca intemperie oriatur, & homo cum calidam, & humidam habeat temperiem, ideo magis huic effectui reſiſtit, & citius, vel ſerius in vno quam in alio homine manifeſtatur, ſecundum quod vnus alio magis vel minus ſit ad tale Symptoma diſpoſitus, & vnus magis, quam alius huic Veneno reluctatur. Du vero latet hoc Venenum in humano corpore, quia inſenſibiliter, & ægre, & paulatim humano corpori immiſcetur, quouſque vniuerſum corporis temperamentum æqualiter immutauerit, & tunc læſio apparet.

Quando ergo actio inſenſibilis eſt corpus non leditur, & malum non apparet; Secundum igitur, quod hæc inſenſibilis actio diu, vel ſerius, vel citius durat, & temperamenti mutatio citius, vel tardius efficitur, ideo malum, vel diu, vel diutius, vel citò apparet, vt ex *Gal. loco ſuperius citatis elicitur*.

Ad Gal Autoritatem 6. de locis Aff dicendum; Quod tantum Canis per ſe, & primo Rabie corripitur, & ab eo poſtea alijs communicari, vel dicendum, quod vera rabie tantum Canes tentantur, non vera vero, ſed per ſimilitudinem etiam alia Animalia corripiuntur; Et hæc reſponſio mihi magis arridet, cum multa alia animalia abſque hoc, quod à Cane Rabies eis ſit communicata, hoc Symptomate tententur. Quod vt Gal. ſeruemur

dicen-

dicendum esse Rabiem per similitudinem sed non veram, & legitimam, vt illa quæ in carne fit.

Signa an Rabidus possit sanari nec ne.

Auic. duo signa proponit, quibus an affectus hic sit sanabilis nec ne dignosci possit. Vnum est, quod si quis rabie correptus in speculo faciem suam inspiciens, se ipsum cognoscat, id salutis signum esse, & conualescere posse. Hoc enim arguit non læsum sed adhuc incolumen manere facultatem Rationatricem, nec esse veneno captam. Secundo inquit dictus Auctor. Quod salutis adest spes, quando ex Vulnere à rabido cane facto pus exit copiosum, & exhibita Teriaca sanguis emanat.

De Rabiei Curatione.

CVm Possidonius apud Aetium dixerit. Quod nemo à Rabiosi Canis morsu euadit, nisi à principio statim fuerit bene curatus. Ideo quamprimum, vbi Vulnus à rabido cane, vel quolibet alio rabido animali factum fuisse cognouerimus, statim absque vlla mora, etiam si minimum fit Vulnus, curatio instituenda, & nullo pacto differenda. In hac igitur curatione tres intentiones habere debemus. Prima in sex rebus Nonnaturalibus consistit. Secunda in Veneni extractione. Tertia in principum Membrorum defensione ac roboratione, vt à se Venenum depellere possint. Quo ad primam intentionem, æger in aere moderate calido detineatur, cibus sit ex ijs, quæ facile concoquuntur, & optime nutriunt; Panis ergo sit optimus carnes in pauca copia commedantur, & sint pullorum, auium montanarum. Hedorum, Veruecum, & similium. Et Auic. inquit, à proprietate prodesse assatam veruicis carnem, & cum vino acceptam, Oribasius tamen voluit, vt per quadraginta dies à carne, & veneris vsu se abstineant. Tutinis ergo erit dictarum carnium iura offerre, & aliquando cum Ouorum Vitellis miscere. Comperunt etiam, & à proprietate cancri fluuiatiles, Nuces Iuglandes, Caricæ, Ruta, Malua, Citra, Oxalis, Amigdalæ, Pistachia, & præcipue Pimpinellam valere inquiunt, & super omnia alia excellere, & his similia. Dioscorides inter Holera laudat Cæpas, allia, porros, Siluestrem Brassicam, Rumicem Asparagum, & omnia diuretica.

Animaduertendum vero, vt Aetius nouit, vt nunquam Aegri inediam sustineant, & fame laborent, sed potius semper saturi quam vacui maneant, & hoc faciendum, ne ob inædiam inanita membra, nutrimenti vice, venenum attrahant, & sic in vniuersum corpus, & præsertim in viscera citissime propagetur.

Pro potu conuenit Vinum passum, & Lac, vt Dioscordides inquit, vel quodlibet aliud Vinum, cum Vinum, vt inquit Celsus, omnibus Venenis sit contrarium, aliqui bibendam præbent Aquam in qua Fabri ferramenta extinguunt, & à proprietate huic affectui obsistere dicunt, Aetius ex Rufo Oxalidis decoctum laudat. Moderate corpus exercendum frequentes frictione comperunt, & omnia alia, quæ sudorem prouocare possunt, vt Celsus voluit, cum sudor in omni Veneno, & præcipue in rabidi Canis morsu efficacissimum sit remedium. Somnus, & Vigiliæ moderatæ, sint, animi passiones, vt Ira, Timor, Meror, & similia omnino sunt deuitanda, & aluus lubrica seruanda, & à Venere abstinendum.

Secundam, & Tertiam Intentionem, quæ in Veneni extractione, ante quam per totum corpus propagetur ac diffundatur, consistit, & in principium membrorum defensione ac roboratione conuenientibus præsinijs consequemur, quam quadrifariam partiemur. Cum alia enim à principio sint necessaria, alia primis diebus ad septimam vsque, alia cum diffusa vi sua ad principes partes occupandas Venenum impetum facit, ante quam Aquæ timor aduenial, conueniunt, alia vero quando Aquæ timor adest.

Quid à principio faciendum.

Prima igitur die, vel statim vt hæc affectio nobis occurrat, vt inquit Gal. de Theriaca ad Pisonem, & omnes alij boni Autores, si pars neruosa non sit, scarificandum tale Vulnus, circumcidendum, dilatandum, & circulare faciendum, vt Venenum facilius euacuari possit, & dictum Vulnus apertum seruetur. Virus similiter vna cum sanguine Cucurbitula extrahendum, & extracto, quantum est possibile sanguine, tale Vulnus inurendum.

Nisi vero vri possit, inquit loco citato Cellus, Sanguinẽ homini mitti non alienũ est, quod, vt aliqui Autores inquiunt, in principio tantum scarificationibus, &

Cucur-

Cucurbitulis partibus Vulneri proximis, ac etiam alijs partibus conuenit, minime vero ex Vena mitti debet à principio sanguis, ne Venenum per totum corpus diffundatur. Et denique primis diebus omnibus illis præsidijs vti debemus, quæ superiori capite ad Venenum extrahendum proposita ac descripta fuere.

Post primam diem ab extra Theriaca Oleo Rosaceo eliquata Lineamentis imposita, vt inquit *Gal. loco citato maxime prodest sic Emplastra, & Salsamenta omnia superiori capite descripta.*

Ab intra vero omnia illa Amuleta sunt propinanda, quæ cor, & alia principalia membra roborant, & Veneni dilationem ac fusionem prohibeant, & inter cætera Theriaca tribus diebus dragme pondere exhibita principatum obtinet; Hoc enim Medicamentum materiam noxiam ad cutem expellit, & per sudorem eicit, quæ via est conuenientissima, vt superius fuit dictum. Deinde Mitridatis Antitodus, vel Diatessoron nuncupatum 2. de Antidotis quo à proprietate huic affectui aliqui conducere inquiunt. Conciliator tamen dubitat an Diatessoron conueniat multasque rationes adducit, quas quisq; ex se ipso videre potest; Vel in decocto, vel in substantia ea Medicamenta propinanda, quæ ab essentiæ proprietate huic Veneno resistunt, & inter cætera *Gal 9. Simpl. maxime valere inquit* Scordion, Centaurea minor, & Prassium, Terra etiam Lemnia maxime valet, sic fluuiatilium Cancrorum cinis, Melanthion, Camedris, Polium, Dictamus, & multa alia, quæ enumerare, longum esset.

Si vero sequentibus diebus, an Venenũ sit extinctum, in dubio versemur, iterum experimentum illud de Nucibus Vulneri infarctis, & Gallinaceo Pullo in escam datis faciendum, & si Auis pereat. Tunc cũ periculum sit, quod Venenum ad intimas partes diffundatur; Ideo Venæ sectio faciendum, si sanguis in quantitate peccet, vel magna excitetur Febris. Nisi vero sanguis abundet, per Cucurbitulas extrahendus, vt voluit Celsus. Quando igitur Venæ sectio conuenit, vt in pletora, quantitas debet esse mediocris, & à Brachio proximæ affectæ parti mittendus. Nunquam vero, vt superius diximus, Vena secanda à principio, ne Venæ sectione abextremis partibus ad intimas Venenum trahatur, sed in morbi progressu, quando est opus. Humores similiter sunt præparandi Syruppis putredini ac Veneno resistentibus, & à proprietate huic affectui resistentes, sunt Syruppi de succo Acetosæ, de Corticibus Citri, de Scordeo, & similes. Decoctum similiter ex dictis rebus fiat, vt Scordeo, Acetosa, Pulegio, Hyssoppo, Vincetoxico, Artimisia, Radice Angelicæ, Centaurea minori, Pimpinella, Prassio, & his similibus. Vbi vero præparati fuerint humores, Medicamentis Atram Bilem euacuantibus educendi, vt sunt Confectio Hamech. Elleb. niger, Epitimus, Pilulæ *Indæ*, de Fumaria, de Lapide Lazuli, de Lapide Armenio, & his similibus.

Quo procedente tempore faciendũ.

Purgato corpore ea Medicamenta quæ à proprietate hoc virus extinguendi vim habent sunt propinanda, vt est confectio ex caneris fluuiatilibus facta, quam *Gal. 2. de Antidotis describit*, Theriaca magna, alij, vt Dioscorides à proprietate inquit, huic affectui valere Hepar rabidi canis in puluerem redactum, & potui oblatum, alij puluerem pellis Hyenæ in potu commendant, multaque alia etiam superius dicta offerri possunt. Sed interim diligentissime curandum, vt Vulnus apertum seruetur, Venenum euacuari possit. Tandem experimentum è Nucibus ab Oribasio propositum iterum efficere possumus, & si Gallinaceus Pullus, qui illas commederit non intereat, ad cicatricem talæ Vulnus perduci potest.

Hydrophobiæ curatio.

Quando vero Aquæ timor aduenit, inquit *loco citato Celsus* hoc affectu oppressis vnicum remedium est, nec oppinantem in Piscinam non ante ei præuisum proicere, & si natandi scientiam non habeat, modo mersum bibere pati, modo attollere. Si habeat interdum deprimere, vt inuitus quoq; Aqua satietur. Sic enim simul, & sitis, & Aquæ metus tolletur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in Aqua frigida vexatum Neruorum distensio absumat. Id ne incidat, à Piscina protinus in Oleum calidum demittendus est; Ex potu ergo Aquæ copioso insignis calida, & sicca intemperies, in qua affectus hic positus est, extinguitur, & sic ab Aquæ metu aliquando liberantur, vel propinandi Trocisci ex Cantaridibus, vt voluit Razes, cum extremis malis, extrema

sint

sint adhibenda remedia, vt voluit *Hipp. in Aphorismis, & dicti Trociſci ſic fiunt.*

℞ Cantharides Alis, Pedibus, & Capitibus abſciſſis, & per noctem in Lacte, & Acetoſo Butyro infundantur, deinde exſiccentur, & cum Lenticulæ Farina q. ſuff. S. A. Fiant Trociſci, ex quibus ſcrup. 1. cum Vino per multos dies, & donec æger ab Hydrophobia liberetur, propinari debet, & ſi patiens ſanguinem minxerit, Lacte recenter mulcto, & potato acrimoniam contemperabit.

Cibi vero, dum Aquæ timor adeſt, omnes ſorbiles eſſe debent, vt Pullorum Iura, & aliarum ſuperius dictarum carnium Hordeacea, Ptiſſana, Oua in iura diſſoluta, & ſimilia, & ne rebus liquidis terreatur Feneſtræ claudendæ, & vas quo potat vt inquit *Gal. 2. de Antidotis cap. vltimo raro panno tengendum, & per pannum potus tranſcoletur.* Dandus vero huiuſmodi cibus in morbi remiſſione, & vbi Symptomata mitigantur, & ſi vnica vice ad ſufficientiam cibum capere non poſſit, pluribus vicibus, vt capiat emendum.

Interim ſimiliter totũ ægri corpus Spongijs Oleo dulci repido imbutis fouendum & ſemper Cor, & Iecur, Theriaca intus, & foris adminiſtrata defendendum.

Iulius Palmarius Gallus inquit, quod infraſcriptum Alexipharmacum tàm homines, quam alia Animalia à Rabie, & ab Hydrophobia præſeruat, & ſi aduenerit eam curat, modo ſit in principio, & Vulnus Aqua non ſit ablatum, & non ſit in Capite, & tandem experimentis, & iure iurando affirmat, Rabie correpta animalia omnia ſanare ab eſſentiæ proprietate.

Rabiei Alexipharmacum.

℞. Foliorum Rutæ, Verbenæ, Saluiæ minoris Plantaginis, Foliorum Polipodij Abſinthij vulg. Menthæ, Artimiſiæ, Melliſſæ, Betonicæ, Hyperici Centaureæ minoris an. part. æquales, quæ colligantur menſe Iunij in pleniluuio, quo tempore maxime viribus pollent, & in vmbra exſiccentur ſuper Chartam, ne nimis areſcant aùt ſitum contrahant, & quottannis renouentur, & ægrotanti, ſiue ſit homo, vel aliquod aliud animal facto ex his puluere æquali pondere ſumptis propinetur drag. 5. vſque ad dragm. 2. ieiunio Ventriculo per tres horas ante prandium, cum duplo ſacchari, vel cum Vino, vel cum iure, vel cum Melle, vel alio ſimili, & alijs animalibus maiori in doſi dari poteſt.

De Vulnere cum profuſione ſanguinis ex venis, & Arterijs.

Cap. 44.

POſt quam de Carnoſorum partium Vulneribus abunde à nobis fuit pertractatum, modo ſupereſt, vt de vaſorum Vulneribus agamus.

Sãguinis profuſio quod Sẽptoma ſit.

Ad harum ergo partium vulnus magna ſanguinis Hemorragia ſequitur, quæ nihil aliud eſt niſi Symptoma in genere excretorum immodice toto genere præter naturam, excepta illa, quæ per ſingulos menſes Feminis accidit, niſi admodum in quantitate exceſſerit, vt inquit *Gal. 3. de Symptomatum cauſis.*

Hoc enim Symptoma ſequitur morbum in ſolutione continui vaſorum in quibus ſanguis continetur.

Sanguinis profuſionis differentiæ ſunt, quod, vel à vena, vel ab arteria profluit, vel ab vno tantum horum Vaſorum, vel à pluribus, vel ex maioribus, vel minoribus. Aliquando ſimiliter ſanguis profluit quoniam aliqua dictorum vaſorum tunicæ portio eſt deperdita. Aliquando abſque ſuæ ſubſtantiæ deperditione. Differentiæ ſimiliter à cauſis ſumi poſſunt, cum vel ab inciſione, vel à contuſione, vel à nimia, & violenta diſtenſione, vel ab Eroſione ſanguis profluat, & perfundatur.

De cauſis Profuſionis ſanguinis.

CAuſæ, quæ dictorum Vaſorum continui ſolutionem efficiunt, vt 3. de Symptomatum cauſis inquit *Gal. tres ſunt.* Vel quia facultas Expultrix ora venarum aperit, vt in ſanguinis ex Naribus fluxù, vel quando ſanguis male eſt affectus, & vas ruptum. Rumpitur vero vas, aùt ob plagam extrinſecum acceptam, aùt ob ſalutum, aùt ob caſum ab alto, aùt ob vehementem vociferationem.

Sanguis male afficitur, vel quum adeo vitioſus, vt vaſa, quibus continetur, erodat, vel adeo eſt auctus, vt à vaſis contineri non poſſit.

Vaſa male affecta dicuntur, ſi molliora, vel duriora, vel tenuiora fuerint.

Similiter 5. *Meth. inquit dictus Autor;* Quod ſanguis a Vena vel arteria effunditur, aùt relerato eorum ore, aùt tunica earum

rum diuiſa, aùt tranſcolatus, ſiue ſudoris inſtar transfuſus. Nos tameu tantum de ea ſanguinis hemorragia verba feciemus, quæ à Tunicæ diuiſione prouenit, cum ab hac cauſa tantum facta ſanguinis hemorragia ad rem noſtram pertineat, quæ vero ex alijs ſit cauſis ad Phiſicum ſpectat.

Vaſorum igitur Tunica diuidi poteſt, vt loco citato inquit *Gal. vel inciſione, vel Contuſione, vel Ruptione, vel Eroſione*; Inciſio fit ab inſtrumentis incidendi vim habentibus, vt ſunt acuta, & ad ſecandum habilia; Contuſio fit ab inſtrumentis contuendi vim habentibus, vt ſunt dura, & grauia. Ruptio tribus fit modis, vel à vehementi tenſione, vel ab intenſiori actionis vehementia, vel ex nimia ſanguinis, quo ad vaſa, repletione. Eroſio fit ex ſucco aliquo acri, & mordente, & vim erodendi habente. Dicere ergo poſſumus, quod cauſæ profuſionis ſanguinis, vel ſunt internæ, vel externæ. Externæ ſunt omnia ea externa inſtrumenta, quæ vaſorum tunicas diuidere poſſunt pungendo, ſecando, rumpendo, & contundendo. Internæ ſunt ſanguinis vitium, vel in quantitate, vel in mala qualitate peccans, vt ſuperius fuit dictum.

De ſignis Profuſionis Sanguinis.

SIgna profluentis ſanginis manifeſta ſunt. Si vero ex maiori, vel minori vaſe proueniat, ſimiliter non ſolum ex copia, & ruentis ſanguinis impetu dignoſcitur, ſed etiam ex ſede, & Vulneris loco per quem maiora, vel minora vaſa, vel plura, vel pauciora pertranſeunt, vtrum ſimiliter, vel à vena, vel ab arteria effundatur vt quarta quarti *Textu 2. cap. 16. inquit, Auic.* dignoſcitur, quia ſi ab arteria effluat, cum ſaltu, & impetu egreditur, cum in Diaſtole foras protrudatur, & in Siſtole retrahatur, & huiuſmodi ſanguis eſt tenuis rubicundus, clarus, floridus valde calidus, & plurimo ſpiritu repletus appareret. Si à Vena vniformiter, quiete, & ſine pulſu, & citrà ſaltum egreditur, craſſior, & nigrior, & non ita floridus, frigidiuſculus & minime ſpirituoſus appareret,

De ſanguinis fluxu Prognoſtico.

OMnis magna ſanguinis Hemorragia, cum vita in ſanguine conſiſtat, & ſanguis ſit vitæ teſaurus, eſt periculoſa, vt omnes atteſtantur, & niſi fiſtatur ineuitabilem affert mortem.

Hipp. 7. Aph. 9. inquit. A ſangnuinis profluuio deſipientia aut etiam conuulſio malum. Cum hoc ob multam vitalium, & animalium ſpirituum inanitionem fiant. Vtq; *Gal. in eius com. inquit*; Si ſola Deſipientia aduenìat, malum eſt. Si vero conuulſio ſimul tali D ſipientia acceſſerit, deſperata res eſt. Syncopæ etiam, vt inquit *Auic. ex nimio ſanguinis fluxu malum denunciat, & ſi eueniat ſingultus eſt peſſimum cum maximam inanitionem indicet.* Item arteriarum ſanguinis fluxus periculoſior eſt, & difficilius curatur, non ſolum ſubtilitatis ſanguinis ratione, & ſpirituum copiæ in eo contentæ, ſed etiam reſpectu arteriei, quæ Vena eſt durior, & ratione continui motus locum conſolidari prohibenthis *Auic. inquit*. Quod fluxus ſanguinis venarum arteriarum Manuum, & Pedum periculoſus eſt, vtque plurimum interficit.

De ſanguinis hemortagiæ Curatione.

IN hac curatione, & ſi duæ ſe nobis offerant, & Vulnus, & ſanguinis fluxus tamen à ſanguinis fluxu, cum maxime vrgeat, curatio auſpicanda, deinde eſt Vulneris curationi incumbendum.

Vt ergo ſanguinem ſiſtamus, duo ſunt curanda; Primum, vt ſanguis ad partem illam non fluat. Secundum vt vas occludatur. Vt verò ſanguis ad affectam partem non confluat, duobus modis, vt inquit *Auic. curari debet*. Vel Reuellentibus, & Diuertentibus, vel intercipientibus, & fluxionem infrenantibus præſidijs. Reuellentia verò, & Deriuantia præſidia, vt inquit *Auic. & Gal. 5. Meth. duorum ſunt generum*. Alia enim hoc euacuando efficiunt, alia abſq; vlla euacuatione. Quæ hoc euacuando efficiunt, ſunt Venæ ſectio, & Cucurbitulæ cum ſacrificatione adhibitæ, quæ ad aliam partem ſanguinem conuertunt, & retrahunt, Venæ verò ſectio in ea parte fieri debet, quæ è directo pro-

perfusioni respondet, quæq; venæ sanguinem fundenti est coniuncta. Et tantum conuenit, vbi profusio est magna, & vires robustæ, & constantes sunt. Si verò minus validæ sint, paulatim sanguis detrahendus, & per plures vices, & semper angustum orificium faciendum, & tandem, pro virium ratione detrahendus. Si verò valde debiles fint vires, & sanguinis missionem non ferant, Cucurbitulæ cum scarificatione affigendæ, deinde ficcæ. Quæ verò absque euacuatione sanguinem reuellunt, & alio trahunt, sunt Frictiones, & vincula primum propinquioribus partibus deinde remotioribus, & Vulneratæ parti contrarijs partibus factis; Similitèr Cucurbitulæ ficcæ, Inunctiones, Balnea, & tandem omnia, quæ ad contrarias partes sanguinem retrahere possunt.

Quæ vero sanguinem infrenant ac intercipiunt, similitèr duorum sunt generum; Alia enim hoc sanguinem incrassando ac inspissando efficiunt; Alia stupefaciendo, Crassior verò redditur sanguis, tùm Dieta, tùm Pharmacia.

Sed in Dieta instituenda vires sunt respiciendæ; Si enim sint validæ, Dieta sit tenui, frigida, crassioris substantiæ, & modices adstringens, vt sanguinem minuere, refrigerare, incrassare, & in Venis restringere possit. Competunt ergo lentes, Oriza, Amilum, Hordeacea Prisana, Cucurbita, Pedes, Capita, & Cerebra Arietum, Vitulorum, Hedorum, & similium, ex Fructibus Pira Cidonia, Punica mala Sorba, Mespila, Corna, Iuiubæ, & omnes denique stiptici, & adstringentes fructus; Inter Holora sunt Lactuca, Endiuia, & alia refrigerantia, & incrassantia; Pro potu sumat Aquam stillaticeam Plantaginis, Endiuiæ, vel Lactucæ, quibus Aquis commisceri potest Iuleb Violaceum, vel Syruppus de Ribes, & similes. Si vires sint imbecillæ, & ferè prostratæ, victus ex ijs, quæ maximè nutriunt, esse debet, vt vires reficiantur ac refocillentur, & ideo conueniunt Oua sorbilia, Carnes iuuenum Columbarum, Pullorum, Phasianorum, Turturum, Auicularum Montanarum, quæ omni cum Omphacio, vel mali punici succo, vel quolibet alio adstringenti condiri debent; Pro potu similitèr vinum nigrum austerum concedendum; Aer sit frigidus, motus vitetur, Vigiliæ item, Ira, & aliæ Animi passiones, & Aluus lubrica seruetur.

Quo ad Pharmaciam instituendi Syruppi refrigerantes, & modice adstringentes, vt sunt Syrup. de Ribes, Myrtinus; de Rosis siccis, & recentibus de Portulaca, de Mitua Coroneorum, de Cicoria, & similes, cum Decoctis vel Aquis similitèr refrigerantibus, & modice astringentibus.

Stupefactio item duobus fit modis, vel ijs quæ per Os assumuntur, vel per ea quæ deforis applicantur; Ex assumptis per Os hoc efficit Aqua frigida tantum ab initio vnica vice bibita, quantum potest vel in ea quantitate, vt vires sustinere possint, & hoc etiam suprascripti Syruppi efficiunt. Deforis verò applicanda sunt refrigerantia ac repellentia præsidia, non autem ipsi Vulneri, sed circumstantibus partibus secundum *Hipp. Sententiam 5. Aph. 23. dicentis*. Frigido verò in his vtendum vnde fluat, aut fluxurus sanguis est, non quidem eodem loci, sed ea loca vnde fluit admoto. Cum frigidum, vt inquit dictus *Autor citato Aph. & 20 eiusdem lib.* Viceribus sit inimicum, & multa praua inducat Symptomata. Apponenda igitur refrigerantia, & repellentia, vt procul ab affecta parte sanguis repellatur, & huiusmodi sunt Aqua frigida, Posca, Vinum nigrum Austerum, Succi Plantaginis, Lactucæ, Solani, Semperuiui, Sonci, & similium, quibus Linrea madefacienda, & partibus Vulneri circumstantibus apponenda, & ne incalescant, sepe mutanda. Si verò magna, sit sanguinis profusio non solum Linteis frigida applicata conueniunt. Sed omnes circumsite partes frigida, vel Posca profundendæ, & Rhases inquit. Vt Nix super læsam partem apponatur quæ non tantum refrigerat, sed etiam ob terrenam substantiam astringit; Syncope similitèr, & animi deliquium totum corporis habitum refrigerando, & ad interiora sanguinem cum calore retrahendo, sanguinem sistit, & hæc quo ad sanguinis interceptionem.

Quo vrò ad aperti Vasis occlusionem. duobus modis fieri potest, vel Labiorum simul adductione, & coniunctione, vel orificij obstructione. Labiorum coniunctio duobus modis fit, vel ex se ipso, quando ob nimiam sanguinis profusionem Vasorum tunicæ concidunt, & sic Labium su-

per Labium cadit quod ſemper peſſimum eſt, vel Medici ope, & hoc pluribus fit modis. vel digitis Vulneris labia, & Venæ orificium eouſque comprimendo, & detinendo, quo ſanguis grumeſcit, & vas obſtruit vel Faſcijs adſtringenti liquore madefactis, & ter, vel quater ſupra Vulnus obuoluris, & Vulneris labijs compreſſis, ita tamen, vt dolorem non inducant, ad Vulneris labia coniungenda. Faſcia ſit proportionate lata & duplici inito, vt de ſimplici Vulnere fuit dictum, vel futura Vulneris labia ſimul adducenda, non tamen vaſis tunicæ ſuendæ, quoniam futura dilacerarentur. Huiuſmodi igitur futura, vt magis comprimat, fiat profunda, vſque ad carnoſam partem, & ſuatur ſicuti pelles ſui ſolent, Acu ac Filo ſupra Vulnus iterum atque iterum traiecto, quæ futura ab aliquibus ſanguinis ſuppreſſoria dicetur, & deſuper adſtringentia ac ſanguinem ſupprimentia Medicamenta applicanda, vtque decet alliganda ac ſituanda pars. Nſi verò dictis præſidijs ſanguinem ſiſtere ſperemus. Vas ipſum Filo vinciri ac alligari debet. Sed in hoc faciendo animaduertendum, ne ſimul Neruum vinciamus, cum multi Nerui propè Arteriam diſcurrant, ne inferiorum partium motus, & ſenſus intercipiatur ac deperdatur.

Ideo Neruus Vngubus à Vaſe ſeparandus, & *Gal.* 13. *Meth. cap. vltimo* vult, vt etiam a Membrana vas denudetur, quod parum refert, cum neque dolor neque inflammatio. ſicuti Gal. inquit, excitetur, ſi vna cum eius Membrana vas vinciatur, vt in praxi apparet, & à nemine vnquam denudatum vidimus. Filum quo deligari debet, ſit duplicatum, & quod non facile putreſcat, vt ex forti Acia, & Cera oblinitum, vel ſericino ſimiliter duplicato, & Cera oblinito. Et ſtringi moderatè debet, vt ſanguinem cohibeat, non tamen ita arctè vt vas præcidat.

Vaſis ſanguinem fundentis ligatio quomodo fiat

Ita ergo hæc actio facienda, volſella vel Hamo, vel quolibet alio aduneo inſtrumento vas apprehendendum, & paulum eleuandum, & ſi Neruus ſit coniunctus, vt diximus, ſeparandus, deinde paululum vaſis tunica intorquenda, & duplicatum Filum traiciendum, & primum ad Vaſis radicem Filum alligandum, vt inquit *Gal.* 5. *Meth.* deinde pars vaſis inferior vincienda. Sic igitur duobus vinculis vaſe alligato, totum vas inter duo vincula tranſuerſim præcidendum, & ſic pars vtraque retrahitur, & vinculum diutius conſeruatur. Hoc facto ſarcoticum Medicamentum, ac ſanguinem cohibens apponendum, donec caro generetur, & vincula non remouenda, donec ex ſe cadant, & hic ſanguinem ſiſtendi modus, præcipuæ in Arteriarum Vulneribus competit. Niſi verò vas vinculo ligari poſſit, quia Vena, vel Arteria in profundo loco ſit ſita, vt loco citato inquit Gal. tunc vas totum per tranſuerſum præcidendum, cum ob huiuſmodi ſectionem Venarum, vel Arteriarum capita ex vtraque parte retrahantur, & ſub carne abſcondantur, & ſic ſuperiacentibus corporibus huiuſmodi capita occludantur, & ſanguis ſupprimitur. Notandum verò, vt inquit Gal. vt ante ſectionem vas. Humo attollatur, deinde ſecetur. Facta ſectione hamus capiti radicis vaſis infixus aliquantiſper intorqueatur, vt ſimul aliqualiter Vena intorqueatur, & hoc faciendum, vt facilius ſanguis ſiſtatur, ac cohibeatur Poſt hæc pulueres ſanguinem ſupprimentes intra Vulnus aſpergendi, deinde, vt reliqua Vulnera curandum, vel Faſcia, vel futuris poſt inſperſum pulueren labia ſimul adducenda, & deſuper Stuppæ vel Spongia aliquo aſtringenti liquore imbibita, & expreſſa alligandæ. De hoc verò ſanguinem ſupprimendi modo *Gal* 13. *Meth. dixit*. Quum ex Vena vel Arteria ſanguis immodice fluit, ſi totum vas per tranuerſum præciderit, Vlcus quidem eius poſtea ſanare non poteris, periculum tamen, quod ex profluuio ſanguinis impendet, ſuſtuleris.

Notãdũ

Prædicti ſanguinem ſupprimendi modi præcipue in Vulneribus abſq; ſubſtantiæ deperditione, & ab incidente inſtrumento factis conueniunt.

Orificij Vaſorum obſtructio conuenit præcipuè, vbi aliqua vaſis ſubſtantiæ portio eſt deperdita, cum tunc Vulneris labia ſimul adducenda non ſint. Quomodo autem. Os vaſis obſtruatur, inquit *Gal.* 5. *Meth. dicens*. Obſtruetur vaſis ſanguinem fundentis Oſculum, & ſanguine ipſo concreto, qui Trombos Græce dicitur, & ijs, quæ foris illi imponuntur, cuiuſmodi ſunt Lineamenta, & Medicamenta ea, quæ idcirco, quod ex lenta craſſaq; ſubſtantia ſubſiſtunt, meatus obſtruunt, Græci Emplaſtica

plastica vocant. Hæc curatio, in qua vasi lucu nb mus optima est. Vt verò obstructio, & vasis sanguinem fundentis obturatio ob sanguinis extra, & intra vasis orificium concretionem fiat, pluribus curari potest modis. Primum per digiti supra Vulneris orificium, ideſt vasis sanguinem fundentis appositionem, & adaptationem fit, clementer innitens, ne dolorem afferas, qui tamdiu detineatur, donec sangu is extrinsecus circa digitum concrescat, & hoc est Gal. *præceptum dicentis loco superius citato*. In omni sanguinis fluxione ex Vulnere, vt is, qui Vulnerato astiterit, illico digitum super Os Vulneris vasis imponat, blande innitens, & sine dolore comprimens. Quippe simul, inquit, tùm sanguinem sistet, tùm eum concrescere in Vulnere faciet. Concreto optimè sanguine blande, & paulatim digitus auferendus, & vbi erat digitus, & desuper, leniter sanguinem sistentia Med. applicanda, vtque decet, alligandum, & pars situanda. Hic verò sanguinem sistendi modus tantum in Vena, quæ non sit nimis profunda conuenit, minime verò in Arteria, cum sanguis in Arteria contentus ob sui subtilitatem, & caliditatem, & Arterie motum diffi ulter concrescat.

Nisi verò dicto modo intentum nostrũ consequi possimus. Extrinsecus vasis orificium obstruendum, vel reducendo decidentes Vulneris carnes, vel cutem ipsam supra Vulneri, osculum, quod, cum fieri potest, est optimum, cum à Natura ista facillime glutinentur, & nisi hoc fieri possit, rebus extrinsecis vasis orificium obstruendum, vt Filamentis, siccis, vel infrascriptis Emplasticis compositionibus imbibitis, & oblinitis, vel Gossipio, vel mollissimi Leporinis pilis, vel Stuppa, vel his similibus. *vt loco citato inquit Gal.*

Modus sanguinẽ sistendi per orificij obturationem.

Modus autem ista apponendi sit huiusmodi. Primum supra orificium vasis sanguinem fundentis digitus apponatur, vt ne amplius sanguis fluat, deinde Vulnus a sanguine, & ab omni humiditate, Gossipio aliquantis per madefacto, optime detergatur, postea aliquis constrectiuus puluis circa digitum in moderata quantitate aspergendus, deinde Lineamenta ex dicta materia formata, & in aliqua ex infrascriptis compositionibus imbibita, vbi est digitis concinne, & blande imponenda, & statim digitus superponendus, postea aliquod Lineamentum eodem Medicamento oblinitum superponendum; Sed cum aliud Lineamentum imponere volumus, imponendum Specillum supra primum, & digitus auferendus, & sic tot Lineamenta imponenda, donec Vulnus fuerit repletum, desuper verò Splenia Oui albumine imbibita, vel Spongia Aqua frigida imbibita, & expressa apponenda, & Manu compressa detinenda, vel Fascia alliganda, tres vel quatuor circumuolutiones supra Vulnus faciendo, deinde erga vasis radicem ideſt erga cor, vel Hepar Fascia circumuoluenda, vt fluxio impediatur, & materia à Vulnere exprimatur. Fasciæ verò strictura sit ad bonam infirmi tollerantiam. Post hæc concinne, & apposite pars situanda, ideſt quod Dolore vacet, & sursum spectet, & sic trium, vel quatuor dierum spacio persistat. Transactis his diebus soluta Fascia, si Medicamentum tenaciter adhæreat, fouendum, & desuper aliquod simile Medicamentum applicandum, & iterum fascia circumdanda. Si verò Medicamentum parum adhereat, paulatim dicta Lineamenta tollenda, relinquendo, si fieri potest Lineamentum illud quod vasi adheret, supra quod Constrectiuus pulvis inspergendus, & statim aliis Lineamentis, vt superius fuit dictum, Vulnus expleatur, & alligetur.

Si vero Lineamentum vasi herens auferatur, statim sinistræ Manus digito vas comprimendum, & puluis Constrectiuus aspergendus, & dextera manu, superiori ordine dictis Lineamentis Vulnus implendum.

Sanguis quando vstione sistendus, & quomodo.

Nisi verò suprascriptis auxilijs vllo pacto sanguis sisti possit, vt quando magna vasis portio est ablata, vel quando, vas est erosum, ad Crustifica, ideſt crustam, & Escaram inducentia deuenendum est, *vt loco citato inquit Gal* quod duobus modis fit, vel ignitis ferramentis, vel Causticis Med. quibus cum calore adstringendi facultas sit coniuncta, vt sunt Chalchantum, Mysi, Chalcitis, & alia inferius dicenda. Sed ferrum ignitum causticis Medicamentis melius est, quoniam caustica Medicamenta putrefaciendo corrumpunt. Actualis verò ignis partem roborat, similitèr ignito ferramento ad libitum Escaram crassam inducere possumus, minimè

vero hoc causticis Medicamentis facere possumus, similiter vstio igne actuali facta non dilatatur, Caustico Med. valde spanditur. In timidis ergo, & in ijs quæ actualem vstionem renuunt, tantum causticis Medicamentis vti debemus. Quando ergo ignito ferramento Escara inducenda, animaduertendum, vt ferramentum valde ignitum, & candens, & omnino rubrum sit, vt citissime crassiorem etusiam inducat, non tamen ita adurendum vt multi faciunt, vt in carbonem crusta conuertatur, quoniam maior sanguinis fluxus postea sequeretur, cum maior Vasis portio desit; Animaduertendum etiam vt antequam ignitum Ferrum intra Vulnus imponatur, vt Vulnus à sanguine, quantum est possibile, sit exsiccantum, ne sanguis efferuescat, & Vulnus eorum adurat, vel ne vice Escaræ vasis orificio obducendæ, sanguis aduratur, & in carbonem vertatur, qui sequenti die eliquatur, & noua fit fluxio; Si ergo fieri possit, detectum vasis orificium ignito ferro solum attingendum semel, vel bis, vel ter, & statim extrahendum, non tamen valde imprimendum.

Inducta igitur oprima Escara, quam citissime ad carnis generationem danda est opera, vt antequam Escara cadat, vas carne sit repletum. Escaræ verò casus non est procurandus, quoniam maius sanguinis profluuium fieret, immò, ne cadat, & diutius adhereat, curare debemus. Hic verò sanguinem sistendi modus dolorosus est, & insignem calorem inducit, quæ duo sanguinis fluxum proritant. Similiter hæc curatio non est tuta, quoniam si Escara cadat prius quam caro fuerit genita, vehementius, vt diximus sanguis fluit cum ex vstione vasis orificium valde amplum fuerit redditum. His ergo de causis, nisi necessitate coacti, & vbi alia non profuerint, ad vstionem non est deueniendum.

Si verò ex profundo loco sanguinis fluxus proueniat, vt in profundis Vulneribus aliquando fieri solet, neque digiti compressione, neque Lineamentis, neque ignito Ferro, neque alio pacto sisti possit sanguinis hemorragia, tunc vel Chalcantho subtiliter puluerizzato cum aliquo frigido liquore mixto, vt malorum Aurantiorum succo, vel malorum punicorum intus profecto Escaram inducemus, quod mirabiliter agit, & ratione liquoris Chalchantum vsque ad vas penetrat. Sed Animaduertendum ne Nerui offendantur, vel adstringentes succi vel Decocti, & alia sanguinem supprimendi vim habentia in huiusmodi profunda Vulnera per Auricularios Clisteres injiciantur, quæ inferius dicemus. Vbi verò aliquo ex modis dictis sanguinem suppresseris, ad Vulneris curationem danda est opera, quæ quamcitissime carne replenda est, quod ijs Medicamentis faciemus, quæ in casu Vulneris curatione fuere proposita; Animaduertendo, quod in Arteriæ Vulnere siccioribus Medicamentis est opus, & ijs potius siccis, & in puluere, quam in Vnguenti forma, & hoc *Gal. præcepto 5. Meth. dicentis*; est autem sanatu difficilior Arteria incisa, quam vena, tantoque siccioribus Medicamentis eget, quanto ipsa suapte natura, quam illa, siccior est temperamenti.

Sanguis imparti- bus interioribus quibus sistatur.

In Vulneribus verò internorum Vasorum, cum videri non possint, Reuulsionibus. Derivationibus, superius institutis dictis, & dictis Syruppis vti debemus. Potiones similiter ex rebus adstringentibus, & stipticò Vino exhibitis, & commixtis, vel adstringentes Aquæ propinari debent, & in Vasorum maiorum Vulneribus competunt Balaustium, Hypostidis, Rhu, Oenophacium, Acacia, Gallæ immaturæ, & Malicorium. In minoribus, & si non vehementer fluat, Aloe, Manna, Thuris, Pini Cortex, Terra lemnia, Spinæ, Aegyptiæ fructus, Crocum, Lapis Hematites, vel in Vino stiptico ex rebus adstringentibus fiat Decoctum, vt pluries fuit dictum. Deforis verò nunquam refrigerantibus, & repercutientibus vti debemus, nisi imprimis Reuulsiones, Derivationes, & alia vniuersa præsidia fuerint facta ne sanguinem ad Venas illas repellamus, & maioris sanguinis fluxus causa simus, vt loco citato *Gal. inquit*. Si verò ex Intestinis profluat, per Clysteres, Si ex vtero per Mentrenchitas, si ex Vessica. Per Charateres idonea Med. immittenda. Si verò volumus, vt sanguis per Vulnus excludatur, danda vnc. 1. succi Næpetæ cum vnc. 3. succi Plantaginis simul mixtis. Notandum verò quod Plantaginis succus maximè valet ad sanguinem sistendum ab erosione excitatum.

Si

Congelatum sanguinem dissoluẽtia.

Si sanguis intus concrescat, & coagulatus sit, dissoluendus rebus ad id aptis, vt est Bdelium, Acorum, Cumini puluis, Decoctum Sem. Apij, quod sanguinem dissoluit, & per Vrinam educit, Posca similitèr hoc efficit, vt inquit Gal. & multa alia.

Dum verò sanguis cohibetur ac sistitur, laborans clausis oculis maneat, vel obscuro loco detineatur, ne proprium sanguinem, vel quippiam rubrum videre possit, & Medicus, & assistentes ei affirmare debent, quod sanguinis non amplius fluit, vel si fluat, quod nihil nocet, imò Vulneri prodest, & quod citius Vulnus sanabitur, & similia, vt Naturalis eius facultas roboretur.

Puluores Constrictiui sunt infrascripti.

℞ BOlij Armenij, Sang. Drag. Aloes succotrini, Thuris an. part. æquales M. & in tenuissimum puluerem redigantur, vel.

℞. Pul. subtil. Thuris p. 1. Aloes part. M. & in durioribus corporibus sume horum pari pondere, vel.

℞. Aloes Succotrini, Mannæ Thuris, Corticis pini, Terræ lemniæ, Boli Armenij, Lapidis Hematitis, Hypocistidis. Croci, Gallæ immaturæ an. dragm. 1. M, & fiat puluis tenuissimus, & est Gal. vel.

℞ Resinæ Colophoniæ, Pollinis Farinæ Triticeæ, Gipsi an. dragm. 3. M. & fiat pul. tenuissimus, & est Gal. vel ℞. pul. consolidæ maj. Aloes succ. sang. Drag. Boli Armenij an. q. suff. M.

Ad Arterias.

℞ GAllæ vstæ, proijce in Aceto Vini, & postea super Arteriam applica, vel.

℞. Calcis viuæ, Vitrioli non cõbusti an. part. æquales, Pilorum Leporinorũ minutim incisorum M. & super locum applica.

Puluis Sanguinem sistens & incarnans.

℞. ALoes, Myrrhæ an. drag. 1. Sarcocollæ dragm. 2. Sang. Drag. Terræ Lemniæ an. drag. 2. 5. Turiæ. Litargirij Dragganthæ an. dragm. 1. M. & fiat puluis tenuissimus.

Emplastica Medicamenta sanguinem sistentia.

MEd. Emplastica sunt, Oui Albumen, Gipsum ablutum, Viscus, Glutinum Decoctum, Gluten de Coriis in Aqua Decoctum, Amilum, Farina volatilis, Tus pinguæ, Tragagantha Mastichæ, Terra sigillata, Sarcocolla, Bolus Arm. Tela Aranea Molendini polline infarcta, Rasura vetustissimi Lintei, Bombix vstus, & similia, miscendo arida cum Oui albumine ad Mellis consistentiam. Super cætera verò *Gal. loco superius citato laudat infrascriptam.* ℞. Turis part. 1. Aloes part. 5. M. cum Oui Albumine ad Mellis consistentiam, & cum molissimis pilis Leporinis applica. Thus enim Emplastica facultate foramen obstruit, & siccitate carnem generat, Aloes carnem generat, & Vasa astringit. Si verò citius carnem generare volumus, plus Aloes sumendum. Si verò magis sanguinis fluxui incumbere volumus, plus Thuris. Si vtrumq; expetamus pari portione commiscere debemus; Sic in molioribus corporibus plus Thuris in Durioribus plus Aloes, in Temperatis pari portione, & si magis carnem generare volumus Sang. Drag. & Sarcocolla addenda. In Pilis Leporinis, qui sumuntur circa Ilia, & Ventrem, in est summa molliçes, nulla adest malignitas neq; putredinis occasio, & in horum defectu Gossipium optimum est, cum siccandi vim habeat, difficultèr putrescat nullam habeat malitiam, & valde sit molle, vel.

℞. Resinæ Colophoniæ, Triticæ Farinæ, Pollinis tenuissimi, & parum Gipsi, & M. cum Oui albumine ad Mellis consistentiam, & Pilis Leporinis, vel Gossipio applica, vel.

℞. Calcis viuæ, Sang. Drag. Aloes, Thuris, Vetrioli vsti an. part. æq. & cum Oui albumine, & Telis Aranei incorporentur, & pilis Leporinis, vel Gossipio applicentur, vel.

℞. Sarcocollæ, Granullorum interiorum Vuarum passularum, Sumach, Spongiæ Marinæ vstæ, Lateris vsti, Sulphuris, Scoriæ Plumbi, Dragaganthi, Turiæ an. part. æqu. M. cum Oui albumine ad Mellis consistentiam, & pilis dictis, vel Gossipio applicetur, vel.

℞. Gummi Arabicæ, Aloes an. dragm. 1. 5. Thuris resinosi dragm. 3. M. cum Oui albumine ad Mellis consistentiam vtque diximus applica. Gipsum similitèr cum Oui albumine mixtum potentissimum est Med.

Caustica Medicamenta.

EScaram inducentia sunt, Alumen Rocchæ, Vng. Aegiptiacum cum Chalcantho mixtum, Oleum Chal-

canthi, vel Sulphuris, Aqua Erodens vulgo dicta da partire, Arſenicum ſublimatum Paſtili Andronis, Muſæ, Polidæ, Paſonis Ioannis de Vigo, vel ex Charta Gal. quibus paſtillis præcipuè vtimur, quando ex eroſione ſanguinis profluuium euenit. Præcipitatum ſimiliter, & Oleum Mercurij, & multa alia, vel infraſcriptum.

℞. Vetrioli Citrini, drag. 10. Thuris pul. vnc. 1. Aloes Glutini ſicci an. vnc. 5. Arſenici dragm. 2. pul. ſubtiliſs. Gipſi dragm. 10. M. & in Licinijs inſperſa ponantur orificio, & ſi addatur Sang. Drag. & Hypociſtidis puluis, magis adringens Med. reddetur, & eſt Auic. vel.

℞. Chalcitidis vnc. 1. Chalcanthi vnc. 5. Myſios torrefacti, Aeris vſti an. dragm. 2. Aeris non vſti dragm. 1. 5. M. & fiat puluis tenuiſſimus, vel.

℞. Chartæ combuſtæ, plumbi vſti, Aeris vſti, Arſenici, Squamæ Ferri an. vnc. 5. Sulphuris viui drag. 2. M. & fiat puluis tenuiſſimus, & eſt Gal.

Adſtringentia quibus decocta fieri poſſunt.

HViuſmodi ſunt Balauſtia, Hypociſtidis, Rhu, Malicorium, Acacia, Gallæ immaturæ, Pini cortex, Nuces, & Germina Crupeſſi, Folia Plantaginis, Sentis Caninæ, Lentiſchum, Aequiſetum, Folia Myrti, Hederæ Coroneorum, Meſpilorum, conſolidæ vtriuſq; poligonum, Burſa Paſtoris, Intybum, & ſim.

His decoctis, vt valentius ſanguinem ſupprimant, commiſceri poteſt Gipſum coctum, vel crudum, Corallum vtrumq; Sang. Drag. in lacrima vel communis, quæ ſubtiliter ſint puluerizzata.

Succi ſanguinem ſupprimentes.

SAnguinem ſupprimentes ac ſiſtens ſuccii ſunt Plantaginis, Mori, Foliorum Rubi, Lentiſchi, Hederæ, Cupreſſi, Hypociſtidis ſiue Aequiſeti, Conſolidæ mai. Sed ſuccus porri omnia ſuperat, vel per ſe, vel cum Thuris puluere mixtus.

De Vulneribus Neruorum, Tendinum, & ligamentorum. *Cap.* 45.

Neruus qui ſit.

VAnuis Neruus ſit illæ, qui tantum à Cerebro, vel à Medulla Spinali ortum ducit, & cuius ſubſtantia eſt veluti duriuſculum factum Cerebrum, & Tendonum natura mixta mediaq; ſit inter Ligamentum, & Neruum, vt inquit *Gal. lib 1. de motu muſculorum*; Tamen nos hoc in loco ſub Nerui nomine, etiam Tendines intelligemus. Et cum Ligamentum etiam corpus Neruoſum ſit, aliquid etiam de eius Vulnere dicemus, & ſi non eandem curationem cum Neruo, & Tendine exopret, cum ſenſu careat, & ex oſſe omnino ſuum ortum habeat, & in aliud os, aut in muſculum inſeratur, vt loco citato Gal.

Tendo qui ſit. Ligamentum quid ſit.

Minime verò hic pertractabimus de illis minimis Neruoſis partibus, quæ per muſculos diſperguntur, Fibræ à Medicis dictæ, cum hæ Neruoſæ partes, & ſi ob earum læſionem dolorem inferant, tamen ad ſe curationem non trahunt. Sed de Neruis maioribus ſermo noſter erit.

In Neruis igitur, vt inquit *Gal. 6. Meth.* pluribus modis fit continui ſolutio, quia vel punguntur, vel inciduntur, vel contunduntur, & punctio, & inciſio aliquando vnà cum contuſione ſunt coniunctæ. Punctio vero duplex eſt, vel enim eſt hians, & aperta, vel occulta, & cæca, ita vt conſpectum effugiat.

Species ſolutionis continui in Neruo.

Nerui inciſio ſimiliter duplex eſt, vel enim eſt per tranſuerſum, vel per Nerui longitudinem; In Vulnere tranſuerſim facto, vel totus neruus eſt ceſus, vel tantum pars; Similiter in neruorum Vulneribus ceſim factis, aliquando ſuperiorum corporum, vt carnis, & Cutis deperditio adeſt ita vt nudati nerui, & aeri expoſiti remaneant.

Aliquando abſq; vlla ſubſtantiæ deperditione. & hæ continui ſolutiones aliquando cum prauis Symptomatibus ſunt coniunctæ, vt Dolore, Inflammatione, & Conuulſione, & aliquando ſine his ſunt.

Species igitur continui ſolutionis in neruo ſunt punctura, inciſio, & contuſio.

De Vulnerum Neruorum Cauſis.

HOrum Vulnerum cauſæ ſunt inſtrumenta, quæ pungunt, ſecant, contundunt, vel rumpunt, vt de cauſis Vulnerum in vniuerſali fuit dictum, à quibus harum partium Vulnerum differentiæ, vt ſuperius fuit dictum, oriuntur.

De Vulnerati Nerui ſignis.

ADuobus Vulnerati Nerui ſigna ſumi poſſunt, vel à parte, & loco affecto, vel ab accidentibus, ſiue ſuperueni-

nienti-

nientibus Symptomatibus; Vt vero affectæ partis cognitionem habeamus, magamnarationis cogoitio requiritur, vt sciamus si per vulneratũ locum multi,& magni nerui discurrant, nec ne. Si ergo Vulnus sit, vbi Neruorum copia dispergitur, vt propè Articulos, vel in Articulis vel in excarnibus, partibus, vt in Manibus, & Pedibus, & his similibus, maxime de Nerui vulneratione est timendum; Et tanto magis postea, si praua sequantur Symptomata, vt intollerabilis Dolor, Pulsatio. Inflammatio, Febris, Conuulsio, Delirium, & motus l sio. Quæ Symptomata nunquam eueniunt, vbi Neruus per transuersum ex toto est præcisus, sed tunc tantum sensus, & motus amissio illius partis in quam Neruus ille inserabatur, succedit.

De Vulnere Neruorum Prognostico.

IN Neruorum Vulneribus, quoquo modo Vulnerentur, ob eximium harum partium sensum, ingentis Doloris, Inflammationis, Pulsationis, & conuulsionis, & partis imbecillitatis periculum prædicere possumus, & ideo *Gal. lib. Artis Med. cap. 92. inquit*. Nerui vero, & Tendinis punctura propter sensus veh mentiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta est ad Neruorum conuulsionem excitandam, ac tunc præsertim, cum nihil prorsus expirat, obcecato cutis Vulnere. Horum igitur prauorum Symptomatum causa est neruorum maxima sensibilitas, & quia principio, id est Cerebro, continuatur, cui omnes affectus communicant. In punctura verò alia additur causa, & est, quia in tali punctura sordities genita intra constringitur, & Venenosam fere qualitatem acquirit, & propter cutis, & carnis cecitatem euacuari nequit, & ideo naturam stimulat, dolorem inducit, & conuulsionem. In Neruo verotransuersim omninò cæso, cum principio non continuetur Neruus infra recisionis locum, & cum sensum ab illo non recipiat; Ideo etiam Dolor excitari no potest, neque conuulsio fieri.

Hipp 5. Aph. 65. inquit. Si in Vulneribus tumor appareat bonum, cum non admodum conuellantur, aut insaniant. Si verò repente euanescat, conuulsionis, & Delirij periculum imminet, & sequenti *Aph. inquit*; Si magnis Vulneribus, & praus tumor non appareat, ingens malum, & praua Vulnera, vt *Gal. in eius com. inquit*, sunt partium Neruosarum, vt ea, quæ sunt in capite, aut sine musculorum. Similitèr alio sequenti *Aph. inquit*; Incontenta bona. Contenta verò, & cruda mala, idest tumores molles boni sunt, duri vero mali, & hoc intelligendum in prauis Vulneribus, & Neruosarum partium vt *Gal. & alij interpretes inquiunt*.

Si Neruus totus per transuersum sit cesus, nullum conuulsionis adest periculum, neq; Doloris, neque Inflammationis, sed tantum pars languida, & ignaua redditur vt inquit *Paul. lib. 4. cap. 54.*

Si verò non omnino sit cesus omnium dictorum Symptomatum adest periculum, vt inquit *Gal. 6. Meth.* Sectio quæ per Nerui longitudinem fit securior est, vt inquit Auic.

Ligamentorum Vulnera, quæ ab osse proceduat, & in aliud os inseruntur, cum sensu careant, nullum prauum Symptoma sequi solet, & ideo huiusmodi Vulnera non curanda, in Vulneribus vero illorum ligamentorum, quæ in musculos inseruntur, non ita res se habet, sed aliqua prauorum, Symptomatum susciplo adest, vt inquit *Gal. 6. Meth.* Eodem etiam loco inquit, Tendones quoque quoniam ex Neruo, & ligamento constat, quatenus Nerui participes sunt, eatenus ex Cerebro oriuntur, minus tamen quam ipsi Nerui conuulsionem accersunt.

De Nerui punctura. *Cap.* 46.

VIm ergo species solutæ vnitatis in Neruo plures sint, & inter se partim communem, partim diuersam curationem requirant; Ideo de harum vnaquaq; separatim pertractabimus, & primum de Nerui punctura.

In Punctura Nerui duas intentiones habere imprimis debemus. Prima erit quicquid extraneum in Vulnere fuerit extrahere; Secunda partis temperiem seruare. Quomodo primam intentionem consequi debeamus superius in curatione Vulnerum in vniuersali abunde à nobis fuit dictum. Pro secunda verò intentione consequenda. Quatuor Scopos habere debemus; Primus erit sex rerum nonnaturalium optima institutio; Secundus antecedentis materiæ euacuatio; Tertius à conuulsione præseruatio; Quartus Doloris lenitio, & Aeruginosæ materiæ euacuatio.

Pro primo consequendo Scopo, Aer

calidus

calidus eſſe debet, cum frigidum exanguibus partibus inimicum ſit, & ab eo maximè offendantur, & calidum eis ſit familiare, & conueniens, vt inquit *Hipp. 5. Aph. 18.* Ideò dum Neruorum Vulnera ſoluuntur, & tractantur, propè vas aliquod ignitis Carbonibus plenum adeſſe debet, & multa calida Lintea parata habere oportet; Victus tenuiſſimus competit, & ex rebus frigidis, & ſiccis, & Vinum omninò deuitandum, & prò potu mulſa competit; Maneat in quiete, & in molli cubile, cum dicat *Celſus lib. 5. cap. 26.* Optimum etiam Medicamentum quies eſt: mouerique & ambulare, niſi ſanis alienum eſt; Affecta pars ſimiliter molliter, & commode, & conuenienti ſitu locanda; Somnus ſit moderatus, & nimiæ vigiliæ deuitandæ. Sic omnes animi affectus, & præſertim ira cum humores excalefaciat, attenuet, & ad fluxum habiles reddat, & aluus lubrica ſeruetur. Vt vero ſecundum conſequamur Scopum, & ne materia ex vniuerſo corpore ad affectam partem confluat, *Gal. 6. Meth. & Paul. lib. 4. cap. 54. & Aetius Serm. 14. cap. 27.* volunt, ſi virtus ſit vegeta, neque quid obeſt, vt ſanguinis miſſio quamprimum fiat, & hoc etiam faciendum, quamuis in laborante ſanguinis refundantia non adſit, vt inquit Gal. lib. de ſanguinis miſs. reſpectu habito ad affectam partem, & ad imminentia Symptomata; ſeruata ſemper rectitudine, & Venarum conſortio, & affinitate, & ſi vitioſi ſuccí in corpore redundent, vniuerſum corpus protinus purgandum, dicti Autores inquiunt. Competit etiam leuis Fractio, ſed his partibus, quæ à Vulnere longius abſunt, *vt loco ſuperius citato inquit Celſus.*

Quomodo Tertiũ Scopum aſſequi debeamus, abunde ſuperius *Cap. de Conuulſione diximus & Gal loco ſuperius citato inquit.*

Si in Manu Neruos quoquo modo ſit Vulneratus, Oleo calenti Liliorum alborum, vel communi vbertim in affecta parte, in Axillis, Collo, Tendonibus Ligamentis, & capite vti. Quod ſi Vulneratus Neruus extra ſit, qui in crure habentur, ſicuti cum in manu eſt, Alæ, ita in his Bubones, ſiue Inguina, & Pecten largo Oleo imbuenda, tùm per totam Spinam ad Collum, & Caput aſcendendum. Non ſolum vero dictarum partium calidi Olei inunctio prodeſt, ſed etiam dictæ partes Lanis calido Oleo optimè iniunctis fouendæ. Vt verò quartum Scopum aſſequamur; Permiſſis Vniuerſalibus, vt ſuperius fuit dictum, Nerui punctura conſideranda, an vel aperta, & ſi ſit cæca. Cæca, & facta ab Inſtrumento ſubtiliſſimo, & acuta cuſpide prædito, vt Acu, vel ſtillo, vel ſimili, id tantum curandum eſt, vt inquit *Gal. loco citato*, ne Phlegmone particula tententur, quod prohibebimus ſaniei in punctura genitæ exitum dando, & viam pateſaciendo vt Med. totis ſuis viribus ad vſq; punctura fundum peruenire poſſint, vt verò hæc optimè fiant, vt inquit *Gal. 3. de comp. Med. Gec. Gen. per tranſuerſum ſuperpoſita cutis & caro ad angulos rectos duabus inciſionibus incidenda.* Si verò punctura non ſit cæca, ſed aperta, patens tale Vulnus ſeruandum, & ſi ſit opus etiam latius talæ Vulnus incidendum.

Deinde admouendã, quæ ſimul dolorem mitigent, & exitum ſaniei pateſaciant. Quæ præſtat, vt inquit *loco citato Gal.* Oleo tenuium partium, & veteri, & calido Neruos punctos foueri. Hoc ſi quidem, ſi frigidum applicetur, tenues meatus obſtruit, ſi calidum diligenti; Etenim Medicamenta, quæ Nerui punctura auxiliantur debent eſſe facultate tenuia, & modice calefacientia, & quæ ſiccare citra dolorem poſſint, & ideo *Gal. 3. de Med. Sec. Gen. cap. 2. inquit.* Rurſus apud me contemplatus Frigidum verè ab Hipp. Neruis inimicum dici, optimum fore Neruorum Vulneribus Med. intellexi, quod etiam ſiccaret, & inter calidum eſſet ac frigidum, vel non multum à medio ad calorem recederet. Calidum vero eſſe ſatis poſſe etiam, modo ſiccandi poteſtate polleat hæc Gal.

Quandoquidem ſola hæc trahere ex profundo ſaniem, nec demorſa particula, valent. Dicta ergo Olea dolorem duobus modis læniunt.

Primum vnctuoſa ſua Natura partem laxando, ſecundo ſua caliditate foras ſaniem trahendo, & ſic conſequenter doloris cauſa, & inflammationis aufert, & Vulneris etiam orificium ſua vnctuoſitate dicta Olea apertum ſeruant. Et ideo Gal. Nerui punctura ſolum Lanis Oleo actu calido iunctis, partem fouendo curauit.

Per ſingulos ergo dies bis, aut ter Vulnus ſoluimus, & inungimus, vt ſuperius fuit dictum, & ſi longiores fuerint noctes noctu quoque, præſertim vbi mordacitas Vulnus irritet. Quod ſi neque mordacitas neque dolor percipiatur, bis tantum in

die,

dio, & circa Vesperam semel, soluemus, vt inquit *Aetius Serm.* 14. *cap.* 27.

Conuenient igitur, vt Gal. inquit, in Nerui Punctura, ea Medicamenta, quæ tepidum calorem excitant, & valenter siccant, tùm quæ ex substantiæ suæ natura etiam attrahendi vim habent, & tenuium sunt partium. Et inter Olea maxime Sabinum vetus, ideſt saltem binum, vel trimum laudat *Gal. 6. Meth. & 3.* de Comp. Med. Sec. Gen. & quo est antiquius, eo est tenuius, & in huius defectu maxime valet Oleum, de Terebenthina, cum dolorem leniat, & saniem absumat. Ad idem etiam valet Oleum Hypericonis completum siue magistrale, & in horum defectu, vti possumus Oleo Costino, Liliorum Alborum, Vulpino, de Castoreo, Scambucino, Irino, Syconio, Communi Antiquo, de Euphorbio, de Piperibus, & his similibus, & in horum defectu bonum est Oleum communæ in quo sit incocta Ruta, & Anethum. Si verò vehemens adsit dolor, Oleo ex Ouorum vitellis vti possumus. Adstringentia verò Olea omnia vitanda, cum obstruant, & perspiratum prohibeant. Sic Aquæ, & Hydrelei caldi fotus, quia humectant vitandi, & omnia actu frigida, cum frigidum Neruis sit inimicum, vt inquit *Hipp. 5. Aph.* 18.

Sed animaduertendum quod Medicamenta secundum corporis temperiem sunt variandæ, & ideo Gal. in ijs, qui molli erant carne primum sola Resina Tereb. fuit vsus, & in ijs, qui dura erant, carne, cum Euphorbio mixta, Laudat etiam idem Autor recentem, & pinguem. Propolim, & non modo per se, verum etiam cum Euphorbio emollitam, & si durior sit, cum aliquo tenui Oleo, & in duris etiam corporibus vsus est Sagapeno, & Opopunace cum Oleo, & Terebenthina mixtis. Similiter Sulphure viuo, & minime lapidoso tenui Oleo, ad sordium crassitudinem permixto in molliorib. corporibus, & in durioribus ad crassitudinem Mellis Laudat etiam Empl. ex Lacrima Cirenaica. Postea subiungit. Ego verò ad Neruos hoc vti consueti Empl. ℞. Ceræ part. 1. Resinæ Tereb. aùt loco eius humidæ Pinæ, aùt Colophoniæ, aùt Abietinæ vnius partis dimidium, picis tantundem. Si itaque humidam Resinam miscebis, tunsam cribratumque Euphorbium reliquis immittes liquatis. Esto verò pondus eius pars Ceræ duodecima, sin siccum, sicuti quæ Colophonia dicitur, vtique Oleum pusillum desiderabit Euphorbium.

Animaduertendo semper, & si dicta Empl. apponantur, vt pars Lanis calidis, & dictis Oleis optimè inunctis foueatur.

Animaduertendum etiam, ne acria Med. intra Vulnus ingrediantur, ne ob maximam partis sensibilitatem, dolorem excitent, sed desoris tantum applicanda, & leniora sint illa, quæ Neruum tangere debent; Neque etiam in Neruorum puncturis Lineamentum vnquam est imponendum.

Nota Medicamentis proportionati, cum proportionati.

Vt verò Med. sit parti affectæ proportionatum, & accomodatum, neque magis, neque minus calefaciat, siccet ac detergat, quam si ex vsu, ex his signis dignoscitur. In affecta parte temperamentum ac moderatum calorem inducere debet, sic pruritum aliquem, & Vulneris orificium moderate hians seruare debet. Si verò ex Medicamento impositio æger nullum calorem persentiat, vel ingentem, proportionatum non est, quia Med. quod aliquantisper partem non excalefaciat, saniem educere non potest; Quod verò nimis excalefacit, & si saniem educat, tamen inflammat. Item maximus pruritus, vel partis morsus, & si Vulneris orificium magis, quam prius hiet valentioris Med. est indicium, & ideo de caliditate, antequam intra Vulnus imponantur, in parte sua periculum faciendum, & si temperatam caliditatem persentiat, imponendum aliter minimè, sed ad temperatum calorem reducendum.

Quomodo Symptomatibus occurrendum.

Si verò Neruorum Vulneribus, & præsertim punctis, & à principio neglectis, Dolor, Inflammatio, Putredo, & conuulsio superuenerit, his occurrendum est, vt superius cap. proprio fuit dictum. Primum vniuersalibus præsidijs, ideſt Venæ sectione, purgatione, & alijs superius dictis; Deinde per refrigerantia ac siccantia Neruorum Phlegmoni ac putredini resistere debemus, & ideo post quam calido Oleo partem foueremus, aliquod Emplastrum, quod huiusmodi facultates habeat, applicandum, quæ componi possunt ex Farina Hordacea, Fabacea, vel potius Eruina, vel Cicerum cum dulci Lixiuo, vel Oximellite, vel Acetoso Syruppo Decoctis,

costis, & quæ humectandi ac putrefaciendi vim habeat, deuitanda, quamuis aliis Inflammationibus accomodatissima sint, vt Empl. ex Triticea Farina, & calidæ Aquæ, & Hydrelei forus, & similia, vt *Gal. loco citato inquit*. Si vero inflammatio, & Dolor maxime vrgeat, Eruina, aut Fabacea Farina cum optima Sapa, & paucissimo Aceto incoquenda, & his Empl. faciendum, & post Olei forum, calidum applicandum, & si magis refrigerare volumus, ex Milij Farina cum Oximellite Empl. faciendum, & hoc vsq; ad Inflammationis remissionem vti debemus.

Si vero maxima in Neruo putrefactio oriatur, vel candenti Ferro, vel causticò Medicamento, vel Aegipriaco Vnguento eum adurere cogimur. Si vero Dolor, & Inflammatio adeo sit insignis, vt maximè conuulsio ex his imminere videatur, non solum affecta pars, sed etiam conuicinæ partes, totaq; Spina, vt superius fuit dictum calido Oleo, & Lanis continuo fouendæ, & si conuulsio aduenerit, non solum dicta Fomenta vtilia sunt, sed etiam partis affectæ in calidum Oleum immissio, quæ eo vsque detineatur, quousque conuulsio sedetur, & qui plura desiderat videat superius caput de conuulsione, vbi multa adinuenies. Hoc etiam in his Vulneribus animaduertendum, vt Vulnus non conglutinetur, prius quam optime fuerit purgatum quod ex Doloris sedatione, tumorisque imminutione dignoscitur.

De Neruis cæsim Vulneratis.

Cap. 47

IN Neruis cæsim Vulneratis *Gal. 6. Meth. cap. 3.* optime animaduertendum, & considerandũ, quomodo Vulnus se habeat, Vtrum per transuersum Nerui sint cæsi, an per longitudinem, & quantum superpositæ cutis diuisum. Similiter si Neruus per transuersum sit cæsus, optime spectandum, vtrum ex toto sit cæsus, nec ne, cum huiusmodi Vulnere differentiæ non parum, curationem euarient. Si ergo in Vulnere Nerui cæsim facto, vel sit per Nerui longitudinem, vel per transuersum, satis cutis non habet, vt superius fuit dictum quantum est satis incidenda. Si vero satis sit aperta, & Neruus nudatus non appareat. Sex intentiones in huiusmodi curatione habere est opus. Prima erit sex rerum Nonnaturalium optima institutio. Secunda antecedentis materiæ euacuatio. Tertia, ne praua Symptomata eueniant, prohibere, Quarta, vt disiunctæ partes ita vniantur, vt emissarium relinquatur, per quod collecta sanies effluere possit. Quinta, vt conueniens Med Vulneri superponatur. Sexta, vt supra alia Medicamenta lana mollis succida, & Oleo optime oblinita blande alligetur. Tres primas intentiones, vt superius de Nerui punctura fuit dictum, complebimus. Quo ad quartum scopum disiunctæ partes, & deducta Vulneris labia simul vnienda, & hoc faciendum, vt Neruus à proprio tegumento operiatur, & ne ab Aere, & Frigore alteretur, vtque calor minus expiret, & fortior calor reddatur, & minus de aliena substantia inter incisas partes concrescat, & motus melior fiat, Vulnusque citius sanescat, & pulcrior tandem cicatrix inducatur. Sed in declinatori loco semper Linamentum aliquod molle Digestiuo ex Tereb. Oui Vitello, ex parum Croci oblinito blandi immittendum, & hoc faciendum, vt superius diximus, vt libere sanies exitum habeat, ne ex eius retentione Nerui corruptio, & putrefactio ac etiam conuulsio sequatur, & huiusmodi Lineamentum immittendum quousque Inflammationis, & conuulsionis periculum præterierit.

Huiusmodi verò Vino, si per Nerui longitudinem scissio fuerit, vt *Gal. inquit*, vinculo siue Fascia fieri debet. Si verò per transuersum, Sutura, animaduertendo semper ne Neruus vel Neruosa pars suatur.

Nerui cesi curandi fuit non debeant.

Quamuis aliqui affirment, etiam Neruos esse suendos, quod ego nunquam facerem, neque aliis suaderem, infrascriptis rationibus, & præter multas grauissimorum virorum Autoritates. Nam si in Neruo non inciso, sed tantum, puncto Dolor, inflammatio, conuulsio, & alia praua Symptomata eueniunt. Si Neruus igitur suatur, compungi est necesse, & ideo dicta accidentia superuenient; Ergo Neruus nunquam est suendus.

Secundo in Neruorũ incisionibus, quantum est possibile, dolorem vitare debemus. Sed si Nerui suantur, continuus dolor excitabitur, & consequentèr etiam alia praua

Sym-

Symptomata succedunt. Ergo sui nullo pacto debent. Quo ad quintam intentionem, vt superius ex Gal. mente diximus Medicamento conuenientia, tùm ad Neruos punctim, quàm cæsim Vulneratos debent esse Anodina, & modicè calefacientia, & tepidum calorem, velutique ex Sole suauem excitent, & valentèr citra dolorem exsiccent, ac etiam saniem atque humores educendi, & discutiendi facultatem habeant. Et inter cætera Vnguentum infrascriptum, de Vermibus dictum, ab omnibus laudatur, quod ita fit.

Vng. de Vermibus compositio.

℞. Centurij Mini, Plantaginis Min. Lanceolatæ dictæ, Cinogloſſæ, Piloſellæ, Conſolidæ maioris, & minoris, Caudæ Aequinæ, Millefolij an. M. 1. Vermium terreſtrium lib. 5. Olei Comm. lib. 1. Vini lib. 1. 5. Aceti vnc. 4. subigantur simul, & ita septem diebus fermententur. Deinde illis addatur Sepi Arietis à pellibus emundati lib. 1. Picis Nauallis, Reſinæ ad quartum vnum, Gummi Ammoniaci, Galbani, Opoponacis in Aceto diſſolutorum an. dragm. 5. simul omnia moderato igne decoquantur, ad Vini, & Aceti conſumptionem, & colentur. Vbi verò hæc perfrixerint, adde Terebenthinæ vnc. 1. 5. Thuris, Maſtiches, Sarcocollæ, an. drag. 3. Croci dragm. 2. agitentur, & Spatula, vel Piſtillo in Mortario moueantur, & ſi videbitur, ad conſiſtentiam Cera addi poteſt.

Emplaſtra ſimilitèr ſuperius in Nerui punctura ex Gal. mente propoſita conuenientiſſima ſunt, vt ex Farina Fabacea, Eruina, Hordacea, Lupinorum, Cicerum in Oximellite coctis. Laudat ſimilitèr Gal. Picem liquidam Fermento temperatam atq; calidam Vulneri impoſitam, item Farinas dictas cum Fermento mixtas, & Fermentum per ſe ſolum impoſitum. Item Oxeleum ſolum calidum, modo Acetum abunde aeræ, & vetuſtum ſit. Item propolis recens liquida, & pinguis per ſe ab eo laudatur, interim Fermento commixta, & multa alia, vt locis ſuperius citatis apud Gal. videre potes, & dictis Medicamentis tàm in principio, quàm vbi pars Phlegmone fuerit occupata, fæliciſſimo cum ſucceſſu ſe vſum fuiſſe Gal. teſtatur, & ex ijs minus moleſta eſſe inquit 3. de comp. Medicamentorum Sec. Gen. quæ liquida ſunt ſubſtantia.

Ne verò pars à Frigore offendatur, cum frigus omnibus Vulneribus ſit inimicum, vt pluries ex Hipp. mente fuit dictum, & Neruorum Vulneribus præcipuè infeſtiſſimum eſt. Ideo aliis Med. Lana mollis ſuccida, vel calente Oleo reſperſa, vel Oxeleo imbuta ſuperponenda, & leuitèr alligandа, & extrinſecus ſimilitèr alia Lanæ vellera vel pellis, aut calidi panni circumponendi, & ſepe mutandi, & in calido conclaui, & molli cubile, vt ſuperius fuit dictum detinendi, & ſaltem vſque ad ſeptimum diem his vti debemus, & ſic ſextam intentionem conſequemur. Nam inquit *Gal. 3 de Comp. Med. Sec. Gen.*

Si couſque Phlegmone non tententur vacerq; prorſus dolorem, nullam ſentiet tenſionem, & in poſterum tutus erit. Et hæc de Nerui quocumq; modo cæſim Vulnerati generali curatione dicta ſufficiant.

De Neruo tranſuerſim Vulnerato. *Cap.* 48.

Vando Neruus per tranſuerſum eſt cæſus, tamen non omninò præciſus, cum maius conuulſionis periculum impendeat, ſuccedente Inflammatione à diſſectis Nerui Fibris ad integras, & ideò à Fibris non ſectis conuulſio excitatur; In tali caſu, inquit *Gal. 6. Meth cap. 3.* Detrahere largius ſanguinem expedit, & tenuis magis, quam in illis, ideſt in Neruis per directum cæſis, vti victus ratione, in quiete omninò, ac Lectulo molli hominem continere, tùm Oleo calenti vbertim in Axillis, Collo, Tendonibus, Ligamentis, & Capite vti, & tamdem, vt in Nerui punctura diximus, curandum. Si verò conuulſio iam ſuperuenerit, & conuenientibus auxilijs non remittatur, ac cedat reliquæ Fibræ, quæ integræ remanſerunt incidendæ. Cum ex tota Nerui præciſione, vt ſuperius ex Gal. ſententia diximus, nullum conuulſionis periculum remaneat, & ſi debilis particula fiat. Tamen, vt inquit, *dictus Autor 12 Meth.* Potius optanda eſt læſio, quam mors. Si verò hæc tranſuerſa diuiſio ad modum alta in Muſculo fuerit, & vinculo diſiunctæ partes vniri non poſſint. Si recens fuerit Vulnus, altioribus, & profundis futuris deductæ Muſculi partes vniendæ. Semper animaduertendo, ne Neruus vel Tendo compungatur, ex quarum

partium

partium compunctionem vt ſuperius fuit dictum, praua Symptomata ſequi poſſent, quod non accidit in Carnoſarum partium vt muſculorum ſuitione, vt inquit *Gal. 3. de Com. Med. Sec. Gen.* Alte verò, & profunde huiuſmodi ſuitiones, eſſe debent, vt vnio tàm in partibus internis, quàm in externis fiat, & neque in profundo ſunt inconglutinata dehiſcant. Facta hac decenti ſutura, biduo Oleo Roſaceo Lumbricato conſutum Vulnus inungendum ac foouendum, & deſuper adſtringentes, & Sutura conſeruatiui pulueres aſpergendi, quibus, ſi lubet, parum vermium terreſtrium puluis ſit commixtus, qui vt inquit Gal. 11. Simpl. inciſis Neruis maximè prodeſt, vel infraſcripto vti poſſumus.

℞. Pulueris ſub. Vermium Terreſtrium dragm. 3. Caudæ æquinæ dragm. 2. pul. Bettonicæ Vrticæ an. dragm. 1. Olibani dragm. 3. pul. Centaureæ min. drag. 2. Carnium, Limacum q. ſuff. ad vnendum, eoq; quatuor dierum ſpacio vtere, & deſuper, vel Vnguentum dictum ex Vermibus, vel quo libet aliud conglutinatorium apponendum, & tandem, vt cætera Vulnera curandum.

De Nerui cæſim Vulnerati, & nudati Curatione. *Cap.* 49.

SI Neruus cæſim fuerit Vulneratus, & vel ob ſuperpoſitorum corporum ſubſtantiæ deperditionem, vel ob Cutis deuiſionem denudatus oſtendatur. Vniuerſalibus præſidijs, vt ſuperius fuit dictum inſtituris, quo ad particularia, & localia, Acria Medicamenta ſuperius nominata, in quibus Euphorbium, vel quid ſimilæ ingrediatur, applicanda non ſunt, cum ipſorum acrimoniam nudati Nerui ferre non poſſint, quam cum per interpoſitam cutim pertranſit, ferre poſſunt. Ideo niſi vllum prauum adſit Symptoma, ea Medicamenta applicanda, quæ minima cum roſione ſiccant, vt inquit *Gal. 6. Meth. cap.* 3. & huiuſmodi ſunt Calx lota, & in plurimo veteri Oleo ſoluta; Salutare etiam eſt Medicamentum, inquit Gal. in denudato Nerno, quod ex Pompholige fit, ſi in largo ſit Roſaceo liquatum.

Quod vtiq; melius fuerit, ſi tùm Roſaceum ipſum, tùm Oleum ſalis ſit expers. Porrò quæ ex Metallis conſtant Medicamenta, ea elota omnia eſſe debent, ſi citra morſum ſint ſiccatura. Salubre verò Medicamentum eſt, quod ex melle ſoluto in Oleo conſtat. Competit etiam ſubtiliſſimus Puluis Calcis optime lotæ inſperſus, vel Tutiæ, præterea Terebenthinaque, ſi his miſceatur, elui prius debent.

Si verò robuſtus ſit, qui Vulnus accepit & cui corpus ſit à ſuperuacuis humoribus mundum, in hoc fas eſt, valentioribus remedijs nonnullis vti, cuiuſmodi ſunt Lineamenta oblinita Paſtillis polidæ à Gal. 5. de Comp. Medicamentorum deſcriptis ſapa calida ſolutis, & in horum defectu, Anadronis, vel Paſonis, & omnia calida applicanda, cum eorum, quæ Neruum contingunt, nihil frigidum eſſe debeat, vt inquit *Hipp. 5. Aph.* 18. Quandoquidem ea pars maximè ſenſibilis eſt, & principium partium temperamento ſuo frigidum læderet.

Quorum omnium occaſione facile à frigido offenditur, & ſuam offenſam Cerebro impertit. Certùm ſubiungit Gal. Eiuſmodi Vulnus Oleo perfundendum non eſt, præſertim quum nunc commemoratis Paſtillis curatio ſuſcipitur. Nam Oleorum illorum viribus aduerſatur, & ſordidum Vlcus reddit. Neq; enim parum intereſt nudoue Neruo, an per interpoſitam cutem admoueas. Abluenda igitur à Vulnere eſt ſanies per mollem Lanam ſpecillo circumuolutam, ac in principio quidem, tepida ſapa madefactam, & expreſſam, poſtea verò etiam Vino dulci, ſed omni mordente qualitate carente Vlcere verò iam ad cicatricem vtente, quæ alba plane ſunt, & tenuia, nec multam Aquam tollerant, nec odorata ſunt, ea dulcibus præſtant. Aquæ verò vſum ad Neruum Vulneratum perpetuo fugies, ſicuti relaxans Catapl. & ſi neceſſitas adſit, tale Vulnus blande, & ſuauiter Vng. ex vermibus detergendum, aut mundificatiuo facto ex optimo Melle Terebenthina, & Hordei, & Fabarum Farina, & parum pulueris Vermium terreſtrium, vel alio ſimili. Hoc facto curandum, vt caro ſupercreſcat. Poſt quam denudatus Neruus fuerit tectus, vt Paul. inquit, extrinſecus, ita, vt ſanas etiam partes ampliter comprehendat, Lineamenta Med. ex Euphorbio facto oblinita, vel ſimili, vt de Nerui punctura ſuperius fuit dictum, circumducenda ſunt.

DE

De Neruorum contuſione diſtorſione. *Cap.* 50.

IN Nerui contuſione imprimis animaduertendum, vtrum huiuſmodi Nerui contuſio ſit cum partium ſuprapoſitarum contuſione, & continui ſolutione, vel non, & ſi ſit cum ſolutione continui, à principio comperit Oui albumen cum Roſaceo mixtum, & ſtuppis applicatum, quod Medicamentum dolorem læmendi vim habet; Lenito dolore, pars Vino tæpido craſſæ ſubſtantiæ, & aſtringenti fouenda. Deinde ea Medicamenta, applicanda, quæ ſiccandi, & partes per contuſionem à ſe diſſidentes contrahendi, & conſtringendi facultatem habent, cuiuſmodi eſt Cataplaſ. ex Fabacea Farina in Oximellite cocta, & ſi magis ſiccare volumus cum Eruina, & Oximellite componendum Catapl. aut fiat Catapl. ex Farina Eruina cum Sapa, & modico Aceti.

Si verò adhuc magis exſiccare volumus Catapl. fiat ex Iride Illirica, vel Florentina, Eruina Farina, & Oximellite, vel fiat Vng. ex Olibano, & Myrrha, vt inquit Auic. quod Vulnus exſiccat, contuſionem quæ reſoluit. Si verò huiuſmodi contuſio cum Vulnere magnum dolorem habeat coniunctum Catapl. ex Fabacea Farina liquida pix adiciatur, & vbi bene fuerint omnia decocta, calens Catapl. applicandum, vel fiant Catapl. ex Fabacea Farina Melle, liquida pice, & parum Aceti, vel perfundatur pars Oleo Camemolino, Anethino, Irino, Rutaceo, & his ſimilibus, & Hiemali tempore, Oleum de Caſtoreo etiam competit. Humida verò, & quæ putrefaciendi vim habent omnia fugienda, vt ſuperius fuit dictum. Si verò nerui contuſio abſque Vulnere fuerit tunc Oleorum calidorum, & tenuium partium continua irrigatio, & Lanarum ſuccidarum dictis Oleis imbutarum fotus continuus auxilio erunt, vt ſunt ſupra nominata, vel applicetur Empl. factum ex Radice Cyclamini cum Sale, & Melle, & ſi volumus, vt magis ſiccet, addatur Maiorana, fotus etiam ex decocto Menta ſtri maxime eſt vtilis, vel apponatur infraſcriptum Med.

℞. Pulueris Sulphuris, ſalis an. part. æqu. Mellis duplum M. & calidum applica, vel apponantur folia Vlmi in Oleo decocta.

Si verò ſimul dolor infeſtet, pars decocto Acori, Iridis, vel Narciſi fouenda, ſimiliter Cepa cocta, & trita, & cum Melle mixta confert, vel infraſcripta applicentur quæ optima ſunt.

℞. Farinæ Orobi, vel Fabarum vnc. 3. Rad. Lilij Cæleſtis vnc. 1. 5. Mellis vnc. 4. Picis Nauallis, Picis liquidæ an. vnc. 5. Aceti vnc. 2. Vini Rubri q. ſuff. M. & S. A. Fiat Catapl. vel.

℞. Corticis Rad. Altheæ mundati vnc. 3. Rad. Lilij vnc. 1. Maioranæ, Agni caſti an. dragm. 2. Coquantur, terantur deinde adde Bdellij Vino, & Aceto diſſoluti vnc. 5. Styracis liquidæ dragm. 3. M. & Fiat. Vng.

Per Os etiam aliqua aſſumpta neruorum contuſionibus proſunt, vt eſt Ariſtolochiæ Radix cum Aqua bibita, & ſuccus Radicis Gentianæ an dragm. 1. cum Aqua vel Opoponax cum Vino Maluatico; Similiter dragm. 2. ſucci Centaureæ min. cum Vino, vel Aqua; Item Acori decoctum bibitum, Ammoniacum cum Melle, vel Enulæ Radix cum Melle, & ſimilia. Quo ad vniuerſalia præſidia, fiat ſicuti ſuperius in alijs Nerui leſionibus fuit dictum; Aliqui in Nerui diſtorſione, in qua ledatur morus, Altheam recentem coctam & appoſitam prodeſſe inquiunt.

Si verò in Neruo, vel ob Vulnus, vel contuſionem, vel diſtorſionem, vel qualibet alia cauſa ob craſſorum humorum confluxum Duities remanſerit, ex qua ſepe in parte Torpidus ſenſus ac ſtupor perſentitur, tunc per Emollientia, & Digerentia huiuſmodi Duricies tollenda, cuiuſmodi ſunt Bdellium, Galbanum, Euphorbium, cum Olei fece mixtus, vel Bdellium in Aqua ſolutum, cum Altheæ Radice cocta, & contuſa M. & applica; Vel Lilij Radix trita cum ſapa mixta applicetur, vel Diachilon magnum cum liquida ſtirace mixtum, vel Bdellium cum Apipe diſſolutum, & ſimilia, vel fiat ſui fumigium, vt ſuperius fuit dictum cum Aceto in Pyritem Lapidem ignitum, vel Molendini affuſo, quod maximè reſoluit.

De Vulneribus Ligamentorum, & de eorum Contusione, & Distorsione. *Cap.* 51.

IN harum partium Vulneribus, cum sensu careant, & neque ad Cerebrum pertingant, ideoque Dolor, & conuulsio non sunt pertimescenda, tantum intentio nostra esse debet, saniem à Ligamento prodeuntem exsiccare, ne illud putrefaciat, ideo cum ob dictas causas valentissimorum Medicamentorum vim tolleret, his intentionem nostram consequemur; Applicabimus igitur pastillos polidæ, vel Andronis, vel Pasonis modico veteri Oleo eliquatis, & cum Theriaca mixtis. Si verò ligamenta contundantur vel distorqueantur, quæ calefaciendi, & siccandi, & aliquantisper adstringendi facultatem habent, applicanda sunt, vt caliditatis ratione resoluant, & ratione siccitatis, & astrictionis, partis temperamentum seruent, ac eam roborent; Fotus verò calidæ Aquæ omninò vitandus, cum ligamenta molliceret ac debilitet. Conuenientia igitur Medicamenta sunt Oleum Masticinum, Nardinum, Spicaceum, Empl. Barbarum mag. vel infrascriptum Vng. R. Olei Masticini, Spicacei an. vnc. 1. Croci parum, Ceræ q. suff. M. & fiat Vnguentum.

De Ossium Vulneribus. *Cap.* 52.

POst quam, de mollium partium Vulneribus fuit à nobis pertractatum, modo de partium durarum Vulneribus verba facere reliquum est; Omnis continui solutio in Osse facta ab Antiquis fractura fuit vocata, vt apud Hipp. Gal. & alios videre potes; Recentiores tamen Fracturam tantum illam Ossium diuisionem nominant, quæ non ab instrumento incidente fuerit facta, sed ab alia aliqua extrinseca, & violenta causa quæ tùm Ossa frangendi, & rumpendi, tùm contundendi vim habeat, de qua; Deo dante suo loco dicemus, Ossis verò Vulnus siue incisio est illa vnitatis solutio in Osse facta ab instrumento incidendi, & in profundum penetrandi vim habente, vt ab Ense vel simili alio instrumento.

Quid sit Ossis. Vulnus.

Hæc verò Ossis incisio aliquandò est totius Ossis, aliquando tantum partis, & hæc aliquando maiorem, aliquando minorem Ossis partem occupat, & aliquando profundius, aliquando minus profunde penetrat, & hæc Vulnera aliquando sunt cum frustulorum Ossium separatione, aliquando sine his.

Ossis verò incisi signa, cum manifesta, & tactui, & oculis conspicua sint, ideo de his nihil dicemus.

De Prognostico Vulnerum Ossium.

IN Ossium Vulneribus, cum superiacentes particulæ Vulnerari sit necesse, vt cutis Caro, Venæ, & neruosæ partes, ideo praua symptomata, vt sanguinis Hæmorragia, Dolores ingentes. Inflammationes, conuulsiones, Syncopæ, Febres, & similia excitari possunt, à quibus postea curationis indicationes sunt desumendæ, Asclepius, vt *Hipp. 1. de Reductione Morborum dixit*; Ossa iuuenum fracta glutinari prius quam puerorum, quia pueris opus sit cibus etiam, id quod solutum est, resicientibus ac complentibus, non Medicamentis tantum *Gal. verò 3. & 6. Meth. inquit* Verè coalescere nequeunt Ossa iuuenum, Adolescentum consistentium Aetate, nec non senum, ob eorum maximam siccitatem duriciemque, tamet si interueniente aliqua quapiam substantia crassiuscula (quæ ex proprio eodemq; crasso ipsorum Ossium alimento redundat) concrescenteque in labijs Fracturæ, possint ceu quodam glutino separatæ Ossis partes connecti inuicem atque conglutinari; At verò, quæ abundæ sunt mollia, qualia in pueulis conspiciuntur, ea sola vnitionem recipiunt; Et idem Auror in primo de Fracturis *Com. 35 & 41. ac etiam in 6. Aph. Com. 19. inquit*, Ossa fracta haud omnino consolidescere, & agglutinari, sed Callo quodam circum exorto vniri ac muniri.

Ossa fracta quomodo liganter.

Ligantur ergo diuisa Ossa, non conglutinata propria substantia, sed concrescente aliquo Callo qui est substantiæ Osseæ, qui fit ex alimento quod prouenit ad Ossis diuisionem, pro esse nutriendo, ibi enim seruet, ac ebullit, & concoquitur, & tantus est eius seruor, vt eliquet, extendat, & Ossis substantiam in tumorem attollat, & postea sensim obdurescit, & sic

vnum,

vnum, & idem fit Os, & sicuti in Arborum insertione post quam ramulus in alterius Arboris truncum fuerit insertus, quoddam gluten imprimis concrescit, quod facit feruorem, dum coquitur, & extendit substantiam ligni, vbi fit insertio, postea fit concretio, & ex duobus fit vnum, & idem ita in Osse fit.

Hipp. 7. Aph. 19. inquit; Ab Ossis nudatione Erisypelas malum, quamuis raro hoc eueniat, vt inquit *Gal. in eius com. Et 5. Aph. 18. inquit*. Frigidum inimicum Ossibus, Dentibus, Neruis Cerebro, dorsaliq; Medullæ calidum verò amicum, & quo frigidiora sunt corpora, & magis exanguia, eo magis à frigore leduntur; *Gal. 6. Aph. com. 19. inquit*. Os quod semel perijt, regigni non potest; Totalis incisio magnorum Ossium, & Femoris, Humeri, & Tibiæ, & suræ simul, & similium, ex quibus medulla egrediatur; Si Nerui, Venæ, & Arteriæ maiores fuerint præcisæ, est periculosa, vtq; plurimum his Vulneribus partis mortificatio succedere solet, cum partes illæ per quas vita, alimentum, & sensus transmittebatur, sint incisæ.

Si in Ossis Vulnere eius frustula subito, & magna in extrahantur, præsertim si magna sint, vt inquit *Auic. lib. 4.* Suæ Medicinæ, vix à Fistula, conuulsione, Delirio, & Febres laborans tutus erit, & ideo *Gal. in com. 2. lib de Officina Medici com. 23. inquit*; Ossis tritium squamæuæ latius erit paulatim ab ipsa natura expulsa, excidere, quam irritare Medicamentis, aut Instrumentis auelli.

De Curatione Vulnerum Ossium.

IN huius Vulneris curatione, sicuti in omnibus alijs Vulneribus, scopus ac generalis intentio erit vnitio. Sed vt optime hanc intentionem consequamur; Sex scopos habere debemus; Primus in dieta ac alijs nonnaturalibus rebus consistit. Secundus in antecedentis materiæ, ne ad affectam partem confluat, euacuatione. Tertius in infixorum ac vnitionem impedientium extractione consistit. Quartus in distantium partium vnitione ac conseruatione. Quintus in Medicamentorum localium optima institutione. Sextus in commoda deligatione ac aliarum rerum applicatione, ne partium simul appositarum iterum diuortium fiat.

Quo ad primum scopum, Aer calidus sit, cum calidum exanguibus partibus ac frigidis sit amicum. Victus, vt inquit *Hipp. 1. & 3.* de Fracturis, tenuis, & frigidus sit & à Vino se abstineat, donec Inflammationis, Doloris, & Febris periculum præterierit.

Deinde quo tempore Callus gignitur, cibis boni succi, & qui multum nutriant, tenacemq; humorem gignant, vtatur, vt optimus Callus fieri possit, Maneat in summa quiete, & affectam partem nullo pacto dimoueat, post quam in commodo situ, & prorsus dolore vacante fuerit posita. Somnus sit moderatus cum coctiones adiuuet, deuitentur animi affectus, & bono sit animo, vtq; aluus sit lubrica, curet.

Pro secundo scopo consequendo, Venæ sectio, nisi quid prohibeat, tùm ad Reuulsionem, tùm ad Euacuationem, vel præcautionem conuenit, sic redundantium, & peccantium humorum euacuatio. Si quid verò extranei adsit, & quicquid vnionem impediat, si fieri possit, extraendum, vt superius in curatione Vulnerum in vniuersali à nobis fuit dictum; Et si Ossis frustula adsint, extrahenda, si absq; vlla violentia fieri possit.

Aliter in aliud tempus eorum extractio differenda, & sic tertium scopum consequemur; Extraneis, siue Ossium fragmentis eductis, ad quartum scopum veniendum; Ideò distantes, & deductæ partes in vnum adducendæ, vtque vnitæ remaneant, ac seruentur, carnosæ partes validis ac profundis suturis suendæ, & hoc non solum his de causis faciendum, sed etiam vt partis natura seruetur, & à frigore defendatur. Quintum verò scopum, post quam conueniens sutura fuerit facta assequemur, in decliuiori Vulneris loco. Turundam imponendo, quod faciendum vt per huiusmodi orificium sanioſa, & purulenta materia, & Ossis frustula, si adfuerint, libere expurgari ac aduci possint, quæ Turunda Melle Rosaceo, & tenuissimo Puluere Myrrhæ oblinita esse debet, & supra futuram puluis futuræ conseruatiuus, inspergendus, & primis diebus etiam cum oui albumine mixtus superponendus. Deinde dictis pulueribus cum Terebenthina mixtis, vel alijs conglutinantibus ac incarnantibus Medicamentis vti debemus,

quorum formulæ plures in ſuperioribus à nobis fuere deſcriptæ, ideo non repetam.

Si vero os nudatum appareat, & proprio tegumento, ideſt carne, operiri non poſſit, puluere Myrrhæ inſpergendum eſt, & Linamentis optime operiendum, & deſuper ſtuppæ, vel duplicata Lintea calido vino imbibita applicanda ſunt.

Cum totum Os præciſum fuerit, facta decenti ſutura, & immiſſa in inferiori loco Turunda, vt ſuperius fuit dictum, & appoſitis ſupra Vulnus, prima die, dictis pulueribus cum Oui albumine, totum membrum deinde, excepto Vulnere, duplicato Linteo in Oui albumine imbibito obuoluendum, ſequentibus diebus, dicta Lintea Vino nigro auſtero calido imbuenda, vt Rhaſes inquit. His factis, vt immotum prorſus membrum conſiſtat, & ne Oſſa ſimul iuncta moueantur, tuta deligatura complecti fracturam oportet, inquit *Gal. 6. Meth.* Quam ſane deligaturam, nec adeo debemus arctare, vt comprimat, nec ita remittere, vt ſit laxa, & ſi opus fuerit, ad commiſſa oſſa ſtabilienda, deforis etiam Ferulæ applicandæ, & ſic ſextum ſcopum aſſequemur, Faſcia verò ſit mollis longa, & lata ſecundum membri magnitudinem, & circumuolutionum ſufficientiam. Quomodo verò vnirj debeat, dixit *Hipp. 3. de Fracturis dicens*; Feratur item faſcia, præter Vulnus ad partes etiam, quæ ſupra ſunt, atq; infra. Ita ergo pars iſta vinciri debet; Primum Faſciæ initium incipiat iuxtà finem laborantis particulæ, & circumuolutiones ſurſum erga Vulnus, tendant, cum verò fuerit propè Vulnus, Faſcia in oppoſitam Vulneris partem circumducenda, Vulnere non comprehenſo, vt apertum remaneat, & in ſuperiori Vulneris parte, ſurſum tendendo, eſt circumuolenda, deinde dorſum tendendo, cum prope Vulnus fueris ſimiliter faſcia in oppoſitam Vulneris partem circumducenda, ita vt cruris inſtar primam faſciam in oppoſita Vulneris parte interſecet, & ſic deorſum tendendo, vbi inceperit faſcia terminari debet, vbi Acu eſt ſuenda. Facta ac decenti Faſciatura, ferulæ, quot quot opus fuerint, leues, & politæ, partiſq; affectæ figuræ ac magnitudini aptato ſuperaccommodandæ, ita tamen, vt à Vulneris regione non circumponantur, vt inquit Hipp. loco ſuperius citato. Deturque opera, vt laxiores ſint Ferulæ, ne vehementer adſtrictæ præmant, quæ faſcia ſimiliter ſunt vinciendæ ita tamen, vt Vulnus apertum remaneat nec prius ſoluendæ, quam Vulnus curatum fuerit. Niſi tamen Dolor, vel pruritus, vel inflammatio, vel quid ſimilæ ad id nos cogat quibus Symptomatibus, vt ſuperius in curatione Vulnerum in Vniuerſali à nobis fuit dictum, ſuccurendum eſt, Vulnus vero exterius, ſtuppis contegendum, & faſcia deligandum, quæ ſingulis curationibus ſolui debet, relictis primis Faſcijs, & Ferulis. Deinde Vulnus detergi conglutinari, & incarnari, & tandem more aliorum Vulnerum cicatrizzari debet.

De Vulneribus Capitis, & primum de huius partis Anatome, *Cap.* 53.

VIm inter præcipuarum Inſtrumentalium partium Vulnera, Capitis, maximè Medicis negocium faceſcant, & Aegrotantibus ſimul periculum afferant. Ideo poſt tractatum Vulnerum ſimilarium partium, de his ſermo noſter erit deinde Thoracis, & tandem de Abdominis Vulneribus pertractabimus. Sed ante huius partis Vulnerum pertractationem, optimum nobis viſum fuit, explicare partes ex quibus caput ſit compoſitum vt his cognitis, facilius eius noxas cognoſcere poſſimus, quoniam ſine harum cognitione nec partem affectam cognoſcere, neque Symptomatum cauſas adiouenire, neque recte prædicere, neq; bene curare poſſumus.

Caput igitur, dicemus quod eſt corporis membrum principaliſſimum, & aliorum membrorum princeps, cui omnia alia annexa membra pareunt, & ab hoc omnes motus, & ſenſus prodeunt, & in hoc membro animam rationalem reſidere iudicandum, cum ibi magis ſuæ operationes appareant. Naturalis ergo huius partis forma ac figura eſt, vt inquit Gal. in Arte Medicinali inſtar Spheræ rotunda vtrimque compreſſa, & ideo oblongam Spheram, priorem poſterioremque ſui partem prominentiorem obtinentem repreſentat, quæ vero formæ ab hac recedunt,

dunt vitiosæ sunt, vt fuisse illa dicitur Thersites apud Homerum, quæ erat acuminato vertice, & aliæ duæ in quibus altera eminentia deest, & illa quæ in priori ac posteriori eminentiam habet.

Numerus partium Caput constituentium est denarius. Primò occurrunt Capilli. Secundò cutis. Tertio caro. Quarto Panniculus siue membrana, quæ Pericranium dicitur. Quinto cranium. Sexto Dura Mater. Septimo pia Mater, quæ duæ membranæ totum Cerebrum ambiunt. Octauo substantia Medullaris. Nono Rete Mirabile, siue Retiformis plexus. Decimo Os Basilaræ, quod est Basis, & totius capitis fundamentum. Capilli ad ornatum, & tutelam faciunt, & suliginosis secrementis sursum elatis enascuntur ac emergunt.

Cutis in Capite densa dura sicca, & crassa (præter quam in Sincipite, vbi tenuis) apparet, vt altius in ea radices pili edere, & emittere possint, vtque Cerebri Ossa exanguia obducat ac foueat, & huiusmodi cutis obtusum sensum est sortita.

Caro in Fronte ac Temporibus tantum reperitur, & non in alijs Capitis partibus, & illa musculosa est, vt motum prebere possit, per Frontem Venæ discurrunt, & per tempora, non solum Venæ magnæ, sed etiam Arteriæ, & Nerui, vt inferius dicemus.

Panniculus siue membrana Pericranium dictum Cranium ambit, & mediantibus villis quibusdam Neruels per cranij futuras siue commissuras emergentibus cum dura Matre coniungitur, & hanc suspensam tenet, ne Cerebrum comprimat.

Craneum est veluti Galea; vt inquit Gal. 9. de vtu partium, & ex quinque Ossibus præcipuè constat vnum est frontis quod est mediocriter crassum, & in pueruls hoc os in duas partes secatur quasi protensa sagittali futura per medium Frontem ad Narium vsque extrema, & hoc etiam aliquando in Adultis adinuenitur, vt nos pluries in Anatone vidimus; Aliud est Os occipitis, quod durissimum, & crassissimum est, duo sunt vtrimque Temporum. Sed animaduertendum, quod illud Os quod est inter Frontem, & Verticem, vbi in pueruls fouea collocatur, Begma dictum, & infirmissimum, cum à generatione non fuerit factum, sed post generationem adolescente puerulo, est etiam infirmissimum futurarum ratione, cum ibi sagittalis, cum Coronali coniungatur. Tertio huius partis infirmitatem facit, quia huiusmodi Os tenuissima cute contegitur.

Quarto quia plurimum Cerebri subest ex quo huic ossi plurima humiditas subministratur. Prouide verò Natura huiusmodi Os ita fecit, quoniam hæc pars minus ictibus est obnoxia, & ideo crasso, & robusto Osse minimè munire voluit, ne frustra oneri fuisset.

Secundo loco imbecille est Os Temporum, quia in hoc Osse adest Articulatio inferioris Maxillæ, cum altero processu Maxilla Temporum ossis cauo insinuetur, & ideo ob illam cauitatem Os illud imbecille redditur, & auris foramen etiam huius Ossis imbecillitatem auget, cum res perforata imbecillior, sit re solida, & imperforata. Quintum est Os Basilaræ, quod est tamquam basis, & fundamentum aliorum Ossium. Et in huius partis fabrica spectandum mirum Naturæ artificium, quoniam eam fecit similem Fornici ob robur ac firmitudinem, vtque in Fornice quatuor parietes subsunt, sic in Caluaria quatuor Ossa adsunt, quæ tamquam parietes deseruiunt, & quemadmodum Fornices, quæ ex Marmoribus, siue Lateribus fiunt, quo angustiores, & erectiores, eo firmiores sunt, ita ad cranij firmitudinem eius partes, quæ ad latera sunt, quasi parietes quidam Paulo magis quam rotunditatis ratio ferat, erectas esse oportuit, vt illis reliqua Caluariæ Fornix firmius innitatur, & ideo bene formatum caput est oblongæ Spheræ simile, & vtrinque à lateribus leuiter compressum. Fabrefacta vero est Caluaria ex pluribus Ossibus, & non ex vno, ne alicuius partis lesio alteri parti communicetur, vt si quando confractum fuerit aliquod Os, ruptura per totum cranium non progrediatur, & huiusmodi Ossa sunt dura, crassa, intus cauernosa, & rara, & superficiem tàm in superiori parte, quàm in inferiori planam habent; Constant igitur Caluariæ Ossa ex duabus tabulis durissimis, Vitreæ ab aliquibus dictæ, & Meditullio.

Dura ſolida, & craſſa huiuſmodi oſſa à ſagaciſſima Natura fuere facta, vt facilius ictibus reſiſtere poſſent, cum huic parti multa pericula impendeant, vtque viam in Cerebrum non breuem Vulneribus darent. Cauernoſa, & caua fabrefacta fuerunt, vt non aggrauarent, vtque in illis cauitatibus nutrimentum reponeretur pro oſſibus nutriendis, & ob eandem etiam cauſam per iſtam oſſa tenues venulæ ſanguinis plenæ diſcurrunt. Spongioſa, & Cauernoſa item huiuſmodi oſſa in medio facta fuere, vt ſubtiles vapores per Cranium expurgari poſſent, cum craſſiores per ſuturas expurgentur, & tenuioribus cranium eſt peruium, vt 8. de vſu partium inquit Gal. Vtraque verò Caluariæ ſuperficies leuis planaq; eſt, ne videlicet aſpredine ſua tùm pericranium, tùm Cerebri membranam lederet. Sed animaduertendum quod ſecundum diuerſas ætates, diuerſa in duricie ſunt Caluariæ oſſa, quoniam puerulis à primo ortu mollia ſunt, & per ætatem duriora ſemper fiunt.

Compoſuit autem Natura hæc oſſa per ſuturas, quæ ſunt ſerratiles, ideſt inſtar dentium ſerræ inter ſe compoſitæ, vt eſſent firmiores non fecit verò nodales, quia motu non indigent, & harum ſuturarum numerus in Cranio ternarius eſt, & recte quidem quoniam cum Caput ſit veluti oblonga Sphera, ſure quidem vna ſutura recta per medium ipſius à poſterioribus ad anteriora eſt extenſa, duæ autem tranſuerſæ hanc excipiunt, quarum poſterior Lambdoides appellatur, anterior, Coronalis vocatur, quæ per medium Sagitalis dicitur, & hæ ſunt ſuturæ, quæ in bene formata Caluaria reperiuntur, quæ verò à media ſutura æqui diſtant, ad vtramque aurem conſtituræ, recte ſquamoſæ agglutinationes vocantur, cum non hic, vt in ſuturis oſſa ſe mutuo ingrediantur, ſed extenuata in ſubtiles ſquamas quaſdam, ad maiorem earum partium fortitudinem ſupra oſſa deſcendentia applicantur, & per Harmoniam coniunguntur, & ideo vulgus Medicorum Mendoſas ſuturas. Alij clarioris doctrinæ gratia Temporales ſuturas appellant. In ijs verò Caluarijs, quæ ſunt præter Naturam, & à bene formata Caluaria deuiant, non omnes hæ ſuturæ cernuntur, neq; eodem loco, vt inquit *Hipp lib. de capitis Vulneribus*, quoniam in ijs Caluarijs in quibus in anteriori parte prominentia adeſt, tantum duæ adſunt ſuturæ inſtar literæ T. ideſt coronalis, & Sagittalis, quæ vſque ad occipitium tendit. In quibus verò in poſteriori parte adeſt eminentia, ſimilitèr duas habet ſuturas eiuſdem formæ, ideſt fragittalis, quæ vſq; ad ſupercilia tendit, & Lambdois ſutura. In quibus in Vertice tantum prominentia adeſt, duæ ſimilitèr adſunt ſuturæ ſe mutuo interſecantes in formam literæ X. In ijs verò in quibus, & in priori, & in poſteriori parte adeſt prominentia, tres habent ſuturas inſtar literæ H. vnam vtrimque ſupra aures, alia, quæ ab vna ad aliam tendit.

Has ſuturas fabrefecit Natura ad excernendas vaporoſas fuligines, quoniam ſi caluaria varijs ſuturis articulata non fuiſſet, non potuiſſet caput ipſum purgari, quod quidem cum à ſubiectis partibus omnia, quæ ſurſum feruntur, fuliginoſa excrementa excipiat, longiori eget euacuatione, & ideo craſſiora fuliginoſorum excrementorum per ſuturas ſolas euacuantur, nam tenuioribus cranium ipſum, & peruium qui vapores cum magis excitentur, vbi maior Cerebri copia, & amplitudo adeſt, & vbi minor copia, minus, ideò in caluarijs nonnaturalibus, vbi deſunt prominentiæ, cum pauca Cerebri copia adſit, paucæ etiam adſunt ſuturæ, vbi verò prominentiæ adſunt cum magna Cerebri copia ſubſit, plures ſuturas Natura fabrefecit, ob hanc ergo cauſam magis in hac parte, quam in illa, & plures, & pauciores ſuturæ, & alio loco collocatæ, adſunt, & in puerulis laxæ ſunt ſuturæ, in ſenibus ſunt compactæ, & ferè abolitæ. Nec ad tranſpirandum tantum ſuturæ deſeruiunt, ſed per eas tenuia vaſa etiam exeunt, & dura Cerebri membrana per ſuturas oſſi capitis alligatur, & ex his futuris villi quidam duræ matris, pericranij producendi gratia, egrediuntur. Si quidem Ligamenta commiſſuras elabentia in tenuem hanc membranam concreſcunt ac vniuntur. Horus ergo præcipue vſus gratia, præter alios futuris varijs eſt diſtincta caluaria, ideſt, vt duram matrem, ne Cerebrum aggrauet, ſuſpendat, vtque

libe-

liberum relinquat ſpacium, in quo Cerebrum moueri poſſit, & ideo validas ex ſui ſubſtantia miſit propagines per ſuturas, & in harum ſuturarum collocatione ea adhibenda fuit ratio, vt in toto Calueriæ ambitu Membrana ſuſtineatur. Adnecti igitur ſecundum capitis longitudinem oportuit, id quod tùm per ſagittalem, quæ Fornici mediæ alligatur, cum per commiſſuras, quæ ſupra Aures ſunt, effectum eſt; Fuit etiam tranſuerſim adnectenda, & ideò Natura Coronalem, & Lambdoidem ſuturam fecit, duæ verò tranſuerſim ſuturæ ſunt, vt ſuſpenſa vtrobique membrana illeſum Cerebrum ſeruet, quod non accideret, ſi vno tantum loco connecteretur, vbicumque id fieret, vel in anteriorem, vel in poſteriorem Cerebri ſedem, ſua grauitate prolabi neceſſe eſſet. Addere etiam poſſumus, quod ſuturæ ſunt factæ, vt vis Medicamentorum applicandorum (ſi quando neceſſitate exigente adhibeantur) ad penitiores Cerebri partes peruenire poſſint, & ideo in actu practico, cum Medici Cerebrum alterare ſtudent, vnctiones, & Empl. ſuper ſuturas, & præcipue ſupra Coronalem imponunt.

Cranio immediatè dura mater ſupponitur, quæ non ſimpliciter inſitum velamen exiſtit, ſed contra Caluariæ occurſus propugnaculum, vt inquit Gal. 8. de vſu partium, & hæc membrana inter Os Caluariæ, & interiorem membranam media natura eſt, & à Cerebro ferè per digiti ſpacium diſtat, vt Cerebrum pro illius inanis loci, qui intermedius eſt attolli, ac ſubmitti poſſit, & in parte inferiori, ideſt iuxta oſſa, quæ à colando Ethmoide dicuntur, eſt multis tenuibus foraminibus perforata, tùm, vt Aer prompte reſpirationis gratia, & vapor odorum dignotionis ad Cerebrum mittatur cum, vt excrementa vacuentur. In parte verò ſuperiori iuxta media longitudinem multo craſſior eſt, & quamprimum apparet ſub Lambdoide ſutura, duplici ſtructa plexu, ſimul, & Cerebrum aliquatenus ingreditur, & in duas æquales partes, qua potiſſimùm ſagittalis ſutura habetur, ipſum ſecans, & per hanc quoque ſanguis Venis frequentioribus per longitudinem, & vtramque partem diſtributis in ipſum Cerebrum deriuatur.

Pia mater ſtatim ſub dura apparet, quæ membrana tenuis eſt, & Cerebrum ſtabilit ac tegit, & ſimilis eſt Meſenterio, quoniam ambo hæ membranæ conſtant multis Arterijs, & Venis inuicem propinquis, & tenui membrana, quæ media eorum ſpacia intertexit.

Hæc igitur membrana, omnes Cerebri Venas, & Arterias colligit, ne vacillent, inuoluuntur, & ne per motus ſedem mutent, cum infirmæ baſi innitantur, quale eſt Cerebrum. Idcircò enim non ſolum Cerebrum continet, ſed in omnes Cerebri partes hæc membrana ſe inſinuat, & totum Cerebrum contexit, & ſe extendit vſque ad ventriculorum capacitatem, & eſt naturalæ Cerebri operimentum.

Interpoſuit verò Natura inter craſſam Meningem, & Cerebrum tenuem membranam, quoniam ſi craſſa Meninx Cerebrum tangeret non vacaret dolore, ſola verò ſi ſuiſſet, haud ſine noxa cranio adheſiſſet, vt *Gal.* 8. *de vſu partium inquit*. Cum ergo Natura ab extremo ad extremum ſine medio non progrediatur, ideo ne Cerebrum aut eius operimentum afficeretur, propè Cerebro tenuem Meningen poſuit, & ſupra ipſam craſſa locata eſt, quæ quanto eſt oſſe mollior, tanto tenui membrana durior, & quanto hæc tenuis, & mollior, tanto tenui membrana Cerebrum mollius etiam exiſtit. Natura igitur duobus mediis vinculis inter cranium, & Cerebrum tuto neceſſitudinis ac familiaritatis conciliauit, & quemadmodum pia Mater vndiqde Cerebrum totum ambit, ſic dura totum vndique cranium ambit, & comprehendit, & ei per multa vincula annectitur, quæ vincula adura matre orta extenduntur ſingula verſus partem cranij ſibi è directo conreſpondentem, & ibi per ſuturas progreſſa ſibi mutuo occurrunt, coaptantur, & coaleſcunt vt ex omnibus his pericranium procreætur quod cum cranio duram matrem connectit, vt ſuperius diximus. Et hæc tenuis membrana, vt inquit *Gal.* 4. *de Praeſag.* ex Pulſibus abſque Cerebro affici minimè poteſt, nec etiam abſque Meninge Cerebrum, ſed ſtatim ſibi affectum vltro citroque communicant. Dura mater, quia longè à Cerebro poſita eſt, ſola affecta eſſe poteſt, cuius affectus ſi inſignis ſit, per conſenſum cor, &

pulſus

pulsus alterantur, quemadmodum in Cerebri affectibus. Duabus dictis membranis immediate subest Cerebrum, cuius substantia est medullaris, alba, mollis, & viscica, a qua Nerui originem ac facultatem suscipiunt, quod in duas partes à supradictis membranis partitur, idest in anteriorem, & posteriorem, & anterior pars in dexteram, & sinistram, & ita partitum est Cerebrum, ne si altera pars afficiatur, alteri affectus communicetur, & pars Cerebri anterior mollior, humidior, & minus frigida est, à qua Nerui molliores sensus prodeunt, à parte verò posteriori duriores Nerui ad motum prebendum proficiscuntur, cum maior virtus ad motum efficiendum, quam ad sensum requiratur; In anteriori parte Cerebri duo adsunt Ventriculi, dexter, & sinister, qui inspirationem, & expirationem efflationemque in Cerebro moliuntur, ac spiritum animalem in plexu Retiformi elaboratum Cerebello præparant, Naribusque odorandi sensum transmittunt, & portionem alimenti non perfecte elaborati, quod excrementum dicitur, recipiunt, ac duobus Canalibus vtrimq; singulis ad Nares porrectis portionem transmittunt, reliquum autem per Chonarium siue Infundibulum, & Os Basilare ad palatum demittunt, quod nisi fieret, frequenter Animal Apoplexijs tentaretur, & eisdem foraminibus Aer ambiens, fouendi Spiritus Animalis gratia, attrahitur. Duo hi anteriores Cerebri Ventriculi in vnum communem meatum coeunt, quem aliqui tertium ventriculum appellant, & hic meatus procedit, & in meatum propria velatum tunica desinit, & per hunc anteriores Ventriculi Cerebello committuntur, idque hac de causa, vt spiritus iam in anterioribus Ventriculis elaboratus hunc transferatur in memoriæ efficiendæ gratia, vt multi inquiunt.

Retiformis plexus inter Cerebrum, & Os palati siue Basilare Natura reposuit, cum hic rarissimus locus & hæc pars nobilissima sit, & toti propemodum basi subiciatur, in eademque basi portionem quamdam à dura Meninge producta Retiformi plexui subtraunt, ne scilicet à subiectis partibus comprimeretur, & hic plexus ex maxima Arteriarum portione, quæ à corde ad Caput sursum feruntur, est contextus, & ab his non simplex efficitur Rete, sed multa sibi inuicem sunt superposita eaque commissa connataq; omnia. Et quemadmodum semini apte gignendo circumuolutiones anfractusq; in Testibus præparauit Natura, Lacti longitudine vasorum ad Mammas tendentium, vt diutius illic morata, in concoctionis instrumentis exactius elaboraretur. Ita in Retiforme plexu ex vitali spiritu Animalem efficiens, veluti Labirynthum quendam formans, vel faciens varium plexum reticularem fabricata est, in qua parte elaboratus ad anteriores Ventriculos transmittitur, vbi perfectius etiam elaboratur. Huic Reti mirabili Os Basilaræ subest, quod multis foraminibus ad diuersos vsus est peruium, & hoc est tamquam basis, & fundamentum aliorum Caluariæ Ossium, & super quod tota Fornix fabrefacta est, & est tale Os durum ac densum, quod ad basim capitis sit, quodq; ab excrementis, quæ per ipsum transfluunt, breui exaburisset, si fuisset laxum. Et hæc de Capitis Anatome satis, quoniam ad rem nostram diligentiori perquisitione non indigemus.

De differentijs, & speciebus Vulnerum. *Cap.* 54.

QVapropter igitur pluribus potest Vulnerari modis, vel enim tantum cutis afficitur, vel cutis, & Pericranium, vel cum his etiam cranium, & Vulnera, quæ sunt in cranio, vel totum cranium penetrant, vel non, & quæ penetrant, vel sunt cum Duræ Matris etiam offensione, vel sine hac, & aliquando cum Dura etiam Pia Mater, & Cerebrum est Vulneratum, aliquando non.

Species solutæ vnitatis, quæ in cute, & Pericranio fieri possunt, sunt Incisio, Perforatio, & contusio, & Incisio, vel est cum substantiæ deperditione, vel sine vlla substantiæ deperditione, & hæspecies solutæ vnitatis aliquando simplices sunt, vt simplex Incisio vel Perfora-

Perforatio, vel contusio, & aliquando simul commixtæ, vt incisio, vel perforatio cum contusione, Species solutæ vnitatis in Caluaria plures sunt, vt inquit *Hipp. lib. de Vulneribus cap. 5.* Aliæ enim simplices sunt, aliæ compositæ, simplices sunt contusio, Rima, & sedes, compositæ sunt desidentia, Camerosis, & Echiopi siue Excisio. Sed, ne perigoota procedamus, vnamquamq; harum specierum continui solutionis Cranij declaremus.

Ossis cõtusio. Quid sit.

Contusio siue collisio est illa continui solutio circa minimas particulas facta per compressione substantiæ osseæ, quæ ad sensum non apparet, vt inquit Gal. vltimo de causis morbum, & hæc solutio vnitatis ab instrumento graui retuso, vel quid simili vehementèr percutiente fit, partes ergo huiusmodi instrumento cedunt, & in se contrahuntur, & iterum ablata contundente causa ad proprium locum resiliunt, & hæc species solutionis continui in plures alias diuidi potest, quoniam, vel maior, vel minor contusio esse potest, & profundius vel minus profunde, vel in vna tantum parte, vel in plures partes.

Contusionis species.

Rima siue Fissio est diuisio quædam continui in osse tenuis, & subtilis, quæ semper habet circumpositum os collisum, & contusum, & fit ab instrumento retuso, & graui, & vehementèr percutiente, vel si quis supra quid durum vehementèr percutiat.

Sciendum tamen, quod Rimam non contrahunt nisi dura corpora, & quanto sunt duriora, eo magis ad Rimam contrahendam sunt apta; Rimæ verò species plures sunt. Aliæ enim sunt tenuissimæ, & non apparentes, aliæ tenues, sed apparentes, aliæ latiores, aliæ latissimæ, & ex his aliæ sunt breuiores, aliæ longiores. Quædam rectissimæ, aliæ magis, & minus flexuosæ, aliquæ superficiales sunt, & tantum primam Laminam, penetrant, aliæ altius descendunt, & nonnullæ per totum os, ideſt ambas laminas vsque ad Duram Matrem penetrant, & aliquæ tantum in inferiori Lamina fiunt, & hæ oriri possunt, quando exterior Lamina tantum contunditur in se ipsam cedendo inferior verò Lamina, cum durissima sit, cum propter eius duriciem in se cedere non possit, Rimam contrahit. Hæ Caluariæ Fracturæ species aliquando in Vulneris loco sunt, aliquando alio loco quam vbi est Vulnus.

Rimarum species.

Si quis verò diceret Rimam non esse simplicem speciem solutionis continui in Osse. Cum *Hipp. lib. de Vulneribus cap. inquiat.*

Dubitatio.

Quod necessario cum Rima coniuncta est collisio.

Respondendum, quod Rima est simplex species solutionis continui in osse, & quod *Hipp. non dixit.* Vbi est Rima ibi est collisio. Sed inquit partes circa Rimam necessariò colliduntur. Sed partes Rimam passæ non sunt contusæ, quoniam si essent contusæ loco cessissent, & non facta fuisset Rima.

Solutio.

Similitèr collisio à Rima differt, & collisio absq; Rima cognoscitur. Ergo Rima est à collisione distincta, & est simplex species Fracturæ cranij.

Sedes est illa Ossis incisio in quà vestigium instrumenti ferientis remanet, absque hoc, quod os à proprio loco dimoueatur, quoniam si à proprio loco dimoueretur, & ad Cerebri membranam inclinaret, esset desidentia, & non sedes.

Dicitur verò sedes, quoniam in Osse, qua Telum insederit apparet, & ab acuto instrumento fit. Simplicis sedis similitèr plures species, & differentiæ esse possunt, vt de Rima, & collisione diximus, quæ desumi possunt, vel à profunditate, secundum quod magis vel minus penetrat; Aùt à latitudine, aùt à Longitudine, aùt à rectitudine, & curuitate quarum varietas ab instrumenti ferientis figura procedit, cum latum instrumentum latam sedem efficiat, angustum angustam, & rotundum rotundam, & sic de alijs. Aliquando sedes simplex non est, sed cum ea aliæ fracturæ species sunt coniunctæ, vt contusio tantum, vel Rima, & cum Rima adest, necessario etiam collisio adiungitur, vt *Hipp. lib. de Vulneribus cap. dixit.* Et quando sedes coniuncta est cum contusione, vel Rima in tot species diuidi potest, in quot Rima, & contusio diuiduntur.

Sedis species duæ.

Desidentia est Fracturæ Caluariæ composita species, quoniam adest continui solutio, & remotio Ossis à propria sede ac loco, quoniam, vt Os prematur, & decidat necessario interuenit Rima, & remotio ossis

à pro-

à proprio loco, & fit ab instrumento graui, quod deorsum, Os deprimit, & subigit, & nihil refert, si sit acutum, vel retusum quamuis vt plurimum à retuso fiat, & in hac fracturæ specie punctionis sensus, vt plurimum persentitur.

Huiusmodi verò Ossis fractura aliquando totam membranam comprimit, & vrget, & tunc compressio appellatur, aliquando in plura fragmenta perrumpitur quæ membranæ paritèr inherent, & tunc inherentia appellatur. Desiderantia verò in plures species diuidi potest. Vnà respectu quantitatis Ossis decidentis, cum plus minusq; desiderat; Alia respectu loci cum magis in summo, vel altius desideat, & aliquando tantum superior Lamina deprimitur, aliquando ambæ Laminæ. Adest similitèr Ossis plicatio in tenellis, & natu minoribus, Thalasis à Paulo dicta, quæ sicuti in staneo vase percusso fieri solet, quæ absq; Rima est, & hæc etiam duplex est, vel ita, vt totum Os sit depressum, & ideo duram comprimit, vel pars solius ipsius Caluariæ, quæ duram membranam non comprimit.

Thalasis Ossis quid sit.

Camerosis siue concameratio est illa species fracturæ cranij composita, in qua os in superiores partes eleuatur ob instrumenti Vulneratis extractionem, & hæc raro euenit, & potest esse maior vel minor, & superioris tantum laminæ, vel ambarum Laminarum.

Excisio Ethyopi etiam dicta, & Dedolatio, vt Gal. lib. de Definitionibus Medicis, est illa composita species fracturæ cranij in qua Ossis portio ac substantia amputatur, & cum hac potest etiam esse coniuncta Rima, & contusio, & semper ab instrumento secante fit. In hac similitèr fracturæ specie, vel tantum superior Lamina ab instrumento secante auferri potest, vel pars, vel tota Caluaria ad duram vsque, & in hac similitèr, vel maior vel minor Ossis portio excidi potest.

Membrana, & Cerebrum quas vulnerationis species pati possit.

Membranæ Cerebri, & ipsum Cerebrum tantum incidi, Pungi, & Excindi possunt contundi verò, cum mollia sint corpora, & nihil quod eis resistat subsit, minimè possunt.

Vtrum vna pate icta in ei opposita Rima possit contrahi.

Cap. 55.

DE Rimis dubitatur inter Autores, vtrum Rima in opposita parte Vulneri fieri ac contrahi possint, cum dixerit *Hipp. lib. de Vlceribus Capitis*. Quod frangitur caluaria sub Vulnere alia parte, quam vbi plaga est. Dicere tamen possumus. Quod, & si diuerso loco quam vbi fuit ictus, Rima contrahatur, tamen non egrediatur extra idem Os vbi ictus ad fuit cum superius dixerimus, Caluariam ex pluribus Ossibus esse compositam, & per suturas huiusmodi Ossa esse commissa ne percussa vna parte, alteri Ossi noxa communicetur. Sed talis noxa ad ipsam suturam terminetur. Quod etiam inquit *Gal 9 de vsu part. 17.*

Dicendum igitur, si malum, quod ab ictu affertur, vltra suturam non progreditur, vt loco citato vult *Gal. & Paul. etiam lib. 6. cap 90 multo minus oppositam partem vexabit*. Dicere ergo possumus quod Hipp in allegato Textu loquitur non de opposita, & contraria parte, sed de alia ac diuersa, & in eodem esse.

Qui verò tenent, quod in opposita parte Rima contrahi possit, inquiunt. Quod sicuti in Vitreo vase, vt Phiala, vel Aenea Campana, siue Aeneo Mortario alia parte, idest contraria rumpuntur, quam vbi percutiuntur, & hoc per motum reflexum Aeris inclusi accidit, qui reflexus motus priori motu vehementior est; Et han suam rationem etiam exemplo ac experientia comprobant, dicendo se post prauorum Symptomatum superuentum multos in parte icta secasse, & nihil adinuenisse, deinde partem oppositam secasse, & saniem in magna copia reperisse, & sic multos à morte liberasse.

Ad hos dicere possumus quod comparatio inter vas Vitreum, vel Aeneum, & Caluariam non est bona, cum hæc solida, & continua sint, & Aere tantum plena, Caluaria verò, vt diximus, non solida, & continua, sed ex pluribus ossibus est composita, & non Aere est repleta sed Cerebro.

Ad

Ad experimentum, cũ Gal. 2. de comp. Medicamentum S. L. & C. Celso lib. 8. dicere possumus; Quod multoties in intima, & opposita parte vasa rumpuntur, & sanguis effluit, qui si sit in magna copia à principio soporem inducit, quemadmodum Ossi compressio facit. Si verò sit in pauca copia, grumum cotrahit, cum sit in frigida parte, & quia est extra proprium locum tandem putrescit, sed tarde, ob loci frigiditatem, idest circa decimam, vel quartam decimam diem; Antequam verò talis grumefactus sanguis putrescat, & in saniem conuertatur, non euentunt praua Symptomata quæ in saniem conuerso accidunt, & tandem mors. Vt verò intelligamus, quomodo in oppositа parte vasa disrumpi possint, & non in parte icta. Notandum, quod in percussione fit quidam impetus in corpore, & partibus internis, qui ad repercussionem facit. Cum ergo Cerebrum in Caluaria tamquam in vase contineatur, cum impetus ad partem Caluariæ oppositam peruenit, reflectitur, & per hanc reflexionem in oppositа parte vasa lacerantur ac disrumpuntur, cum istæ motus reflexus priori sit valentior, Et quod vasa frangi possint, experientia patet, quoniam cum multi magno ictu in parte posteriori cum cranij Fractura perculsi fuerint, sanguinis Hemorragia, e Naribus liberati sunt, quod euenit ex Vasis in parte anteriori disruptis, sed eorum quibus in posteriori parte vasa sunt abrupta, nemo sanatur, cum ille sanguis, ex quo loco effluat, non habeat, & sic ratione, & eorum experimenta soluuntur.

De Fractæ Caluariæ signis.

Cap. 56.

Vulnerum Cutis, & Pericranij signa non ponemus, cum oculis pateant Cranium verò cum multiplex frangi possit, vel absq; cutis incisione, vel cum incisione cutis, & cum ex his fracturis aliquæ non appareant; Ideo ponemus multa signa, ex quibus fractæ Caluariæ in cognitiõ ẽ deuenire possimus.

Primum signum ab oculo desumendum, si Caluaria Fracta appareat; Secundum signum ab instrumento feriente desumendum, & considerandum si fuerit graue ac durum, vel obtusum, vel acutum, vel planum, vel rotundum, vel spiculatum, & an Lapide, vel ligno, vel Ferro, vel quouis alio Instrumento, si violento ictu fuerit impactum, si remote, vel proxime, si perpendiculariter, & ab alto loco, si data opera, vel inconsulte; Si instrumentum percutiens in motu fuerit impeditum, vel non fuerit impeditum; Si Brachium ferientis validum, vel debile fuerit, & similiter de Aegro considerandum, si debile, vel validum fuerit, vel stans, vel sedens, vel ambulans fuerit ictus, & his similia. In casu etiam considerandum, si ab alto, vel non ab alto ceciderit, vel supra quid durum, vel quid molle, quæ omnia magnam, vel paruam fracturam indicare possunt, quamuis non necessario.

Tertium signum à parte capitis Vulnerata desumitur, cum Caluaria non sit æquæ valida, & fortis, cum iuxta sinciput ac Tempora, & futuras facilius frangatur, & facilus etiam in anteriori parte quam in posteriori.

Quartum signum desumitur ab in plaga siue Vulnere contentis, idest si intra Vulnus adsint Capilli inciſi, & hoc est cranij lesi certum indicium, vt inquit *Hipp. lib. de Vulneribus cap.*

Quintum signum desumitur ab ossis nudatione, & Pericranij incisione.

Sextum signum ab Aegri responsionibus desumitur, interrogando eum Medicus; Si oculi in ictu ei caligarint; Si Vertigines passus fuerit; Si oculi obcecati fuerint, si conciderit, si iacuerit sine motu, & sensus quasi dormiens, num obmutuerit, num per nares, & aures, vel per Os sanguis effluxerit, num Bilem vomuerit, num senserit in ictu strepitum quasi fractæ cucurbitæ, num excogitet fractam esse Caluariam.

Hæc enim signa, si à principio eueniant magnam fracturam, & penetrantem, sed non necessario indicant. Si verò parua sit fractura, & penetrans, talia signa post aliquod tempus apparere solent; idest cum humiditates sub cranio putrefiunt.

Possunt etiam prædicta signa cranio non fracto euenire, vt gratia exempli, si ex casu, vel valido ictu in partibus internis aliqua ex Venis, quæ per Cerebri membranas dispergutur, abrumpatur, cranio non existente fracto, cum ergo ille sanguis à Vena abrupta effusus sit extra pro-

prium

prium locum, & non poſſit foras extrudi neceſſariò computreſcit, & ideo prædicta accidentia eueniunt abiq; cranij Fractura, vt Celſus inquit.

Cauſæ verò, cur dicta Symptomata immediatè eueniant, ſunt infraſcriptæ; Sine ſenſu, quaſi dormientes iacent, propter diſſipationem Animalium ſpirituum, quæ ex magno ictu fit, vel ob Ventriculorum Cerebri compreſſionem. Cum ergo ſine motu, & ſenſu quaſi dormientes iacent, Cerebri violati eſt indicium, ob dictas cauſas.

Oculorum verò obcecatio ijs fit, cum ob vehementem ictum magna vaporum copia ad Cerebrum fuerit eleuata, quæ vi ſonios Neruos, & chriſtallinum humorem perturbat, ac etiam meatus obſtruit.

Vertigines eueniunt ob ſpirituum, qui in oculis, & Cerebro continentur, crebram agitationem, & circumuolutionem quæ crebra ſpirituum agitatio in caſu noſtro non euenit, niſi ex magna percuſſione ri. Cum ergo ſpiritus in Cerebro, & oculis contenti, ex tali percuſſione, recta duci non poſſint, duplicata agitatione circumuoluuntur, & ideo cum hoc Symptoma eueniit, & cranij fracturam, & Cerebrum violatum indicat, cum non proueniat niſi ex magna, & valida percuſſione.

Caſus prouenire poteſt, vel propter magnam impulſionem, vel quia corporis partes Animalem facultatem amiſerunt, vt ijs euenit, qui in occipitio ſunt Vulnerati iuxta Medullæ ſpinalis principium, & cum Medulla ex ictu fuerit compreſſa.

Nerui omnes ab illa prodeuntes Animali facultate priuantur, & ideo concidunt, & hoc etiam eſt magni ictus, & Cerebri violati indicium.

Oculorum obcecatio, vertigines, oculorum caligines, & caſus non ſolum ab immoderatum motum ſpirituum in Cerebro, vti diximus, ſed etiam humorum poſſunt referri, tanquam ad cauſam, quamuis vnum alio leuius ſit.

Vomitus Bilioſus, *Hipp. 6. Aph. 50.* Cerebri, vel eius Membranæ violatæ certum indicium eſſe inquit, qui per conſenſum fit, vt inquit Gal. in eius com.

Septimum ſignum deſumendum à quantitate ſolutionis continui, quoniam, ſi Vulnus magnum, vel magna contuſio fuerit, maius eius etiam cranij fracturæ facit iudicium, quamuis etiam aliquando cum pauca continui ſolutione, ſit cranij Fractura coniuncta, & in hoc caſu vti debemus Specillo, quod non debet eſſe neque minus tenuæ, neq; acutum, ne cum in ſinus quoſdam naturales inciderit, opinionem fracti Oſſis fruſtra faciat. Neque debet eſſe nimis planum, ne Rimule fallant. Vbi ergo ſpecillum ad os venit, & nihil niſi lenæ, & lubricum occurrit, integræ Caluariæ opinionem facit. Si verò quid aſperi ei occurrit, modo in illa parte Suturæ non adſint, fractum Os eſſe teſtatur, & non ſemel tantum, ſed pluribus vicibus Specillo tentare debemus, vt recte animaduertere poſſimus an Oſſis noxa adſit necnè, & quando de Rimula in dubio verſamur, tunc, vt certiores facti ſimus, aperire debemus. *Specillũ qua eſſe debeat.*

Octauum ſignum à loco dolente deſumitur, cum ibi ſepe infirmus manum adducat, & Digitis, & Specillo cutis tenuitas, ac ab oſſe ſeparatio perſentitur.

Nonum ſignum ex ſonitu apparet, quoniam ſi Os percutiatur, quando Os eſt fractum, rauce ſonat.

Decimum ſignum deſumi poteſt à Filo, quoniam ſi filum ab ægro dentibus adſtringatur, & ſimul Manibus trahatur deinde prædictum filum percutiatur, dolor in loco Oſſis fracti perſentitur, quando fractura aderit,

Vndecimum ſignum deſumitur, quod ſi iubeamus ægro dentibus, & ſub vtraque maxilla nodum Paleæ, vel Aſphodeli Caulem, vel Ferrulam, vel quid durum frangere, dolorem in affecto loco perſentiet, vt inquit Hipp. lib. de Coacis Prenotionibus, & hæc duo ſupradicta ſigna, vna cum inferiori, Caluariam fractam cute integra exiſtente etiam indicant.

Duodecimum ſignum ab infraſcripto Medicamento ſumi poteſt, quod capiti deraſo, & in loco contuſo imponendum, & ſequenti die auferendum, & ſi Medicamentum in vna parte magis, quam in alia ſiccatum appareat, ibi Os ſubeſſe fractum excogitandum, Medicamentum eſt hoc.

℞. Thuris, Ceræ, Ladani an. vnc. II. Reſinæ Tereb. Aceti, Farinæ Fabarum an. vnc. I. M. in Empl. formam.

Decimum tertium ſignum deſumitur ab Atramento ſutorio, quoniam ſi ſupra caluariam denudatum Atramentum imponamus, & ſequenti die Caluariam ſcalpro deradaz

dendamus, vsque dum nigredo tollatur in Rimula nigredo remanebit, cum attramentum imbiberit, & ideo ex hoc cranij fractura arguere possumus.

Quartum decimum signum desumitur si ægro iubeamus, vt alitum omni conatur retineat, ore, & naribus clausis, & ad superiora impellat, si in Caluaria Rimula adsit, & præsertim si penetret, per illam Rimulam halitus, aut humor quidam vaporosus egredi videtur, cum in spiritu cohibendo, dura Mater infletur, & vapor siue humor, qui in spatio inter duram Matrem, & cranium est per rimam extrudatur.

Quintum decimum signum in cranio nudato, & vbi rima appareat, ad cognoscendum si talis rima penetret, Linamentum cum Oui albumine, cum puluere mastiches mixto imbue, & applica, sequenti die tale Linamentum tollendum, & si in aliqua parte siccius appareat, ibi penetrationis indicium erit.

Decimum sextum signum desumitur à Membrana considerando an ab Osse recesserit, si ad Cerebri vsque Membranam plaga peruenerit, vt Paul. inquit, an affixa permaneat. Si enim manserit Membrana mediocris inflammatio Vulnus affligit æger febre paulatim liberatur, & pus maturum apparet; Si recesserit cruciatus augentur, & febris similiter, & Os alio colore tingitur, & pus tenue, & incoctum fertur, & si negligat Medicus, nec statim perforatione vtatur, grauiora hæc accidentia superueniunt, verbi gratia hic, vomitus, conuulsio, delirium, & acuta febris, & in his ægris huiusmodi Symptomatibus contemptis Manuum administratio recusanda est. Ar si his absentibus, Membrana non recesserit; Fissio verò siue Rimula sola sit, solo Raforio Scalpro, quamuis in altum vsque penetret, curari potest.

Decimum septimum signum, si mala Sympromata euenerint; Fractæque Caluariæ adsit suspicio, nec tunc qua parte cutis est Vulnerata, sed altera Os findatur, tunc enim circumspectus quærendum, num quis locus mollior sit ac tumeat, aut doleat, in hoc quippe ruina existit.

Decimo octauo signa Ossis proximè fracti assignabimus, quæ erunt infrascripta. Si igitur in Ossis nudatione fractura non appareat, & in proximo sit Osse, hæc signa aderunt. Vulnus in ea parte, quæ respicit Os fractum, non sanescit, sicuti in partibus alijs; Similiter ex eadem parte tenuis Ichor exit, & copiosior sanies, quam pro Vulneris magnitudinis ratione fuerit. Caro item mollis, laxa, hebes, & Flaccida ex ea parte sucrescit febricula etiam per interualla ægrotantem corripit, & ad specilli in illam partem immissionem cutis à cranio separationem inueniemus, & aliquis tumor, & mollities in illa parte appareret.

Decimum nonum signum erit contusionis in Osse factæ, cum hæc sit vna ex fractæ, Caluariæ speciebus, quæ nunquam apparet, non solùm ergo ex instrumento, & Brachio feriente Caluariæ contusionis in cognitionem deuenire possumus, sed etiam quia post tertiam diem in contuso Osse maculæ quæ iam albissimæ punctim apparent, quemadmodum in vnguibus aliquando apparere solent, quæ certissimam Ossis contusionem indicant, vtq; recte intelligamus, quomodo hæ maculæ fiant; Sciendum quod Ossis tres colores habemus. Primus est viuentis. Secundus mortui. Tertius est putridi. Viuentis, & benè affecti color est albus cum leui quadam rubedine admixtus, quemadmodum sunt vngues in homine sano. Color Ossis mortui est albus, & candidus, putridi, est liuens aut niger. Si à principio igitur Os detergatur, album cum rubedine admixtum adiuueniat; Album quoniam est maximè terrestre, & optimè coctum. Habet rubedinem, quoniam in eo tenuissimæ partes, ideſt vapor sanguineus continetur, & hoc ex abrasione apparet, quoniam vix Ossis particula abraditur, quod sanguis emanat, ac egreditur. Si Os ergo sit contusum a principio, & duobus, vel tribus diebus adhuc Os illud viuit sanguinem continens, post præfinitum tempus exalat sanguis, qui in partibus contusis continetur, cum partes contusæ sint ab Osse integro separatæ, quamuis latenti separatione, & ideò non amplius ad illas partes effluit sanguis, & alimentum eis non communicatur, & ideo rubedo cessat, & maculæ punctim albissimæ apparent, qualis est color Ossis mortui, quia illa Osficula mortua sunt. Ex hoc ergo signo primis diebus contusionis Ossis in co-

gnitionem deuenire poſſumus, Cognoſcitur etiam à liuore, & nigredine, quæ non ſunt expectanda, cum ſeriùs accidant, quoniam hæc per vſtionem, & ſuffocationem accidunt, & eueniunt.

Signa Fracti Cranij, & Inciſionis, depreſſionis Membrarum, & ipſius Cerebri. *Cap.* 57.

Signa Fracturæ, & Inciſionis ac depreſſionis Membranarum, & ipſius Cerebri ſunt ſtupor mentis, inconſtantia, Neruorum reſolutio, vel diſtenſio. Hæc omnia inquit *Celſus lib. 5. cap. 26. accidant, Membranæ Cerebri violatæ dant indicium.* Si ergo male, quas diximus, notæ ſtatim per initia acceſſerint, non modo fractam Caluariam, ſed etiam Membranam, vel abruptam, vel preſſam ac etiam ipſum Cerebrum iudicant. Si verò multo poſt tempore ſuperueniant, vel ex Phlegmone, vel humorum illuuie originem trahunt. Dolor etiam in parte affecta Membranæ offenſionis dat indicium; Similiter in ictu, ſi caligarint oculi vertigo ſecuta eſt, ſi decidit, & quaſi dormiens humi iacuit, & adfuerunt alia dicta Symptomata; Facies his multum rubet, & aliquæ paruæ puſtulæ in ea aliquando apparent, oculi eminent, & obſcuri fiunt, ex naribus etiam, vel palato, vel ab auribus ſanguis exit ac profluit, & hoc ſignum ſatis eſt manifeſtum; Aliud ſignum à virtutis læſione deſumere poſſumus, ideſt ſi difficulter loquatur, vel loquela turbetur, & anguſtietur, ſi proſtratus cubet, & ſtupidus, ſi febricitet, & rigeat, ſi male dormiat, ſi appetitus ſit deprauatus, & nihil appetat, vel nauſeat, vel vomat, ſi male etiam excrementa reddat, quæ omnia Membranam læſam indicant.

Signa Cerebri vulnerati. Vulnerati Cerebri ſigna deſumi poſſunt ab exeuntibus, quoniam, ſi Cerebrum ſit Vulneratum, exit à Vulnere quid craſſæ ſubſtantiæ, & medullaris, & non ſanioſæ; Cognoſcitur etiam ex actionibus læſis, quoniam vel immaginatio, ratio, vel memoria eſt læſa; In his etiam ægris adeſt ſtupor, & magna deſipientia.

Celſus loco ſuperius citato Cerebri Vulnerati infraſcripta ſigna tradidit, & ſimiliter Membranarum eius; Sanguis per nares, vel per aures exitit, bilis vomitus ſuperuenit, quibuſdam obrunduntur ſenſus, & interrogati vix reſpondent, quibuſdam trux Vultus ſit, quibuſdam oculi reſoluti apparent, & huc atque illuc mouentur, & tertio, vel quinto die delirium accidit, aliquibus diſtenſio Neruorum ſuperuenit, & ante mortem plerique faſcias quibus caput alligatum eſt, lacerant ac nudum Vulnus frigori obiciunt.

Signa Apoſtematis Membranarum *Cap.* 58.

Apoſtematis panniculorum ſigna ſunt Tumor, qui ità aliquando augetur vt panniculi extra Vulnus emineant, & rubri appareant, & non moueantur motu dilatationis, & cõſtrictionis, cum reſpectu Apoſtematis ſint vehementèr compreſſi, oculi eorum rubent, & tumidi apparent, & à Capite egridi videntur, mobilitantur, & obliqui apparent, color nonnaturalis, & prauus apparet, febricitant, & inquieti ſunt; Virtutes paulatim debilitantur, & alienantur, conuelluntur, & Frenitici fiunt.

De Prognoſticis in Vulneribus Capitis. *Cap.* 59.

IN huiuſmodi Vulneribus ſemper periculum prædicendũ, etiam ſi nullum accidens ac Symptoma adſit, & hoc faciendum ad calumnias (quibus plerumque ij, qui Medicinam tractant, obnoxij ſunt) euitandas, quod eis accideret, ſi æger propter ſuperuenientia Symptomata, vel propter aliquod aliud accidens poſtea periret, Non prædicenda verò ſemper mors, vt multi ignare faciunt, vt ſemidei apud Homines videantur, neque dicendum, quod nullius periculi talia Vulnera ſint, vt aliqui audaces faciunt. Dicendum ergo, quod talia Vulnera periculoſa ſunt, quoniam cum periculum pronunciamus, Aſtantes maiori cum diligentia Medici præcepta obſeruant ac exequuntur, & errores non committunt; Aegrum verò ne timeat, vtque præcipue in Dei bonitate, deinde in Medici diligentia maximè confidat, ſemper horrari debemus. Et ideo ab Hipp. vel ab aliquo alio Autore, in principio lib. de Vulne-

ribus

ribus capitis infrascripta verissima sententia fuit posita. Nullum Capitis Vulnus esse contemnendum; Sepè enim cutis sola, inquit, Ferro contusa, aut aliqua alia re, nisi diligenter, & cum cautione quadam curetur, si sanguinis concretus non expurgetur, aut aliud quidpiam negligatur vlcus incrudescens non parum molestiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, & Medico quidem negocia, ægroto verò periculum non minùs affert. Subdit; Verùm hoc multò magis contingit, si Caluaria, & Cerebri membranæ rumpantur; Ex quibus verbis manifestè elicitur, quod Vulnus in cute Capitis existens mortem inferre potest, & sic lethale dicendum, non quod necessariò, & vt plurimum mortem afferat.

Dicta verò sententia ex eodem Hipp. confirmatur, qui in citati libri processu inquit. Optimè etiam curanda sunt cutis capitis Vulnera, ne ex carne male curata Os purulentum fiat inflammetur, & comprimatur. Purulentum ergo fieri potest Os ex male administratis Medicamentis, inflammari ex operimentorum copia, comprimi vinculis, & Fasciis non conuenientibus, vt ex eodem Hipp. elicitur.

Tandem dicere possumus; Quod omne capitis Vulnus est periculosum, vt ex suprascriptis elicitur, vt etiam simplex pericranij incisio, quoniam hoc à dura Matre ortum habet, & facile pericranij inflammatio ei communicatur, & ex hoc fit, vt Vulnus aliquando exiguum sit periculosum. Si verò Sympromata superueniant, vt febris post septimam in Aestate; In Hyeme ante decimam quartam, temporibus verò intermedijs nona, vel vndecima die, maximum adest periculum, vt inquit Hipp. loco superius citato.

Si verò Vulneris labia non sunt tumida sed depressa, & ita in secunda, vel tertia visitatione appareant, ingens malum, vt *Hipp. 5 lib. Aph. 66. scriptum reliquit.* Si etiam æger sit Cacochymus, & prauis succis repletus, malum est; Si verò ad sint simul vigiliæ periculum adaugent; Si æger sepè Erisypela in Capite patiatur ac laboret, maximum impendet periculum, ex Hipp. autoritate. Similitèr si ægri Caput calida temperie laboret, & sepè destillationes patiatur, malum est. Si Os à principio nigrum appareat, mortem proximam fore indicat.

Hipp. 6. Aph. 50. inquit. Quibus diuisum est Cerebrum his febrem, & bilosum vomitum superuenire est necesse, & hoc non solum in Cerebri Vulnere, sed etiam in duræ meningis Vulnere euenire potest, vt Gal. in eius com. inquit.

Item Hipp. lib. 2. prædictionum inquit; Ex capitis Vulneribus lethalissima sunt, quæ ad Cerebrum perringunt; Grauia sunt huiusmodi omnia, Os nudatum magnum, Os infractum, Os diffractum. Si verò osculum Vulneris paruum fuerit, fissura verò Ossis aliquandiu permanserit periculosus æger est. Hæc autem omnia grauiora fiunt si, & iuxta futuram sint, & ex locis semper periculosiores summi in capite existunt.

In capitis Vulneribus incipere febrem 4. die, aut 7. aut 11. valdè lethale est. Iudicatur autem plerisq; si 4. dies febris superuenerit, ad 11. Si verò 7. die superuenerit, ad 14. vel 17. Si verò 11. febris inceperit ad 20. iudicatur.

Si verò in principijs febrium, siue delirium accesserit, siue alicuius membri sideratio, periturum hominem sciendum est, nisi omninò, aut ex optimis signis aliquid accidat, aut corporis vires adsint. Hæc omnia inquit Hipp. in prædicto loco.

In lib. verò de coacis prænotionibus dixit idem Autor. Quibus Cerebrum concussum fuerit, & deluerit, percussum aut aliter lapsum, hi statim voce priuantur, neque vident, neque audiunt, plerumque moriuntur.

Quibus Cerebrum Vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus, accidit, & corporis sideratio, atque tales perniciose habent.

Ex ruptis Capitis Ossibus difficillima cognitu sunt ea, quæ circa suturas rumpuntur. Rumpuntur autem maximè à grauibus ac rotundis Telis, & ex his quæ subcontrariò afferuntur, & non ex plano loco.

Si temporis progressù, vt 7. vel 14. vel temporibus intermedijs vt 9. vel 11. Carnis ab Osse discessus fiat, & Os humidum appareat, & dolores sanie affluente accidant, hæc ægre auxilium admittunt; Ex Vulnere item conuulsio superueniens mala est.

Ex Vulnere bilis vomitus accedens malum, & maximè in Capitis Vulneribus

Moriuntur maximè ex Vulneribus, ſi quis Cerebrum ſauciatus fuerit, aut Spinalem Medullam, aut Hepar, aut ſeptum tranſuerſum, aut cor, aut veſſicam, aut magnam Venam.

In Vulneribus ſuperciliorum, ac etiam quæ paulò altius ſunt, viſus obſcuratur, ſed pro vt Vulnus recentius eſt, maximè vident, cicatrice autem diutius tardante, & ſeneſcente, magis obſcurari contingit *Hæc Hipp. tali in loco.*

Lib. de locis in homine inquit; Ex quacumque cauſa male affligente quis atram Bilem remouerit, moritur, qui Vulnus habet.

Sexto *Aph.* 18. *inquit*. Pertuſa perſectaque veſſica Cerebro, corde, Septo tranſuerſo, tenui quopiam inteſtino Ventriculo iecore lethalæ.

In hoc com. inquit Gal. ſepe vidiſſe Cerebrum Vulneratum ad ſanitatem reſtitutum fuiſſe. Sed ſi Vulnus fuerit magnum rarò hoc accidit. Si verò ad Ventriculos vſque Vulnus penetret, ex omnium conſensù, tale Vulnus eſt mortiferum.

Membrarum Cerebri corruptio mortalis eſt, vt Hipp. inquit, niſi parua fuerit vt Gal. exponit.

Metuenda maximè ſunt Vulnera futurarum magis etiam, quæ parte anteriori capitis, vt Bregmatis ac Temporum, & ad latera, quam quæ reliquis locis, vt puta occipitio infliguntur, vt *Hipp. lib. de capitis Vulneribus*. Inquit etiam eodem lib. Sedes, quæ in futuris ſit, ſi parua ſit, periculoſa, eſt, cum oculis non appareat, & Specillo etiam dignoſci non poſſit, cum aſperitas quæ adinuenitur, non poſſimus iudicare, an ſit ſedes, vel futuræ, & ſi Rimula etiam ſedi in futuris accedat, difficultatem auget, cum in his partibus Rimula cognitu difficillima ſit.

C. Celſus lib. 8. *cap.* 4. Signa praua eſſe dixit, membrana immobilis, nigra, vel liuida, vel alterius corrupti coloris; Dementia, acris vomitus, Neruorum vel Reſolutio, vel diſtenſio, carò liuida, Maxillarum rigor atque ceruicis, & cætera, quæ ad ſomnum, cibi deſiderium, Febrem, & puris colorem attinent, eadem indicant, quæ in cæteris Vulneribus, & ſalutaria vel mortifera ſunt.

Difficultèr cicatrix obducitur in ea frontis parte, quæ eſt inter ſupercilia, alias verò in locis commodè inducitur. Hæc Celſus.

Paulus Aegineta lib. 6. *cap.* 90. *inquit*: Si ad Cerebri vique membranam plaga peruenerit, omiſſa raſura, vtrum membrana ab Oſſe receſſerit, an etiam dum aſſixa permaneat, conſiderandum eſt.

Si enim manſerit membrana, mediocris inflammatio Vulnus affligit, Aeger Febre paulatim liberatur, & pus maturum apparet. Si Cerebri membrana ab Oſſe receſſerit, cruciatus augentur, & Febris ſimiliter, & alio colore tingitur; Pus tenue, & incoctum fertur, & ſi negligat Medicus, nec ſtatim perforatione vtatur, grauiora his accidentia ſuperueniunt, verbi gratia bilis vomitus, conuulſio, delirium, & acuta febris, quibus manuum adminiſtratio recuſanda eſt, & in eodem lib. cap. 91. dixit.

Nigredo quæ in dura matre apparet; Si cum Melle Roſaceo colato non tollatur, ac mundificetur, mortem indicat, hoc enim inquit Paul quoniam omninò naturalem calorem extinctum indicat.

Hipp. 7. *Aph.* 14 *inquit*; Propter plagam in Capite acceptam ſtupor aut deſipientia malum.

Et Aph & 50. lib. 2. *dixit*. Quibus Cerebrum ſideratum eſt, intra tres dies intereunt, ſi verò hos ſuperauerint, ſani fiunt.

Sympromata omnia infraſcripta in huiuſmodi Vulneribus praua ſunt, vt febris, Tremor, alienatio, Animi deliquium, vocis priuatio oculorum Egreſſio, Strabroſitas, Tenebroſitas, Rubedo. Hæc ſi ita remancant, & non remittantur, præcipue mortalia ſunt. Similitèr ſi tumor magnus cito ſine cauſa manifeſta euaneſcat, malum eſt.

Certa ſigna mortis ſunt hæc, ægri loquelam amittunt, prompte non intelligunt non audiunt, Vulnus exſiccatur accidit Reſolutio eiuſdem partis, & conuulſio partis oppoſitæ, Vulnus ſale conditam Carnem repræſentat, & liuidi coloris eſt; Sanies fetida, & exigua effluit, Os eſt ſubnigrum, puſtulæ in lingua apparent, oculorum Rubor, & delirium accidit.

Cauſæ ſimiliter concurrentes faciunt Vulnus magis, vel minus periculoſum, ſi ſcilicet factum ſit inſtrumento ponderoſo angulari, ex alto, animò irato, & coet. Et

quo

quo magis facta est Ossis quassatio, eo magis Vulnus est periculosum, præsertim vbi membranæ sint læsæ.

Tenuissimæ Rimulæ, & quæ minimè sunt conspicuæ, hominem interimunt, cum ab ictu protinus non appareant, nec quibus diebus afferre opem licet, inquit *Hipp. lib. de Vulneribus Capitis*.

Illa etiam Vulnera in quibus incisum est pericranium, vel contusum, vel laceratum, & nulla noxa in Osse detecto apparet & externa Lamina integra se ostendit, & interna est scisa, vel Ossis spiculum ab ea recessit, duramque Matrem pungit, maxime periculosa sunt, cum lateat Anguis in herba.

Hipp. item inquit; Rimula similiter, quæ alia parte est, quam vbi fuerit plaga, miserabilis, & calamitosa est, cum à Medico deprehendi non possit, vtrum adsit, nec ne, nec in qua parte, & deo sanies colligitur, & ad membranas, & Cerebrum transmittitur, & harum partium corruptionis, & tandem mortis est causa absque hoc, quod à Medico vllum auxilium miserrimo ægro afferri possit.

Vulnera ex incisione minus sunt periculosa, magis ex perforatione, maximè autem ex contusione, cum multa sub hac fracturæ specie fiant, quæ Medico latent, & mortem afferant. Vt ruptio alicuius mollis Nerui Cerebri, vel alicuius Venæ in Rete mirabili, vel in panniculis, & similia.

Caluaria quò magis præcisa, abrupta, & scisa est, inuiolata membrana, eo minus est periculosa, quoniam materia quæ in membrana colligitur, facilitèr expurgari potest, & non opus est sectione, neque Terebra, vel aliquo alio instrumento caput periculosè concutere, cum satis spacij ad sanies expurgandam adsit, & malum appareat, & Ossis fragmenta, & si adsint, expurgari, Medicamenta similitèr applicari possint, vt ab *Hipp. loco citato elicitur*.

Puerorum Ossa cum tenuiora, & molliora, & rariora sint, & plus sanguinis habeant, & magis sint caua facilius ab ictibus franguntur, & citius, & facilius ob dictas causas, idest cum calida, & humida sint, corrumpuntur, cum calor cum humiditate coniunctus sit in causa, vt res corrumpantur, & purulente euadant, & ideò pueri ex his Vulneribus etiam citius intereunt, quam robustis annis, vt dictus Autor inquit.

Lethalitèr in capite Vulnerati diutius viuunt in Hyeme, quam in Aestate, vt idem inquit. Causa verò est quonia calor præter naturam, qui ad corruptionem facit, in Aestate magis viget, & naturalis, qui ad conseruationem facit, est in pauca copia, contra verò in Hyeme euenit.

Quamdudum verò sint talia Vulnera periculosa, diuersæ sunt opiniones, Rogerius dixit vsq; ad dies 100. Secundum iuris Peritos vsq; ad 40. cum talis terminus sit vltimus Acutorum, secundum alios vsq; ad 24 dies.

Et in huiusmodi Vulneribus non faciendum iudicium per pulsum neq; etiam per vrinam; Sed per accidentia, & superuenientia Symptomata.

Modo compendiatim primum signa Mortem indicantia ponemus, & salutem indicantia signa describemus.

De signis Mortem, ac salutem in Capitis Vulneribus indicantibus, & eius causis.

Cap. 60.

MOrtem indicantia signa in huiusmodi Vulneribus, vt *lib. de Vulneribus cap. inquit Hipp. sunt Febris in Hyeme ante* 14. *Aestate post* 7. *& intermedijs temporibus, vt veræ, & Autumno* 9. *vel* 10. Vulnus non sui coloris. Si quodcam tantem, & fetidam effundat. Si quod inflammatum est, emoriatur, & glutinosum fiat, & Sale carnem coctam repræsentet. Si Vulnus ruffam, & subluridum, & tunc corrumpi Os incipit, & nigrum fit, leue existens Os tandem fit subalbidum, vel albidum; Osse purulento facto, Pustulæ in lingua nascuntur, & laborans mente non constante consumitur. Si prompte non intelligat, non audiat, & loquelam amittat; Plerique in opposita, & contraria parte Vulneri Neruorum distensio supernascitur; Aliqui attonit fiunt, & quibus hæc Symptomata à principio eueniunt, Aestate ante 7. Hyeme ante 14. pereunt; Et hæc praua Symptomata idem in recenti ac vetusto Vulnere indicant. Modo cur dicta Symptomata

euentant inueſtigandum eſt.

Febris in his Vulneribus, vel à principio euenit, vel dictis temporibus. Quæ à principio euenit, cum à dolore, & a parte, quæ inflammari incipit excitetur, non ita metu terret.

Illa verò Febris quæ poſt 7. in Aeſtate, & ante 14. in Hyeme ſuperuenit, ſemper magni mali eſt indicium, quoniam tunc temporis inflammationes ſedatæ eſſe ſolent, vt lib. de fracturis *Hipp dixit*. Cauſa cur dictis diebus Febris ſuperueniat, eſt quoniam membrana, vel Cerebrum inflammatione afficitur, & hoc fit, quia multa materia in membrana colligitur, quæ exitum non habet, & ideo putreſcit, & febrem generat; Citius verò hoc Aeſtate, quam Hyeme accidit, quoniam calor præter naturam, qui ad corruptionem facit in Aeſtate magis viget, & naturalis, qui ad conſeruationem deſeruit, eſt in pauca copia. Contra in Hyeme autem euenit, vt in ſuperioribus diximus.

His verò decretorijs diebus ſuperuenit quoniam hoc tempore Natura contra morbum pugnat, vel enim Natura morbum vincit, vel à morbo vincitur: Et primum leuiora euenient Symptomata, deinde grauiora, donec hominem interimant.

Vulnus ſui coloris non redditur, quia inflammatio augetur, & in Gangrenam degenerat, & ſucci biliosi ad Vulnus confluunt, & calor illius partis paulatim extinguitur.

Saniem modicam effundit, quoniam nutrientis facultas iam imbecilla facta parum alimenti attrahit, & humores ad interiores partes confluunt; Effluit verò ſanies, quæ materia quædam eſt, incocta, & non pus, quoniâ bi materia male coquetur.

Emoritur verò, quod inflammatum eſt, quia calor naturalis illius partis extinguitur ac ſuffocatur.

Glutinoſum efficitur, quia caro conſumitur ac tabeſcit, & quaſi in gluten vertitur.

Repreſentat ſale conditum carnem quia quoniam tabuit, non amplius alitur. Siccatur Vulnus, quoniam naturalis facultas langue; Rufus Vulneris color imprimis fit, deinde ſubluridus, quia calor emoritur, & tunc corrumpi Os incipit, & nigrum fit leue exiſtens.

Os leue fit, quando corrumpi incipit, ideſt magis leue quàm prius eſſet ob tabeſcentem, & liquatam Carnem, quæ cũ glutinoſa, & pinguis ſit, ideo Os leuius reddit.

Nigrum verò fit ob ingentem inflammationis calorem, qui æreum, & aqueum humorem ablumit, & tandem cum purulentum eſt, ſubalbidum, vel albidum ſe oſtendit, ideſt cum aereus, & aqueus humor, qui in eo eſt, fuerit ablumptus.

Puſtulæ in Lingua enaſcuntur, vbi Os eſt purulentum, & æger mente non conſtante conſumitur; Lingua ob conſortium ac conſenſum afficitur, & defluendo ſaniem acrem à Cerebro ad palatum, & linguam; Ideo puſtulas excitat, & quando hoc accidit, magnam ſaniei copiam in Cerebro adeſſe ſignificat, quia ſic opprimitur, vt non ſolum linguam, ſed etiam mentem offendat.

Neruorum diſtenſio in oppoſita Vulneri parte fit, ideſt conuulſiui motus, vt in Epilepſia, & antequam hæc diſtenſio fiat in Capitis Vulneribus latus læſum reſoluitur, vt ex grauiſſimis Autoribus elicitur, vtque etiam experientia patet. Cauſa eſt, quia propter retentionem materiæ in parte læſa ita Cerebrum, & Neruorum principia corrumpuntur, vt omnis illarum partium potentia pereat, & ideo in eodem latere reſolutio fit; Ex inſigni verò putredine, quæ ibi eſt, vapor putridus, & venenoſus excitatur, qui totus exitum habere non poteſt, & ideo ſanas partes petit, & ſi ad Cerebrum tendunt, Animales ſpiritus diſſipantur, & facultates deperduntur, & Torpor euenit, & hoc raro æger ſentit, & cognoſcit. Si verò ille vapor ac ſpiritus venenoſus Neruorum principia petat, in oppoſita, & ſana parte, vt illos vapores expellant, concurruntur, & ideo motus conuulſiui fiunt in parte oppoſita.

Si attoniti, & ſtupidi fiant, mortis eſt indicium, quoniam grauiter Cerebrum vitiatum, & leſum eſt.

Quando ergo hæc omnia Symptomata, vel plaraque, vel grauiora ſuperueniunt, mortem proximam indicant. Sed non quando vnum quod vis, vel tantum alterum accidit.

Signa bona in Capitis Vulneribus.

Hipp. lib. 2. Prad. dixit. Optimum eſt in Capitis Vulneribus eſſe ſine febre, neque ei ſanguinem erupiſſe eſſe ſine

fine inflammatione, neq; ei aliquem dolorem accessisse.

C. Celsus lib. 8. cap. 4. dixit. Signa bona, & sanitatem indicantia sunt, Membrana mobilis ac etiam mollis, vt aliqui legunt, & sui coloris. Caro increscens rubicunda, & facilis motus inferioris Maxillæ atque ceruicis.

Similitèr bona signa sunt tumor moderatus, saniei bona digestio, Mentis constantia, quies, & moderatus somnus, bene se habere ad ea quæ offeruntur, & similia.

De simplicis Capitis Vulneris curatione. *Cap 61.*

IN simplici Capitis Vulnere eadem curatio competit, quę in quolibet aliarum partium simplici Vulnere instituta superius à nobis fuit, sanguinis immodicum fluxum sistendo, & affectam partem, & circumcirca à capillis Rasorio Cultro denudando, & abradendo. Circa reliqua postea Autores inter se dissentiunt, quoniam alij per agglutinationem huiusmodi Vulnera curant. Alij per carnis generationem. Agglutinatio in his Vulneribus quam maxime laudatur ab *Auic. lib 4. Fen. 5. Tract. 3. cap. 1. & à Serapione cap. de cura sodæ à percussione. & à Rasis 15. continentis cap 5 Gal sinister 2. de Comp. Med S. L. cap. 1.* Vbi Archigenis dicta, de fissuris, & contusionibus in capite factis curandis, enarrat, istius sententiæ esse videtur, vt si non cranio fracto saltem à pericranio denudato, huiusmodi vulnera esse fuenda. Ita enim Archigenis dicta dicendo refert. In quibus verò Os denudatum est, diuisa membrana Caluariam ambiente, Os ipsum scalpemus, & per futuræ adductionem, tamquam non sit denudatum, curabimus. Si verò non permaneant futuræ iuxta concarnationem, velut etiam aliorum Vulnerum curam faciemus, & cœt. Ratio verò, cur huiusmodi Vulnera per agglutinationem curari debeant, est ne Caput ab externo Aere offendatur, vt *Gal. lib. Artis Med. cap. 90. dixit.*

Quomodo hæc Vulnera sanari debeant. Per Agglutinatione sanantia.

Per carnis generationem sanantia

Qui per carnis generationem huiusmodi Vulnera curari inquiunt, rationes etiam in promptu habent, & nullo pacto fuenda inquiunt; Primò quia cutis capitis ob eius duriciem, sicuti aliarum partium cutis, non agglutinatur. Secundo inquiunt; Si in capite Vulnera fuantur, semper periculum imminere, ne quid saniei retineatur, & retentam pericranium inflammare, ac corrumpere posse, & simul etiam Os putrefacere, & inflammationem, & cætera nocumenta duræ Matri, & cæteris partibus cranio subiacentibus communicare, & sic paruũ Vulnus suturione periculosum reddi, cum in his Vulneribus, præsertim magnis magna etiam saniei copia gignatur.

Et hæc etiam sanies retenta, cum propter eius copiam, & caliditatem, cum ob eius tenuitatem, non solum ad pericranium, sed etiam ad cranium, & reliquas illi subiectas partes peruenire potest; Tertio inquiunt in tali simplici Vulnere vel tota cutis est incisa, vel non; Si tota cutis non est incisa, cum labia separata non sint ideo futuris non indigent. Si verò tota cutis sit incisa, propter continuationem ac adherentiam, quàm cum pericranio habet periculum est, ne etiam pericranium sit lesum, quod nullo pacto fuendum, vt inferius dicemus, & ideo inquiunt. Tutius est huiusmodi Vulnera per carnis generationem curare, cum ex hac curatione nullum damnum, neque periculum sequi possit, nisi quod al quanto tard us Vulnus sanatur. Adiucunt etiam *Hipp. Autoritatem lib de Vulneribus Capitis, vbi inquit, Capitis Vulnera cum Ossis nudatione adstringi non debere. quæ eis fauere videtur; Ad rationem verò, quæ inquit.* Quod huiusmodi Vulnera sui debent, vt ab extremo Aere caput defendatur. Respondent, quod huiusmodi offensio tegumentis, velamentis, & Aeris alteratione deuitari potest.

Ad primam horum rationem dicendum, quod experientia patet, quod cutis Capitis agglutinatur, & si cum sit crassior, diuturniori tempore vnitur.

Ad secundam dicendum. Quod in simplici cutis capitis Vulnere absq; contusione, vel nulla, vel pauciſſima saniei copia gignitur, quæ facillime per labia expurgatur, sicuti in alijs simplicibus aliarum partium Vulneribus fit, & ideo pericranium, & subiectas partes neque inflammare, neque corrumpere potest. Ad tertiam rationem dicendum, quod si tota cutis non sit incisa, cum labia non sint separata, verissimum est, quod suitio est inutilis. Sed si tota cutis sit incisa, absque

pericra-

pericranij leſione, huiuſmodi vulnus, animaduertendo, ne pericranium ſuatur, per agglutinationem curari, & per futuram veniri poteſt.

Ad Hipp. Autoritatem, dicendum, quod ibi Hipp. non loquitur de ſuitione, ſed de Faſcijs, quibus caput aſtringi, neq; inuititer onerari debet, ne Vulnera inflammentur, & cum non ſit opus faſcijs, neque pro agglutinatione facienda, neque pro materia exprimenda, cum hæc, ob capitis figuram, faſcijs fieri non poſſint.

Pro huius ergo queſtionis determinatione dicere poſſumus, quod aliqua ſimplicia capitis Vulnera vtroque modo ſanari poſſunt, ideſt per agglutinationem, & per carnis generationem, & alia neceſſario per agglutinationem. Alia per carnis generationem neceſſariò curari debere, vt ex inferioribus rationibus patet.

Suitio igitur præcipuè in illis capitis Vulneribus competit, in quibus magna cutis quantitas euerſa, & reuoluta eſt, ſiue per ſe ſola exiſtat, ſiue etiam vna cum ſubiectis partibus, vt puta, ſi vnà cum cute Temporalis muſculus abiq; cranij ſubiacentis leſione, ſupra humerum ſit euerſus. In huiuſmodi caſibus, cutis cum ſubiectis partibus ad proprium ſuum terminum, diligentèr reducenda, & ſic reducta vndiq; cum ſuis conterminis ſuenda ac vnienda ſuis ſemper, per quæ ſanies expurgari poſſit, demiſſis vndique ſpacijs, Vulnera ſimiliter frontis abiq; Oſſis nudatione ac leſione, & abiq; pericranij inciſione futura coniungi debent, vt cicatricis deformitas deuitetur, vtque decor, & formoſitas parti accedat, vel Glutino, ſiue illaqueatione debent coniungi. Sed quoniam prima die, quando ſcilicet Vulnus adhuc recens eſt, & cruentum, Glutina ſtatim applicari non poſſunt, vel ob ſanguinis abundantiam, vel ob Medicamenta, quibus pro ſanguine ſiſtendo vtimur, quorum gratia partibus non adherent, vel quia Glutinum paratum non eſt. Ideo à Vulnere illato, ſtatim per futuram Vulneris labia ſimul, committi debent; Poſtea 2. vel 3. die puncta remoueri debent, & eorum vice Glutino vti debemus. Hoc verò faciendum, vt deformitas deuitetur, quia ſi puncta in cute fuerint relicta, maior turpitudo ex his, quam ex Vulnere multotes relinqui ſolet, cum Vulneris partes dilacerare ſoleant. Ex quibus vero Glutina fiant, & quomodo applicari debeant, abunde ſuperius cap. 12. fuit dictum, ideo non repetam.

In Temporum Vulneribus etiam, vt doctiſſimus Faloppius inquit, ſuitio conuenit, quoniam niſi hæc pars ſuatur, ne Temporalis muſculus refrigeretur, periculum eſt, & ex hoc eius conuulſio ſequatur, ne verò humiditas, in muſculi inciſi cauitate retineatur, cum eius partes vtrimque poſt ſuitionem ac Med. appoſitionem ſint contractæ, in cauitate duplicatum Linteum, vt cauitatem repelat, & corium ſiue cutem compumat, ſuperponendum.

Sed animaduertendum in huiuſmodi Temporum Vulneribus, ne conſuamus niſi cutim, quoniam ſi ſubiectum muſculum conſueremus peſſima ſuperuenirent accidentia. Similiter in hac parte non ſuend Vulnera, ſi Vulnus profundum ſit vel ſi aliqua vaſa ſint ſecta, vt Vena, vel Arteria ſed prius illa vaſa alliganda, & ſanguis ſiſtendus, deinde corium ſuendum. Non ſuenda item in his partibus Vulnera, quando labia ſunt valde tumefacta, & valde diſtracta, & quando prò eorum coniunctione magna, vi, & diſtractione eſt opus. Cum tunc non ſolum cutis vis inferatur, ſed etiam ſubiecto muſculo, quod cum neceſſariò eueniat, ex violenta adductione ſicuti ex muſculi refrigeratione, conuulſio ſequi poteſt. Sed tantùm ſuenda, cum facilitèr, & abſque violentia labia ſimul poſſunt adduci. Quibus verò Medicamentis agglutinatio adiuuari debeat, non ponam, cum cap. 15. huius lib. diffuſe de his fuerit dictum.

Notandũ

Quando in temporibus ſuitio nõ competat

Vulnera verò capitis in quibus non ſolum cutis eſt inciſa, ſed ſimul pericranium eſt violatum, nullo pacto per agglutinationem ſunt curanda, ſed per carnis generationem, & hoc ob plures rationes faciendum. Primum, quia pericranium cum ſit tenuæ, & ex angue, & neruoſũ agglutinari non poteſt, ſicuti *Gal. com. 18. & 19. 6. Aph de illis Neruoſis partibus dixit.* Secundo ſi pericranũ ſueretur, & acu compungeretur, & deinde filo attraheretur, cũ ſit maxime ſenſibile, magnus dolor excitaretur, ex quo poſtea inflammatio ſequi poſſet, quæ deinde duræ Matri, à quà pericranium ſuam ducit originem, communicaretur; Tertio ex pericranij conſuitione ſupra cranium ſanies colligi ac coaguari poſſet,

quæ

Quando, & cur cranium obradendum.

quæ ibi detenta, facilitèr cranium corrumpere posset, & ideò Gal. de comp. Med. S. L. in pericranij incisione, Os deradi iussit, propter periculum, quod adest, ne etiam cranium simul sit lesum, cum pericranium tenue sit, & maxime cranio adhereat, & difficultèr pericranium ledi possit quin simul etiam cranium aliquo pacto ledatur. Ideò, vtrum cranium noxam aliquam fuerit passum, & qualem, Os radendum. *Si* telum similitèr pericranium attigerit propter dolorem, quem inferre potest, pericranium incidendum, & Os nudandum, vt loco citato inquit Gal. Cum item ex pericranij incisione Os nudetur, & Aeri exponatur, & cum ab Aere fuerit alteratum, caro gigni non possit, nisi desquametur, aut deradatur, ideo Ossi derasio fieri debet; Ex derasione similiter Os asperius redditur, & Venarum oscula aperiuntur, & sanguis facile pro carnis generatione suppetit, & sic ad citissimam carnis generationem derasione Os præparatur. His ergo de causis in pericranij lesione Os etiam deradendum, & hæc sunt illa Vulnera, quæ per carnis generationem sunt curanda, quod vt optimè fiat à principio pus mouendum Digestiuo facto ex Resina Tereb. vel Abietina, & Oui vitello, & in siccioribus corporibus puluis Thuris addendus.

Apparente bono pure, quod duorum aut trium dierum spacio fit, dicto D gestimo Mel Rosaceum col. addendum, vt Vulnus purum reddat.

Detersо, & mundificato Vulnere, Sarcoticis validioribus, vel mitioribus, secundum Aegri temperiem, & Anni tempus, vti debemus, quorum copia *cap. 34. huius lib. à nobis fuit descripta*. Animaduertendo, vt dicta Medicamenta solum Labijs Vulneribus imponantur, & non supra Os nudatum, supra quod sicca sarcotica semper imponenda, & non dico sicca potentia, sed actu, & potestate, sicuti sunt puluis Thuris Aristolochiæ, Radicis Iridis, Mastiches, Myrræ, & alij Cephalici puluores, vt inferius dicetur, Genita carne, & equali ac repleto Vulnere, cicatrix vel siccis Linamentis, vel Epuloticis inducenda, vt cap. 35. huius libri docuimus.

Notãdũ.

Simplicia capitis Vulnera, quæ vtroq; modo sanari possunt, idest, & per agglutinationem, & pericranis generationem sunt illa, in quibus tantum cutis est incisa absq; pericranij lesione.

Ex dictis ergo apparet, quod simplicia capitis Vulnera aliqua per agglutinationem. Aliqua per carnis generationem, & alia vtroque modo curari possunt. Et hæc quo ad particularia de simplicibus capitis Vulneribus satis.

Circa vniuersalia se gerat Medicus, sicuti inferius dicemus, & purgatio in simplicibus capitis Vulneribus non competit, nisi patiens Cacochimus sit, vel calida capitis intemperie laboret, vel in tali parte sepe Erelypela pati sit solitus, vel quid cum tali Vulnere sit complicatum, quod purgationem requirat. Venæ sectio similitèr in his simplicibus Vulneribus non competit, nisi corpus valde pletoricum sit, vel cum tali Vulnere aliquid aliud sit coniunctum, quod Venæ sectionem requirat, vt inflammatio, capitis grauitas, Erelypela, vel quid similæ. Sex res Nonnaturales sicuti inferius dicemus, instituantur, vel paulo latius, cum hæc Vulnera mitiora sint, & ideò mitius tractanda.

De Curatione Vulnerum Capitis cum Ossis Læsione, siue cranij fractura. *Cap. 56.*

CVm in his Vulneribus recte curandis vniuersalia ac particularia præsidia sint opus, & inter vniuersalia imprimis sex rerum nonnaturalium institutio maximè sit necessaria. Ideo ab harum sex rerum nonnaturalium institutione initium ducemus, deinde de Venæ sectione, postea de purgatione, & tandem ad particularia præsidia instituenda deueniemus.

De sex rebus nonnaturalibus, & Primum de Aere.

AER in huiusmodi Vulneribus tepidus sit, & deuitetur fumus, & ea omnia quæ sternutamentum mouere possunt, & Aer qui est nimis calidus, & frigidus deuitandus, quoniam, qui nimis est calidus, ad partes externas calorem attrahit, & in interna parte bonæ concoctiones fieri nequeunt. Frigidus verò

inimicus

inimicus Vlceribus, & præſertim Cerebro, vt *Hipp* 5. *Aph.* 18. *& lib. de vlceribus, ac alijs in locis inquit*. Et craſſus ſubtiliori melior eſt. In tenui enim ac ſubtiliori Aere magis cautus debet eſſe Medicus, vt miſſus libere cum admittat, cum magis ad penetrationem faciat. Caleſiant ergo Thalami moderate, ſi Hyemps adſit, ſed non ita, vt Barbitonſores noſtri, qui ità calefaciunt, vt ſint in cauſa, vt calor effeminetur, foraſq; tra hatur, & ità calida omnia Capiti applicant, vt Cerebrum torreatur. Non ita ergo faciendum, ſed temperatè calida capiti applicanda. Frigida verò, & calida nimis omninò deuitanda.

Ex tempeſtatibus anni Hyemem Aeſtate præſtantiorem eſſe in his Vulneribus curandis dixit *Hipp lib. de Capitis Vulneribus, quoniam in Hyeme ventres calidiores ſunt, vt 5 primi Aph. idem dixit, & ideo tunc validiores concoctiones fiunt.*

In Aeſtate verò natural s calor ab ambiente ad externas partes fuit contractus, & virtus non eſt vnita ſed diſperſa, & ideo debiliores concoctiones fiunt, poſtea multæ fuligines in Aeſtate eleuantur, & calor diſſipatur, humores ſunt eliquati, & ideo facillimè ad affectam partem confluunt, & inflammationem faciunt.

Dubitatio. Si quis verò dicendo inſtaret; Si verum eſt quod inquit *Hipp. 5. Aph. 18. ac alijs in locis*; Ideſt, quod frigidum ſit Cerebro inimicum. Ergo calida temperies magis ſalutaris in talibus Vulneribus erit.

Solutio. Reſpondendum, quod Hipp. in huiuſmodi locis non loquitur de tempeſtate, ſed de Aere, vel Medicamentis actu frigidis. *In lib. de Fracturis idem Autor inquit*; In femoris fractura frigus cauendum eſſe, ſicut in capitis Vulneribus, & idem repetit, vbi de Articulis per plagam exedentibus tractat, & pluribus etiam alijs in locis dixit.

Calor emundatis Oſſibus ac fractis amicum. Frigidum verò eſſe inimicum, & ſimiliter vbi Neruorum diſtenſionem timet, frigus alienum eſſe ponit, quod in Capite tanto magis timendum, quam in alijs partibus, quanto eſt præſtantius, à quò, & Medulla, quæ in ſpina eſt, & Nerui dependent.

De Victus Ratione.

VItæ genus eſſe debet, quale Hipp. lib. de Vlceribus deſcripſit, quo in loco dixit. Capiti Vulnerato victum tenuem inſtituendum, ac pro potu Aquam dandam eſſe, & ità faciendum, quoniam morbus acutus eſt, talemque victus rationem expoſuit, qualem in *lib. de Ratione Victus in acutis, & Aph. idem Autor ſcriptum reliquit. In lib etiam de fracturis dixit*. Vt vbique ad grauiora Vulnera diu tenuiorem victum adhiberemus, & vbi femoris, vel humeri Os fractum per Vulnus excedens reponeremus, eadem ratione mederemur, atque in Capitis fractura abſtinentiam imperantes, Gal. item 2. de comp. M. S. L. quando de dolore Capitis ex ictu verba facit. In Vulnere Capitis à Vino, ac cibis robuſtioribus abſtinendum eſſe dixit.

C. Celſus etiam lib 8. *cap* 4. *vt abſtinentia vteremur in talibus Vulneribus ſcriptum reliquit. Paul Aeg. lib.* 6. *cap.* 90. *inquit* Victus, qui inflammationem ſedat, & febrientibus particularis eſt exhibeatur, & talem victus rationem ſeruare debemus, donec Aeger ab inflammatione ac reliquis prauis accidentibus tutus ac liber ſit; Vinum præſertim interuicendum, quemadmodum omnes alij cibi qui alitus, & vapores generant, & prò potu danda Aqua Hordei, vel Aqua pura cocta cum aliquo ſulapio. Pro cibo detur Panis in Aqua coctus, Hordeacea Piſſana, Oriza etiam conuenit, & Holera quædam, vt Malua, Beta, dulciores Aſparagi, Spinachia, Cicoria, Endiuia quæ calitos vapores ad caput aſcendentes compeſcunt; Poſſumus etiam ſuper Panatellam ſaccarum ponere, & hic victus vſque ad 14. diem ſeruari poteſt. Parum verò tam Aeger nutriri debet, quia materiæ fluxum timemus, quia decumbit, & non ſe exercet; Si verò Aeger debilis ſit, poſſumus etiam paruæ pullæ ius concedere, vel ſi cibi copia vti ſit aſſuetus, cum aliquid etiam conſuetudini, ſit dandum. Poſt aſſumptum cibum ſemper aliquid aſſumat, quod aſcendentes vapores retineat, & caput roborer, & vt ſaccarum Violarum, Roſarum, vel Borraginatum, vel Cotoneorum conſerua, vel pirum etiam ſub cineribus optimè coctum concedi poteſt.

De

De motu, & quiete, & Animi passionibus.

QVies huiusmodi ægris maxime est vtilis, & omnis motus deuitandus, & fenestræ Thalami semper clausæ maneant, & Candelæ lumen adsit, & mediocres tenebræ. Debet verò copiosum lumen deuitari, quia ex illo, spiritus interni agitantur. Tenebræ cecissimæ similitèr vitandæ, quoniam ægrum cruciant. Non solum verò corpore quiescat, sed etiam animo, & cogitationes, & animi angores, & passiones deuitentur, quoniam sunt in causa, vt spiritus, & humores ad Caput trahantur, & ideò si ab inimico fuerit Vulneratus, cum illo se conciliet, non solum, vt animi affectus sedentur, sed vt bonum Christianum se esse ostendat,

De Somno, & Vigilia.

SOmnus, & Vigilia moderata sint, & interdiu non dormiat, nisi nocte dormierit, quoniam somnus diurnus aggrauat Caput.

De Excretis, & Retentis.

QVo ad excretiones quotidie aluum exonerare debet, & nisi natura lubrica sit, indantur clisteres tertia quaque die, vt illis feces educantur quoniam ex fecum retentione praua Symptomata augentur, cum multi vapores ad caput ferantur, Clisteribus etiam a capite humores reuelluntur, & propter eandem causam frictiones inferiorum partium conueniunt, & alia, quæ humores à Capite deriuant ac reuellunt, deuitandus etiam, veluti Diabolus, veneris vsus quoniam totum corpus, & præcipuè Cerebrum debilitat.

De Venæ sectione. *Cap. 63.*

IRca Venæ sectionem concordes cum maiori Medicorum parte esse debemus, qui inquiunt, quod in omni morbo magno. Nisi ætas, & vires prohibeant, secandam esse Venam, & hoc in inquit *Hipp. 4. de Rat. vict. in Acutis textu 19. dicens*. In acutis morbis sanguinem detrahes, si adsit magnitudo morbi, florens Agrotantis ætas, & virium robur, & *Gal. in eius com. inquit. Et si Hipp. de solis acutis morbis meminerit, hoc etiam intelligendum de morbis longis, modo adsint tres memorati scopi, idem inquit Gal. lib proprio de curandi Ratione per Sang. Miss cap. 9. & 4. Meth cap. 6. inquit. Si magnus sit morbus cum virium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat. Idem etiam dixit 13. Meth. 21. & in com. 2. de Fracturis 31. & multis alijs in locis.*

Quod verò Capitis Vulnus cum Ossis fractura sit magnus morbus ac periculosus, nemo est qui dubitet, cum propter partis præstantiam talæ sit. Ex alio etiam loco Hipp. colligi potest, quod Venæ sectio conueniat. In lib. enim de Vlceribus præcipit, vt sinamus à plaga sanguinem effluere, quo patet, vt inquit Gal. vbi sponte non effundatur, à Medico secta Vena esse mittendum, ne inflammatio superueniat. In lib. etiam de Articulis in costæ collisione ex cubito sanguinem detrahit, vbi Gal. inquit; Etiamsi in corpore sanguis non redundet, in huiusmodi plagis ad Venæ sectionem deueniendum esse. In lib. similitèr 1. de comp. Med. S. L. ad Capitis dolorem ex ictu maximè Venæ sectionem laudat.

Ex rationibus, & autoritatibus adductis Venam in huiusmodi Vulneribus secandam esse tendendum, & Vena quæ secari debet est Cephalica, vel communis lateris læsi, vt partis rectitudo seruetur, vt Gal. pluribus in locis inquit, quæ semper est seruanda, cum totum corpus bifidum ferè sit. Quantitas verò ratione virium mensuranda est; Vbi verò imbecillæ, & debiles sint, & vbi Venæ sectio non conuenit, vt in pueris, vice sectionis Venæ cucurbitulas cum scarificatione humeris applicare possumus. Hoc verò faciendum, vt Vulnus ab humorum co fluxu, ac inflammatione præseruetur, quoniam impossibile est, vt Hipp. inquit, vt talia Vulnera sine aliquo dolore pertractentur vel scalpendo, vel deradendo, vel ampliando, cum hoc non solum tantum semel fiat, sed repetitis vicibus, ex dolore consequentèr fit humorum ad locum dolentem attractio, ex qua postea inflammatio gignitur,

Ex

Aduersariorum rationes.

Ex dictis omnes aduersariorum rationes quæ in contrarium adduci possunt resolvuntur, qui inquiunt. Non esse Venam secandam, in Capitis Vulneribus quia caput est pars suprema ac eleuata, & ideo non facile ad eam partem humores confluunt, & ideò non fit inflammatio. Secundo dicunt, quod in talibus Vulneribus, cum Os fractum sit, secamus cutim, & Os deradimus, ex quibus copiosius sanguis effluit, & ideò non est timenda inflammatio. Tertiam rationem adducunt, & inquiunt, quod, & si *Gal. 4. Meth. inquit*; Magnum morbum Venæ sectionem indicare, tamen Hipp. lib. de Vulneribus capitis nullum verbum de Venæ sectione fecit.

Hipp. & Gal. in hoc inter se differre videntur, quoniam Gal. lib. de Articulis miratur cur Hipp. Calce percusso, potius hominem Med. purget, quam sanguinem exhauriat. Similiter 2. de Rat. victus in acutis in lateris dolore inferiores partes infestante Hipp. Veratro medetur Gal. verò sectionem Venæ proponit.

Nos igitur Gal. sequi, & ab Hipp. præceptis abhorrere non debemus.

Determinatio.

Ita faciendum iudicamus; Si pauca sanguinis quantitas à Vulnere profluerit, Vena secanda est, nisi alij succi in corpore redundent, quos tunc purgare potius expedit, quam sanguinem mittere, alioquin sanguis detrahendus.

Solutio dictarũ Autoritatum & rationũ.

Ad Autoritates respondendum, & primo ad illam Gal. dicendum, quod Gal. non negauit, nisi fieri possit Venæ sectio, vel quia vires sunt debiles, vel quia ætas non viget, vel propter quamcumque aliam causam non posse ac deberi Parmacum dari. Sed tantum ex illo loco colligere possumus, ita imbecillas esse vires vt etiam Pharmacum impedirent, & talis imbecillitas sit ratione magni Vulneris, & non ratione humorum. Ad Celsi autoritatem dicendum, quod hic Autor in loco tantum de curatione circa locum affectum, & de victu verba fecisse, & dimisisse purgationem, quia alijs in locis hoc dixerat; Ad rationes dicendum, quod Pharmacis Vulnus præcauemus, & curamus, vt inferius declarabimus, & ex his Med. sunt aliqua, quæ parum, vel nihil calefaciunt.

Purgationem in Capitis Vulneribus competere.

Inter Autores, qui in magnis Vulneribus Medicamenta exhibent est Hipp. qui lib. de Capitis Vulneribus dixit. Vbi Erisypela in facie oriatur, purgandam esse bilem. In lib. etiam de Vlceribus, Vulnere existente magno, Aluum Cathartico purgandam esse inquit, vbi triplex magni Vulneris genus posuit, vel quod est in parte corporis præstantiori, vel quod est malignum, vel satis amplum.

Vulnus triplex magnũ.

Caput ergo cum sit pars præstantissima ideo de eius Vulnere purgantia Medicamenta conuenire iudicauit. In lib. etiam de fracturis ac de Articulis hæc Med. laudat, præsertim vbi casus asperior est, vt cum Calx leditur, vel Os per plagam excedit, & id non alia de causa, nisi vt succi ab affecta sede auertantur, quod fit cum educti, non amplius ad ipsam ferantur. Paul. etiam ac Auic. dum de Caluariæ fractura verba faciunt, Pharmaca purg. exibent.

In his ideo Vulneribus purgationibus ac

De purgatione in Capitis Vulneribus. *Cap. 64.*

Purgationem in capitis Vulneribus non competere.

Circa purgationem magna inter Autores, est dissensio; Aliqui in magnis Vulneribus purgationem interdicunt, inter quos esse videtur Gal. loco superius citato, vbi dixit. Si non possumus Venam secare, clisteribus vti debemus, & non substituit Pharmacum Venæ sectionis vice, & ideo ex his colligere possumus, quod Gal. eius vsum non laudat. *C. Celsus lib. 8. cap. 4.* in talibus Vulneribus nullam exhibendi Pharmaci mentionem facit, Guido vult, vt alternis diebus clisteribus aluus euacuetur, Ioannes de Vigo idem dicere videtur. Horum rationes esse possunt, quod Os fractum quatenus Os cum sensu careat, non dolet, & ideo non timenda inflammatio propter, quod non dandum Pharmacum, cum tantum Medicamentum detur in morbis in quibus causa est humor fluens, vel fluxurus, vel quia iam fluxit. Capitis ergo Vulnus, cum non sit morbus, qui à fluxione prouenit, ideò Pharmaca non sunt exhibenda. Secunda ratio esse potest, quod Medicamenta purgantia calida sunt, & ideò humores excalefaciunt, corpus agitant, & ideo incommodum ægro afferunt.

ac Venæ sectione vti debemus non solum respectu Vulneris, quod siccius redditur ex euacuationem totius curporis; Sed etiam quoniam talia præsidia præseruant à Symptomatibus, quæ superuenire possunt, & impossibile est in huiusmodi Vulneribus, cum excoriare, & abradere, & multas alias operationes facere sit opus, quin dolor, & materiæ fluxus ad partem affectam, & dolentem excitetur. Et hoc etiam faciendum, nisi dolor adsit, neque materiæ fluxus, neque tumor, propter rationes superius assignatas. Si verò dolor Capitis, vel tumor, vel stupor adsit, vel calor magnus in Capite persentiatur, tunc ratione curationis Venæ sectio, & purgatio comperit, quia ab affecta parte materiam reuelluntur. Duabus igitur de causis Venæ sectio, & purgatio in Capitis Vulneribus magni momenti conueniunt, & ratione præseruationis, & ratione curationis.

Sed animaduertendum est, quod aliquando horum vnum tantum conuenit, aliquando vtrumque. Si corpus pleroricum sit, & crassis, & Biliosis humoribus repletum, primum secare Venam debemus, deinde ad Pharmacum deuenire, in corporibus verò sanguineis semper Vena secanda est, nisi quid prohibeat, si verò hoc quid veret, Medicamentis aluus purganda, & Medicamenta in huiusmodi Vulneribus conuenientia sunt quæ Caput roborant, & corpus non excalefaciunt, & bilem præsertim purgant ac etiam serum, quoniam hi humores maxime ad fluxum apti sunt cuiusmodi sunt Mirabulanorum genera infusa, vel Decocta, quæ caput roborant, & venas constipant, & aluum purgant, & hæc cum Electuarijs peccantem humorem educentibus miscere possunt, quorum magna apud nos adest silua. Infusum etiam Rhabarbari cum prædictis mirabulanis, vel Syrup. Rosat. sol. vel Violaceus sol. maxime etiam conueniunt, & his similia.

De Vulnerum Capitis Curatione cum cranij offensione, & præcipue de particularibus præsidijs. *Cap.* 64.

Capitis Vulnera Cranij offensione, vel sint facta abinstrumento incidente, vel perforante, vel contundante; Aliqua dilatione indigent, aliqua minime dilatari debent. Quæ dilatione non indigent sunt, quæ latis fiant, & aperta sunt, vt non solum optime videre possimus qualem, & quantam moxam os senserit, sed etiam, vt facilitèr Medicamenta applicari possint. *Quæ Vulnera dilatari nõ debeant.*

Quæ Scalpelli opera, dilatatione egent, tres præcipue Vulnerum species sunt vt inquit *Hipp. lib. de Vulneribus capitis.* Prima est quando os est denudatum, & ex accidentibus, quæ superueniunt, & ex ictu, ac ex teli genere, & multis alijs, quæ in superioribus diximus ossis violationem suspicamur, & Vulnus non tantum hiat, vt an ossis noxa adsit, neque quanta sit, & cuiusmodi sit, neque etiam quantitas carnis collisæ percipi possit. Cum ergo propter orificij Vulneris angustiam vitij genus videri ac dignosci non possit, neq; etiam curatio recte potest instituj; Ideò huiusmodi Vulnera dilatatione egent. *Quæ debeant dilatari.*

Secundo illa Vulnera dilatari debent, quæ intus sunt valde caua, & orificium angustum habent, cum ergo intus caua sint, & orificium angustum habeant, facile Med. quo curari debent, recipere ac admittere nequeunt, & ideo qua parte Medicamentum non admittunt, transuersa linea ducta Scalpello incidi debent. Tertio circularia Vulnera, & admodum intus caua sunt illa, quæ Scalpelli operam requirunt, quæ, vt inquit idem Hipp. lib. de Vlceribus, sic secari debent, vt duæ lineæ in hominis longitudinem ducantur, Altera enim à superiori orbis parte, & ab inferiori altera, & hoc pacto Vulnus longum reddendum. Causæ verò, cur ita Vulnera sint secanda, plures sunt; Prima vt Medicamenta talia Vulnera facilius admittant; Secunda vt facilius caro increscat, quoniam circularia Vulnera difficulter carne replentur, cum angulis careant vbi facilitèr caro increscit. In his ergo tantum tribus casibus propositis Vulnera dilatanda, & non faciendum quemadmodum aliqui ignari Barbitonsores, vere hominum Lanij, qui non tantum in tribus propositis casibus, sed indistincte, & inconsiderate in omni capitis Vulnere Scalpello vtuntur, & Vulnus dilatant, etiam si latis hiet, & apertum sit, & etiam quando os nudatum non est. Sed animaduertendum, vt optime Hipp. lib. de Vulneribus *Notandū*

capitis docet; Quod ſunt aliquæ capitis partes, quæ nullo pacto incidi ac ferro attingi debent, & iſtæ ſunt Tempora, regio ſuperior, & ſupra Suturas, reliquæ capitis partes tuto incidantur. Cauſa verò cur in Temporibus, & ſuperiori regione ſectio fieri non debeat, eſt quia per Temporalem muſculum magna Vena, & Arteria pertranſit. Huiuſmodi ergo vaſa ſunt in cauſa, vt periculoſe hæ partes incidantur; Similiter cum per vtrumque Temporalem muſculum tres Nerui diſpergantur, duo quidem à tertia coniugatione, tertius verò qui durior eſt à quinta, vt *Gal. de vſu partium inquit*: Ideo ne iſti Nerui incidantur, periculoſa harum partium ſectio redditur; Maxilla item inferior muſculis, à temporibus prouenientibus ac orientibus capiti alligatur. Cum ergo hæc ita ſint, hæc pars periculoſe ſecatur, quoniam ex hoius partis ſectione, contrariæ partis Neruorum diſtenſio ſequitur, quæ ita fit. Sectis enim illis muſculis ad maxillæ inferioris motum, dum os clauditur, deſerentibus, muſculi contrariæ partis, qui non ſunt, ſecti, ad ſuum principium contrahuntur, cum non fuerint impediti à muſculis alterius partis, cum iam reſecti fuerint, & ideo in oppoſita parte Neruorum diſtenſio fit. Periculoſa ergo inciſio in his partibus eſt, & nullo pacto fieri debet, & propter magna Vaſa, & propter Neruos per has partes tendentes, & propter Neruorum diſtenſionem, quæ euenire poteſt; Et per tranſuerſum ſectio in Temporali muſculo, ac etiam pu ctio penitus lethalis eſt; Si verò per muſculi longitudinem fuerit Vulnus, linamentis, & non ferro dilatandum eſt, & diligenter poſtea ac tenuiſſimo ſcalpro vti debemus quamuis omne Vulnus in hac parte ſit periculoſum. In frontis Vulneribus etiam, quando talia Vulnera ſunt dilatanda, ſectio per tranſuerſum nullo pacto fieri debet, quoniam caderent ſupercilia, & non bene oculi poſtea aperiri poſſent, quoniam attolluntur, & deprimuntur ſupercilia rationem muſculi, qui eſt in fronte, quo per tranſuerſum ſecto, neceſſario ſupercilia decidunt, cum talis muſculus ſuo munere fungi non poſſit. Quando igitur in hac parte ſectio ſit neceſſaria, per rectum ab inferiori ad ſuperiora, ſi ſatis ſit ſectio facienda, niſi verò ſufficiat, triangularis ſectio fieri debet, faciendo vnam ſectionem per rectum ab inferiori ad ſuperiora, deinde ab eodem puncto in parte inferiori debent fieri duæ aliæ ſectiones, quæ obliquè aſcendant, & trianguli formam conſtituant, & in hac ſectione ſupercilium decidere non poteſt, quoniam fibræ per obliquum ſectæ, vna alteram ſubſtinet, & alia aliam, donec ad partem ſanam veniant. Ità ergo in fronte dilatatio fieri debet, & non alio pacto.

Cur in Temporibus ſectio non ſit facienda.

In temporibus quando Vulnus dilatandum.

Sectio in fronte quando facienda.

Supra ſuturas etiam ſectio fieri non debet, neque etiam quando aliqua oſſis fractura in futuris adfuerit, futuræ Ferro attingendæ vt lib. de capitis Vulneribus inquit Hipp. ſed abillis recedendum; Et vbi ſectio neceſſaria ſit, proximum os ſecandum, & hoc ob plures cauſas faciendum. Prima eſt quia per futuras, vt ſuperius diximus, ligamenta, & Venæ pertranſeunt, quæ nullo pacto ferro attingi debent, ne dolor, & ex dolore inflammatio excitetur, ſic ſanguinis effuſio, putredo, & tandem mors ſequatur.

In futuris cur ſectio nõ facienda.

Secunda eſt, quia ſi in futuris fiat ſectio ligamenta inciduntur, per quæ ligamenta dura Mater, ne Cerebrum comprimat, ſubſtentatur; Inciſa ergo dicta ligamenta dura Mater ſuper piam decidit, & Cerebrum ſimul præmit; Tertia eſt propter partis imbecillitatem, cum eodem lib. dixerit Hipp. Futuras ad reſiſtendum imbecillas eſſe, & ideo cum periculo ſecantur, & facile etiam ferrum ad Cerebrum penetrat. Quarta ratio eſt, quia ſi fieret in futuris ſectio, illi poſtea callus increſceret, & expiratio prohiberetur. Ob dictas ergo cauſas ſupra futuras cutis ſecari, neque futuræ ipſæ ferro attingi debent.

Quando igitur ſectio in Vulneribus capitis eſt facienda, tantum incidi debet, quantum eſt opus ad os inſpiciendum ac etiam curandum, vt loco citato Hipp. inquit, & ſectio tantum in parte quæ neceſſario eſt detergenda, fieri debet; Relinquimus verò ramquam notum, quod prius pili circa Vulnus ſunt deradendi.

Sectionis verò forma ac figura, vt C. Celſus, Paul. Aeg. & alij grauiſſimi Autores inquiunt, ad ſimilitudinem literæ X. vel crucis eſſe debet, ita vt vna linea ſit ipſius plagæ. Altera quæ à Scalpello fiat, & hæ lineæ ad rectos angulos tranſuerſim ſe debent ſecare. Poſt ſectionem cutis

Forma ſectionis qualis.

vna

Cur perì cranium vna cum cute deducendū.

vna cum pericranio optime ex toto ab osse deducenda. Causa verò cur vna cum cute pericranium etiam sit deducendum est, vt offis noxa perspici possit, ne dum os deraditur; dilaceretur pericranium, & dolorem ægro afferat, & ex dolore inflammatio, & vehemens febris excitetur, & tandem mors succedat, vt *C. Celsus lib 8. cap 4. inquit*. Separari verò debet vel vngulbus, vel aliquo instrumento apto ad hoc faciendum, modo tale instrumentum id non laceret, sed apte ab osse deducat, sed tutius ac citius vngulbus hæc actio perficitur.

Deducta cute ac simul pericranio, & eleuatis quatuor angulis, voluersum Vulnus linamentis, siue penicillis ex stuppa factis implendum. Hoc verò faciendum, vt in posterum diem apertum, & patens reddatur, vt loco citato inquit Hipp. vtq; etiam Gal. 2. lib. de Medici Officina inquit, vtque sanguinis fluxus sistatur.

Quo verò Med. linamenta, siue penicilli imbui debeant, Celsus inquit, quod Aceto, quod nimis robustum Med. videtur, Paulus, quando aderat sanguinis fluxus posca vtebatur, sin minus, ijs siccis Vulnus replebat. Alij Oui albumine imbuunt, alij, vt dolorem leniant, simul cum albumine luteum admiscent, alij in sanguinis fluxu cum albumine adstringentia admiscent, vt est pul. Sang. Drag. Boli Arm. Masticbes, & similium, alij prima linamenta, quæ totum os operire debent, vino austero aliquantisper calido imbuunt, & alia linamenta Oui albumine, & hoc efficiunt, ne os ab albuminis frigiditate ledatur, cum frigidum ossibus sit inimicum, vt Hipp. inquit, quod mihi maxime arridet, & hæc digitis sunt agenda, & oculus pericranio est habendus, vt optime sit ab osse denudatum, & dilaratum. Hoc facto, ità repletum linamentis Vulnus in posterum diem relinquendum, vt Hipp. loco citato inquit. Non diutius verò commorandum in dictis linamentis remouendis, ne ex dictorum linamentorum nimia exsiccatione dolor excitetur; Vt verò dolor leniatur, & inflammatio prohibeatur ac arceatur, quæ supervenire solet quando cutis, & pericranium ab osse deducuntur, Catapl. ex tenuissima polenta quæ ex Aceto subacta incoquatur, & maximè glutinosa fiat, in partibus circa Vulnus imponendum, vt loco citato Hipp. inquit. Non ponendum verò supra Vulneris orificium, ne saniei exitum prohibeat, vt lib. de Vlceribus dictus Autor inquit. Hoc enim Catapl. vim ac facultatem siccandi habet, quod in omnibus Vulneribus requiritur, cum ex Hordei tosti Farina fiat, & ex Aceto, quæ ambo siccandi facultatem habent. Repellit etiam dictum Catapl. propter Acetum, quod refrigerandi vi est prædictum. Debet vero maximè glutinosum fieri, vt dolorem leniendi vim habeat. Optimum ergo est huiusmodi Catapl. cum dolorem leniendi, replendi, & exsiccandi vim habeat; quod maximè in huiusmodi Vulneribus desideratur. Hoc facto, contentiua fasciatura vinciatur, & in ea parte cubet, in qua minorem dolorem persentit, donec pus sit genitum; Cum tunc in parte affecta, nisi dolor prohibeat, sit cubandum, vt pus libere effluere possit.

Huiusmodi verò Catapl. vti debemus inquit Hipp. quamdudum linamenta imponantur, idest quousque dilaratum Vulnus, & hians detineatur, & non amplius doloris, & inflammationis periculum adsit.

Sequenti die post quam die anteacta Vulnus fuerit ampliatum, os nudatum, & linamentis impletum, secundum Vulneris locum ac figuram situandus est æger, vt si Vulnus sit in fronte resupinandus, si in latere dextero situandus in latere sinistro, & sic de alijs, & hoc faciendum, vt commode Medicus suas operationes, & cito tuto, & iocunde exercere possit. Commode ergo situato ægro, linamenta subtrahenda, & optime Vulnus exsiccandum, deinde diligentissime, an os aliqua noxa teneatur, videndum ac considerandum.

Signa ossis læsi ora in fractura.

Quod cognoscere ex pluribus possumus imprimis enim videndum, an aliquis cruor esse resudet, & si resudet, violati ossis est indicium, secundo ergo subendum vt manibus ore, & naribus clausis alitum retineat, & ad superiora impellat, si enim rima adsit cruor ex illa emanat; Tertio videndum si os sit sui coloris, vel interiores partes sanguine suffusæ sint, & nisi os sit sui coloris vel sanguis suffusus adsit, ossis noxam ostendit. Quarto Specillo os percutiendum, & audiendum an rauce sonet, & si rauce sonet ossis lesionis est indicium. Quinto vi-

dendum an per ſpecillum ſedem, vel aliam fracturæ ſpeciem adinueniamus, ac etiam. Digito immiſſo inueſtigandum. Cum ergo hæc, & alia experimenta ad cognoſcendum, vtrum Os ſit fractum vt ſuperius fuit dictum, fecerimus, & veriſimile ſit ab ictu; Teli genere, & ab ijs, quæ ſuperueniunt, vt Vertigine, obcecatione, caſu, & alijs ſuperius dictis Os violatum fuiſſe, tunc Os radendum; Sed antequam hoc faciamus, duæ faſciolæ tenues aſſumi debent & hæ quatuor angulis cutis eleuatis debent apponi, vt illos attollant, quæ à miniſtris detineri debent, *vt Paul. lib. 6. cap. 90. optime docet*. Hæ enim faſciolæ non ſolum ad angulos, & Vulneris labia eleuanda deſeruiunt, ſed etiam, ne ab Aere frigido lædantur, ac etiam ne a ſcalpro tangantur, & dolor excitetur, defendunt; Et hoc faciendum quotieſcunque vel ſcalpro, vel quolibet alio inſtrumento incidente vti debemus propter aſſignatas cauſas, vel faſciarum vice, tenuibus linteis vti poſſumus, vti tali munere fungantur, vtque tali pacto quatuor cutis angulos iam ſciſſos, & eleuatos detineant, duo miniſtri ſunt neceſſarij.

Quomodo Os debeat abradi.

Quomodo verò Os abradi debeat, inquit Hipp. loco citato his verbis. Si Os violatum comprehendi nequeat, nec conſpicuum ſit, & probabile ſit telum Os attigiſſe, ipſumq; violaſſe ſcalpro Os radendum eſt in altitudinem ac longitudinem hominis, atque etiam tranſuerſum, ideſt per latitudinem; Et hoc faciendum, inquit, propter rimas, quæ conſpectui non ſubiciuntur, & propter colliſionem, quæ latent, vt ergo Oſſis noxa manifeſtetur, ita Os abradendum. Et niſi ex abraſione Oſſis noxæ in cognitionem deuenire poſſimus, & de ea maxime dubitamus, Arramentum ſutorium aliquantiſper calidum ſupra Os infundendum, ac paruum linamentum eodem imbutum ſupra Os imponendum, & linamentis Digeſtiuo, vel alio conuenienti Vng. vulnus replendum, & circum circa Vulnus Oleo Roſaceo inungendum, & dictum Catapl. applicandum ac alligandum. Poſtridie Vulnus ſoluendum ac purgandum, vtque diximus Vulneris labia faſciolis, vel linteis munienda, deinde Os deradendum, vt nigrities tollatur, & illud Os, quod integrum erit, album apparebit, quod verò erit ſciſſum, vel colliſum, nigrum erit, cum arramentum admiſerit ac combiberit. Niſi verò vlla rima, aut colliſio appareat, ſed Os totum ſit ſui coloris; In hoc caſu Oſſis ſuperficies radenda, & aliquo ex infraſcriptis Cephalicis pulueribus Os aſpergendum *Gal. 6. Meth. inquit*; Quod Cephalici pulueres componuntur, exiris illirica, Erui Farina, Manna, Ariſtolochia, Cortice Radicis Panacis, & omnibus ijs, quæ citra morſum extergere poſſunt. Vel ℞. Aloes Hep. Sarcocollæ, Myrrhæ an. drag. 3. Thuris dragm. 1. Sang. Drag. drag. 5. M. & fiat pulvis tenuiſſimus, vel.

Pulueres Cephalici.

℞. Aloes Hep. Sarcocollæ, Myrrhæ an. dragm. 2. Thuris dragm. 1. Sang. Drag. dragm. 5. Croci Orient. ſcrup. 5. M. & fiat pulvis tenuiſſimus, vel.

℞ Eruæ amari, Mannæ Thuris, Rad. peucedani, Rad. Iridis, an. q. vis M. & F. P. Vel ℞ Ariſtolochiæ Rot. Thuris, Rad. Iridis, Brioniæ albæ an. M. I. & F. P. magis robuſti ℞. Ariſtolochiæ rot. Rad. Iridis, Rad. Brioniæ nigræ, Squamæ, Arris loiæ, pumicis præparatæ ac aduſtæ an. M. & F. P. T. Vng. Iſidis à Gal. deſcriptum mixtum in mollioribus corporibus, & ſimplex in durioribus, optimum eſt.

Prædicti ergo pulueres, vel Iſidis Med. tantum, ſupra Os poni debent, & ſupra Membranam, ſi detecta ſit, vt inferius dicemus, reliquum Vulnus Reſina Terebinthina, vel Abietina, vel alio Sarcotico Med. expleatur. His enim Med. Cephalicis erimus in cauſa, vt celerius Os abſcedat, & ſquamam emittat, cum illa Oſſa neceſſario abſcedere ac ſquamam emittere debeant, quæ Aeri fuerint expoſita, & hoc ijs accidit, qui ab Aere neceſſario alterantur ac alienantur, & ideo ſquamam emittere eſt neceſſe, & cum prius quam ſquamam non fuerit reſoluta, Os carne non poſſit contegi neque Vulnus impleri. Ideò hoc quamprimum curare debemus, vtque citius reſoluatur, alimentum ei auferre oportet, quod exſiccantibus Med. efficitur, *vt loco citato Hipp. inquit, ac etiam lib. de Fracturis*. Quoniam ſicuti arborum folia, ex nutrimenti defectu exſiccantur ac decidunt, ſic etiam Oſſibus euenit, vt celerrimè Os igitur recedat ad purgandum, & exſiccandum Vulnus, ac præcipue ipſum Os, eſt feſtinandum, & ita ſanguinem, quo nutritur, ab Oſſe, quod abſcere debet, exhauriet

hauriemus, & sic Os nutrimento priuabitur, & exanguæ, & siccum reddetur, & ab Osse, quod sanguinem habet, & viuit, cito recedet, & deinde cito caro succrescet, cum dixerit Gal. 6. Meth. Vt autem omni Ossis parti choeream, & coalescat, caro, & ibi producatur, opus est, vt supra Os non sit vlla sordes, nec oleosa quæpiam pinguendo, & totus locus siccus sit, & quælibet Ossis vitiati pars plane pura. Si igitur pus mouere, quando est opus festinemus, & siccis Med. & conuenientibus purgare ac detergere, caro celerrime sanescet, Os non fiet purulentum, celeri squamam amittet, & fragmenta tam primæ tabulæ, quam vtriusque, idest totius Ossis quando sunt abscessura, cito abcedent, caro perducetur, & Vulnus cito sanescet, cum absque Ossium abcessione ad sanitatem reduci Vulnus non possit.

Animaduertendum verò, vt caro horum Vulnerum, idest curis, & pericranium optime cureetur, vt loco citato inquit Hipp. & lib. de fracturis, quando de fractura cum vlcere verba facit, vbi illos reprehendit, qui vni consulentes, alterum negligunt. Illa ergo præcepta sunt obseruanda in carnis curatione, quæ ab eodem Autore lib. de Vlceribus traduntur. Si ergo caro sit collisa siue contusa in hoc casu quamprimum, vt huiusmodi contusio suppuret, curare debemus, & hoc idoneis Med. faciendum, vt sunt pus mouentia, quæ calida, & humida sunt, cum caro, quæ contusa ac lacerata est, non patiatur Vulnus sanescere ac diuturnum illud reddat, cum quod siccum est, sano simile sit quod humidum, a sano plurimum recedit vt lib. de Vlceribus inquit Hipp. & ideo cum carnem humidam, & heberem esse malum sit, ideo contusa caro quamprimum in pus vertenda, deinde siccanda. Nam si tarde pus mouearur, quæ iuxta sunt semper dolent, calorem presentiunt, ac inflammantur, quousq; suppuratio fuerit facta. Postea suppuratione facta hæc omnia minuuntur, teste *Hipp. 2. Aph. 47. vbi inquit*; Dum pus fit dolores, & febres magis acciduut quam confecto.

Ad pus ergo mouendum festinare debemus, & cito Vulnus purgare, & cum iam purum, & purgatum fuerit, siccantibus nutrire debemus, & sic curando, vulnus cito sanescet, & caro sicca, & firma producetur, vt locis superius citatis inquit Hipp. Si verò caro supercrescat, signum est quod humida est, & ideo Medicamentis valde siccantibus est excedenda, vt cap 37. huius lib. dictum fuit. Vbi verò nulla adsit collisio, & carnis productione sit opus, tunc modice siccantibus ac abstergentibus Vulnus nutrire debemus, cum carnem producentia partem affectam per gradum vnum in siccitate excedere debeant, & tandem facienda, quæ Vulneris curatio postulat, idest danda sunt sicca, quæ Ossis causa validiora sint. Animaduertendo infirmi naturam, partis temperiem, Aetatem, Sexum, Anni, Tempus, Regionem, & similia, quam validiora Medicamenta ferat Rusticus, quam Nobilis, senex, quam puer, & mas, quam fœmina, & sic de alijs; Causam verò, cur recte caro curanda sit, assignat *Hipp. lib. de Vlceribus cap. dicendo*. Periculum est, si caro male curetur, ne Os purulentum fiat inflammetur, ac comprimatur, quæ cum Ossis acciduut, necesse est purulentum fieri; Et notandum, quod illa tria vocabula tria diuersa significant, quoniam quando inquit, male curetur, intelligit de Medicamentis, per quæ, vt superius fuit dictum, si caro collisa sit, quamcelerrime pus mouendum, deinde siccandum.

Nisi verò adsit collisio, à principio siccis Med. mederi debemus.

Quando inquit, inflammetur intelligit de eorum multitudine, quæ supra Vulnus applicantur, vt sunt Linteola, Fasciæ, & similia, quæ si in magna copia applicentur, calorem augent, transpirationem quæ prohibent, & ideo inflammationem in Osse excitant, propter carnem supra positam, quæ est inflammata, & ob defluentem saniem, ac etiam Caput onerant, & ideo lib. de Medici Offic. vt hoc euitetur, linteos, & tenues fascias supra plagam applicari iubet, & lib. etiam de fracturis, idem Hipp. quando inflammationem timet, linteorum, & fasciarum multitudinem, propter eaidem causas, prohibet.

Quando inquit comprimuntur, Vincula significat, quæ si nimis stringantur, dolorem, & inflammationem excitant. Quando igitur vincula sunt necessaria, & inflammationem timemus, ijs laxioribus vti debemus, inquit. Quæ cum accidunt

neceſſe eſt Os purulentum fieri.

Putredo quia ſit.

Hoc enim eſt manifeſtum, quoniam cum Os præter naturam calorem acquirit, & humidum fit, neceſſario putreſcit cum putredo, vt inquit *Ariſt 4 Metheorum ſit corruptio propriæ caliditatis in vnoque humido ab aliena caliditate, & Gal 11. Meth 8. inquit.* Putredo eſt mutatio totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis ad corruptionem à calore extraneo.

In his enim omnibus ignari Barbitonſores errores committunt, qui non ſolum vbi eſt opus, ideſt vbi contuſio adeſt, calidis, & humidis Medicamentis vtuntur, ſed in quolibet Capitis Vulnere; Similiter multis linteis, & pileolis, ac etiam pellibus patientis Caput onerant, multiſq; faſcijs vinciunt, ac adſtringunt, & ſe hoc facere inquiunt, vt à frigido Aere Vulnera defendantur, & ignorant miſeri, quod tantum ſufficit, vt Cerebrum a frigido non afficiatur, & quod operimentorum, & faſciarum copia, & conſtrictio eſt cauſa, vt multi ad Acheronta mittantur.

Rima apparente quid faciendum.

Si verò Rima eſt deraſioque appareat, hæc ſcalpro deradenda ac perſequenda eſt, vt an penetret per totum Os, nec ne in cognitionem deueniamus, & hoc vt *Gal 6. Meth inquit*; Primum ſcalporis lationibus fieri debet, deinde minoribus, vltimo loco minimis; Et Scalpra plurimum ſunt generum. Alia enim ſunt excißoria, alia Raſoria, vel Raſpatoria dicta, & horum Scalporum alia inflexam aciem habent, ac circularem, Aliqua planam, quæ aut linearis, aut angularis eſt.

Antiqui ſcalporis Raſorijs vtebantur, & ſuper ea plumbeo malleo percutiebant, & ſic Oſſa ſecabant. Noſtris verò temporibus, vt plurimum in vſu ſunt ſcalpra Raſpatoria dicta, quæ fricando abradunt, & ſunt tutiora. Si verò Rima totum Os non penetret, ac abraſione delitescat, res minus terribilis eſt, & vlterius ſecandum non eſt, cum ſanies ad membranam defluere non poſſit, & ideo minus Medicum ac ægrum fatigat, vt Hipp. inquit, & in huiuſmodi caſu Cephalici pulueres ſupra Os quouſq; carne operiatur, inſpergendi ſunt, vt Gal. 2. de comp. Med. 5. Geo. & 6. Meth. inquit, & ad labia oportuna Medicamenta pro vt ſunt dictum, applicanda, & idem etiam in colliſione abſque rima faciendum.

Si verò rima altius deſcendat, totumq; Os penetret, metu terret, ac periculoſa eſt vt loco citato inquit Hipp. Cum in huiuſmodi rima neceſſario totum Os ſit ſecandum, & Membrana denudanda ac detegenda, ſit, & hoc faciendum, vt ſaniei exitus detur, quæ colligitur, vel collecta eſt ſupra Membranam, quæ nullo pacto abſq; Oſſis abſciſſione ac detractione expurgari poteſt, & hoc ſit vel ſerra, vel Terebra, vel ſcalpro, vel alijs inſtrumentis ad hoc aptis, & accommodatis. Et animaduertendum, quod ſi in ſcalpendo Pericranium ac Labia dolore afficiantur, Roſaceo Oleo dolorem lenire debemus, & hoc Oleo etiam faciemus, vt melius curarat inſtrumentum, & ne Os, dum ſcalpimus, incaleſcat, etiam prohiber.

Si verò in ſcalpendo ſanguis fluat, Linteola, vel Faſciolæ quæ labia operiunt Poſca madrefaciendæ, ac etiam portiunculam infundere poſſumus, vt ſanguinem compeſcat, ſed quoniam Poſca propter Acetum inſtrumentarum aciem retundit, ideo ſepe inſtrumentorum in Oleum Roſaceum infundendum. Cum ergo Os ſecetur, vt detur exitus materiæ, ne ferueat, & ad Membranas, & Cerebrum deſcendat, & has partes corrumpat, ideo omnes illæ cranij fracturæ ſpecies ſectione indigent, in quibus contenta præter naturam materia libere expurgari non poteſt, & ſanies ab ſubiectas partes confluere poteſt; Illæ verò fracturæ in quibus tota ſanies liberè effluere, & expurgari poteſt, ſectionem non requirunt. Fracturæ ergo in quibus ſectio competit ſunt Fiſſio, & coliſio, ſiue lateant, ſiue Oculis pateant, quoniam, & ſi rimis patentibus aliqua ſaniei portio expurgatur, tamen aliqua quæ tiras intus retinetur, quæ Membranas, & ſubiectas partes corrumpere poteſt. Sedes ſimiliter cum colliſione tantum, vel cum colliſione & rima ſimul, ſectionem expoſtulat, & cauſa eſt, quoniam, & ſi per ſedem, vbi totum Os penetrat exeat ſanies, tamen non tota expurgari poteſt, cum ſub alijs partibus colliſæ, & fiſſæ ſunt, cocta, & coadunatur, quæ non poteſt extrahi, niſi ad Membranam vſq; Os ſecetur, & ideo cum ſedi contuſio, vel rima ſimul accidit, ad ſectionem deueniendum, vt libere ſaniei ſub colliſione, & rima contentæ exitus detur, cum per ſedem totam expurgari non poſſit vſq; bene ac recte hoc ſucedat, tota rima, & quouſq; penetrat, ſecari debet, & non tantum in vna parte perforatio fieri

Cur Os ſecetur ac aperiatur.

debet

debet vt multi faciunt, quoniam illa sola perforatio ad tam copiosam saniem expurgandam non est sufficiens. Sedes verò quæ absque collisione, & rima est, & ad Membranam non penetrat, sectione non eget, cum ad Membranam sanies effluere non posit, & tota per sedem expurgatur, nec illa quæ ad Membranam penetrat, si incisio fuerit magna, & lata, cum per talem sedem tota sanies expurgari possit, nisi verò quantum esset opus, hiaret, ad sectionem esset deueniendum, & sedes amplianda ac dilatanda, vt libere sanies expurgari posset, & hoc forcipe, vel scalpro faciendum.

Similitèr si in sedis hiatu, vel qualibet alia fractura Ossis fragmenta, & pungentia spicula adsint, scalpro tollenda, ne sub crescentem carnem pungant, ac dolorem inferant. Os fractum similitèr quod desidit, sectionem raro postulat, præsertim quando maximè est perruptum, & maximè desit. Causa est, quoniam satis spacij ad saniem educendam habet, diximus verò raro, quoniam aliquando, idest cum Os Membranam comprimit, vel pungit, ad sectionem deueniendum. Si sedem igitur in Osse adinueniamus, non solum ipsam. Sedem scalpro deradere debemus, sed etiam Os circumcirca, & hoc faciendum propter rimam, & collisionem, quæ aliquando cum ipsa sede coniuncta esse possunt, vel propter collisionem, quæ tantum sedi adiicitur, & dictæ fracturæ species, vt supertus diximus, sepe latent; Vt ergo manifesteotur, si adsint, non solum sedes, sed etiam Ossa sedi proxima scalpro abradenda

Quando sectio faciendo.

Si verò ex abrasione adinueniatur Ossis noxa, quæ sectionem exigere videatur, intra triduum sectio facienda, & nullo pacto debemus pati, vt tertiam diem excedat, præsertim vbi tempus calidum fuerit, & Medicus à principio adhibeatur, vt *lib. de cap. Vul. Hipp. inquit*. Causa verò cur intra triduum sectio hic facienda est quoniam intra id temporis spacium non dum facta est inflammatio, quæ post hoc tempus fieri solet, ac humorum putredines incipere ac Naturæ insultus contra ægritudines; Ideo in prima, vel secuada, tertia die hoc faciendum. Et propter eandem causam etiam Hipp. in lib. de fracturis, & Luxationibus, iubet, vt intra triduum Ossa componamus, ac Luxata in suum locum collocemus, ac restituamus. Et nisi intra hoc tempus fiat, iubet ibi dictus Autor, vt vsq; dum inflammatio conquiescat, in fracturarum compositione, ac Articulorum restitutione expectemus. Quod in cranij fracturis fieri posset, nisi suspicaremur ne sanis subiectam Membranam prius corrumperet. Inquit dictus Autor, quod intra triduum præcipue secandum, si calidum tempus fuerit, & à principio adhibeatis. Primam conditionem ponit, quoniam in tempore calido caro magis, & celerius putrescit, & Os gangreae ob defluentem saniem periclitatur, & quo citius Os secatur, eo citius conuenientia siccantia Medicamenta imponuntur, quæ putredini resistũr, & Catapl. remouetur, & ideo Os minus periclitatur, & plaga citius sanescit. Secundam postea conditionem ponit, quia si Medicus propter negligentiam eorum, qui eum accersire debent, à curationis principio non fuerit vocatus, hoc præceptum exequi non potest; In hoc casu si conditiones aperiendi adsint, & mora, & inducię concedant, vltra 7. vel 9. differri potest, & hoc faciendum, ne Naturæ motus impediatur. Nisi autem procrastinatio fieri possit, & de aliquo magno malo dubitamus, vt si ex Ossis depressione stupor fiat, vel Ossis pustulum pungens adsit, statim secandum, & si in 4. vel 7. die simus, vel crisis adsit. Nisi verò huiusmodi adsint, secandum post 7. Non ergo si à principio Medicus adhibeatur, & Os sectione egere cognoscat, in Aestate vsq; ad 7. & in Hyeme vsq; ad 14. Ossis sectionem faciendam procrastinari debet, vt multi indocti faciunt, qui praua Symptomata expectant, quæ non solum non sunt expectanda, sed etiam totis viribus, ne eueniant, præcauendum. Sed solum in sectione facienda in Aestate dies 7. vel 14. in Hyeme expectanda, nisi à principio Medicus adhibeatur, vel nisi Ossis noxa à principio fuerit cognita, & quando inducię dari possunt, & non quando patet, & Medicus à curationis principio fuerit vocatus.

In puerulis verò cum Os tantum collisum fuerit, vel collisum, & fissum, vel si collisio, & rima cum sede sint coniunctæ, huiusmodi Ossa perforanda similitèr ac aperienda sunt, & hoc faciendum, vt sanguis qui præter Naturam super Membranã continetur, effluere, & foras egredi possit, cum puerorum Os, ne ob sanguinis copiam purulentum fiat, maxime perichte-

tur,

tur, & ideo vt ſanguis, qui in Cerebri Membranam receptus eſt, demat̃r, ac etiam qui in Oſſium cauitatibus continetur minuatur, Os eſt perforandum.

Hoc verò exigua Terebra eſt faciendũ vt loco citato inquit Hipp. quoniam amplior eſt grauior, & puerilis Oſſis alienæ, cũ Os illud ſit molle, tenue, intus cauum, & non firmum, vt ſuperius à nobis fuit dictũ.

Præcepta obſeruãda in ganio ſecundo.

Præcepta verò in ſecundo Oſſe obſeruanda ſunt, vt inſtrumentum, quo in ſecando vtimur ſepe attollatur ac in Aquam frigidam, vel Roſaceum immergatur, ne calefactum ferrum nos adurat, & maiorem Oſſis portionem abſcedere facit. Sepe conſideretur quantitas oſſis ſecti, ac etiam ſecandi, & ſi totum Os ſit ſecandum, vel terebrandum, non vndiq; Os totum ſecari debet, ſed tenuis pars inſecta relinquenda, & dimouendo, Os detrahere, conari debemus.

Quando verò à principio, vel Oſſis fractura non fuerit cognita, & Os tanquam ſi non eſſet fractum ſine ſectione fuerit, vel quia ab altero non recte fuerit curatus, & intra triduum à primo Medico Os non fuerit ſectum, & intempeſtiue poſtea tibi committatur, ideſt quando febris, & aliquod aliud prauum Symptoma ſuperuenerit, ſtatim abſq; vlla mora Os vſq; ad Membranam acutiori ſerra ſecandum, vt Hip. loco citato inquit, vel ſcalpro rodendum, & Os ſtatim remouendum. Statim verò fieri debet, ne alia praua Symptomata ſuperueniant, & ne illa materia, ibi præter naturam retenta Membranas ac Cerebrum corrũpat, quod cum euenret, deſperata omnino res eſſet, nullus eſſet Medicinæ locus.

Non ſecandum verò Os, neq; eorum curat o ſuſcipienda, in quibus omnia vel pleraq; grauia Symptomata ſuperuenerint, ſed quando vnum quodus, vel alterum tantum accidit, ne mors, quæ ex vi morbi, vel primi Medici ignorantia euenit, ſecundo Medico imputetur, ſed tantum prædictione vti debemus, cum hi deplorati ſint.

Oſſis ergo ſectione ac remotione, materiæ ibi præter naturam retentæ exitus eſt dandus; Et cum in huiuſmodi caſu Os facilius ſecetur ac radatur, cum molle, & minus durum ob iam incipientem putredinem ſit factum; Ideo ſæpe ferrum attollendum, & in Aquam, vel Oleum mergendum, & oculis, ac ſpecillo indito videndum ac Oſſis ſecti, & ſecandi portio conſiderandа, & hoc tanto accuratius conſiderandum, quando Vulnus ea Caluariæ parte fuerit, qua Os tenuius eſt, ne ſerra vel alio inſtrumento, quo Oſſis ſectio fiat, Cerebri Membrana violetur, ex cuius dilaceratione dolores, & graues inflammationes cum mortis periculo oriantur. Ne verò ſtatim ſerra, vel Terebra, vel aliud inſtrumentum, quo ſectio fiat, ad Membranam veniat, quæ ſub tenuibus Oſſibus in ſummo eſt, & quia in dicto caſu facilius Os ſecatur, vt diuturniori tempore Os ſecetur, & Medicus ſubinde intueri poſſit, quantum Oſſis ſit ſectum, & quantum ſecandum remaneat, inquit Hipp. Quod perpetuo vbi Os craſſius eſt, ferrum imprimendum, cum in plagæ circuitu non ſit æque tenue.

Dubitatio.

Si quis verò dicendo inſtaret, Gal. 6. Meth. In Caluaria ſecanda iuſſit, vt vbi Os eſt tenuis ferramentum imprimatur ne in ſecando Cerebrum concutiatur, & ideo ob Oſſis craſſitiem in decliuiori loco ſectionem fieri non vult.

Solutio

Ad hanc contradictionem tollendam, dicendo quod Gal. eo in loco Membranæ leſionem non timebat, cum ad Membranam vſq; Os non excideret, quod timendum, quando totum Os ſecandum eſt, vt Hipp. inquit, cum grauius periculum inſter, ne Cerebri Membrana ledatur, quam quod ex concuſſione affertur. Poſſumus etiam dicere, quod cum Os, poſt quam praua Symptomata ſuperuenerint, humidius, & mollius factum ſit, non ita in ſecando Cerebrum concutitur, cum facilius ſecetur, & ideo Hipp. vbi Os eſt craſſius, ferramentum imprimi iuſſit, vbi totius Oſſis ſectio ſit facienda.

Similiter, vt ſuperius fuit dictum, antequam totum Os ſerra excindatur, dimouendo Os detrahere eſt tentandum, & hoc etiam, ne Membranam violetur faciendum eſt. Niſi verò quid prohibeat, in decliuiori parte etiam Os ſecandum vt facilius materia exitum habeat, & pars decliuior debet eſſe reſpectu decubitus, & non reſpectu rectitudinis hominis, quoniam partes decliuiores in rectitudine hominis non ſunt in decubitu omnes decliues.

Sectionem verò in decliuiori loco prohibere poſſunt, non ſolum Oſſis craſſities vt ſuperius ex Gal. mente diximus, & quod niſi magno cum negocio, & Cereur, & Neruorum agitatione ſecari poſſit, ſed

aliquod

aliquod vas insigne, vel Neruus, vt in temporale musculo. Vbi item magna Membranæ portio est detecta, & abrupta, & perforata, Cerebrum apparet, tunc in decliuiori parte non debet fieri sectio, quoniam, *vt Gal. loco citato inquit*; Cerebrum ob sui molliciem labitur, & facile ad loca decliuiora descendit, ideò egredi, & marcescere posset. Quæ etiam prohibent, ne in decliuiori parte sectio fiat, sunt futuræ, quæ nullo pacto ferro attingi debent, & si in futuris insignis fractura adsit, ex vtraque parte sectio fieri debet. Hæc verò præcepta tantò magis in puerilli Osse perforando sunt obseruanda, quanto Os puerile tenuius, & mollius est, quam in ætate adulta.

Notandū Animaduertendum tamen, quod, & si quando Medicus à principio adhibeatur, & ossis fracturam cognoscit, & eam sectione ac dilatatione egere intraque triduum sectio fieri debeat, tamen totum os ad Membranam vsque non est secandum, vt loco citato Hipp. inquit, & hoc ob duas causas. Altera est, ne diutius Membrana sine ossis regumento relinquatur, quoniam grauiter lederetur, intumesceret, & tandem putresceret, & hebes fieret, quoniam omnia, quæ velata, & clausa manere solent, vbi fuerint detecta, ac externo Aeri exposita, ab illo externo, & insueto Aere alienantur, & vbi sic diutius manent, etiam putrescunt, quoniam à tali Aere illius partis calor extinguitur, quod verò alienentur, patet in ossibus, quæ cum Aeri exponuntur, squamam emittunt, patet etiam in omento, quod vt plurimum præcidendum, quando abdomine Vulnerato, per Vulnus egreditur, & hoc tanto citius Membrana corrumpitur, quanto Membrana humidius est, & ideo propter hanc causam diutius Membrana sine ossis regumento relinqui non debet. Altera causa est periculum quod instat, ne dum totum os secatur Membrana serra, vel quouis alio instrumento violetur ac laceretur, quod non timendum, quando pauca ossis portio secanda relinquitur.

Ita ergo à principio os secandum, vt parum sit quod secandum remaneat, & os dimoueatur, & aliqua etiam in parte totum sit sectum, & via adsit, per quam sanies egredi ac expurgari possit.

Sic enim sectum os per se abscedit, & caruncula subeunte à Natura expellitur. Neque etiam timendum, ne quid mali ossi, quod sectum est, accidat, etiamsi aliqua parte sine sectione sit relictum, vt Hipp. inquit, quoniam quod secandum relinquitur, tenue est, & continuo à Natura, & Arte etiam siccantium Med. appositione tenuatur. Sed hoc præceptum non semper est obseruandum, quoniam aliquando totum os vsque ad Membranam secare sumus coacti, & id detrahere, & Membranam detergere ac denudare, & hoc fieri debet, quando ex vehementi ictu probabile sit multam materiæ copiam ad Cerebri Membranam confluxisse, & illam præmat, & simul Cerebrum, cui materiei quam primum exitum dare est opus.

Quando verò os desidet, vel ita incisum est, vt ostendat, qua Telum insederit, & non sit collisum, neq; scissum, tunc os perforare non est opus, cum satis adsit spacij, per quod sanguis effluere, & expurgari possit, nisi os Membranam comprimat, vel pungat. Quando ergo ossis fragmenta Membranam non comprimunt, vel pungunt, non sunt ferramentis auellenda, vt ignari Barbitonsores faciunt, qui sunt in causa, vt calor transpiret, & ad carnem producendum, & alias Naturæ operationes faciendas imbecillior reddatur, & Membrana ab Aere alteretur, & putrescat, & tandem necis miserrimi æggri sunt causa. Sed expectandum vt huiusmodi fragmenta à Natura resoluantur, & eorum resolutio conuenientibus Med. sicuti fuit dictum adiuuanda.

De osse vehementèr perrupto ac confracto, & de rima, quæ longius penetrat *Gal. 6. Meth inquit*. Os quod vehementèr est confractum id totum auferendum si verò fragmentum ab eo longius excurrat, hæc persequi ad finem vsq; non expedit, illud persuasum habentibus minime futurum, vt ex eo noxa sequatur, vlla, modo reliqua rite sint à nobis peracta.

Qui Gal. textus ita est intelligendus; Quod non omnis rima, quando os est tectum, detergi debet, cum naturalis calor validus ad expulsionem sit, & Medicamentorum ope materiam extrahere possumus, & de hac rima, osse tecto, intellexit Gal. Si verò os sit derectum, etiam si plures rimæ adsint, omnes aperiendæ, & persequendæ quoniam naturalis calor fortis, & validus non est, cum transpiret, & ideo omnes aperien-

Gal. textus interpretatio

aperiendæ, ac perſequendæ. Aliter verò ſi faciamus, mortis fomentum relinquimus, & ita de vna tantum rima intelligendum.

C. Celſus lib. 8. cap. 4. inquit. id os, quod deorſum inſedit, & circumpoſitæ Caluariæ aliqua parte inheret, totum auferri non debet, ſed Lunatus ſinus faciendus, & id, quod Cerebri Membranam ledit ac præmit, lamina attollendum, & quod aſperum, & ſpinoſum eſt præcidendũ.

Ablato oſſe, & Membrana detecta, ideſt dura, quæ ſub cranio primum appareat; Videndum imprimis an ſit Vulnerata, vel ſi ſuper eam adſint ſanguinis grumi, vel ſanies tantum, vel ſi inuiolata, & minimè offenſa ſit. Quando ergo Membrana eſt detecta, tria curanda ſe nobis offerunt, ideſt caro, oſſa, & Membrana, circa carnem diximus, quod quando eſt contuſa, quamprimum pus mouendum, deinde detergentibus, & tandem ſarcoticis vti debemus quæ reſpectu temperiei partis, ſicciora eſſe debent, quam in alijs carnoſis partibus. Niſi verò contuſio adſit, tantum detergentia, & Sarcotica ſufficiunt, & repleto Vulnere carne, vt cicatrix obducatur, Epuloticis vtemur, vt ſuperius fuit dictum; Detecta oſſa, diximus, ſemper Cephalicis pulueribus actu, & potentia ſiccis eſſe inſpergenda. Circa Membranam, contrarij inter ſe ſunt Autores, quoniam aliqui exſiccantia ſolum Med. apponunt; Alij lenientia, Qui ſiccantem curationem ſunt ſecuti, ſunt *Hipp. C. Celſus Gal. etiam dum in Aſia manſit, qui 6. Meth.* mentionem facit de Magere, & Eudemo in hac arte celeberrimis, qui exſiccanti curatione felici cum ſucceſſu vtebantur. Qui lenientem curationem ſunt ſecuti ſunt Paul. Aeg. Auic. Apollonius, & multi alij, Gal. etiam dum in Italia, & Romæ fuit leniente curatione fuit vſus, loco citato bonam eſſe inquit, & ſi magis exſiccantem curationem laudet.

Nos vtramque ponemus, vt vnus quiſque ei, quæ magis arriſerit, applicari poſſit, & primum exſiccantem deſcribemus.

De exſiccatione curatione.

Cap. 66.

Si igitur Membrana non fuerit offenſa, vt quamcelerrime, ea à grummis illis, & ſordibus expurgetur, eſt curandum vt Hipp. loco citato inquit, ne diutius madens hebes fiat, & attollatur, quæ cum ita accidunt, periculum eſt ne putreſcat. Nam ſi diu ſordes illæ permanſerit, non modo Membrana putrefieri ac inflammari poterit, ſed etiam ſequeſtrari, quemadmodum oſſibus accidit, quæ refrigerata ſquamam emittunt, ita Membrana, tunicam emittens, putreſcet, & fetida fiet, & ideò, ne hæc eueniant, exſiccantia Medicamenta, & detergentia adminiſtrari debent, & quod Cerebri Membrana robuſtiſſima Med. ferat, teſtis eſt Gal. 6. Meth. qui exemplo probat, quoniam in meatu Auditorio, vbi ædem Membrane adſunt, & eiuſdem naturæ robuſtiſſima Med. poſuit, & paſſæ ſunt. Eo iem etiam loco laudat eudemum ſui ſæculi Cheirurgum, qui ſupra Membranam imponebat iſidis Empl. & Oximel infundebat, & his Med. quamplurimos ſanabat.

C. Celſus Acetum laudat Membranæ ſtatim infuſum, præterea Empl. viridæ, Empl ſudei, & hæc Aceto explebat; Vltimo omnia Lana Aceto infuſa tegit. Ex his ergo patet, quantam antiqui exſiccationem in huiuſmodi Vulneribus affectarint. Si ergo ſiccantibus vti volumus plures gradus talium Med. habere debemus, & hoc reſpectu temperamenti patientis, quoniam ſi mollis carnis fuerit, minus ſiccantia conueniunt, ſi verò duræ carnis, magis ſiccantia requirunt.

Siccantia mitiora ſunt Vng. Iſidis, quod fit partim ex Empl. Iſidis, partim ex cerato Roſaceo, & hoc mitius fit ſecundum quod magis, vel minus Roſacei Cerati commiſceamus, & iſidis Empl. à Gal. deſcribitur. Iſto ergo linteolum album mundum imbuendum, & ſupra Membranam applicandum, os verò ſupraſcriptis Cephalicis pulueribus, vel infraſcriptis inſpergatur, & primus eſt mitior.

Pulueres Cephalici.

℞. Mannæ Thuris, Eruti amari, an. drag. 2. Radicis peucedani drag. 1. 5. Radicis Iridis drag. 2. 5. M. & fiat puluis tenuiſſimus vel hic, qui eſt rubuſtior, Radicis Ariſtolochiæ Rot. tenuis dragm. 1 5. Rad. Brioniæ albæ dragm. 1. M. & fiat puluis tenuiſſimus.

Reliquum Vulnus repleatur, vel Terebenthina, vel Vng. iſidis temperato, vel robuſtiori in durioribus corporibus.

Si

Si quis verò sit duriſſimæ carnis, vt ſenex, Ruſticus, Remiget, & ſimilis, impo-
natur ſupra Membranam Iſidis Empl. cum
vna, vel duabus gutis Oximellitis, &
ſupra talis Puluis inſpergatur.

℞. Radicis Brioniæ nigræ, Rad. Iridis an. dragm. 2. Ariſtolochiæ Rotundæ, ſquamæ Aeris lotæ, & proparate, Pumicis aduſtæ an. drag. 1. 5. M. & F. P. Ten. His enim Medicamentis quamcelerrime Membranam purgabimus ac detergemus, & ne hebes, & humida fiat, ac ne attollatur ac putreſcat prohibebimus.

Non debemus vti panno ſerico rubro ſupra Membranam, vt aliqui inquiunt, cum non certi ſimus, vtrum Grana, vel Cocco ſit huiuſmodi pannus infectus, qui ſi his infectus eſſet, optimus eſſet, quoniam vim aſtringendi haberet; Si verò illis Vermiculis, qui cocco oriuntur, ſit infectus, non eſt bonus. Propter hanc ergo ſuſpicionem ſupra Membranam Linteola alba munda, & nitida ſupradictis Vnguentis delinita applicari debent.

Anodina Si verò Membrana ſit læſa, dolorem lenientia ſuperdari debent, vt eſt Aqua Roſacea tepefacta, vel Columbinus ſanguis ſtatim à Vena Alarum Columbæ extractus quamuis ſit magis laudanda Roſacea, & ad ſupparationem non eſt perducenda, cum non collidatur, ſicuti caro, cum nihil oppoſitum durum habeat. Sedato verò dolore, ſiccantia ſuperdari debent, ne ſi longiori tempore madeat, humida fiat, attollatur, inflammetur, ac putrefiat, cum humida magis Membranam, quam carnem ledant, cum ſit ſiccior pars, & Cerebro proxima, & ſi Membrana putrefiat, ſimul etiam cerebrum affecerit. Si verò membrana vulnerata ſit, vniri debet. Nepetæ ſucco, & farina Hordei ſicca, vtq; ſicca fiat, Hordeum aduratur, & hoc remedium eſt Gal. quod ſe ab Apollonio acceptum refert; vel vti debemus illo Med. quod idem Gal. ponit 2. de Comp. Med. S. I. quod egregie ipſam vnit, quod ℞. Calaminthæ ſuccum infuſum, farinam Milij aridi inſperſam, deinde Butyrum, & Roſaceum. Adipem ſuillum infuſum, & vetus omnia in vnum commixta, & hæc tepida ac infuſa applicari debent. Si verò ſanguis copioſe effundatur, ſiſtatur Med. à *Gal. propoſito 3. Meth. cap.* 4. Quod componitur puluere Thuris, & Aloes, & Albumine Oui ad Mellis craſſitudinem, & poſtea molliſſimo Pilo Leporino excipiatur, quod protinus ſanguinem ſiſtit, vel infuſione Aceti, vt inquit Celſus, quod non ſolum ſanguinem ſiſtit, ſed etiam concertum ac grumefactum ſanguinem, ſi intus contineatur, diſcutit ac diſſoluit.

Vulnera cum Membranæ vnientia

Ad Membranæ inflammationem.

Si verò Membrana propter Inflammationem intumeat, Celſus Aquam Roſaceam tepefactam, & infuſam laudat. Si verò ita ſit tumefacta vt ſupra os emineat idem Autor coercet eam bene trita Lenticula, vel vitis foliis contritis, & cum recenti Butiro, vel Anſerino adipe mixtis, & Ceruix liquido cerato ex lirino facto lenire debet.

Si verò Membrana parum pura videatur, partem modo ſupradicti Empl. ac Mellis miſceat, & id ſuperinfundat, eiuſque continendi cauſa vnum vel alterum linteum apponat, & deſuper linteolo cui Emplaſtrum illitum ſit, contegat. Vbi verò Membrana magis pura ſit, eadem ratione adiungit Empl. Ceratum, vt carnem producat.

Paulus verò ab initio vſque ad diem tertiam, Roſaceam Aquam tepefactam infundit, madefaciendo ea linteum, quod ſupra Membranam applicari vult, deinde Lanam eadem madefactam ac imbibitam, ac interim ſepe tepefactam Roſaceam ſuperinfundi iubet, & hoc fieri inquit cum dolorem timemus, quod optimum eſt. A tertio die hic Autor Membranam ſiccantibus nutriri inquit, qualia ſunt, quæ protinus cruentis Vulneribus injiciuntur. Si verò Membrana ſic ſit inflammata, vt intumeat, eam Roſacea calefacta fouet, & Aqua in qua incocta ſint, Fenum Grecum, Sem. Lini, Althea, Antemis atque huius generis alia.

Superponi etiam iubet Catapl. ex Hordei Farina, vel ex lini ſemine, & dicto Decocto compoſito; Et hæc ſufficiant ad Medicamenta enarranda, quoniam inferius quamplurima ad vnum quemq; Membranæ affectum accomodata deſcribemus.

De Cura Leniente. *Cap.* 67.

Perforato Cranio, leuigatiſq; partibus circum circa orificium, ne caro in oſſe aſpero ſuccreſceret, & dolorē excitaret, & repurgata Mēbrana

in

ab omni oſſis ſcobe, Medicamenta lenientia ſuper hanc partem multi Autores applicant, & hoc ob plures cauſas faciunt, & præcipue, ne dolor ſuperueniat, & ne hæc Membrana à deſcendente materia ledatur, quoniam ſi acris, mordax, & prauа ſit, huiuſmodi lenientibus Med. benigna redditur, quod quidem ſit, quando in pus bonum conuertitur, & hoc præcipue conſequuntur vſu Roſacei Olei, quoniam hoc Oleum reperсutiendi, & in pus materiam deſcendentem vertendi vim ac facultatem habet, vt Gal. 2. de Simpr. Med. Fac. alijs etiam in locis dixit; Magis verò concoquendi ac maturandi vim habet hoc Oleum, ſi ex maturis Oliuis ſit factum, quod completum nominant. Quod verò ex immaturis Oliuis ſit, & Omphacinum nominant, dolorem leniendi vim habet, quoniam eſt Oleum, & ſimiliter concoquendi ac maturandi, & abſtergit etiam, & repercurit, quia ex immaturis Oliuis eſt compoſitum. Præter Oleum Roſaceum Gal. 10. de Simp. Med. Fac. Sanguinem Columbæ, vel Turturis laudat, quoniam hæc Animalia ſicca ſunt, & huius ſanguinis temperamentum maxime duræ Matris temperamento ſimile eſt, & ſuppurandi item ac maturandi facultatem habet.

Dubitatio. Si quis verò dicendo inſtaret, pus mouentia, vt vbique Gal. & omnes Autores affirmant, ſunt calida, & humida Oleum Roſaceum eſt frigidum, & ſiccum, & ita Columbinus ſanguis, & ideo hæc ſuppurandi vim non habent.

Solutio. Reſpondendum quod omnia illa ſuppurantia ac maturantia ſunt, quæ caloremnatiuum non in qualitate, ſed in quantitate vim augendi habent, debentque eſſe ſimilia in temperamento parti, cui applicari debent. Sed quia humana Natura generaliter ſumpta eſt calida, & humida ideò vbique Gal. & alij Autores dixerunt pus mouentia eſſe debere calida, & humida. Sed vbi Gal. & alij de ſuppurantibus Medicamentis particularibus partibus applicandis verba faciunt, dixerunt talia Medicamenta eiuſdem temperiei eſſe debere cum parte, cui applicantur. Quoniam igitur dura Mater eſt temperamenti frigidi, & ſicci, ideo Roſaceum Oleum, & Columbinus ſanguis conueniunt, & in huiuſmodi parte pus mouere poſſunt.

Ex ijs, qui maxime lenientem curationem affectarunt fuit Paul. Aeg. qui ſcriptum reliquit; Vt ſupra foramen, vt Membranam tangat, linteolum ſimplici Oleo Roſaceo temperate calido imbutum applicetur, quod linteolum rotundum, vel oſſis hiatus figura, & magnitudine Vulnus æquans eſſe debet, & hoc fieri vult, ne ſcilicet linamenta poſt apponenda in foramen ingrediantur, & ita duram Matrem præmant, aut inter Membranam, & cranium cum periculo ſe inſinuent ac abſcondant; Poſtea ſuper hoc linteolum exiguum, lanæ flocum eodem Roſaceo imbutum imponit, & lanæ floci vice Goſſipio, vel mollibus Linamentis vti poſſumus. Deinde inquit. Quod toti Vulneri deſuper applicetur duplex linteum Vulnere latius, quod Aceleo, ideſt, Vino, & Oleo ſimul mixtis ſit imbibitum, & hæc artificioſe accommodanda eſſe inquit, ne Cerebri Membranam ledant, & aggrauent, deinde latam faſciam, ſed tantum vt contineat, ſuperpondam, & accommodandam eſſe inquit, & huius etiam ſententiæ eſt Auic. Gal. 2. de Comp. Med. S. L. inquit. Quod commode Roſaceum Oleum tepefactum ſupra craſſam Cerebri Membranam inſtillatur, præſertim quando aliquod oſſiculum fuerit exemptum.

Guido in principio vnam partem Mellis tribus Olei Roſacei partibus admiſcet, & ex hoc linteolum inter craſſam Membranam, & cranium applicandum Melle Roſaceo calente imbuunt. Sed hoc fieri debet, quando deterſione eſt opus, vel infraſcriptis Med. imbuunt.

℞. Mellis Roſacei vnc. 2. Olei Luteorum Quorum vnc. 1. M. vel huiuſmodi ℞. Mellis Roſacei vnc. 2. Olei Roſacei Omphacici vnc. 1. Reſinæ Terebenthinæ, vel Abietinæ lotæ vnc. 5. M. & ex his linteolum ſupra duram Membranam applicandum imbue.

Quamdudum verò Oleo Roſaceo, vel Columbino ſanguine, vel ſimili concoquente, & ſuppurante Medicamento vti debeamus, *Gal. 6. Meth. cap. vltimo dixit*, Tam diù his vtendum, donec inflammationis tempus præterierit, & omnia ad vnguem ſint ſicca. Tunc enim ad carne generandam, deindè ad cicatricem inducendam deueniendum eſt. Tempus etiam inflammationis diem 7. ponit, *Ce-*

Celſus

Celsus lib. 5. cap. 26. inquit, quintam diem ostendere quanta futura sit inflammatio.

Paulus lib. 6. cap. 90. monet. Medicamenta post diem tertiam esse mutanda, ideſt non amplius esse vtendum pus mouentibus, & sic Autores in hac re, quæ magni est momenti, inter se dissentire videntur.

Dicendum in hac Autorum dissensione, quod tamdudum his concoquentibus Medicamentis vti debemus, quousq; materia concocta non est, nec in pus bonum conuersa, quod citius fit, si Vulnus parum, si caput sit calida temperie præditum si in Aestate simus. Quoniam si minus temporis, quam par est huiusmodi Med. vtamur, non sumus ab inflammatione tuti. Contra si longiori tempore, quam par sit, ijs vtamur, ideſt, si iam confecto pure cum Membrana à frequenti Oleorum impositione, tùm à puris longa mora, hebes fit, attollitur, & tamdem putrescit; Et ideo Paul. triduo his vtebatur, & si ad alterum extremum sit inclinandum, potius perfecta, & optima omni ex parte concoctio expectanda non est, quam ea apparente, diutius in pus mouentibus persisten dum. Ex his Barbitonsorum error manifeste apparet, qui non per morbi tempora, sed per statutum quendam dierum ordinem Vulnera hæc curant, & in omnibus, & omni tempore vsque ad 4. diem Rosaceum imponunt, à 4. ad 7. ad 11, vel 14. imponunt Vng. de Bettonica, vel Resinam Abietinam, & vltimo Vng. Isidis, vel quid simile applicant.

Quando pus bonum ac laudabile apparet, Vulnus detergendum, & expurgandum, & Membrana exsiccanda, & ideo Oleo Rosaceo Resina Abiet. vel Tereb. commiscenda, talisq; permistio variari debet secundum corporis Vulnerati temperiem, anni tempus, ac etiam Vulneris, item secundum sensum, vel hebetem, vel Acutum, quoniam in corporibus humidioribus, in quibus dura Membrana est humidior, vt in pueris, Oleum Rosaceum completum purum conuenit, in adulto, & tempore calidiore, & sicciore, cum dura Mater sit minus frigida, & magis sicca Rosaceo Oleo aliquid Resinæ Abietinæ commiscendum.

In Capite verò admodum calido, & sicco, vt caluo, vel crispa capillatura ornato, plus Resinæ miscendum, & ideò quando in principio Vulneris, in temperamentis calidis, & robustis, & Hyemali tempore, ac vbi non multum inflammationem timeamus, Resinam cum Rosaceo miscere volumus, vt multi faciunt, plus Olei vsurpamus, quoniam propter inflammationem magis refrigerantibus est vtendum, in progressu verò, quoniam magis est sanies expurganda atque siccanda, plus Resinæ admiscendum. Similitèr si in Hyeme simus, plus Resinæ, in Aestate plus Olei Rosacei; Item si Vulnus sit acuti sensus, Rosaceum magis competit quam Resina, propter detergendi facultatem, quam habet, morsum enim aliquem inferre potest.

Alij Mastichino Oleo vtuntur, quod faciendum, quando non licet vti Resina propter capitis caliditatem, & siccam temperiem, vel ob acutum sensum, & in hoc casu etiam Hypericonis Oleo Rosaceum admiscere possumus, quod concoquit, & emplasticum est. Alij cum detergere volunt, Rosceo Oleo, Syruppum Rosaceum recens commiscent, deinde Mel Rosaceum cum Resina Abietina, vel Tereb. cum magis detergere volunt. Post detersionem sola Resina Abietina vtuntur. Alij Oleo Hypericonis, & Rosaceo Melle pari portione mixtis detergunt. Alij felici cum successu, post inflammationis tempus, infrascripta Med. vel his similia applicant.

℞. Mellis Rosacei vnc. 2. Resinæ Terebenthinæ vnc. 1. Aquæ Vitis Guttas 10. M. & hoc Medicamento calido linteum supra Membranam applicandum imbuunt. Et animaduertendum, quod semper prope adsit, vas carbonibus accensum, vel later optime calefactus, vel quid simile ne frigidus Aer Vulnus ingrediatur, qui maxime obesset, & huiusmodi calefaciens sit in debita distantia. Optimum verò est (quando parum inflammationem timemus) Oleum illud Rosaceum Omphacinum completum, quod dolorem mitigandi facultatem habet, quoniã istud Oleum, astringit, & repercurit, & simul abstergit quia factus est ex immaturis oliuis, & siccat ratione Rosarum completarum infusionis, & superflua humiditas ac vnctuositas, ac acra substantia, quæ ad corru-

ptionem facit, ablutione fuit ablata. Quando verò maxime inflammationem timemus, melius eſt Oleum Roſaceum Omphacinum ſimplex.

Deterſo, & ſiccato Vulnere, ſarcoticis vti debemus, & ſupra Membranam Vng. de Bettonica, vel de Matreſilua, vel de Gumma Elemi, vel vng. Iſidis, vel quid ſimile imponere poſſumus. Vbi verò membrana iam carne operta fuerit, huiuſmodi pulueribus vti poſſumus.

℞. Radicis Ariſtolochiæ rot. Iridis Florentinæ, Mannæ Thuris, Sarcocollæ, ſang. Drag. an. dragm. 1. Nucis Cupreſſi, Myrtillorum an. drag. 5. Centauri min. ſcrup. 1. Corallorum Rub. ſcrup. 11. Farinæ orobi drag. 1. M. & fiat pul. tenuiſſimus.

Deſuper verò Ceratum de Bettonica applicare poſſumus vel Capita Carpi, vel de Gumma Elemi, & ita vſque ad perfectam ſanationem procedere debemus. Prædictis etiam pulueribus Vng. conficere poſſumus Reſina in Tereb. vel Abietinam, vel Hyperconis Oleum, & Roſaceum admiſcendo, ſecundum quod magis conuenire videbitur, ſicuti eſt ſequens, quod optime abſtergit.

Abſtergentia Med.

℞. Myrrhæ, Sarcocollæ, Iridis Florent. an. dragm. 2. Mumiæ dragm. 1. 5. vtriuſq; Ariſtolochiæ an. dragm. 1. Farinæ orobi dragm. 2. 5. Mellis Roſacei, Tereb. lotæ, Aquæ Bettonicæ an. q. ſuff. M. ad Vng. conſiſtentiam.

Optimum etiam deterſiuum tàm in Capitis Vulneribus, quàm in aliarum partium eſt Mel Roſaceum cum Aqua Vitæ mixtum, & Tereb. vel eius Oleum ſtillaticeum cum puluere Sarcocollæ, Cocchi Baphici (granum tinctoris appellant) qua quantitate expedire iudicas, & magis lenæ eſt infraſcriptum.

℞. Mellis Roſacei, vnc. 1. Farinæ Hordei vnc. 1. Sarcocollæ drag. 2. Vitelli Ouinum. 1. & Olei Roſacei q. ſuff. M. ad vſum.

Quoniam verò non tantum Vulneri, ſed etiam circumſtantibus partibus ratio eſt habenda, vt influens materia repellatur, vtq; iam influxa abſumatur, vtq; etiam circumiacentes partes corroborentur quod fit refrigerantibus, exſiccantibus, & aſtringentibus, & ideo Empl. ſuperiùs dictum, quod ſit ex Hordei aduſti farina, Oleo Roſaceo, & Aceto applicandum, & hoc Empl. ſecundum anni tempora, pro Vulneris ratione, Symptomatum, & Capitis temperiei variari debet, & Aeſtate ſic fiat. ℞. Farinæ Hordei aduſti vnc. 8. Olei Roſacei vnc. 4. Poſchæ, ideſt Aquæ cum Aceto mixtæ q. ſuff. M. & S. A. Fiat Empl.

Hyeme vice Poſchæ Vino parandum; Si Caput ſit debile, debet parari cum Vino, & addendum pul. Roſarum rub. vnc. 2. Si dolor adſit, vel contuſio, ideſt vt ſanguis inter cutis poros ſit diſperſus, infraſcriptum applicetur. ℞. Farinæ Hordei aduſti vnc. 6. pul. Myrtillorum vnc. 2. Olei Roſacei vnc. 4. Oximellitis ſimpl. vnc. 3. Vini albi non potentis, q. ſuff. M. & S. A. fiat Empl.

Si verò Caput debile, & frigidum ſit, miſcere poſſumus pul. Betonicæ, Stechadis, Maioranæ, & parum Spicæ, & ſimilia.

Circumſtantes verò partes, & collum præcipue ad iugulares Venas, Carotides dictas, Oleo Roſaceo temperate calido inungi debent quoniam tali inunctione dolorem tollimus, ſi adſit, & ſanguinem, qui ſurſum ad Caput influit, moderatè refrigeramus.

De Membranæ denigratione. *Cap.* 68.

SI Membrana fuerit denigrata, imprimis videndum ex qua cauſa hoc ei euenerit, cum nigrefieri poſſit, vel ex contuſione, vel ex caloris extinctione. Si ex Med. vel contuſione nigrefacta Membrana fuerit, & nigredo in ſumno ſit, Paul. tres Mellis Roſacei partes cum vna Olei Roſacei commiſceamus, & Membranæ applicemus, ſcriptum reliquit. Poſſumus etiam ſuper nigrefactam Membranam ſanguinem Columbinum, iugulata Columba, vel ſecta Vena ſub Ala, infundere, in quo vis mitigatoria ac deterſoria adeſt, & hoc pro prima vice tantum; Secundo parum Syruppi Roſacei recentis per ſe, vel cum prædicto ſanguine commixti infundere poſſumus; Tertio Melle Roſaceo, vel ſimplici, vel cum prædicto ſanguine, vel Oleo Roſaceo mixto vti poſſumus, vel à principio Reſina Tereb. vel Abiet. Melle Roſaceo mixta vti etiam conuenit. Niſi verò his cedat, Oximellite vti debemus, quod fortius, & validius eſt Medicamentum. Niſi verò quatuor dierum ſpacio ſu-

praſcriptis

præscriptis Medicamentis tollatur nigredo, quod ex caloris extinctione proueniat, est iudicandum, quod pessimum est indicium; Et in tali casu ad Medicamenta valde calida deuenientendum, quale est Oleum Abetinum stillaticeum, similiter Aqua vitis, & ex his guttam infundere possumus, deinde supra Membranam pulvis tenuissimus inspergendus, qui ex fiat ex Manna Thuris, Myrrha, & mastiche simul mixtis. Et desuper Vng. de Gumma Elemi applicare possumus, & calidis locum fouere debemus, & antiqui in tali casu Aceto vtebantur.

De Cerebri Membranæ inflammatione. *Cap.* 69.

Signa inflammatæ membranę sunt tumor, qui vel est paruus, vel mediocris, vel ita magnus, vt etiam ossa excedat, adest rubedo, vasorum distensio, ac eorum apparitio maxima, & etiam ex magna inflammatione proprij motus amissio.

Causæ talis inflammationis esse possunt vel interne, vel externæ. Causæ externæ sunt; vel punctio, vel dilaceratio ipsius Membranæ, facta ex aliquo osse spinosam ac pungentem eminentiam habente, vel aliquo simili, cuius ratione dolor excitatur, & consequentèr fit inflammatio, vel linamentorum aggrauatio, vel rerum aliarum quæ superponuntur, vt etiam fascia nimis adstricta, & similia, vel frigus, quod Membranæ, & omnibus Neruosis partibus est inimicum, vel perfricatio; vel animia cibi copia, vel vini potus, quæ maxime Cerebrum replent, & dolorem ac inflammationem generat. Internæ esse possunt, vel humorum repletio, vel quo ad vires, vel quo ad vasa, vel Cachochimia, vel partis mala temperies.

Huiusmodi Membranæ inflammatio periculosa est, & pauci sanantur.

Curatio in duobus consistere debet, id est in causæ remotione, & similitèr morbi ab ea causa geniti, ex *ex Gal. Autoritate 3. Meth. qui dixit*. Oportet vnam quamque causam prius abscindere, deinde deuenire ad factam ægritudinem ab illa causa. Si causa igitur fuerit externa, quamprimum illam remouere debemus, vt exempli gratia. Si fuerit ossis frustulum pungens, illud quamprimum remouendum, & sic de alijs faciendum. Si verò intrinseca fuerit causa, vt humorum repletio, vel Cacochimia, sanguinis missione, nisi quid prohibeat, remouenda, vel purgante Medicamento, secundum quod magis expedire videtur, vel horum alterum, vel vtrumque. Victusque tenuis instituatur, secundum quod inflammationibus conuenire videtur, quod inter alia maxime est vtilæ. Si verò occulta fuerit causa ac incerta, maiori contentione in eius remotione studere debemus, sanguinis videlicet missione, nisi quid prohibeat, ac victu inflammationibus congruo.

Hoc facto ad localia deuenire debemus, & si materia sit influxu, ea, quæ refrigerandi ac repercutiendi, simulque dolorem leniendi vim habent, applicare debemus, vt est calidi Olei Rosacei Simp. loti quidem ac completi fomentum, quod Rosaceum ex purissimo Oleo factum esse debet. Si verò materiei pars iam fluxa fuerit, & pars sit in fluxu, ea, quæ resoluendi facultatem, & sint mollia, Anodina administrari debent, vt est Decoctum Altheæ, S. Lini, Fenugreci, Chamemoli, Maluæ, & Violarum, & horum fomentum maximè à Paulo laudatur, & postea apponi iubet Empl. factum ex Tricicea vel Hordacea Farina, vel S. Lini, addito Adipe Gallinaceo, vel Anserino, vel Oleo Rosaceo, & supradicti Decocti q. suff.

Fomenta etiam ex lanis Rosaceo imbutis toti Capiti, vel iniunctio similitèr toti Capiti administrata, & Collo, & Dorsi spinæ maxime conuenit, ac etiam si meatui Auditorio aliquod Oleum instillabitur, qdod inflammationem ac ebullitionem sedat, vt est Oleum Rosaceum, vel Violaceum, vel Decoctum fenugreci, Altheæ, Chamemoli, & S. Lini, & similium valde confert. Possumus etiam supra Membranam inflammatam ponere Resinam Tereb. vel Abietinam mixtam cum Oui Vitello, vel Oleo Rosaceo, vel Bitumine Rosacei Olei vice. C. Celsus infundere solet in huiusmodi casu Rosaceam Aquam tepidam, & applicare postea folia Lenticulæ trita, vel Vitis folia vnà cum Butyro, vel recenti Anserino adipe. Si verò talis inflammatio perseueret, & huiusmodi Med. non tollatur. Solutiuum Pharmacum est dandum, quoniam huiusmodi Med. magis humores, qui iam fluxi fuerunt euacuant, Phlebotomia verò magis

gis quæ ſunt in fluxu ac in motu, & ideo cum inflammatio perſeuerat, purgans Med. magis conuenit, & præſertim, quod bilem educit, niſi quid prohibeat, vt *Hipp. Paulus, & Auic. imperant*. Oleum etiam de Ouorum vitellis tumefactæ Membranæ, ac per Oſſis foramen exeunte, commode inſtillatur, & ſuper linteum, vel ſpongia decoction. Roſarum, Camemoli, & Meliloti imbuta applicetur.

Tranſacto inflammationis tempore, omnia ad vnguem ſint ſicca, carnem producentia, & cicatricem inducentia, 6. *Meth. Gal. dixit*. Si caro ſupercreſcat, ſupra craſſam meningem puluerem Aluminis cocti, vel Mercurij, vel Hermodactilorum, vel quid ſimile inſpergere poſſumus, vel Apoſtolorum Vng. vel viride applicare, vt *Celſus inquit*.

De Membranæ abſceſſu. *Cap.* 70.

Licet rariſſime Membranæ abſceſſus eueniant, tamen quid faciendum ſit, ſi aliquando acciderer, ſcribere volumus. Quando ergo talis abſceſſus fiat, & repente ſanies colligitur, Membranam aperire debemus, vt materiei exitus detur, & ne fiat vomica, & materia ad interiores partes Cerebri fluat. Poſtea aperta Membrana infundenda ac applicanda. Detergentia dicta in curatione Membranæ denigratæ. Deinde curandum, vt ſuperius fuit dictum.

De Vulnere Duræ Meningis. *Cap.* 71.

Remiſſa vniuerſali cura circa ſanguinis profuſionem, & inflammationem contra dolorem, qui maxime (cum hæc pars maxime neruoſa ſit) infeſtare ſolet, maximè pugnandum eſt, & contra materiæ affluxum, cum ſuperiores partes ſimul ſint læſæ. Primum igitur dolor leniendus, ne ex hoc inflammatio, & conuulſio oriatur, doloriſq; cauſa tollenda, & hoc Oleorum Anodinorum vſu faciendum, & ſimul deſcendentem materiam concoquentium, quale eſt Oleum Roſaceum, & Columbinus ſanguis. Si Dolor non multum infeſtet, magis ad materiam deſcendentem reſpiciendum, & ideo ſupra Membranam applicandum Reſina Tereb. Oleum Maſtichinum, Oleum Hyperici, & his vtendum, donec dolor ſit lenitus, & in Vulnere pus optimum appareat, vt ſuperius diximus. Poſtea purganda dura Mater, & ſiccanda Melle Roſaceo, Syrupo Roſaceo, aut ſuperius dictis Med.

His peractis dure Matris Vulneri proſpiciendum, quod vnionem poſtulat, ſed quoniam eſt pars neruoſa, & dura, glutinari non poteſt, ac etiam quia neque futura, neque fibulis labia ad mutuum contactum iungi poſſunt. Quamuis Archigenes dixerit, eam glutinari poſſe. Sed Med. ab eo propoſita magis Sarcotica, quam Glutinatoria ſunt, & ideo Gal. dixit hanc partem vulneratam per carnis generationem curari debere, totum ſcilicet Vulnus carne replendo, Archigenes autem, vt Gal. refert, ſupra duram Meningem infundebat Calaminthæ ſuccum, & deinde milij Farinam inſpergebat quæ Calaminthæ calorem moderaretur, & tale Med. ſiccans eſt deterſorium, & ſimul carnem generat, deſuper ponendum Med. quod concoquat, & carnem in labijs Vulneris gignat, atque producat, poſſumus etiam ſupra duram Meningem præſidijs ſuperius dictis vti, vel infraſcriptum, quod eſt optimum.

℞. Colophoniæ dragm. 3. Myrrhæ Aloes, Maſtichis an. dragm. 1. Croci Orient. Sarcocollæ an. drag. 5. M. & fiat puluis tenuiſſimus. Et ſuper Vulneratam Membranam inſperge. Et ſemper quando inflammationem timemus applicatis conglutinantibus, ſiue ſarcoticis præſidijs aliquid infundendum ex ijs, quæ dolorem leniunt, & inflammationem prohibent.

De Cerebri, & Piæ Matris Vulnere. *Cap* 72.

Pia Mater, tum Cerebro maxime adhereat, & valde tenuis ſit, ideo abſq; Cerebri Vulneratione, minime Vulnerari poteſt, & quia multis Venis, & Arterijs eſt repleta, ideo vt plurimum ſanguinis effuſio adeſt, quod cum adſit, primum ad ſanguinis coibitionem remedia ſunt accommodanda, vt ſuperius fuit dictum, & præſertim illud à *Gal. 3. Meth. cap.* 4. deſcriptum, quod fit ex puluere Thuris, & Aloes, & Oui Albumine ad Mellis craſſitudinem, & cum molliſſimo pilo Leporino applicato. Quando verò ſanguis fuerit choibitus, Grumi Goſſipio leniter

leniter tollendi, deinde aliqui Autores Oleum Rosaceum tepefactum infundi iubent, & propter partis frigiditatem aliquid Olei Abietini Vaccino lacte abluti, vel Aqua Bettonicæ, & deinde per retortam, cineribus tepidis, destillati, vt nihil acredinis acquirat, Rosaceo commiscent, & hoc multi non probant, quoniam omnia Oleaginosa in Cerebri Vulneribus sunt suspecta, cum Cerebrum corpus mollissimum sit, & facile ab his putredinem acquirat, etiam si facultate sint sicca; Aqua vitis in huiusmodi Vulneribus quammaxime laudatur, vel puluis tenuissimus Thuris, vel Mannæ Thuris insparsus, & cum prædicto Abietino Oleo stillaticeo, & Aqua vitis applicatus. Desuper aliquod Empl. ex superius descriptis applicari potest, vel infrascriptum.

℞. Farinæ Hordei tosti vnc. 8. pul. Chamemoli vnc. 4. pul. Spicæ, & Schoenanti an. dragm. 3. pul. Betonicæ, Stechadis an. vnc. 5. Olei Mastichini vnc. 6. vini albi mediocritèr generosi q. suff. M. & S. A. fiat Empl. & hæc applicanda quousq; Cerebrum sequestrari incipiat, & caro crescat.

Sequestrationis signa sunt, quod illa substantia veluti molliceus, caseus, quod vulgo dicitur Ricotta, alba appareat, & moderate fetet. Hoc enim bonum, est indicium, quoniam Naturam præualere, & foras, quod corrumptum est educere, indicat. Prædictos etiam pulueres Oui Vitello aliquando commiscere possumus, & applicare.

Si verò Cerebrum sit liuidum, & sine fetore, malum est indicium, & tunc infundendus Syruppus Rosaceus, cum Aqua vitæ mixtus, vt Cerebrum detergat. Si portiuncula Cerebri exeat, vel in 4. vel ante 4. malum est indicium. Si magna Cerebri quantitas egrediatur, in his parum de salute sperandum est. Non sunt tamen omnino derelinquendi, cum multa præter Medici spem eueniant, & melius sit anceps remedium, quam nullum, vt Aetius inquit, & cum multa exempla à Gal. & ab alijs ferint proposita, in quibus magna Cerebri quantitas est egressa, & superstites fuerunt.

An aperiendum in Ossis fractura cute integra existente. *Cap. 73.*

MAgna inter magni nominis Doctores lis est, vtrum in cranij fractura, cute integra, nec lacerata nec etiam pericranio, aperiri debeat, & hæ dissensiones curationis difficultatem faciunt; Alij enim Autores volunt, quod indifferenter in omni ossis fractura cutim pericranium, ac os secetur, & hinc faciendum existimant, vt detur exitus intus Membranam ledentibus; Alij verò nolunt in tali ossis fractura ad sectionem veniendum esse, sed inquiunt eam Expl. esse curandam, ac consolidandam quoniam si sanies sine sectione extrahi, vel vt non gignatur, prohiberi potest, multo melius est, quam cutim, & os secare, & ægrum in vitæ periculo constituere; Modo vtorumque rationes videamus.

Qui volunt ac tenent secandũ esse, multas rationes ac autoritates adducunt, & primo Hipp. qui vult, vt os aperiatur, ne sanies ad Membranam confluat, illam que corrumpat, vt superius ex Hipp. mente lib. de Cap. Vulneribus diximus, Paul. etiam, & C. Cellus locis superius citatis idem scriptum reliquerunt, idest vt statim ad sectionem veniamus, & vbi etiam fracturam subesse dubitabant, audacter cutim dissecabãt etiam si frustra esse incidendum dubitarent quoniam cutis Capitis facile sanescit, & acuto sensu prædita non est. Similiter Celsus, si pars opposita fracta fuerit, vult vt statim ad sectionem veniamus, & si nihil adinueniamus, parum referre dixit, propter rationes superius adductas; Adducunt etiam *Hipp. autoritatem loco superius citato, vbi inquit.* Si ossis fractura alibi sit, quam vbi est Vulnus, calamitas maxima est, & ita dixit, quia cum nesciamus, vbi sit fractura, non possumus secare, & os à Membrana detergere, manente integra cute. Dicunt etiam Hipp. vbi carnis, & cutis contusio adest, dixit, secandum ac aperiendum esse, vt melius contusio cognosci possit. Si Hipp. igitur solum in contusione siue ossis fractura hoc præcipit, quanto magis in fractura fieri debet. *Pro parte affirmatiua.*

Qui tenent in tali fractura secandum ac aperiendum non esse, ad Autoritates

Solutio dictarũ autoritatum, & ſuarum confirmatio.

ſuperius adductas reſpondent dicendo, quod Hipp. in lib. de Vulneribus capitis, tantum de ijs Vulneribus vbi os eſt detectum verba feciſſe, in quibus maior ſaniei copia gignitur, & non de fractura oſſis cute integra permanente, & inquiunt, nullo pacto in tali caſu ſectionem eſſe faciendam, quia ſi fiat ſectio, calor tranſpirat, & os refrigeatur, & ideo bona digeſtio fieri non poteſt, niſi verò ad ſectionem veniamus, naturalis calor ſeruatur, & diſcutere, & digerere materiam poteſt, & inquiunt. Quemadmodum in Phrenitide materia inflammationem faciens digeritur ac diſcutitur, ita in tali fractura etiam euenit. Si calor item non tranſpirat, materiam deſcendentem per naturales meatus Natura expurgare poteſt, vt per Nares Palatum, Aures, Oculos, & per Glandulas poſt Aures, exiſtentes, & facile etiam in perforando, aliqua vena ſecari, Membrana pungi, & Cerebrum concuti poteſt. Adiunt etiam *Gal Autoritates 3. de fracturis com* 40. Qui vbi in fracturis cutis abſcinditur eſt, ſtatim ad partis reductionem deueniendum eſſe iubet, & cauſam adducit, quia aliter Med. non bene agere poſſunt, eo quod pars affecta calore priuatur, & proprium operimentum calorem conſeruat. Probant etiam ſuum intentum à ſimili, & inquiunt. Si Hipp. lib. de Vul. capitis in ſecando oſſe dixit vt non ſtatim totum os ſecetur, ſed ad extremam laminam eſſe perueniendum, ne Membrana refrigeretur, & ab externo Aere alteretur, ſed ad alium diem reliquendum. Si ergo hoc Hipp. iubet in oſſe derecto, quanto magis in oſſe tecto, in quo nulla eſt refrigeratio.

Quando item os eſt tectum, ſanies in minori copia gignitur, faciliuſque poteſt educi, cum Natura multas paratas ſibi vias ad hoc faciendum habeat, Hipp. calamitatem vocat, quia ſuperuenientibus prauis Symptomatibus, neſcimus locum certum, vbi Med. applicare debeamus. Ad Celſi autoritatem inquiunt, quod in ſecando ac aperiendo magnum adeſt periculum, vt ſuperius fuit dictum. Dicere etiam poſſumus, quod quemadmodum in aliarum partium fracturis, vbi cutis ſuperpoſita eſt integra, Natura Callum generat, nec cutis præciſione eſt opus, ita etiam in cranij fracturis Natura Callum generabit, & quemadmodum item in aliarum partium fracturis ſanguis, qui circa fracturam colligitur, Natura foras tradit, & ideo aliquando linteamina ſanguine infecta conſpiciuntur. Sic etiam in cranij fractura deſcendentem materiam extra etiam propellere poteſt, & ſic concludunt, quod in tali caſu nunquam ad ſectionem ſit veniendum.

Rationes vltimo adductæ facile ſoluuntur, ſi dicamus, quod non eſt eadem ratio fracturarum cranij ac aliarum partium, quoniam in alijs partibus propter carnis, & cutis molliciem. Natura facile materiam expellere poteſt, & deligatura humores à fractura expelluntur, quod in capitis Vulneribus, & cranij fracturis fieri minime poteſt. Similiter in cranij fractura, prius quam Callus gignatur. Homo moritur ob ſaniei copiam ſupra Membranam aceruatam.

Aliæ verò rationes, cum prævalidæ ſint, non facile ſolui poſſunt; Ita tamen dicere poſſumus circa huius queſtionis ſolutionẽ.

Non obſtinare alteram harum opinionum eſſe tendendam, ſed aliquando ad ſectionem eſſe veniendum, aliquando non. *Queſtionis determinatio.*

Ad ſectionem eſſe veniendum iudicamus ſi oſſis depreſſio adſit, & Membranam comprimat, vel ſi compreſſio ex magna ſanguinis grumefacti copia inter cranium, & Membranam contenti fiat, vel ſi adſit aliquod oſſis fruſtulum, quod Membranam pungat. In his igitur tribus caſibus ſemper ad ſectionem veniendum eſſe iudicamus cum neq; à Natura, neq; à Med. talia ſuperari poſſunt.

C. Celſus lib. 8, cap. 4. ad rationis addũctæ robur infraſcripta etiam dixit; Si verò Symptomata collectam ſaniem indicantia ſuperueniant, etiam ad ſectionem veniendum, niſi Natura per nares aut os, aut Aures eam tranſmittat.

Signa Membranę compreſſionis ex grumefacti ſanguinis copia ſunt, egreſſio ſanguinis per nares, aut aures, capitis grauitas, ſopor, & ſtupor in media corporis parte, vel in toto corpore. Depreſſio oſſis tactu etiam cognoſcitur, & fouea apparet, & ſtupor accidit. Si oſſis fruſtulum pungens adſit, cum nares emunguntur, punctio perſentitur, & ſi delirium ſuperuenerit, punctura oſſis preceſſit, quæ fuit cauſa humorum ad eam partem confluxus, & conſequenter inflammationis. *Membrana compreſſionis ſigna.* *Oſſis pungentis ſigna.*

In propoſitis ergo caſibus ſemper ad ſectionem

ctionem veniendum esse firmiter tenemus. In aliis verò casibus absq; sectione curare possumus, præsertim cùm virtus expultrix valida sit, & naturalis calor validus ac fortis, & Medicamentorum auxilio digerere ac discutere humores natura possit, quoniam quando Membranã detegimus, semper hominem in vitæ periculum ponimus.

In pueruli verò raro ad sectionem veniendum, cum mollia habeant ossa, & Med. quæ educenda sunt educi possint, & ossa subleuari. In temporum Vulneribus nunquam ad sectionem veniendum, vel incisa cutis sit, vel non incisa, sed semper consolidationem Med. tentare debemus, vt callum inducatur, vt *Celsus loco supeius allegato, & Gal. 6. Meth scriptum reliquerunt; Item Celsus loco citato dixit.* Quod melius est in omni fissura ac ossis fractura prius experiri Emplastra, quæ ossa consolidandi, & callum inducendi facultatem habent, quam ad perforationem ferramentis deuenire.

De curationem fracturæ cranij absque cutis incisione. *Cap.* 74.

IN hac curatione, nisi quid prohibeat secanda est vena ex eodem latere, idest Cephalica, vel communis, applicandæ Cucurbitulæ, & scarificandæ, vt humores ab affecto loco diuertantur, faciendæ sepe frictiones crutibus, & aliis extremitatibus, purgandum corpus, & inter alios humores, Bilis Flaua præcipue educenda cum sit humor ad fluxum maximè paratus, indendi sæpe lænientes Clisteres, & aliquando acres, Victus debet esse tenuis, vt supertus diximus, præsertim vsque ad 14. diem.

Si verò hoc puero lactenti accidat, nutrix lenientibus Med. purganda, dietamq; dictam obseruare debet.

Quo ad localia, à principio caput radendum, & applicanda Empl. quæ facultatem habent dolorem lenendi, siccandi ac astringendi, vt sunt Empl. facta ex Farina Hordei tosti cum polca, Oleo Rosaceo, cum Ladano, & puluere Rosarum, Myrtillorum, mastiches, & his similibus, & hæc Empl. bis in die mutari, & calida applicari debent.

Infundendum etiam in aures Oleum Amigdalarum dulcium, & eodem Oleo intus nares pinna inungendæ, vt per has partes facilius. Natura materiam transmittere possit. Instituendi etiam Gargarismi post 4. facti cum decocto Hordei Hysopi, & passularum, & cum Oximellite, & Melle Rosaceo simp. mixto, vt materiam per os educant, cum caput per has partes expurgari soleat. Si curatio bis bene procedat, & mala Symptomata non superueniant (quoniam si superuenirent, ad incisionem esset statim deueniendum) post 4. vti possumus infrascripto Vng.

℞ Pul. Rosarum Myrtillorum, nucum Cupressi, Santalorum rub. alborum, Absinthij. Ladani, Squinanthi Alari an. drag. 1. Olei Rosacei Compl. Myrtini an. vnc. 3. Ceræ vnc. 2. 5. M. & S. A. fiat Vng. quo totũ Caput bis in die illinatur, & hoc vel prior Empl. vsq; ad 7. vel 9. vel quousque inflammatio quieuerit, vti possumus. Post dictum tempus ad discussoria deueniendum, vt est ceratum de Betonica Anethino Oleo dissolutum, in Hyeme præsertim, & in Aestate Oleo Rosaceo, vel Ceratum de Gumma Elemi, vel Dapalma, & aliquando hæc cerata simul sunt commiscenda secundum quod experire magis videtur. Infrascriptum etiam Med. optimum est ad discutiendum, detergendum ac roborandum, ac etiam est optimum in contusione sine fractura, & similiter cũ fractura

℞. Pulueris Myrti vnc. 1. Nucum Cupressi, Sumach, Balaustriorum, Rosarum rub. an. drag. 2. Olei Rosacei, vel Chamomelini q. suff. M. & S. A. Fiat Catapl.

Possumus etiam addere Squinanthum, Absinthium, Lentium, ac Fabarum farinam, & sic magis reioluet, ac discutiet.

Ad idem etiam infrascriptũ est optimũ.

℞. Furfuris optime cribellati vnc. 4. Farinæ Lentium vnc. 2. pul. Rosarum rub. Myrtillorum an. vnc. 1. Calami Aromatici vnc. 1. 5. pul. Chamemoli, Meli foli an. vnc. 5. M. cum Vino nigro, & passo q. suff. & ad ignem apponantur, & coquantur ad Empl. soli in formam, deinde adde Olei Rosacei, Chamemolini an. vnc. 3. Ceræ albæ vnc. 2. 5. pul. Thuris, Mastiches an. drag. 3. Myrrhæ drag. 2. M. & fiat Med. quod sit quid medium inter cerati, & Emplastri formam.

Si verò ex contusione os deprimatur potius, quam frangatur, vt sepe in pueris ob eorum mollitiem accidit, sequens Empl. optimum est in releuando ac reducendo cranio depresso.

℞. Resinæ

℞. Reſinæ Tereb. vnc. 4. Reſinæ vnc. 1. Ceræ vnc. 2. liquefiant poſtea diligenter cum Aceto agitenturq; altera die commiſceantur cum ſucco Bettonicæ vnc. 4. Verbenæ ʒ. 2. Lactis muliebris q. ſuff. M. & fiat Empl. S. A. Sequens etiam optimũ eſt.

℞. Centaureæ per noctem in Vino albo infuſæ M. 6. coquantur ad Medias, deinde colentur, & colatura coquatur iterum ad Mellis craſſitudinem, & huius Decocti ℥. vnc. 4. Lactis muliebris vnc. 2. Reſ. Tereb. lib. 1. Reſinæ vnc. 5. Thuris, Maſtiches, Gummi Arabici an. vnc. 1. Ceræ nouæ q. ſuff. M. & S. A. fiat Emplaſtrum. Poſt 7. vti etiam poſſumus ſequens ceratum, quod eſt optimum ad oſſa eleuanda.

℞. Maſtiches, Reſ. Tereb. an. vnc. 1. Gummi Elemi dragm. 10. Colophoniæ, Reſinæ pini recentis an. dragm. 5. Ammoniaci drag. 2. Succi Betonicæ, Conſolidæ maj. & minoris an. vnc. 1. Succi Apij drag. 6. Vini optimi lib. 6. M. & bulliant ad Vini, & ſuccorum conſumptionem, deinde colentur, & fortiter exprimantur, & colaturæ adde Ceræ albæ, Olei Maſtichini an. q. ſuff. M. & S. A. fiat Ceratum. Alia plura ponere poſſem, ſed hæc ſint ſatis.

De Dolore Capitis ex ictu, vel Plaga, vel caſu orto. *Cap.* 75.

Al. 2. de Comp. Med. S. L. cap. 1. dixit. Quod Capitis dolor ob plagam conſpicuam ortus, nihil aliud eſt quã inflammatio, quæ non ex plaga ſolum, aut caſu, ſed abſq; manifeſta etiam cauſa iuxta omnes partes fieri, ob humorum affluxum conſueuit. Cum duabus igitur cauſis dolor oriatur, & ex Ictu, plaga, & ſubſequente inflammatione; Ideo, vt inquit Trallianus, magno ſtudio eius curatio tractanda eſt, cum humores in nimia copia ad Caput confluentes magnorum morborum cauſa eſſe poſſint. Qua propter pro eius curatione victus tenuis ſit, præſertim ſi febris adſit, vt Hordeaceæ Ptiſſanæ ſuccus Cucurbita decocta, Lactuca, Intibum, & ſimilia. Pro potu vtatur Aqua Hordei, vel in qua incoctum ſit parum Cinamomi, vel Coriandri præparati ſemina. Deuitentur verò caro, vinum, & omnia acria, ſalſa, & acida; Quies, & corporis, & Animi tranquillitas imperanda, contraria verò fugiẽda, aer ſi temperatus; Somnus potius longus, quam breuis, & Aluus, vt lubrica ſit curetur.

Niſi ſolum plaga, ſed contuſio doloris cauſa exiſtit, plures erunt ſcopi ad præſidia adinuenienda, inquit loco ſuperius citato Gal.

Ad hoc enim glutinantibus ac inflammationem arcentibus Med. vti eſt opus, poſt quam fibulis, aut alijs labia Vulneris conſtrixerimus. Secundus ſcopus erit in contuſione. Tertius verò in doloribus qui quandoq; in ipſis ſolis percuſſis partibus fiunt, plerumq; verò ad vicinas etiam ac proximas partes extenduntur, propter ſubſtantiæ continuitatem, tum ipſius cutis, tum etiam Membranæ totam Caluariam ambit, pericranium dicta, præſertim ſi ad eam vſq; plaga penetret. Si verò pericranium dilaceratum fuerit, & ob id dolor oriatur, cum ſit pars Neruoſa, ſatiſq; ſenſibilis, & ex humorum affluxu diſtendatur, eius curatio, vt Gal. loco ſuperius citato dixit, eſt pericranij inciſio ac diuiſio, à ſubiacente cranio, & os ſubditum radendum, vt citius rurſus illic caro concreſcat. Quod ſi ob commercium ac communicantiam eiuſdem Membranæ cauſariam ambientis, quam ad duram Cerebri Membranam habet, intra Caluariam inflammatio ipſa diſtribuatur, non abſque periculo huiuſmodi capitis dolor exiſtit.

Contingit etiam interdum in caſu præſertim ex ſublimi facto, vt quædam circa Cerebrum, aut eius Membranas rumpantur, quod vbi euenit, adhuc amplius inualeſcit ipſæ Capitis dolor; Affectioq; tota ægre curabilis redditur, & periculum maius, magiſq; præceps imminet. Optimum verò in his erit. Gal. Autore, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initium ducere, ita namq; influxus reuelletur vt Trallianus refert. Incidenda autem Humeralis, aut media Vena; A Venæ ſectione, conuenientibus Capitis irrigationibus vti oportet, Oleo dulci ipſum perfundendo, Lanis Oleo imbibitis, & calidis contegendo, vtq; ne caput rigeat, omni ex parte fouendo, fomenta quoq; per Spongias, Aqua calida imbutas conueniũt.

Si verò ætas, ſiue virium imbecillitas aut vtrũq; Venæ ſectionem fieri prohibeãt, Aluus conuenientibus cliſteribus eſt euacuanda, tũ, vt eius excrementa euacuentur

cum

tum etiam, vt multo magis hi humores reuellantur, qui ad affectas partes ferri consueuerunt, atque inde auxilijs ad inflammationes conuenientibus vti erit opus. Nam incipientibus, & adhuc nascentibus inflammationibus Rosaceum cum Aceto mixtum adhiberi poterit.

In vigore consistentibus Rosaceum solum. In declinatione verò, laxantibus Medicamentis, quemadmodum In induratis inflammationibus, & Absinthium, & pulegium Rosaceo admiscere possumus, & his similia.

In commixtione Aceti cum Rosaceo animaduertendum, quod si cutis capitis, & membranæ caluariam ambientis inflammationes citrà vehementem dolorem ob ortæ sint, perexigui Aceti Rosaceo commiscendum. Si verò magnę fuerint inflammationes, ac vehementem dolorem induxerint, Aceto leduntur. Si verò citra denudationem sana, ac integra existente caluaria, Rosaceum ad Cerebri membranam peruenire velimus, Acetum, vt eo perducat, admiscendum est, & inungenda pars iuxta sinciput, qui locus Bregm dicitur.

Ad vigilias. Si verò vigiliæ vrgeant, vice Rosacei, Chamemolino, Oleo, deinde vtrisq; commixtis, Caput perfundere debemus, plus, aut minus ab inflammationis magnitudine, Aegri temperamento, & ætate indicationes sumentes. Possunt quoque ijs Rosæ, & Irinum Oleum Aceto decoctum; Item folia Rosarum aridarum prius passo macerata, deinde cocta atque trita, & ita imposita. Sertula Campana etiam eodem modo accomodata, vel Myrti folia tenera cum Myrrha in Vino trita, & pulegium cum Vino tritum, & mala Cydonia trita, & in Vino cocta atque capiti imposita plurimum prosunt.

Ad Contusiones. In contusionibus verò absque cutis incisione ac ossis fissura Archigenes polentam impositam commendat, œsypum, atque ipsæ Lanæ sordibus sudoris succidæ eodem modo, magis verò conuenit similaginem ex Aqua pro Catapl. imponere, aut origanum cum polenta.

In doloribus verò Capitis, vbi exsiccare cupimus, Catapl. quod ex Lolij Farina ac Anserino Apide conficitur optimum est, vt ex Gal. habemus, & hæc circa horum Capitis affectuum curationem dixisse sufficiant.

De Occulorũ Vulneribus. *Cap. 67.*

POst Capitis Vulnerũ, pertractationem, ante quam de Toracis Vulneribus verba faciamus, vt nihil intactum relinquamus, de aliquarum faciei partium Vulneribus pertractandum supereſt, vt Oculorum, Narium, Aurium, & aliarum partium, cum hæ partes particularem curationem requirant. Dicamus ergo primũ, de oculorum Vulneribus cum oculi dignitate alias partes præcellant. Sed vt recte prædicere ac curationem instituere in his Vulneribus possimus huius partis Anatomẽ describere optimum esse iudicauimus.

Oculi igitur ab extra palpebris sicuti Cilijs, & ossibus ambientibus muniuntur vt ab externis noxijs defendantur, sed præcipue palpebræ hoc munus exequuntur. Oculus, idest Bulbus quatuor Tunicis, tribus humoribus, & sex musculis, & optico neruo est compositus, modo vnam quamque partem examinemus.

Prima Tunica, quæ alba apparet, & vsque ad Iridem peruenit. Aduata vocatur quia omnibus alijs tunicis, quæ oculum constituunt extrinsecus adnascitur, totumq; oculum ad circumiacentia ossa alligat, & à pericranio suam ducit originem, & multis vasis est referta. Secund. Tunica huic proxima cornea, & ceraides, ab aliquibus scriptoribus dicitur, cum sit dura, densa ac veluti cornu splendida. Hæc pro Chrystallini humoris operimento, vtque cum ab iniurijs defendat, à Natura fuit fabre facta, & à dura Cerebri Membrana prouenit. Tertia Vuea dicitur, & Rhagoides, & Choroides, à similitudine quam habet cum Vuæ nigræ folliculo cum nigrum Cæruleum, & viridem colorem simul referat, & ita fuit à Natura facta, vt visus iam defaticatus recreari possit, & media huius tunicæ parte, qua pupillam respicit, est modico foramine concaua, & à pia Matre suam ducit originem. Quarta subtilissima est, & retis similitudinem refert, & ideo Retina siue Amphiblistro ides nominantur, & hæc Chrystalinum humorem operit, & huius humoris alterationes percipit, & cum sensibilem reddit; Cumq; plurimis Venis, & Arterijs sit repleta, etiam vitreo humori nutrimentum suggerit, & ex optici Nerui substantia oritur.

Quo

Quo ad humores oculorum conſtituentes primus ab aquæ ſimilitudine, aqueus, & hyaloide nominatur hic pupillam retinet, ne in Chryſtallinum collabatur. Secundus vitreus dicitur, à ſimilitudine, quam cum vitro fuſo habet. Tertius Chyſtallinus, ſiuè Chryſtalloides nominatur, quia eſt durus, denſus, & ſplendidus veluti Chryſtallum, ſiuè modice concreta glacies. Hic eſt primum viſus inſtrumentum, & in vitrei humoris medio permanet, à quo nutritur. A bulbi oculi poſteriori parte ſex muſculi adſunt, qui optico neruo circumſtant, qui ad oculi motum deſeruiunt, vno enim ſurſum, alio deorſum, duobus ad latera, vtrimque vnus, & duo oculum circumagunt, præter eum qui viſorium ſiuè opticum neruum ambit, qui an vnus, vel plures adſint parum refert, ad hoſque muſculos multorum neruorum propagines diſperguntur.

De differentijs, ac ſpeciebus Vulnerum Oculorum.

OCuli aliquando ceſim, aliquando punctim vulneratur, & aliquando contunduntur, aliquando cum oculi bulbo ſimul palpebra vulneratur, aliquando palpebra tantum, aliquando ſolum bulbus, & bulbi vulnera aliquando ad interiora non penetrant, aliquando ad humores vſque penetrant, & aliquando in his Vulneribus aliquid infixum remanet, aliquando non.

De Vulnerum Oculorum Cauſis.

HOrum Vulnerum cauſæ ſunt, vt pungens, vel incidens inſtrumentum, vel contundens quamuis raro euenire poſſit, vt oculi cæſim vulnerentur, quin circumſtantes partes vulneratæ non ſint, cum in concaua parte oculi à natura ſint locati.

De horum Vulnerum ſignis, cum ſint manifeſta, & ſi penetrantia ſint, humorum exitus oculis appareat, ideo nihil dicemus.

De Vulnerum Oculorum Prognoſtico.

SI tantum palpebra ſit vulnerata abſque vlla oculi offenſione, facillime ſanatur, non valde magnum adeſt periculum, tamen aliquis timor adeſſe debet, cum videamus aliquando circumſtantium oculi partium Vulnera ob materiæ affluxum, cecitatem inducere, quod ex palpebrarum Vulneribus etiam fieri poteſt. Si verò oculi bulbus fuerit vulneratus, periculoſa huiuſmodi Vulnera ſunt, & curatu, difficilia. Sunt etiam periculoſa ob maximum conſenſum, quem cum cerebro habent, vt ſuperius ex huius partis Anatome patet, & non ſolum tunicarum ratione, quæ à Cerebri Membranis, & optico neruo proueniunt, ſed etiam ob multos neruos, qui ad oculos, & eorum muſculos ex Cerebro communicantur, vt à primo pari, ſecundo, tertio, & octauo. Et ideo *Gal.* 11. *de vſu partium cap.* 3. *inquit*. Quia oculi cum Cerebro conſenſum habent, ideò in ſanatione difficultatem addunt. Ob partis etiam præſtantiam, ac nobilitatem hæc Vulnera inter magna reponuntur, & quia hæ partes ſunt exquiſiti ſenſus, ideò etiam difficultas augetur. Oculi item maximè fluxionibus ſunt obnoxij, & in his partibus Arteriæ ſunt in continuo motu, quæ omnia curationis difficultatem, & periculum augent, cum ob exquiſitum ſenſum, maximi dolores excitari, fluxiones, inflammationes, putrediones, & obcecationes oriri poſſint, & ob conſenſum etiam delirium, ac per Cerebri propinquitatem etiam mors, quando quæ ſequi ſolet. In oculorum penetrantibus Vulneribus, ſi humor ex perforata cornea egrediatur, vt plurimum cecitas ſequi ſolet, vt inquit *Gal.* 2. *de cauſis Sympt. cap.* 2. vbi narrat.

Quod puero cuidam humor ex oculo fuit egreſſus, & viſum recuperauit, ſed hoc eſt de raro contingentibus, vt ille inquit.

De Curatione Vulnerum Palpebrarum.

SI tantum Palpebra ceſim Vulnerata, ſtatim diligenter, ac profunde (animaduertendo tamen, ne oculus compungatur) conſuenda, acu argentea, vel chalibea non temperata vt flecti poſſit, cum ob partis figuram curuata ſit aptior, & filo forti, ac ſubtili Cera oblinito optime

Vulneris

Vulneris labia coniungi debeant, Sutura vnitis labijs, desuper subtilissimi glutinatorij puluercs aspergendi, & Ceratum Barbarum, vel quid simile superponendum quod per se adhereat, & vinculo non sit opus, cum à vinculo huiusmodi partes offendantur. Intra oculum oui albumen optimè concussum sepe infundatur, vt agglutinationem in eterna parte adiuuet, inflammationemque prohibeat, cum oui albumen siccandi, moderate astringendi, & dolorem leniendi facultatem habeat. His factis quiescat palpebra, & non aperiatur oculus, & his Medicamentis vsq; ad finem vti est opus, & sic paucorum dietum spacio agglutinabitur palpebra. Post 4. vel 5. diem diligenter extrahantur puncta, & eisdem Med. perfectam consolidationem consequemur. Non possunt verò per glutinum, siue illaqueationem ista Vulnera vniri quoniam glutino tantum in superficie superiori agglutinationaretur palpebra, & ex inferiori parte inconglutinata remaneret.

Dubitatio. Si quis verò dicendo instaret *Hipp. 6. Aph. 19. & alibi, & Arist.* de Historia, & Generatione Animalium inter partes, quæ non consolidantur, palpebras enumerant. Ergo hæ partes si consolidari nequeant frustra fuitio erit.

Solutio. Respondendum, vt pluries etiam superius fuit dictum, quod Vulnera duobus modis consolidantur ac riuniuntur, vel per primam intentionem, idest per agglutinationem, vel per secundam intentionem, idest per carnis generationem. Si sarcosim, à Grecis dictam. Harum partium Vulnera per secundam intentionem consolidati non possunt, vt dicti Autores locis citatis dixerunt, & causa est, quia subtectam particulam integram non habent, supra quam caro nasci possit, sed per primam intentionem, idest per agglutinationem optime, vt in dies apparet vniuntur, & consolidantur. Dicti ergo Autores quando dixerunt. Quod palpebrarum Vulnera non consolidantur, intellexerunt per secundam intentionem, vt verissimum est, & non per primam.

De Curatione Vulnerum substantiæ oculi siue eius Bulbi.

IN curandis oculorum Vulneribus quatuor intentiones præcipue habere debemus. Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus consistit. Secunda in vniuersalibus præsidijs. Tertia in particularibus ac localibus. Quarta in Sympromatum correctione.

Quod ad primum scopum, Aer temperatus sit, & calidus vitandus, & in tenebris maneat, cum splendor oculis aduersetur, & cum est opus Candela ponatur in loco commodo, vt post caput, ne oculum offendat, vel Carta, vel quid aliud ante eam apponatur, vitetur fumus, & loquela, victus tenuis sit quousq; inflammationis tempus præterierit, vt *C. Celsus lib. 6. cap. 6. inquit* nisi vires sint valde imbecillæ, in quibus, ius paruæ pullæ, vel Hædi, vel veruecis, similium concedi potest, deuitetur vinum, & pro potu Aqua Hordei vel Cinamomi vtatur, Transacto inflammationis tempore, victus plenior sit, Maneat in quiete, & sternutationes, & vomitum deuiret, & eleuato capite cubet, ac in opposito latere. Somnus sit longus, & nocturnus, & diurnus non conuenit, si noctu dormierit, cum caput aggrauet, Ira, Contentiones, intensæ cogitationes, & alia, quæ spiritus, & calorem ad Caput attrahunt, omnino fugienda. Sic veneris vsus deuitandus, & aluus lubrica seruetur, & clisteribus, reuulsionis ratione, stimuletur.

Pro secundo scopo assequendo, nisi quid obstet, ac prohibeat, eiusdem lateris Vena Cephalica secetur, & quantitas sit secundum vires, & exigentiam applicetur Hirudines post aures, Cucurbitulæ etiam cum scarificatione humeris applicatæ conueniunt, quæ vbi vel ob ætatem, vel quid aliud Vena secari non potest Venæ sectionis vice deseruire debent; frictiones etiam, & vincula inferiorum partium conueniunt, sic Crurium, & pedum lotiones. Purgantia item Med. bilem præsertim educentia, & caput euacuantia conueniunt, sic Syruppi refrigerantes, & humores præparantes, caputq; respicientes sunt instituendi, dicente *Aetio Serm. 7. cap. 22.* Præomnibus igitur Venæ sectione vtendum in magnis, & profundis oculorum Vulneribus, & si vires subsistant, nullum enim est efficacius auxilium ab initio, si verò Venæ sectio relinquatur, purgatione idoneo Med. vtamur, sin minus

Clisteri-

Cliſteribus Aluum ſubducentibus euacuario fiat, & hoc idem etiam inquit *C. Celſus lib. 6 cap. 6.*

Vt tertium ſcopum recte aſſequi poſſimus, optime videndum, ac animaduertendum, ſi oculi Bulbus tantum fuerit Vulneratus, vel vna cum palpebra, & ſi quid extraneum intra oculum remanſerit, nec ne, & an tale Vulnus penetret. Si quid extraneum intus remanſerit, ſi appareat, & apprehendi ac facilitèr, & abſq; maximo dolore extrhai poſſit, extrahendum, niſi verò appareat, vel apprehendi nequeat, vel niſi maximo cum dolore, ac dilaceratione extrahi, totum opus Naturæ delinquendum, cum ſepe oculorum Vulnera cum vitri fruſtulo, aut alio ſimili intus contento agglutinentur. *Dubitatio.* Si quis verò diceret. Ex rebus externis intra vulnus contentis abſceſſus gignuntur, & ideo extrahenda. *Solutio.*

Reſpondendum, quod quando hoc facilitèr, & abſque maximo dolore, ac dilaceratione non poteſt, optimum eſt, ſed niſi maximo cum dolore ac dilaceratione hoc fieri poſſit, melius eſt ſe ab hoc opere abſtinere, cum maius periculum ex inflammatione, quæ excitari poteſt, impendant, quam ex ſuppuratione, & ideo melius eſt illa Medicamenta applicare, quæ moderate ſiccant, dolorem læniunt, & extrahendi extranea vim habent, vt eſt infraſcriptum, quoad vſque 7 vel 8. diem vti poſſumus. Et animaduertendum, quod imprimis ſemper fronti ac temporibus repellentia admouenda, facta ex oui albumine, Aqua Roſacea, & Bolo Armenio, & ſimilibus, vel illinienda etiam tempora, & frons modico opio cum Croco, vt voluit Aetium, vel fiat infraſcriptum Medicamentum, vt *Celſus loco citato dixit*, quod Venas comprimit, & humorum fluxum prohibet.

℞. Croci partem 1. 5. Farinæ candidæ quam tenuiſſimæ part. 11. 5. Albuminis Ouorum q. ſuff. & fiat ad Mellis conſiſtentiam, idq. in Linteolum illinitur, & fronti ac temporibus agglutinetur, & Croci vice Thuris puluere vti poſſumus, Med. verò ſupra oculum applicandum eſt huiſmodi. ℞. Olei ex Vitellis Ouorum vnc. 5. Olei Abietini ſtillatitij, vel Reſinæ Abietinæ dragm. 2. Croci Orient. G. 4. M. & applica.

Niſi prolabatur, relinquatur, & agglutinetur, cum Natura ſemper quod intus præter naturam continetur, per conuenientem viam expellere quærat, & quod cito efficere non poteſt, ſero, & temporis diuturnitate efficit. *Aetius Serm. 7. cap. 19. de oculo infixis infraſcripta inquit.* Si in oculo infixus fuerit Aculeus, aut oſſiculum, Forcipe extrahatur, atque hoc attente in directum, ne frangatur. Si verò nihil eminuerit, ſed æquale corpori fuerit ſpecilla duo accipito, & nucleis ipſorum vtrinq; admotis, oculorum comprimito, vt quod infixum eſt, in medio conſiſtat, vbi verò prominuerit volſella extrahatur. Deinde Turturis, vel Columbæ ſanguis infundatur, aut Albumen Oui. Niſi verò ſtatim eximi poterit, oculis infuſis, & Cataplaſmatibus ad inflammationes congruis curetur. Nam poſt dies aliquot, ſuppurata punctura, id quod infixum eſt, emerget.

Si vnà cum palpebra Oculi Bulbus fuerit vulneratus, & tale Vulnus penetrans ſit, vel non penetrans optime animaduertendum, ne palpebra vnà cum oculo agglutinetur, & ideò, vt hoc euitemus, ſupra oculum duplicatum, vel triplicatum Auri folium ponendum, cum Aurum oculo ſit amicum, & ſiccandi vim habeat, & oculus etiam in partem aliam voluendus Palpebra, ſicuti diximus, curanda, & oculo ab initio ſepe inſtillari debet Roſacea Aqua cum oui albumine optime concuſſa. In ſecundo apparatu Sieph. album ſine Opio addere poſſumus. Tranſacta 3. vel 4. die infraſcriptum Collyrium ſæpe apponatur.

℞. Sieph. albi ſine Opio Rhaſis dragm. 3. Aquæ Roſaceæ, Albuminis Ouorum an. vnc. 1. Tutiæ præparatæ dram. 2. M. & diu in Mortario Marmoreo optimè mundo diu agitetur, quouſque Collyrij formam acquirat, vel.

℞. Gummi arabici cum Roſacea Aqua diſſoluti, vel Oui Albumine dragm. 3. Cremoris radicis Conſolidæ Mai. vnc 1. 5. pul. ſub. Thuris, Aloes lotæ an. ſcrup. 1. M. & vtere, vel.

℞. Camphoræ ſcrup. 2. Aloes lotæ dragm. 1. 5. Tutiæ præp. Sieph. Memitæ an. ſcrup. 1. Lapidis Hematitis præp. ſcrup. 5. Aquæ Roſarum, Plantaginis an. vnc. 1. M. & plumbeo Mortario diu agitentur, quouſq;

quousq; Collyrij formam acquirant, Foueri etiam oculus potest decocto Rosarum, Meliloti, capitum Papauerum, & similium vel Lacte muliebri cum Oui albumine mixto, dicto etiam decocto Oui vitello, Lacte Muliebri, Panis medulla, & Orientali Croco leue Emplastrum fieri potest, vel ex Ouo integro Rosaceo, & Vino nigro, & Hordacea Farina Emplastrum fiet. Ad inflammationes verò optimum Cataplas. fit ex Meliloto, Capitibus Papauerum, Croco, & Pane. Sed animaduertendum, vt dicta Catapl. sint lenia, & ne oculum onerent, & solum superna palpebra ex his integatur, vt Oculus aperiri, & influentes lacrimæ excerni possint, & leuiter deligandus Oculus, non permittendum etiam vt dicta Catapl. exsiccentur, ne dolorem inferant; Animaduertendum etiam, vt inquit *Actius Serm. 7. cap. 21.* ne in Oculi puncturis, aut alijs Oculi Vulneribus ab initio fomentis, aut calidis Emplastris vtamur; Sed à principio competit Oui albumen, Sanguis Columbinus, vel Turturis, vel Hirundinis frequenter instillatus. Post verò totius corporis euacuationem, vt post 4. Fomentis, & Cataplasmatibus vti possumus.

Notãda.

Si verò huiusmodi Vulnera penetrantia sint, & humor egrediatur, sepe in Oculum instilletur, (ita tamen vt Vulnus non percutiat, sed supra adiacentes partes) Oui albumen cum Tutia præp. mixtum, vel Columbinus sanguis, vel Turturis aduch calidus, à Vena sub. Alis secta egredientis, & Fomenta, & Empl. & omnia, quæ oculum præmere, calefacere, & dolorem excitare possunt à principio deuitanda, vt superius fuit dictum, vel sæpe infundatur cui albumen cum Steph albo sine Opio mixtum. Si sordes deinde succrescant, Lacte ab vbere mulieris expresso, vel Capellæ aduch calido detergatur, vel guttatim huiusmodi lac destilletur. Deterso oculo, aliquod ex infrascriptis Med. quæ siccandi vim habent, infundere possumus.

℞. Foliorum Plantaginis, Rosarum, Florum Melilot. an. M. S. Sem. Fenugreci optime, & pluries lotorum vnc. 5. Aloes, Myrrhæ, Thuris an. drag. 1. Tutiæ præp. & lotæ scrup. 4. Cerussæ lotæ scrup. 2. Steph albi cum opio dragm. 1. Aquarum Rosarum, Feniculi an. q. suff. M. & fiat decoctum.

Die 7. transacta, magis siccantis ac detergentia conueniunt, & his curandum, ne caro crassa gignatur, sed tenuis, & huiusmodi sunt infrascripta.

℞. Myrrhæ Sarcocollæ in Lacte nutritæ an scrup. 5. Tutiæ præp. scrup. 1. Mellis Rosacei parum M. & fiat Linimenti forma, & si dolorem inferat, addatur parum albuminis Oui, vel Aquæ Rosaceæ, vel Lactis muliebris, vel.

℞ Mellis virginis puri, & cum puluere succari candit, Tutiæ præp. & Aloes lotæ q. suff. M. & vtere, & inter cætera in Vulneribus, & puncturis oculi infrascriptum est optimum.

℞. Pul. subtil. Boli Armenij vnc. 1. Tutiæ, Sang. Drag. Gummi Arabici an. vnc. 5. Aquæ Rosarum lib. 1 M. & ponatur in Phiala vitrea, & huiusmodi phiala in vase Aqua pleno suspendatur, ita vt neq; fundum, neque circumferentiam tangat, & sic per horæ spatium bulliat, deinde adde succi mali punici vnc. 2. & sic parum demittatur, deinde coletur, & aliquantisper tepidum ter, vel quater in die in oculum instilletur, vel infrascriptum Collyrium, quod etiam glutinandi, & incarnandi vim habet.

℞. Ammoniaci, Sarcocollæ an. drag. 5. Thuris dragm. 10. Croci drag. 2. omnia leuigata ac fenugreci succo excepta, in Collyria digerantur.

Vlceribus iam incarnatis, & ad planiciem, quo ad fieri potest, reductis, Collyria cicatricem inducentia amoueri debent, vt est infrascriptum, ℞. Pompholygos lotæ dragm. 3. plumbi vsti dragm. 2. Croci dragm. 1. squamæ Aeris dragm. 2. Gummi dragm. 3. omnia leuigata, & pluuiali Aqua excepta in Collyria digerantur, & ad vsum seruetur.

Si cicatrix nimis crassa fuerit genita, attenuanda Med. ad hoc aptis, vt sunt expurgantia, & extergentia cum moderate astringentibus mixta, vt Actius inquit, & acria, & quæ cicatricem excoriare possunt vitanda, cum ex illorum acrimonia humorum fluxus, & inflammationes, & nouum Vulnus excitetur; Optima ergo sunt Lac Aequinum modico Melle mixtum, & assidue illitum, Anagallidis cæruleum florem ferentis succus cum Melle oculo instillatus; Minoris Centaureæ succus cum Melle Butyrum priuatim illitum etiam

optimum eſt; Sepiæ item teſta combuſta cum Melle in pollinem redacta confert, Collyrium etiam factum ex ſucco Rutæ Eufragiæ, Sagapeno, Melle, & Felle Taurino optimum eſt, vel infraſcriptum, ℞. Oſſium Sepiæ, Sarcocollæ, Ariſtolochiæ rot. Myrræ, Spumæ Nitri, Saccari an. dragm. 2. M. & omnia ſubtiliſſime terantur, & cribellentur, & huiuſmodi puluis ſuper cicatricem imponatur. Cornua autem Cerui, & Caprarum combuſta abſq; vlla eroſione abſtergunt, & multa alia, quæ breuitati ſtudens relinquo.

Suggillationis curatio.

Si verò ex percuſſione ab oculo ſanguis non exierit, ſed ſuffuſus fuerit, Hipoſphagma à Grecis dictus, à Latinis ſuggillatio huiuſmodi affuſus ſanguis digerendus ac reſoluendus; Quia verò tunica venularum, ex quibus ſanguis effluxit, contunditur ac rumpitur, aliquod aſtringens diſcutientibus à principio commiſcendum, vt illas conſtringat, ſi enim à principio ſolis diſcutientibus vteremur, non ſolum ſanguinem effuſum reſolueremus, ſed etiam aliquid ſanguinis à contuſis venis extraheremus. Poſt quam verò in naturalem ſtatum venulæ redierint, citrà adſtrictionem diſcutientia Medicamenta conueniunt, & ſi opus fuerit, venæ ſectione, & purgatione totum corpus euacuandum. Competit igitur Columbinus ſanguis, vel Turturis, ex teneris præcipue alijs expreſſus, vel Lac muliebre cum puluere Thuris mixto frequenter inſtillatum, vel dictus ſanguis cum Lacte mixtus, & calidus affuſus, aut oui albumen tepefactum oculo infundendum, & ſimul Lana exceptum, & ſuperpoſitum, vel Oui Luteum toſtum, & cum Vino illitum, aut melilotum cum Vino coctum, & eodem modo impoſitum. Item Roſarum Folia, & Flores ſeorſim, & cum vino trita, tenuiſque polenta, aut Braſſicæ folia illita proſunt; Recens etiam Caſeus, qui ſalem nuper accepit, ab initio illitus confert, ſed antequam hæc moueantur, foueatur oculus Decocto Fenugreci, & melilloti temperate calido, Panis mica in vino nigro optime imbibita, & expreſſa, & applicata confert, & infraſcriptum Collyrium etiam optimum eſt.

℞. Mucilaginis Sem. Coroneorum cum Aqua Roſacea extracte vnc. 5. Aloes lotæ, Tutiæ prep. an. dragm. 5. M. & fiat Collyrium.

Quando verò ſine inflammatione oculus fuerit, & Hypoſphagma veruſtatem contraxerit, reſoluentia, & diſcuſſoria tantum conueniunt abſque vlla aſtringendi facultate, vt eſt Fenugreci decoctum, quo oculus foueri debet, & ſi maiori diſcuſſione ſit opus, ad magis diſcutientia recurrendum eſt, inter quæ eſt Hyſopum; Fenum græcum, Myrrha, Chamemolum, Lilij Folia, & ſimilia, vt apud Gal. 5. de Comp. Med. S. Loca, ac alijs in locis videre potes.

Vt Quartum ſcopum aſſequamur, ideſt vt ſuperuenientibus doloribus ſuccuramus maxime incumbendum eſt, cum ob partis ſenſibilitatem maximi excitari ſoleant, & ex doloribus febres, & Delria. Si Dolores ergo adfuerint, præmiſſis vniuerſalibus præſidijs, liniendi ac mitigandi fomento facto ex Lacte, cui aliquid Sieph albi cum opio addi poteſt, vel foueatur oculus cum Lacte, vel oui albumine, cum Collyrio de Thure, & opio mixtis, vel infraſcripto decocto. *Doloris mitigatio.*

℞. Seminis Fenugreci optime loti vnc. 2. Sarcocollæ, Myrrhæ an. dragm. 2. Croci ſcrup. 1. Florum Chamemoli M. 5. Opij dragm. 5. Aquæ Feniculi q. ſuff. M. & S. A. fiat decoctum pro fomento. Supradictis igitur, vel mollis ſpongia, vel Goſſipium, vel tenue linteum imbui debet, & ſi ferro poſſit, infraſcripta Empl. ad dolorem demulcendum optima ſunt, quæ non immediate ſupra Vulnus, ſed proximis partibus applicanda.

℞. Sieph albi cum Opio, Sieph plumbi an. dragm. 1. Sem. Papaueris albi, Sem. Fenugreci an. dragm. 3. Aquæ Roſarum Lactis muliebris an. dragm. 2. Carnis pomorum dulcium ſub prunis coctorum vnc. 3. M. & S. A fiat Empl. vel.

℞ Carnis pomorum dulcium ſub prunis coctorum vnc. 2. Saccari pul. vnc. 5. Croci Orient. ſcrup. 5. Olei Roſacei q. ſuff. M. & S. A. fiat Empl. vel.

℞. Carnis pomorum dulcium ſub prunis coctorum vnc. 2. Foliorum papaueris albi ſub prunis coctum, Foliorum Hioſchiami ſub prunis coctorum an. vnc. 1. 5. Croci Orient. ſcrup. 1. Farinæ Fenugreci dragm. 2. Lactis muliebris Olei Roſacei compl. an. q. ſuff. M. & S. A. fiat Empl. & hæc breuitatis gratia commemoraſſe ſufficiant, cum alia plura apud diuerſos

gerſos

uersos Autores conscripta reperiantur, & quisque suo marte his similia componere possit.

De Narium Vulneribus. *Cap.* 77.

IN Naribus pluribus modis continui solutio fieri potest, vel enim Vulnerantur, vel franguntur, vel contunduntur, vel conquassantur.

Vulnerũ species.

Quo verò ad Vulnerationem, siue incisionem de qua nunc pertractare nostra est intentio, vel secundum se totum nasus abscinditur, vel aliqua parte adhæret, vulnera in quibus Nasus secundum totum non abscinditur, vel Vulneratur secundum longum vel secundum latum, & transuersim vel oblique, & huiusmodi Vulnera vel sunt cum ossis abscissione, vel Cartilaginis, vel sine harum partium abscissione, vel cum substantiæ deperditione, vel absq; vlla substantiæ deperditione, & aliquando huius partis Vulnera ad Narium cauitatem descendunt, aliquando non; Vulnera, quæ ad Narium cauitatem non perueniunt, facillime sanantur, quæ verò ad cauitates descendunt difficilius. Si Nasus secundum se totus incidatur, non potest tanta caro gigni, vt deperditum restauretur cum pars spermatica sit.

Prognostieum.

De Vulnerum Narium Curatione.

IN curandis huiusmodi Vulneribus tres intentiones habere debemus. Prima in sex rebus nonnaturalibus consistit. Secunda in Venæ sectione, purgatione, & alijs reuulsionibus, vbi est opus. Tertia in particularibus ac localibus præsidijs. Quo ad primam, & secundam intentionem, sicuti cap. superiori fuit dictum, faciendum. Prò Tertia intentione consequenda, si quid extraneum ad fuerit, si possibilæ est, remouendum ac extrahendum, deinde sanguis sistendus, & hoc optime, & absq; vlla noxa sit posca, vel Aceto, vel alio Medicamento ad hoc apto. Sanguine non amplius fluente, si Vulnus ad narium cauitatem, non perueniat, Glutino siue illaqueatione, sicuti aliarum carnosarum partium simplicia Vulnera optime vniri ac conglutinari possunt. Si verò ad cauitatem vsq; perueniant, & sint absque vlla ossis abscissione, cutis Acu diuulsæ partes sui debent, & sutura sit satis profunda, ita tamen, vt optime partes aptentur, & in pristinum locum reponantur, ne distortæ consuantur, vtque hoc optime succedat, antequam suitio fiat, digitus in nares immissis, partes exacte, & apposite sunt componendæ, & huiusmodi suitiones satis arcte sint, vt pulcer cicatrix inducatur, & puncta crebra inter se sint, vt facilius agglutinatio fiat, & circumsitæ partes defensiuo illiniendæ. Si verò Vulnus sit cum ossis incisione, vel os omnino ab alio osse est separatum, vel non. Nisi sit omnino separatum, reduci vna cum cute debet, & sutura in cute sicuti fuit dictum, facienda. Si verò sit omnino separatum ab alio osse, statim etiam à carne excoriari ac remoueri debet, ne iterum temporis processu dolor, & Vulnus renouetur; Sic si aliquod ossis frustulum ab alio osse separatum adfuerit, remouendum, deinde vt fuit dictum, caro suatur. Si verò Vulneris labia callosa fuerint, quia non statim suitio fuerit facta, vel quia Aeri expositum diu huiusmodi Vulnus manserit, subtiliter vulneris labia resecanda, & sanguinolenta sunt reddenda, & deinde, vt fuit dictum, suenda. Si verò pars nasi non omnino fuerit præcisa sed pendula manens refrigerata fuerit similiter suenda, & aliquo calido fomento ex Vino vel Aqua, vel aliquo calido liquore, vel calidis Linteis, vel calida Manu, vel paruis Gallinaceis, vel Columbaceis Pulis per medium statim diserptis, & applicatis, vel his similibus calefacienda, & nunquam ad sectionem ac amputationem veniendum, nisi pars illa omnino fuerit emortua, & per diem sic permanserit. Consuto igitur Vulnere, mollium partium agglutinatio, & durarum consolidatio curari debet, & hoc facillimè consequemur pulueribus agglutinatiuis in exteriori parte supra naturam aspersis, & desuper Ceratum Barbarum magnum Gal. applicandum, vel agglutinatio fiat aliquo ex agglutinantibus Medicamentis superius cap. 15. huius libri descriptis, & circumsitæ partes, sicuti superius diximus defensiuo Medicamento illiniendæ. Si verò ob contusionem, vel quid aliud maturare ac pus mouere sit opus, Barbarum dictum Mirtino, vel Rosaceo Oleo dissoluendum, & applicandum. In interiori verò parte cum ibi etiam agglutina-

re ſit opus, Turunda ſiue penicillum ad foraminum Narium craſſitudinem imponendum, quod fieri poteſt, vel tenui linteo, vel ſtuppa, & pro primo apparatu oui albumine imbibi poſſunt, & ſi patiens narium obturationem, vel ob deſtillationem à capite, quæ glutinationem impedire poſſet, vel quid aliud ferre non poſſit, penicilli ſiue Turundæ faciendæ ex pinna Anſerina linteo, vel ſtuppe conuoluta vel ex plumbo, vel Argento, quæ Medicamento imbutæ imponendæ, & poſt primum apparatum, Barbarum, Mittino Oleo diſſolutum Turundæ illiniendæ, vel aliquo alio agglutinante Med. viuum nigrum natura ſtipticum, ſiue Arte factitium calidum ſimiliter pro his vulneribus agglutinandis optimum eſt. Dictæ Turundæ deſeruiunt item ad narium formam conſeruandam, quod ſuper omnia curandum eſt; Aliqui etiam pro hoc conſequendo, Naſo formas ſimillimas ex plumbo, vel Auricalco, vel Argento fabrefactas ſuper omnia alia apponunt, quod mihi optimum eſſe videtur, præſertim quando aliquantiſper naſus eſt diſtortus, & deinde, vt tantum dicta contineat, faſcia vinciendum, cum multa vincula Naſo non conueniant, cum dixerit *Hipp. 2. de Articulis*; Qui præſertim vincula amant, ſine mente complura alia ledunt, atq; adeo naſum commodum igitur vinculum naſo applicari non poteſt.

Tranſactis tribus diebus, Lintea Glutino oblinita vtrinq; Vulneris labijs applicanda, & quarta die puncta abſcindenda ne turpem ac tranſuerſalem cicatricem inducant, & dicta Linea ſimul ſuenda, vel illaquenda; Quinta die puncta remouenda, & ſi interim mundificationem fuerit opus, Deterſiuo facto ex Reſina Terebenthina, Hordei Farina, & Melle Roſaceo, vel aliquo ſimili detergendum, deinde Glutinantia Medicamenta applicanda, ſaltem vſq; ad 7. quo tempore ſemper Narium Vulnera conſolidata eſſe ſolent.

Sed quando cum his Vulneribus oſſis inciſio, ſiue fractura fuerit coniuncta, quæ vt plurimum, adeſſe ſolet, vſq; ad vigeſimum Barbarum ceratum applicandum; Cum vt inquit Hipp. lib. de Alimento, hoc temporis interſtitio narium oſſa conſolidentur. Si verò Vulnus ſit cum carnis deperditione Sarcoticis carnigenes ratio adiuuanda, vt cap. 34. huius libri à nobis fuit dictum, & æquali facto Vulnere Epuloticis, vt cap. 35. ſuperius fuit dictum cicatrix inducenda. Si autem narium portio omnino fuerit abſciſſa, nullo pacto reſtaurari poteſt, cum pars ſpermatica ſit, ſed vt in lib. de curtis Gaſpar Taliacotius optime docuit, ex cute Brachij Nares offormandæ, & in hac Arte periti in Apulia multi reperiuntur, ſicuti Nurſiæ multi Caſtratores. De Naſi Fractura ac conquaſſatione ſuo loco poſtea, Deo dante, agemus. Cum noſtrum intentum nunc tantum ſit de Vulneribus verba facere.

De Labiorum, & Aurium Vulneribus. *Cap. 78.*

Labiorum, & Aurium Vulnera per primam intentionem ſimiliter cutantur, & agglutinantur. Si in Labijs igitur Vulnus abſque vlla Carnis deperditione fuerit, vlneris labia diligenter ſuenda ac decenter apranda, ita vt nulla adſit eminentia, vt deformitas vitetur, & deſuper Glutinatoria exſiccantia, & aſtringentia ſuperius dicta, vel Ceratum barbarum applicandum, & in terna parte Mel. Roſaceum, vel Syruppus de Roſis ſiccis ſepe apponendus, & dictis Medicamentis vſq; ad perfectam conſolidationem curare debemus. Vincula in his partibus, vbi fuerit opus, tantum ad Medicamenta conueniunt. Harum verò partium conſolidario à frequenti loquella, partes dimouendo, & frequenti ſputo, humectando, remoratur. Si autem Vulnus cum carnis deperditione fuerit, ſicuti in aliarum carnoſarum partium Vulneribus curandum ideſt primum digerendo, ſecundo detergendo, tertio carne replendo, & quarto conſolidando, ſicuti huius libri cap. 34. fuit dictum.

Aurium Vulnera ſimiliter ſuturam deſiderant, & cum hæ partes cute, & Cartilagine ſint compoſitæ, & ſicco ſint temperamento, ideo ſiccantia adſtringentia, & glutinantia conueniunt, & applicanda ſunt, & ſi vnà cum cute etiam cartilago ſit inciſa, vtrumq; ſuendum. Medicamenta ergo Auribus conuenientia ſint

leuia

leuia, quæ non aggrauent, vt oui albumen Mel Atticum oblinitum, superius postea aspersione facta subtilissimi pulueris Olibani, Myrrhæ, & Aloes simul mixti, vel apponatur Barbarum Ceratum Gal. vel Glutinantia cap. 15. enumerata, Fugienda verò in harum partium Vulneribus omnia vnctuosa, & crassa, ac grauia, vt Emplastica, & similia, & omni etiam vincula in harum partium affectibus vitanda, ex *Hipp sententia 2. de Articulis dicentis*; In Fractura Auris quodlibet vinculum inimicum est, neque etiam ita laxum circundabitur, quod si magis astringatur plurimum officit, quandoquidem integra auris sub vinculo adstricta dolet, pulsu vexatur atque inflammatione. Sed Cataplasmata, quæ maximi oneris sunt, penitus aliena sunt, pleraque etiam noxia sunt, atque abscessum concitant, & plurimas muccositates, suppurationemq; infestam reddunt, quibus minime opus est Auri comminutæ, & inferius inquit; Vbi quis Aurem secuerit, abstinere ab omni Cataplasmate, atque omni Linamento debet, mederique vel Medicamentis, quæ protinus cruentis Vulneribus injiciuntur, vel alio quod neque onere ledat, neque molestiam afferat; Vt verò Vulnerata auris sustenterur, naturalemque situm seruet, inter Caput, & Aurem mollis Lana, vel Gossipium apponendum, & in opposito latere cubandum, quo ad vniuersalia, vbi opus fuerit, idem quod ad Narium Vulneribus diximus, faciendum, & hæc de his vulneribus satis.

De Colli Vulneribus nihil dicemus, quoniam cum hæc pars sit composita ex pluribus Musculis, Magnis Venis, & Arterijs, Neruis, Aspera Arteria, per quam ad pulmones spiritus defertur, Oesophago siue Gula, per quam cibus ab ore ad Ventriculum deferrur, Spinalisque medulla, quæ dictis subijcitur. Si musculi sint vulnerati, sicuti aliarum partium carnosarum Vulnera curantur, vt cap. 32. & 33. fuit dictum. Si Venæ, & Arteriæ, sicuti cap. 43. curandum. Si Nerui vulnerati fuerint, vt superius cap. 44. fuit dictum est curandum.

Si vulnerata fuerit Aspera Arteria, vel Gula, Oesaphogum etiam dictum, sutura quoque requiritur, & Agglutinatoria Medicamenta sunt, applicanda, & ore Diatragantum, vel Viapapa, vel Diasympiton, vel quid simile tenendum, & de his partibus vulneratis, vt de Medullæ Spinalis vulneribus, inferius in tractatu de Thoracis Vulneribus diffusè verba fecimus. His igitur de causis de huius partis Vulneribus pertractare superfluum iudicauimus.

De Thoracis Vulneribus ac partium intra eum contentarum

Cap. 79.

VM Thorax pluribus partibus sit compositus, & multas ac diuersas intra se contineat partes, & quælibet vulnerari possit, ideo huius partis Anatomen quatenus ad rem nostram pertinet, describere optimum esse iudicauimus, cum sine harum partium cognitione, ex signis ac Symptomatibus superuenientibus partes læsas cognoscere, nec recte prædicere, neq; bene curare possimus.

De Thoracis Anatome.

THorax igitur tota illa pars nominatur, quæ à costis circumscribitur ac compsæhenditur, & elatior Thoracis pars est iugulum, siue Clauiculæ, & inferior septum transuersum. Diaphragma etiam dictum; Exterius cute, sicuti partes aliæ contegitur, sub cute adest pinguedo, & carnosa Membrana, deinde subsunt musculi, sub musculis adsunt costæ, quæ vtrinque duodecim sunt, septem legitimæ, & quinque mendosæ, quæ in sui extremo inter se connatæ, & ita agglutinatæ sunt, vt in exquisitam cartilaginem desinant, & postremæ tantum ab alijs in imo secernitur ac re vera nota est; Ab anteriori Thoracis parte adest os pectoris, ster non dictum, quod solidum ob structuræ concinnitatem apparet, tamen ex septem ossibus est compositum, quæ cartilagine inter se coniunguntur; Inferiori huius ossis parti mucronata cartilago Xiphoides etiam dicta, adnascitur; A posteriori parte Dorsi Vertebræ adsunt, per quarum medium spinalis Medulla pertransit, & in laterales dictarum vertbarum cauitates costæ inseruntur. In spatijs, quæ costas intercedunt, intercostales musculi quoq; qui præcipuæ ad inspirationem, & expira-

tionem deſeruiunt, & ſub vna quaq; coſta Vena, & Arteria progreditur, & ideo prouide Natura ex inferiori parte aliquantiſper concauas coſtas fabreſecit, vt tuto dicta vaſa per illam cauitatem excurrant, ab inferiori parte adeſt ſeptum tranſuerſum, ſiue Diaphragma dictum, quod vitales partes à Naturalibus diuidit, & ad paruas reſpirationes deſeruit, cum verò maiori reſpiratione eſt opus, intercoſtales muſculi ſubuentiunt, & ſi adhuc maiori reſpiratione ſit opus, etiam elatiores muſculi hanc actionem adiuuant; Oritur verò ſeptum tranſuerſum ad pectoris ſinem vbi mucronata cartilago deſinit, deinde ſua extremitate ſpuriarum Coſtarum finibus, ſed ab interiori parte adnaſcitur, & huiuſmodi coſtæ ei ſunt veluti propugnaculum, & ad vndecimam vertebram perducitur. Septi tranſuerſi ſubſtantia in circumferentia eſt carnoſa circa medium tendinoſa, in medio verò, ideſt in centro, cum rotunda hæc pars ſit exactus tendo exiſtit à ſuperiori parte Membrana pleura dicta obhæreſcit, ab inferiori alia peritoneum nominata. Subcoſtis immediate adeſt pleura Membrana, quæ ſuccingens etiam dicitur, cum ab interiori parte omnibus coſtis obducatur, huius Membranæ ſubſtantia dura, & tenuis eſt, & Araneæ telæ ſimilis, & ab hac Membrana ſuccingente, ſiue pleura dicta, duæ aliæ Membranæ, vtraque parte ſingulæ Thoracem totum in Terſepientes ac diuidentes enaſcuntur, quæ recta linea ad pectoris longitudinem mutuo ſibi coherent, niſi quantum ea in parte abſcedunt, & diſtant, qua cordis mucro eſt, & nonnunquam etiam à parte ſuperiori ad pectoris latitudinem inuicem diſtant, & Clauiculis per pectoris medium ad mucronatam vſque cartilaginem porrigantur, & à poſteriori parte tuto Thoracis vertebris inſeruntur.

Harum Membranarum interſepientium vſus eſt, vt duo Thoracis, ſinus fiant, vt ſi quando magno Vulnere in alteram eius partem recepto, reſpirationis opus perierit, quod per partem illam fiebat, alter ſinus incolumis actionem ſaltem dimidiam tueatur; Secundus quo Arterias ibidem ſitas, Venas, Neruos, Gulam, Pulmonemque totum Thoraci colligent, omniaque ea contegant. In media Thoracis parte inter Membranas interſepientes adeſt cor, quod pericardio, ſiue cordis Capſula vndique eſt opertum, non tamen cordi cohæret, & à vaſis cordi proximis ſuam originem ducit, & inter pericardium, & cor paruum quoddam ſpaciumi intermedium adeſt, cordis motui accommodatum, in quod ſpacium aquea quædam humiditas colligitur, quæ deſeruit, vt cor facilius moueatur, & ne ex aſſiduo motu areſcat. Hæc Membrana pericardium dicta pectori Membranarum interſepientium, media ſtini etiam dicti, vicino eſt connexa, quà maxime ipſius vertex, & quædam vtrinque verticis partes habentur, Baſis ipſius orbiculata eſt, deinde paulatim adſtricta ſicuti cur in turbinatum verticem deſinit & pectoris oſſi, vt diximus, coniunctum. Pericardij ſubſtantia eſt tanto oſſe mollior, quanto eſt pulmone durior, & ipſo cordis defenſione deſeruit, cum intra hanc Membranam cor contineatur, quod dura ac neruoſa ſubſtantia eſt. Circumiacent ei pulmo refrigerij gratia, quinque fibris tamquam digitis id comprehendens, duæ à dexteris, duæ à ſiniſtris, & in hac parte vt plurimum pulmo Thoraci adheret, & vna à poſteriori parte. Pulmonis caro eſt leuis, rara cauernoſa, & veluti ex ſpuma quadam ſanguinea concreta, ſpirituque plena, quæ, vt cor ipſi alimentum ſubtile leue vaporoſum purumque præparat, ità pulmo Aerem extrinſecus aſſumptum Cordi immutat, & alterat. Hæc pars vaſis compluribus reris modo intertexta eſt Vena Arteriosa ex dextro cordis ſinu, Arteria venoſa ex ſiniſtro, & Aſperæ Arteriæ propaginibus, cum Aſpera Arteria primum in quos diuaricetur ramos, quorum alter dexteram pulmonis, alter ſiniſtram perreptat, & hi rami in plures poſtea ramos per pulmonis carnem diuaricantur, ſub pulmone per ſpinæ medium Vena caua, & Arteria Aborta diſcurrit, & ſtomachus ſiue Gula dicta per eundem ſpinæ medium ad ſiniſtrum ſinum aliquantiſper declinans pertranſit, quæ ventriculo continua eſt, & ſub his partibus à poſtica parte adeſt dorſi ſpina, per quam ſpinalis Medulla pertranſit. In his ergo omnibus partibus Vulnera fieri poſſunt.

De Thoracis Vulnerum differentijs.

THoracis Vulnera alia ſunt intra Thoracis cauitatem penetrantia, ideſt

ideſt cum pleuræ perforatione. Alia minime; Quæ penetrantia non ſunt, alia ſunt tantum cum exteriorum muſculorum inciſione. Alia cum his etiam intercoſtales muſculos vulneratos habent. Alia cum Venarum vel Neruorum, vel cum coſtarum Vulneratione, ſiue fractura, ſiue contuſione, ſiue nudatione ſunt coniuncta. Penetrantia Thoracis Vulnera, aut ſunt cum partium intus contentarum leſione, aut ſine ea. Cum leſione tot generum eſſe poſſunt, quot ſunt partes intra Thoracem contentæ, ſicuti vulnus pulmonis. Pericardij, Cordis, Venæ Cauæ, Arteriæ Aortæ, Aſperæ Arteriæ, Gulæ, Spinalis Medullę, Mediaſtini, & Diaphragmatis. Poſſunt etiam differentiæ ſumi à Vulneris quantitate, vt Vulnus anguſtum, vel latum, ſic à figura, vt rectum, vel obliquum, vel rotondum, & ab his ſimilibus.

De cauſis Vulnerum Thoracis.

IStorum Vulnerum Cauſæ ſemper ſunt externæ, ſicuti aliarum partium Vulnerum; Sunt ergo cauſæ omnia illa inſtrumenta, quæ perforare, & incidere ſunt apta, vt ſagitta, Pugio, Enſis, & ſimilia.

Penetrantium Vulnerum ſigna.

SI penetrantia Vulnera ſint penetrationis manifeſta ſigna apparent, quoniam parua fit reſpiratio cum ratione Aeris per Vulnus ingredientis cor refrigeretur, & ideo per os tanta Aeris attractione non eget; Ex Vulnere ſimiliter Aer cum rauco ſono ac ſtrepitu egreditur, & ex digiti immiſſione, vel multa Candelæ, vel ſtili portione in manifeſtiſſimam penetrationis cognitionem deuenimus, & aliquando etiam in magnis Vulneribus huius partis penetrantibus æger voce, & reſpiratione priuatur, & clauſo Vulneris orificio, redit vox, & reſpiratio; Si verò Vulnus anguſtum ſit, & recto tramite penetret, faciliter ex ſupradictis ſignis in penetrationis cognitionem deuenimus. Si verò oblique tendat, aut anguſtiſſimum ſit Vulnus, vel coſtæ depreſſio aut fractura cum Vulnere ſit coniuncta, aut ſuccingens Membrana pleura dicta, aut intercoſtales muſculi, aut externi ſint tumefacti, vel ſi hæ partes ſint conglutinatæ ob Medici negligentiam, cum à principio penicillo, ſiue Turunda Vulneris orificij apertum ſeruatum non fuerit. In his caſibus non ità faciliter in penetrationis cognitionem deuenire poſſumus; Sed vt manifeſtetur, in eo ſitu ac figura Aeger ſituandus, in quo erat, quando fuit Vulneratus, & imprimis tantum Specillo, vel Cera Candela, an orificium adinuenire, & in penetrationis cognitionem deuenire poſſimus tentare debemus. Niſi hæc intromitti poſſint, neque etiam Aeris exeuntis ſonitus audiatur, ſupra Vulnus Lanæ, vel Goſſipij floccum, vel Lini ſicci optime carpinati filamenta, vel leuis pluma liniter applicanda, deinde ægro iebendum vt clauſo ore, & Naribus alitum retineat, & ſi ſuperpoſita dimoueri videantur, penetrationis eſt indicium. Alij parua accenſa Candela, & prope Vulneris orificium appoſita hoc idem experiuntur. Alij terſo, & limpido Specſilo Vulneris orificio appobro, quod ex Aeris egreſſu inficitur Inſtrumentum etiam, quod Vulnus fuerit factum, penetrationis indicium præbet, quoniam ſi anguſto inſtrumento, vt pugione, Vulnus fuerit inflictum, magnum penetrationis præbet indicium, tantoque magis, ſi Vulnus ab extra latum appareat. Superuenientia; Symptomata Vulneris penetrationem indicantia ſunt, pondus ſuper Diaphragma, Erupitio ſanguinis cum tuſſi, febris inualeſcentia, Vigiliæ, Appetitus dejectio, Reſpirationis difficultas, & aliquando extra coſtam, vbi materiam continetur liuor apparet.

Signa partium leſarum intra Thoracem contentarum.

COrdis ſubſtantiæ Vulneratæ ſigna ſunt frequentia paruaque animi deliquia, ſubitus omnium virium lapſus, Venæ langueſcunt, ſudor frigidus, & fetens continuo emanat, color pallidus, Hippocratica facies, & celer vel repentina mors, & ſi dexter cordis ventriculus fuerit vulneratus, in magna copia niger ſanguis exit, ſi autem ſiniſter, floridior, erit, Pulſus, ſimiliter paruus, & varius ſit, & externa frigeſcunt, & Vulnus prope ſiniſtram Mammillam

Cordis vulnerati ſigna.

erit,

Pericardij vulnerati ſigna.

erit, cum ad hanc partem cor inclinet Pericardij tantum Vulnerati ſigna ſunt, dolores maximi, febres animi deliquia, Syncopes, Conuulſiones cordis palpitationes, & tandem mortem hæc Vulnera afferunt. Hæc omnia Symptomata ob maximum cordis conſenſum eueniunt, & mors etiam ſuccedere poteſt ob humoris intra Pericardium contenti effuſionem, cum non ità facilè cor moueri poſſit, vel quia nimis exſiccatur, cum humiditas intra pericardium contineatur, vt cor facilius moueatur, & ne ex continuo motu areſcat, vt iam fuit dictum.

Pulmonis Vulnerati ſignæ.

Vulnerati pulmonis ſigna ſunt, vt *C. Celſus lib 5. cap 26. & paul. lib. 6. cap.* 88. dixerunt, reſpirationis difficultas, aſſiduæ tuſſis, ſanguinis ex Ore ſpumantis, & cum Tuſſi, & violentia ejectio, & ex Plaga rubens, & ſpumans, & non valde calidus ſanguis, & ſine dolore etiam effluit, & aliquando ſimul niger ſanguis ex Pulmonis Vulnere egreditur, cum aliquæ adſint Venæ, quæ nigrum etiam ſanguinem continet, ſimulq; ſpiritus cum ſonu fertur, ceruicis Venæ turgidæ fiunt, Lingua colorem mutat, ſic facies modo rubicunda, modo pallida apparet, & ſi magnum, & profundum fuerit Vulnus tandem pallida remanet. Si æger aliquando incaleſcit, aliquando refrigeratur, multum inſpirat, & frigidum Aerem appetit. In Vulnus inclinari iuuat, quidam ſine ratione conſurgunt, & delirantes fiunt, multi, ſi in ipſum Vulnus inclinati ſunt loquuntur, ſi in aliam partem, obmutescunt, ex Vulnere ſimiliter magna humiditatis copia egreditur, & nullus dolor adeſt, cum pulmo, vt *de locis affectis cap. 1. & 5. de locis affectis cap 9. inquit Gal.* ſenſu careat, & Vulnus eſt circa latera, cum in his partibus facilius Vulneretur pulmo.

Venæ Cauæ Vulnerata ſigna.

In Venæ cauæ Vulneratione magna nigri ſanguinis, & craſſi copia, & ſine ſaltu egreditur, Venæ omnes languidæ fiunt, vires deficiunt ac proſternuntur, & facies pallida redditur, Vulnus vt plurimum in dextero Dorſi latere eſt, & breuiter mortem affert. Si magna Arteria ſit Vulnerata, ſimiliter multa ſanguinis copia egreditur, ſed iſte ſanguis eſt tenuis, clarus, rubicundus, ſpumans, & cum ſaltu emanat, & prorumpit, pulſus varius fit, & tremulus, vireſque omnes collabuntur, febris accenditur, extrema refrigerantur, cordis palpitationes fiunt, Syncopes, & tandem mors ſuccedit.

Arteriæ Aortæ Vulnerate ſigna.

Aſperæ Arteriæ Vulneratæ ſigna.

Aſperæ Arteriæ ad inſpirationem ac reſpirationem, vocemq; efformandam ſeruientis Vulneratæ ſigna aliquando ſenſibus patent, præſertim quando in collo eſt Vulnus. Si verò in inferiori parte, poſt quam in Thoracem eſt ingreſſa fuerit Vulnerata, his ſignis dignoſcitur, ex Vulnere pauca, vel nulla ſanguinis copia egreditur, cum exanguis hæc pars ſit, dolores in Vulnere ac in Dorſo magni, & acuti perſentiuntur, cum Aſperæ Arteriæ interior tunica maxime ſenſibilis ſit, quod experimur quando alicuius humoris guttula, vel quid aliud ingreditur, fauces à principio paulatim ſanguine replentur, deinde ſanie, & tandem pure, vel alia cruda materia, Vox rauca redditur, & os ſiccum, alitus fetens fit, & febres etiam accenduntur.

Gulæ ſiue Oeſophagi vulnerum ſigna.

In Gulæ, ſiue Oeſophagi, vel Stomachi dicti, Vulneribus, ſigna aliquando ſunt manifeſta, cum per Vulnus cibus egrediatur, ſanguis vel ſanies expuitur, adſunt dolores, qui, ſi Aeger ſupinus iaceat, augentur, & cum recta ceruice manent minuuntur, appetitus deiectio vt plurimum adeſt, inquietudines febres, & multa alia praua Symptomata, & ſi hæc pars inflammetur, febris, & ſitis augentur, & deglutio, & cibi tranſitus difficilis ſit, vel omnino impeditur.

Vulneris ſiue percuſſionis Spinalis Medullæ ſigna.

Ex Spinalis Medullæ Vulnere ſiue percuſſione, cum ab hac parte Nerui ad motum ac ſenſum deſtinati procedant, & à Cerebro ducat originem, & nihil aliud ſit, niſi elongatum Cerebrum, cum eiſdem Membranis, ideſt dura, & pia induatur; Ideo, vt *C. Celſus lib. 5. cap. 26. inquit.* Inferiorum partium Nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur, ac ſenſus intercedit, ſuperiorum partium minime, & alio interpoſito tempore inferiores partes inuoluntarie, vel ſemen, vel vrinam, vel etiam ſtercus excernunt, maximi in affecta parte dolores excitantur, & ob maximum Cerebri conſenſum aliquando alienantur, & Vulnus in media Dorſi parte appareret.

Diaphragmatis vulnerati ſignæ

Si ſeptum tranſuerſum, ſiue Diaphragma dictum fuerit Vulneratum, vt *C. Celſus*

Celsus, & Paulus locis superius citatis dixerunt. Precordia sursum contrahuntur, spina dolet, & dolor per totum Humeri spacium extenditur; Spiritus difficilis, rarus, & magnus, & cum gemitu est, & spumans sanguis egreditur. Vulnus est propè costas mendosas, & circa costarum extremas Cartilagines, punctiones, & grauitates adsunt, Tussis magna, & resonan Aegrotantem affligit, Febris, & mentis alienatio succedit ob maximum consensum, quem Diaphragma cum corde, & Cerebro habet. Appetitus deijcitur, & deglutitio difficilis, & cum multa, & frequenti eructatione fit, & aliquando vomitus ob coniunctionem, quam cum ore ventriculi habet, Liuidam materiam expuunt, & aliquando spumosum sanguinem, & quamplurima etiam ex his signis in pleurę ac mediastini magnis Vulneribus apparent.

Collectæ materiæ in Thoracis cauitate signa.

Cum verò in penetrantibus, Thoracis Vulneribus materiæ copia in eius cauitate sepe colligi soleat, vt sanguinis vel saniei, vel puris, & maxime Aegrum affligat, ideo eius signa ponam. Materiam ergo in Thoracis cauitate contentam esse indicant. Grauitas, & pondus, & dolor lateris læsi iuxta notas costas, sputum putridum redditus, & cum multa, & assidua tussi, similitèr Anelitus fœtidus redditur, & Aer, qui per vulnus egreditur, intollerabiliter fœtet, & causa est sanguinis putrefactio. Cum vt *Hipp.* 6. *Aph.* 20. *inquit*: Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, is putrefiat ac suppuretur est necesse. In volutatione etiam delatere in latus inundatio persentitur, ac febris accenditur.

De Vulnere Thoracis Prognostico.

OMnia Thoracis penetrantia vulnera, etiam absq; interiorum partium lesione, periculosa sunt, & causa est quoniam pleura est affecta ex cuius inflammatione sepe mors sequi solet, & ex Aere etiam non præparato vulnus ingrediente viscera, & nobiles partes grauitèr leduntur, & ex egrediente per vulnus Aere spiritus, & vires debilitentur. Hæc etiam Vulnera frequenter in fistulas terminantur, nisi recte curentur, & aliquando ob materiæ in Thoracis fundo collectionem Empiematici fiunt Aegrotantes, & tandem pereunt. Non penetrantia Thoracis Vulnera periculosa non sunt, nisi aliquod vas insigne, aut Nervus fuerit vulneratus, sed diutius in Thorace, quam in partibus alijs hæc vulnera sanantur, quia Thorax propter respirationem est in continuo motu, *Hipp. lib. de coacis prænotionibus inquit*. Si ex Thoracis Vulneribus, vel nigra sanies, vel fœtida egrediatur, vt plurimum lethale signum est, *Auic.* 4. 4. *cap.* 1. *inquit*. Si vulneratis in Thorace nausea, vel vomitus, vel singultus, aut alui fluxus superueniat, vt plurimum pereunt. In Thoracis posteriori parte, vt in Dorso periculosiora sunt penetrantia Vulnera quam in parte anteriori, & causa est, quia ibi plures, & maiores adsunt Nervi, & Tendines, & quia per hanc partem spinalis Medulla pertransit, vena Caua Arteria Aborta Gula, & Aspera Arteria, quæ omnia magis in posteriori parte, quam in anteriori situantur. Similitèr cordis ligamenta dorso applicantur, & omnia spiritalia Membrana cum dorso forti vinculo alligantur, & ideo ex his aliqua ex posteriori Thoracis vulnere facillime ledi possunt, quæ cum leduntur, periculum afferunt, & mortem, quod non ita facilitèr ex anterioris partis vulnere accidit. Cordis vulnera lethalia sunt, vt inquit *Hipp.* 6. *Aph* 18. *& lib. de Aere Aqua, & locis, & C. Celsus lib.* 5. *cap.* 26. *quoniam vt inquit Arist.* 2. *de Gen. & corruptione, & 3. de partibus cap.* 4. Cor violentas passiones non patitur, quoniam si principium corrumperetur, nihil esset aliud, quod alijs partibus præbere auxilium posset, & ideo mortem sequi esset necesse, & ob eandem causam illæ partes, quæ cum corde maximum consensum habent, nullum graue vitium pati possunt, vt inter ceteras est pericardium, cuius vulnera læthalia sunt, Vulnera verò, quæ ad cordis ventriculos penetrant, statim mortem afferunt.

Si autem tantum eius caro vulneretur secundum quod Vulnus maius, vel minus est, & magis, vel minus penetrat, diutius, vel citius perit Animal, sed ad quartam nunquam peruenit, teste *Galeno* 5. *de Locis Affectis* 2. *vbi inquit*. Phlegmone autem manifeste laborante

corde,

corde, in Gladiatoribus vidimus ſequi mortem ſimillimam iis, qui cardiaca Syncope pereunt: igitur ſi ad aliquem ventriculorum, qui in corde ſunt, Vulnus penetrauerit, confeſtim cum copioſa ſanguinis excretione moriuntur, præſertim vbi ſiniſter ventriculus fuerit vulneratus. Si verò Vulnus ad ventriculum vſq; non pertingat, ſed in cordis corpore conſiſtat, aliqui non ſolum ea die, qua vulnerati ſunt, ſed ſequente etiam nocte vixerunt, mors tamen Phlegmonis ratione ſecuta eſt. Magna pulmonis vulnera lethalia ſunt, & parua etiam ſunt periculoſa, & diuturna fiunt, cum ſepe in Phtiſim terminentur; Raro verò ſanantur, cum in continuo motu hæc pars ſit, & refracta Med. ob longum iter ad hanc partem perueniant, & cum aſſidua tuſſi continuo adeſt infeſtentur, & niſi per tuſſim tale, Vulnus ex purgari poſſit, ideo aſſiduè lacinatur, & conſolidari non poteſt, vt inquit *Gal. 5. Meth.*

Cauæ Venæ, & Ahortæ Arteriæ Vulnera lethaliſſima ſunt, cum vita in ſanguine conſiſtat, & ſanguis ſit vitæ theſaurus, & in his Vulneribus ſanguis ſiſti non poſſit. Aſperæ Arteriæ Vulnera in Carnoſa ſiue Membranoſa parte, & ſuperficialia, vt plurimum ſanari ſolent, Magna, & in Cartilaginoſa parte inflicta difficillime ſanantur, tum ob partis duriciem, & ſanguinis paucitatem, tum ob defluentes ad hanc partem continuo materias, & ob inſpirationis, & reſpirationis continuum motum. Gulæ etiam ſiue Oeſophagi Vulnera ſuperficialia ſanari poſſunt, quæ verò magnam ad ſuam vſq; cauitatem penetrant, mortem afferunt, & cauſa eſt quoniam ex cibo, & potu huius Vulneris conſolidatio impeditur, & Med. ſolum in tranſitu Vulnus tangunt, & ſupra conſiſtere nequeunt; Periculoſa item huius partis Vulnera ſunt ob periculum, quod impendet, & partis huius tumore ac inflatione, quoniam ſi Oeſophagus intumeſcat, deglutitio impeditur. Si Aſpera Arteria intumeſcat, clauditur eius meatus, reſpiratio impeditur, & neceſſario mors ſequitur Spinalis Medullæ leuia Vulnera difficillime ſanantur, & ob partis præſtantiam periculoſa ſunt, cum Cerebri naturam ſapiat, & ſicuti Cerebrum curari non poſſit, cum oſſ. perforari, ſicuti in capite, nequeant, ac etiam propter praua Symptomata, quæ ſuperuenire ſolent.

Magna verò huius partis Vulnera, & præcipue tranſuerſa lethaliſſima ſunt, & raro ad quartam Aegrotantes perueniunt.

Superficialia Diaphragmatis Vulnera, & in parte carnoſa accepta, ideſt propem Mendoſas coſtas, & ſi hæc pars ſit in continuo motu, tamen ſanari poſſunt, vt inquit *Gal. 5. Meth. cap. 9.* Si verò magna ſint vulnera, & tendinoſa pars ſit vulnerata, omnino deſperata res eſt. Sic ſi cuilibet huius partis vulneri inflammatio ſuperueniat, periculoſiſſima eſt. Continuus ergo motus huius partis conſolidationem difficilem reddit, & humiditas, quæ continuo hæc Vulnera madida reddit, ſanationem prohibet, cum tota ſanies, ſiue pus, quod in Thorace gignitur, ad hanc partem confluat, cum in inferiori loco ſit ſita, & Med. niſi tarde, & refracta ad hanc partem peruenire poſſunt.

Albucaſis de Thoracis Vulneribus dixit. Si autem præterierit tertia dies vulneris, & non acciderit infirmo neq; ſpaſmus neq; tremor cordis malus, neq; ſtrictura Anhelitus, & vides diſpoſitiones eius bonas, tunc ſcias, quod Vulnus eſt ſanum, & virtus eſt fortis, cui nihil eſt impoſſibile.

De Curatione Vulnerum Thoracis non penetrantium.

THoracis non penetrantia vulnera, quæ ſimplicia ſunt, ideſt in quibus tantum inciſa eſt cutis, & muſculi ſubiecti, ſicuti ſimplicia vulnera curantur. In quibus verò aliquod vas vulneratum fuerit, vel Neruus ad curationem vulnerum Vaſorum, & Neruorum ſuperius dictam recurrendum eſt. Si verò cum his Vulneribus coſtæ nudatio, vel contuſio, vel fractura ſit coniuncta, denudata coſta vſq; ad ſanguinis effuſionem deradanda, idem etiam in contuſione ac fractura faciendum. Sed ſi coſta non ſolum ſit fracta, ſed etiam depreſſa, inquantum fieri poteſt, reducenda ad deradenda, & deinde Vulneris labia ſimul adducenda, ac conſeruanda, & aliquod glutinatorium Med. ex ſuperius dictis imponendum. Sed in carnis contuſione, & coſtæ fractura, vel contuſione, ſemper in fundo

orificium

orificium apertum seruandum, vt genitum pus expurgari possit, & à principio digerendum, deinde detergendum, postea carne replendum, & tandem cicatrizzandum, & semper circa Vulnus defensiuum applicandum vel Oleo Rosaceo inungendum. Et in his Vulneribus, idest simplicibus sine Costarum Fractura, vel contusione ad vniuersales euacuationes non recurrendum, nisi corpus pletoricum, aut Cacochimium fuerit; Victus tamen sit moderatus, & ex rebus optimi succi, & in reliquis se gerat, sicuti in alijs simplicibus Vulneribus fuit dictum. Quando verò huiusmodi Vulnera cum Costarum fractura, vel Collisione fuerint coniuncta, ad vniuersalia etiam, vt inferius dicetur, est recurrendum, & supra Vulnus Oxicrocium ceratum ad Costæ consolidationem applicandum.

De Thoracis Vulnerum penetrantium curatione absque internarum partium offensione.

IN his Vulneribus curandis, quatuor intentiones habere debemus. Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus consistit. Secunda in euacuantibus ac resoluentibus. Tertia in localibus ac particularibus præsidij. Quarta in superuenientium Symptomatum correctione.

Primam intentionem consequemur tenui victus institutione, vsque ad inflammationis terminum, si vires ferant, qui ad frigidum, & siccum tendat, deinde plenius alendus est Aeger, & à principio adstringentes cibi vitandi, ne sanguinis congelationem, si in Thoracis cauitatem sit delapsus, facerent, & difficilime anhelitum redderent. Competit ergo Hordacea Ptissana cum Amigdalis, & Melopeponum, & Cucurbitæ seminibus, similiter fercula parata cum Hordei Farina, & Amigdalis vel Cucurbita, Lactuca, Borrago, Betæ cum Amigdalis conditæ, Pabulis, & alijs, quæ Thoraci conueniunt, & pro potu Aqua Hordei, vel Cinamomi tepida cum Violaceo Iulapio mixta vtatur, vel Aqua in qua Radices Petroselini, vel Feniculi fuerint incoctæ, nisi febris obstet, Aer sit temperatus, & potius ad calidum, quam frigidum tendat, maneat in quiete, & omnis motus, loquela, ira, contentiones, veneris vsus, & similia deuitentur, somnus sit moderatus, & super Vulnus, vt plurimum dormiat ac quiescat, vt facilius contentæ materiæ exitus detur, & Aluus lubrica seruetur.

Pro Secunda intentione consequenda indito prius leniente clistere, nisi quid obstet, Vena Basilica oppositi lateris secanda, & quantitas sit secundum vires, & exigentiam; Pro Reuulsione verò facienda; Naribus ac alijs inferioribus partibus ficæ Cucurbitulæ, vel scarificatæ applicandæ, extrema fricanda, & arcte vincienda; Secunda die, si vires ferant, dandum Lenitiuum, ex crassia, Diacatolicone, & his similibus, deinde Syruppi refrigerantes ac diuretici instituendi cum per vrinam humores in Thorace contenti sepe vacuari debeant, vt inquit *Gal. 5. de locis Aff.* Quoniam à Vena sine pari per Diaphragma, & per Spinam ad emulgentes recta porrigitur ductus, qui Gal. & alijs antiquis ignotus fuit.

Syruppi ergo conuenientes sunt Syrup. de Endiuia, Capillorum vena politrici, & similium, Decoctum fiat ex Hordeo cap. Ven. Endiuia, Graminis Radicibus, & his similibus, si Febris adfuerit, & nisi febris prohibeat, ex valentioribus diureticis Decoctum fieri potest, vt ex Radicibus Feniculi, Asparagum, Petroselini, Apio, & his similibus, & dicti Syruppi non solum per vrinam humorum excretionem adiuuant, sed etiam per os, & si Aegri difficulter tussiant ac expuant, sputum ac tussis lambentibus Med. facilitentur, vt Syruppo de Glicirriza, de Farfara Violaceo Simpl. de pomis, Loch de Farfara, Sapo de Pino, cum panca Oximellitis, vel acetosi Syruppi portione mixta, & his similibus. Preparatis ac concoctis humoribus, pharmacum peccantes humores euacuans, & secundum vires, & alia requisita instituendum; & inter cætera Rhabarbarum competit, quam maxime, cum Membrana roborandi vim habeat, & alias optimas qualitates. In Tertia intentione consequenda lis est inter Autores, quoniam alij volunt, vt huiusmodi vulnera statim suantur, & agglutinatio tentetur; Alij volunt, vt quousque materia intra Thoracem contineatur, Vulnus apertum seruetur. Modò vtrorumque rationes in medium afferamus.

Vtrum Thoracis penetrantia Vulnera statim suenda sint, nec ne.

Qui

Affirmantium Rationes.

Qui consui volunt, inquiunt, quod si apertum seruetur Vulnus, vitalis calor expirat & imbecillior redditur, & simul periculum est, ne vitales spiritus citissime exhalent, per consuitionem à dicto periculo tuti reddimur, & in suo vigore seruatur calor, & materiam intro contentam concoquit, & deinde per ea, quæ Thoracem, & Pulmonem expurgant, vel per diureticas vias educitur. Similiter inquiunt, quod ex frigido Aere Vulnus ingrediente pulmo refrigeratur, & vna cum corde grauiter læditur. Tertio dicunt, quod quemadmodum in abdominis penetrantibus Vulneribus statim ad partium vnionem ac consuitionem confugimus, ita in Thoracis Vulneribus faciendum, & sicuti in illis Vulneribus materia intus contenta à Natura digeritur, vel per aliquam conuenientem viam euacuatur, sic in Thoracis Vulneribus fit, cum multas commodas vias prò materia præter naturam in aliqua parte contenta expurganda Natura adinueniat, & ibi paratas habeat.

Negantium Rationes.

Rationes eorum, qui aperta huiusmodi Vulnera esse seruanda inquiunt, huiusmodi sunt. Si materia intra Thoracis cauitatem præter naturam contineatur, facilliùs ob loci caliditatem, & continuum Thoracis motum inflammatur ac corrumpitur, Aegrotantemq; iugulat, vel in Empiema degenerat. Similiter Thorax libero spacio ob inspirationem, & respirationem, Cordiq; refrigerium indiget, quod ex contenta materia impeditur, & Aeger grauiùs læditur. Contenta item præter naturam materiam, cum euacuationem indicet, & in Thorace nulla adsit via, per quam commode, & cito expurgari possit ideo ne maius malum succedat, Vulnus apertum seruandum. Si verò inquiant aduersarij, per vrinam, & per os euacuari potest. Respondendum, quod difficultèr per hæc partes euacuatur, quoniam, si per vrinam materia euacuetur primum in pleuræ substantiam penetrare debet, deinde in venam sine pari postea in emulgentes, in Renes, in Diureticas vias, & tandem ad vesicam. Si per os ac per tussim materia per pulmonis Membranam ad arteriam asperam transmittitur, & tandem ad os ascendit, & expuitur, & ideo *Gal. 5. Meth. dixit*. Cum substantia laxus, & spongiosus sit pulmo, minimè etiam mirari conuenit, si sanguis, aut pus in Thorace contentum aliquando per Membranam illius transmittatur ad Arteriam asperam, quandoquidem per aliam longe duriorem in ossium fracturis effundi tur sanguis crassus ad calli generationem. Dixit ergò Gal. quod aliquando per Membranam pulmonis ad asperam arteriam transmittitur materia intra Thoracem contentam, quoniam raro, & difficultèr fit. Præterea si in Empiemate, vt materia educatur, inter quartam, & quintam costam, vel inter quintam, & sextam sectio fit. Cur in casu nostro, si orificium adest, claudendum, cum collectum sanguinem habemus, & Empiematis periculum adest. Nullo igitur pacto huiusmodi Vulnera conuenda concludunt. Et ad rationes aduersariorum respondeat. Licet ex Vulneris apertione calor imbecillior reddatur, tamen minus malum est hoc, quam quod ex retentione materiæ oriri potest, vt superius fuit dictum, Vitales spiritus similiter exhalare non possunt, si cito Vulnus turunda claudatur, vt fieri debet, & apertum diu non seruetur, & si valde latum sit Vulnus, eius pars conuenda, & sufficiens orificium ad materiam expurgandam relinquendum, nec tam cito, & tam facilèt per os vel per vrinam expurgari materia intra Thoracem contentam potest, quemadmodum per Vulneris orificium, vt superius fuit dictum, ex quo expeditissime tota materia educitur, ac euacuatur. Ad aliam rationem dicendum Aerem frigidum accensis carbonibus, dum Medicatio administratur, esse calefaciendum, & calida lintea super Vulnus apponenda, & si ex se Aer calidus sit, nullum nocumentum afferet, ad vltimam rationem dicendum, eandem non esse rationem de Vulneribus Thoracis, ac abdominis. Nam in abdominis Vulneribus retenta intus materia magni mali causa esse non potest, cum ob loci frigiditatem inflammari non possit, & hæc pars ad excrementa recipienda sit dicata, & in abdominis Vulneribus materia retenta in cauitatem illam descendit, quæ osse pubis coxendicis, & sacro osse concluditur, vbi rectum intestinum contineatur, ad quam cauitatem, tanquam ad cloacam natura totius corporis excrementa transmittere solet, & ideo per dictum intestinum

Superiorum Rationum solutiones.

& per

Quæstionis determinatio.

& per Anum, vel per Inguina huiusmodi materia euacuatur. Tutius ergo est apertum seruare Vulnus, & per commodam ad patentem viam materiam intro contentam euacuare, cuius euacuatio quam primum festinanda, ne temporis diuturnitate Vulneris labia occalleſcant, & fistula fiat. Si verò ruti essemus, quod nihil sanguinis, vel pauciſſimus intra Thoracem esset collectus, quod ex sapradictis signis, & ex Vulnere, quod inferiorem costæ apicem, per quam Vena, & Arteria perforatur, non tetigerit, & in Vulneris orificio spuma, vel sanguinis ampulla non autuerit, possumus etiam consuere, & Glutinantibus Medicamentis superius dictis, & per os assumptis glutinationem adiuuare. Quando igitur copiosus sanguis in Thoracis cauitate continetur, apertum seruandum Vulnus, & si angustum sit, vel obliquè tendat, vt frequenter in hac parte Vulnera esse solent, si candela, vel specillo via adiueniatur, tale instrumentum non extrahendum donec Turunda intromittatur. Nisi verò via adinueniri possit, vel angustissimum fuerit Vulnus, cutis, & exteriores musculi secandi, vt rectum fiat Vulnus, & Medicamenta facilius admittat, & in Vulneris angustia tantum aperiendum, quantum ad materiæ euacuationem sufficit. Nisi verò, vel ob timiditatem, vel quid aliud, sectio fieri possit, Turundis orificium dilatandum ac erodentibus Medicamentis. Sectio verò vel per transuersum, vel ad inferiora, ideſt versus inferiorem costam, & non ad superiora, vbi sunt Venæ, & Arteriæ faciendæ. His factis à principio Turunda Ouj albumine imbibita, vel alio Medicamento ad sanguinem sistendum apto imponenda, *Cum lib. de Vlceribus dixerit Hipp.* Recenti cuius Vlcer, olim fuerit in Ventre, prò valetudine est sanguis amplius nihilue è plaga statim fluens; In Thoracis ergo Vulneribus quamprimum sanguis supprimendus. Cum Turundæ igitur ad sanguinem sistendum, & Vulnus apertum seruandum deseruire debeant, vtin crassitudine Vulnus æquent, est opus debeant etiam esse molles, ne dolorem excitent, decurtatæ ne pulmones pungant, & ne Vulnus ingrediantur, & si ingrediantur extrahi possint, filum satis longum illis est alligandum (quoniam si in Thoracis cauitatem ingrederentur, & extrahi non possent, mortis esset causa) & splenia eodem oui albumine imbibita postea superponenda; Circum circa verò, ne dolor excitetur, Defensiuum Vnguentum applicandum, vel Oleo Rosaceo vino Austero mixto inungendum ac madefaciendum. Per os etiam, vt sanguis sistatur, dandi sunt Trochisci de Carabe, de Terra sigillata, Dragaganthi tubri cum Aqua Portulacæ, vel Poligoni, Saccarum Rosaceum vetus etiam optimum est, sic pulueris Lapidis Hematitis ad pondus scrup. I. cum portulacæ succo mixtus, aut Gummi pulueris Seminis Hyoschiami albi cum Aqua Mulla, vel Portulacæ, vel Plantaginis, vel propinetur Bolus Arm. Orient. vel Terra sigillata cum aliquo adstringentij decocto, vel adstringenti Aqua, & similia. Secunda die leniter ablatis splenijs, & Turunda, materia intra Thoracem contenta euacuanda, quæ si sit tenuis, & Infirmo super Vulnus se inclinante, tussiente, & Thoracem comprimente, facilè exit, & si Vulnus in superiori parte fuerit vt facilius materia exeat, etiam, pedibus suspendendus est Aeger, vt decliue Vulnus reddatur. Si verò materia ob sui crassitiem, vel copiam non exeat ac euacuetur, pluries, & quosque clara materia exeat, si Aeger ferre possit, detergentibus iniectionibus, Thoracis cauitas eluenda. Nisi ob virium imbecillitatem, vel quid aliud plures lotiones ferre possit, vna sufficiat, quæ mitiores, vel fortiores esse debent, secundum quod materia magis vel minus crassa erit; Mettreuchita igitur, siue alio iniectorio instrumento immissa detersiua ablutione, & quantitas sit secundum infirmi tollerantiam, & cauitatis rationae, vt ab vnc. 8. ad lib. 1. Aegro præcipiendum, vt, si potest, de latere in latus reuoluatur, vt optime cauitas eluatur, deinde paulatim se in Vulnus reuoluendo, Tussi ac Thoracis adstrictione materiam expellere nitatur, & nisi ob pulmonem Vulnus ob uranem, materia egrediatur, Cerea Candela, vel crasso specillo, quod non perforet, Pulmo propellendus, vel iubebimus infirmo, vt se paulatim reuoluat, vt in pulmonis agitatione materia effluat, & si his factis non exeat, piuica, siue sanie eductoria canula materia euacuanda; Educta materia

Sectio in Thorace quomodo fieri debeat.

Turundarum qualitas

Sanguinem sistentia per os assumenda.

iterum Turunda eiuſdem craſſitiei, & filo alligata immittenda, quæ à principio aliquo digeſtiuo, vt id quod fit. & Reſina Terebenthina, Oui vitello, Oleo Roſaceo, & Croco orientali fit, vel ſimili illinienda, deinde infraſcriptis deterſiuis, vel ſimilibus mundificandum.

℞. Reſinæ Terebenthinæ vnc. 3. Mellis Roſacei vnc. 2. Succi Apij, Plantaginis, an. vnc. 1. M. & modicum bulliant, deinde adde oui vitellos num. 2 Farinæ Hordei, Fœnugreci an. q. ſuff. M° & fiat in vng. forma, vel ℞. Mellis vnc° 1. Thuris, Myrrhæ, Sarcocollæ an. drag° 5. Farinæ Hordei, Fenugreci an. q. ſuff° M. & fiat in vng. forma.

Parti externæ Linteolum Roſaceo cum vino mixto madefactum, vt dolorem ac inflammationem prohibeat, vel defenſiuum Vnguentum applicandum, vel Diacalcitidis Emplaſtrum, & tranſacto Inflammationis tempore Diapalma vel Barbarum Ceratum applicari poteſt, mundificato vulnere Sarcoticis vt debemus, & ſecundum quod egrediens materia minuitur, ſenſim ſimiliter. Turunda minuenda, & carnem generare, & foramen claudere ſtudendum, ne ſi diu apertum ſeruetur Vulneris labia calloſa, & oſtra coſa fiant, & in fiſtulam degeneret. Si verò ob materiæ copiam intra Thoracem contentam grauiter patiens affligeretur, vel niſi poſt longum temporis interſtitium viſitari ac curari poſſit, vt ſpacio vnius, vel duorum dierum tunc ne contenta materia internas partes ledat, intra Vulnus plumbea, vel Argentea perforata cannula immittenda, vt orificium apertum ſeruet, & continuo materiæ, ſimul exitum præbeat. Animaduertendo ne in Thoracis cauitatem ingredi poſſit, vtque diximus filo alliganda, & dictis Medicamentis illinienda, ideſt à principio digeſtiuo, poſtea deterſiuo, deinde ſarcotico aliquo Vnguento, & deforis applicandum ceratum de Gratia Dei, vel de Gummi Elemi, vel Barbarum, vel Centaureæ, vt attrahant ſimulque exſiccent. Simplicia Detergentia intra vulnus injcienda ſunt ex vino calentia mulſa, vel vino mel ro, vt *Gal. 5. Meth. ingait*, vel Aqua Hordei mulſa, vel Aqua ex Tritici furfure mulſa & ſi magis detergere volumus, prædictis Mellis vice, Oximel miſcere poſſumus, Compoſita ſunt huiuſmodi.

Detergẽtia intra Vulnus iniciẽda.

℞. Hordei mundi, Lentium an. pug. 2. Caudæ Aequinæ M. 1. Roſarum rub. pug. 5. Aquæ Com. & Plantaginis an. q. ſuff. Succi mali punici parum, & ad tertias coque, & colaturæ adde Saccari vnc. 2. Syruppi ex infuſione Roſarum vnc. 3. Croci ſcrup. 1. M. & fiat iniectio, vel ℞. Gentianæ vnc. 5. Lupinorum, Lentium an. vnc. 1. Plantaginis, Agrimoniæ an. M. 5. Thuris, Myrrhæ an. dragm. 1. Mellis Roſacei parum, M. & in vino bulliant, & fiat iniectio, vel in vino coquantur Bettonica, Hyſopus, Lupinorum, farina Thus Myrrhae, & ſimilia.

Mundificato optime vulnere, vt intus & extra vuluus conſolidetur, aſtringentia decocta injcienda quæ fiant ex malis Cidonijs, Cytno, Gallis immaturis, Malicorio Rhu obſoniorum, Roſis Lentiſco Gareophillata, Radice Conſolidæ Maj, Mirabulanis, Balauſtijs, Folijs, & Fructibus Myrti, Acacia Hyppociſtide, Aqua Plantaginis, Roſarum, mali punici ſucco, & his ſimilibus. *Vulnus conſolidantia.*

Aliquando etiam Syruppi Myrtini, & Mellis Roſacei an. vnc. 1. poſt extractam eblutionem injciendum, ibique vſque ad aliam viſitationem relinquendum, & præcipuæ hoc fieri debet, quando inciſione ac attenuatione eſt opus, vel Diancoron cum Melle Roſaceo mixtum, quæ etiam ſanguinem ſiſtunt. Rebus etiam per os aſſumptis horum vulnerum ſanatio curari debet, & ideo poſt 14. diem mane conuenit, ſicuti ſuperius fuit dictum, Syruppus Myrtinus cum Melle Roſaceo mixtus, & cum Aqua Conſolidæ maj. & plantaginis, vel cum decocto Hyppociſtidis, Conſolidæ maj. Gareophillatæ, Hippuridis, Lentiſci, & ſimilium adſtringentium, niſi Anhelitus difficultas adſit, & cum his etiam admiceri poteſt Terra ſigillata Trociſci de Carabe de Succino, de Spodio, Mumia, Bolus Arm. Orient. & ſimilia, quæ non ſolum Vulnera conſolidandi vim habent, ſed etiam ſanguinem ſiſtendi, Rhabarbarum acerbum in his Vulneribus etiam optimum eſt Medicamentum, vel ex dictis Trociſcis pilulæ parari poſſunt, quorum quotidie ſummo mane ſcrup. 5 cum Syruppo dari poteſt.

Animaduertendum verò, vt omnia Mettalica fugiantur, cum in venenum con- *Notandum.*

conuerrantur, vt 5. *Methodi cap.* 5. & 9. *inquit Gal.*

De Pulmonum ac Diaphragmatis Vulnerum Curatione.

Differentiæ.

PVlmonum Vulnera, aut ſunt magna, aut parua, aut ad eius cauitates penetrantia ſunt, aut ſuperficialia, aut cum ſuæ ſubſtantiæ ex Vulnere egreſſione, vel ſine vlla ſubſtantiæ egreſſione.

In Pulmonum Vulneribus ſanandis ſcopi erunt ſanguinis profuſionem ſiſtere, cum magis vaſis ſint referti, inflammationem arcere, cui ob ſanguinis ſubtilis abundantiam, & calorem maxime eſt obnoxius & Vulnus glutinare ac conſolidare, quod ob ſui ſubſtantiam, & continuum motum, & alia ſuperius dicta, difficulter fit, Vena igitur Baſilica oppoſiti lateris ſecanda, ſed pluribus vicibus ſanguis extrahendus, vt inquit Gal. 5. Methodi Hyrudines Hæmorroidalibus Venis applicandæ, & aliæ Reuulſiones, Deriuationes, & Euacuationes ſunt faciendæ, niſi quid obſtet, vt ſuperius fuit dictum, & hæc omnia facienda, vt inflammatio prohibeatur, quoniam, vt inquit loco citato Gal. Si pulmonis Vulneri ſucceſſerit inflammatio, exigua ſpes eſt Vulneris agglutinandi, quandoquidem inflammationis ſolutę pus expurgari ſine tuſſi non poteſt, quæ Vulneri aduerſatur, inlongius tamen tempus produci ipſæ affectus poteſt; Victus ſimiliter quouſque inflammationis tempus præterierit, tenuis ſit, ſi vires ferre poſſint, & omnia in Chalybeata Aqua coquantur, & eadem Aqua pro potu cum Syruppo Myrtino, vel Roſarum ſiccarum bibenda, & vbi ob virium nimiam imbecillitatem ex magna ſanguinis hemorragia ortam, vinum ſit concedendum, ſit nigrum, auſterum, clarum, & vetus; Tranſacto inflammationis tempore plenius alendus eſt Aeger, & cum eius ferculis incoquenda coronea mala, vel plantaginis folia, vel mat. conſolidæ & ſimilia, & fugiant omnia acria, ſalſa, accida, & aromatica, & pinguia ac tuſſim irritantia; Frequentem reſpirationem, & deſtillationem à capite facientia quieſcat igitur animo, & corpore, & ſileat. Quoad particularia præſidia pro ſanguine ſiſtendo, præſertim quando maxime vrget infraſcriptus adſtringens, & Epuloticus puluis, vel ſimilis cannula intus inſufflandus, aut adſtringenti decocto mixtus, vel nigro, & auſtero vino, niſi febris aut inflammatio obſtet, injiciendus, qui etiam inflammationem arcet ac glutinat.

℞. Thuris, Maſtiches, Boli Armeni, Sang. Drag. an. p. æqu. M. & F. pul. ten. Omnia etiam, tàm quæ per os aſſumentur, quam, quæ deforis applicantur, valentem exſiccandi facultatem habere debent, & quæ per os ſumuntur auſtera, id eſt aſtringentia, vt acerba, & glutinoſa, & abſq; vlla mordicatione eſſe debent, vt Vulnus conglutinare, & conſolidare poſſint, vt Gal. inquit; Vtque ad hanc partem perueniant, lambendo ſumantur ſupino iacente infirmo.

Si verò mundare fuerit opus, inquit loco citato Gal. quæ modice abſtergunt, ſumenda, quod munus Mel. non coctum præter cætera præſtat, poſtea inquit. Quod internis vlceribus opitulatur Hyppociſtis, Balauſtium, Malicorium, Gallæ immaturæ, Terra ſigillata, Terra ſamia, Rhois, Roſarum ſuccus, Acacia, id genus alia, quæ citra incommodum præſidium internis viſceribus afferunt.

Danda verò hæc ſunt aliquo adſtringenti decocto, vt mali Coronei, Lentiſci, vel caniculorum Rubi, vitis vel Myrtillorum, vel denique ex vino aliquo auſtero & vbi Phlegmonis ſuſpicio ad fuerit, à vino cauendum. Sed cum his omnibus Mel admiſcendum Gal. præcepto 4. Meth. dicentis. Iam verò Medicamentis omnibus quæ Thoracis, & pulmonis Vlceribus ſunt deſtinata Mel admiſcendum eſt. Quod quidem digeſtionis eorum in corpus ac celeris tranſitus, veluti Vehiculum eſt, cum eo quod, neque nocebit Vlceri, Tuſſim etiam ſedat Mel detergit, ac pectori, & Naturæ eſt amicum; Competit etiam, vt ſuperius diximus, Diadragagantha, Diacodion, Trociſci de Terra ſig. Cornu Cerui aduſtum, Bolus Armen. Orient. & ſimilia in ſuperiori curatione dicta, vel per ſe, cum Syruppo Myrtino, vel de Roſis ſiccis, vel aliquo adſtringenti decocto diſſoluto, vt Hyppociſtidis, Pimpinellæ Garcophillatæ, Piloſellæ, Mai. Conſolidæ, Plantaginis, & ſimilium, Fragraria ſimiliter, Peruinca, Tormentilla,

silla, Alcimilla, Virga aurea, Bistorta, Sanicula, Vrſi Auricula, Pulmonaria, & Amaranti purpurei flos maxime ad glutinandum conferunt; Ab extra ſimiliter iniectionibus ſuperius dictis Vulnus abluendum, vel infraſcriptis.

℞. Roſarum Rub. Rad. Conſolidæ maiꝰ, Rad. Tormentillæ, Gareophillatæ, Centaureæ an. M. 5. Foliorum Oliuæ, Myrti, Sumach an. dragm. 2. Myrræ, Aloes Sarcocollæ an. dragm. 1. M. & coque in Aqua Hordei q. ſuff. cuius decocti ℔. lib. 1. Syruppi Myrtini, aut de Roſis ſiccis vnc. 2. Mellis Roſacei vnc. 1. M. & fiat iniectio, & quouſque clara exeat, ſi Aeger ferre poſſit, abluendum, & Vulneris orificium Turunda aut Cannula apertum ſeruandum, ſicuti ſuperius fuit dictum, vt materia expurgari poſſit, & deforis eadem Medicamenta, vt ſuperius fuit dictum apponenda.

Si verò aliqua pulmonis portiuncula extra Vlnus fuerit, & ab Aere fuerit alterata, quod ex nigredine cognoſcitur, alterata pars ferro reſcindenda, & ignito ferramento bis, vel ter ſana pulmonis pars inuienda, deinde intromittenda, vtque ſuperius fuit dictum curandum. Conſolidato pulmonis Vulnere, cum facile calloſitas inducta tollatur, & iterum vlcus excitetur, opus eſt, vt patiens ſe caueat ab omnibus ijs, quæ hoc efficere poſſunt, vt ſunt acria accida, ſalſa, & pinguia, Clamores, Curſus, Corporis concuſſiones, ſaltus, Labores, Equitationes, venti Veneris vſus, nimia ciborum, vel vini repletio, & ſimilia.

De Vulneribus Diaphragmatis in parte eius carnoſa, nihil aliud dicemus, niſi quod eodem modo, & eiſdem Medicamentis curantur.

De Aſperæ Arteriæ Vulneribus.

CVm Aſpera Arteria per Pulmonem diuaricetur, & quaſi ipſius pulmonis pars ſit, ideo quo ad vniuerſalia eadem requiruntur præſidia, quæ in pulmonis Vulneribus ſuperius diximus, & patiens taciturnus, & ſupinus iacet, & capite al quantiſper eleuato, & tuſſim deuitet. Quo ad localia, cum quamprimum hæc Vulnera conſolidatione egeant, ideo deforis, ſi Vulnus amplum ſit fiat ſutura, deinde Glutinantia in cap. 15. huius lib. ac alibi dicta applicentur. In Ore verò, vt in internis partibus quam primum agglutinatio fiat, continuo aliquod Medicamentum detineat, quod ſenſim, & tamquam Aqua per parietem, ad hanc partem perueniat, quod facile ſupino ſitu aſſequimur, dicente *Gal. 4. Meth.* Ad vlcus autem, quod in Aſpera Arteria, vt ſupinus quamdiutiſſime Medicamenta in ore teneat, & omnes qui illic ſunt, muſculos laxet remittatque præcipiendum. Influit namque ſic ſenſim, & paulatim de Med. aliquid ſenſibiliter, & manifeſtè in ipſam Arteriam; Nam, & quum naturaliter ſe habet, ſcire licet, potionis non nihil percolari. Semper autem cauendum eſt, ne largius quicquam, & per mediam ſpiritus viam influat, alioqui excitabit tuſſim. Hæc verò Medicamenta ſint in Eclecmatis, ſiue Electuarij, vel Gargariſmi forma, & ideo loco ſuperius citato Gal. dixit. Sed gargarizzare quoque iubendus eſt, qui ad fauces, aut pariſtima vlcus eſt. Frequenter igitur ſibi fauces colluat, & ſic ſemper aliquid ad affectam partem defluet. Electuaria ſint huiuſmodi.

Electuaria Glutinantia

℞. Puluerꝭ Dragaganthi, Gummi Arabici, Boli Arm. Orient. an. dragm. 1. ſpecierum Diadragaganthi frigidi dragm. 2. Rad. Conſolidæ maiꝰ ſub prunis coctarum vnc. 3. Syruppi Myrtini, vel de Roſis ſiccis q. ſuff. M. & S. A. fiat Electuarium, quod continuo in ore detineatur. Vel ℞. Puluerꝭ Boli Arm. Orient. pul. Centaureæ maiꝰ. M. cum Roſaceo Melle, vel Syruppo de Roſis ſiccis q. ſuff. & fiat Electuarij forma, Vel ℞. Conſeruæ Symphiti, Conſeruæ Roſarum antiquæ an. vnc. 1. Tragaganthæ torrefactæ, Gummi Arabici leuiter torrefacti, Cineris Cancrorum fluuiatilium in Aqua Roſacea loti an. dragm. 2. Corallꝰ Rubri, Boli Arm. Orient. Terræ ſig. an. dragm. 1. Sem. Plantaginis an. vnc. 1. 5. Syruppi de Roſis ſiccis q. ſuff. M. & fiat Elect. quod valet etiam ad pulmonis vlcera. Competit etiam Diadraganthum, Diacodion, vel Trociſci de Carabe, de Terra ſig. & alij ſuperius nominati, cum dictis Syruppis ad Electuarij formam redactis, vel cum infraſcripto decocto in gargariſmatum forma. Gargariſmata verò fiunt huiuſmodi.

℞. Sy-

℞. Syruppi Myrtini vnc. 2. decocti infrascripti lib. 1. M. & fiat Garg. ℞. matoris consolidæ M. 2. Foliorum Betonicæ, Rad. Tormentillæ, Pentaphili Rosarum aa. M. 1. Foliorum Pimpinellæ M. S. Gummi Tragaganthi, vnc. 1. Aquæ Calibeatæ q. suff. M. & S. A. Fiat decoctum, & colatur. Addi etiam potest Hipp. puris, Poligonum, Morsus Gallinæ, Centaurea, & similia.

De Vulneribus Gulæ siue Oesophagi.

IN curatione Vulnerum Gulæ, quo ad vniuersalia, & venæ sectio competit, & Diuersiones, & Reuulsiones superius dictæ, & cum purgantia Medicamenta instituí non debeant, frequenter clisteribus vtemur, quiescat Aeger, parum loquatur, & supinis iaceat, vt Gal. loco superius citato inquit, Cibaria in Aqua Calibeata incoquantur, vel in Aqua Hordei, & simul incoquantur Radices consolidæ, vel pimpinellæ, & fiat Hordei Pussana, Alica, Montanarum Auium carnes, & similia, vt recentia oua sorbilia vel Tremula; Prò potu vtatur Calibeata Aqua cum Syruppo Myrtino, vel decocto maioris. Consolidæ cum portulacæ Syruppo, & nisi febris adsit, vinum nigrum austerum clarum, & vetus competit. Quo ad particularia per interna, & externa huius partis agglutinatio adiuuanda; Ab extra ergo Vulnus si magnum fuerit, consuendum, & agglutinantia superius pluries dicta applicanda; Ab intra verò, si sanguis fluat, Trochisci de Terra sigillata, vel spodij cum Aqua polygoni, vel portulacæ dissoluti in ore continuo detinendi; Si Vulnus mundificatione egeat, mulsa cum Syruppo Rosaceo, aut mali punici, vel Lac acetosum, extracto prius Butyro, vel mel purum, vt Gal. inquit, in ore detineatur, & paulatim deglutiatur. Quomodo verò sint sumenda Medicamenta in Gulæ Vulneribus, inquit *Gal.* 4. *Meth. dicens*. Si Gula quæ tranfitum bibitorum, & commestorum est, exulcerata sit, Medicamenta non semel, nec tota simul sumenda, sed paulatim assidueque lingenda, & sane tum crassiora, tum magis lenta esse debent; Nam ex transitu contractuque Vlceribus, quæ illic habentur, emolumentum accedit, non ex continendo, & diutius adherendo, sicuti ijs, quæ in Ventriculo sunt; Pro Vulnere ab intra conglutinando ac consolidando competit decoctum Radicis Hyppuridis, & Centaureæ, in Aqua Calibeata, facto, cum Trociscis Tragaganthi rubri, & Tragagantha, mastiches, & Gummi his Medicamentis commiscendi, vt Gal. loco citato inquit, & ex his alijs in superiori curatione dictis, varia Medicamenta ad libitum componi possunt & hæc de hac curatione satis.

De Vulneribus Spinæ, & Spinalis Medullæ.

SI verò Spinæ, siue vertebrarum ossa tantum Vulnera sint, primis diebus infrascriptum Medicamentum leniter applicandum.

℞. Resinæ Terebenthinæ cum Vino, vel Aqua Betonicæ lotæ vnc. 2. Pulueris Olibani, Mastiches, Mumiæ aa. drag. 5. M. & vtere, Translata die 4. dicto Medicamento mel Rosaceum, vel Syruppus Rosaceus, & pulvis Myrrhæ, & Aloes addi potest, & circumsitæ partes, & tota spina, & aliæ nesuosæ partes Oleo Rosaceo, Chamemoli, Liliorum alborum Mastichino, & his similibus inungi debent; Si verò Medulla spinalis intra Vertebras contenta Vulnerata fuerit, cuius Vulnera transuersa, & magna, vt superius diximus læthalia sunt, & parua curatu difficillima, tamen in læthalibus Vulneribus, & si tantum prognostico vti debeamus, vti inquit *Gal.* 2. *Meth.* 9. Aliquod Medicamentum pro infirmi solatio applicandum.

In paruis Medullæ spinalis Vulneribus omne studium adhibendum, vt ad sanitatem perducantur. Sed cum Medulla spinalis, vt superius diximus, Cerebri naturam sapiat, & elongatum Cerebrum sit, ideo eadem Medicamenta, quæ in Cerebri Vulneribus, competunt. Sed cum duas curationes in Cerebri Vulneribus superius instituerimus; Alteram exsiccantem, & lænientem alteram; Sic in his Vul-

neribus eadem præsidia exsiccantia, & læ-
nientia conueniunt, quamuis à principio
vsque ad 7. vel 9. Lenientia magis con-
uenire nobis videantur; Instillentur ergo
intra vulnus infrascripta Medicamenta
moderate calida, quæ leniunt, & pene-
trant.

℞. Olei Rosacei Omphacini Comple-
ti, Succi Rosarum an. part. æquales M. &
destillentur, & huiusmodi destillatio in-
tra vulnus ponatur, & si inflammatio ad
sit, talis destillatio lacte abluatur, vel ℞.
Olei de Terebenthina, Rosacei Omph.
an. vnc. 2. Aquæ vitis vnc. 1. Myrrhæ,
Aloes, Mastiches an. dragm. 1. M. & gut-
tatim in vulnus instilletur, & supra vul-
nus Ceratum de Bertonica applicandum
partes circumcirca, & tota Spina, & Axil-
læ, ac Inguina, omnesque neruosæ partes
aliquo moderate calefaciente Med. ter,
vel quater in die, inungendæ, sicuti est
infrascriptum.

℞. Olei Liliorum alborum vnc. 1.
Olei Chamemolini, Mastichini, Adipis
Gallinæ, vel Anseris an. vnc. 5. M. & ca-
lidis inunge, vel applicetur Emplastrum
quod fiat ex Hordei Farina, Oleo Rosa-
ceo, & Omphacio; Transacta 7. vel 9.
die, exsiccante curatione cum Cephalicis
puluerib⁹, & alijs in Cerebri Vulneribus
dictis vti possumus.

Anodina. Si Dolores superueniunt, Oleo, ex
Ouorum vitellis, vel de Terebenthina,
vel Hypericonis vti debemus, & si perse-
uerent, applicetur infrascriptum Empla-
strum.

℞. Florum Chamemoli, Melilori, Ro-
sarum, Bertonicæ an. M. 1. Farinæ Hor-
dei, Sem. Lini, Lenium an. vnc. 2. Olei
Rosacei, Mastichini an. vnc. 3. Croci
scrup. 5. M. & pul. puluerizzentur, & S.
A. fiat Empl.

De Vulneribus Cordis, Pericardij. Caue Venæ Arteriæ abortæ nihil dicemus cum huiusmodi Vulnera omnino sint lethalia, & Medici curatione non egeant, sed tantum Prognostico.

De superuenientium Symptomatum correctione.

QVartus Vulnerum Thoracis curationis scopus ad accidentium correctionem pertinet, quæ sunt sanguinis Hemorragia, sanguis grumefactus, & in Thoracis cauitate coagulatus, Dolor, Grauitas, Inflammatio, Anhelitus difficultas, Tussis molesta, & destillatio continua.

Quo ad sanguinis effusionem sistendum recurre ad caput 43. huius lib. vbi de venarum ac Arteriarum Vulneribus agitur.

Sanguinem grumefactũ dissoluẽtia. Ad sanguinem in Thorace grumefactum dissoluendum, vt *Gal. 5. Meth. cap. 8. inquit*, posca optime dilura tepida potui est offerenda, vel detur infrascriptum Med. quod non solum grumefactum sanguinem dissoluit, sed etiam ad sanguinis concretionem prohibendam confert.

℞. Rhabarbari electi dragm. 1. Mumiæ scrup. 1. M. cum Aqua Plantaginis q. suff. & fiat potio, & si vis, vt valentius agat, addi potest Boli Arm. Orient. dragm. 5. & detur cum succo malorum punicorum.

Aliqui Diuretica, & sudorem mouentia præbent, sed vbi febris adest, cum talia Med. calida sint, febrem augent, & ideo non præbenda. Nisi verò febris adsit, offerri possunt; *Paul. lib. 3. cap. 45. & Aetius lib. 8. cap. 62.* laudant coagulum Leporis pond. scrup. 1. vel dragm. 5. cum Aqua Hysopi, vel Aceto dissolutum. Alij præbent dragm. 1. veteris Theriacę cum Aqua Scabiosę dissoluta, iniectiones etiam intra vulnus faciendæ cum rebus sanguinem dissoluendi vim habentibus, vt est Oximel cum Aqua Hordei mixtum, vel infrascriptum decoctum, quo est validius.

℞. Hordei cum suis corticibus M. 1. Rad. Tormentillæ, Consolidæ maj. Garyophillatæ an. M. S. M. & S. A. fiat decoctum, deinde coletur, & colaturæ ℞. lib. 1. Oximellitis vnc. 2. Syruppi Rosacei sol. vnc. 1. M. & intra Vulnus injce, & aliquam portionem, vulnus claudendo, intus relinque, & sic pluries vulnus ablues, quousque Vulnus mundum reddatur, & clara materia intus iniecta exeat.

Anodina Dolori, & Grauitati nisi adsit febris sequenti fomento, ac infrascripto Vng. subuenire possumus.

℞. Flo-

℞. Florum Chamemoli, Meliloti, Anethi, Sem. Lini, Fenugreci, Stechadis, Rosarum an. M. 1. M. & S. A. fiat decoctum, quo temperate calido pars foueatur, deinde sequenti Vng. inungatur.

℞. Vng. Dialtheæ vnc. 1. Vng. Resumptiui vnc. 1. 5. pinguedinis Anseris, Gallinæ an. dragm. 2. Olei Amigd. dul. Butyri recentis an. dragm. 6. Croci parum M. & fiat Vng. Si verò febris adsit, Vng. siue lotu possumus vti, & qui plura desiderat, recurrat, ad caput 19. huius lib. vbi multa adinueniet, & pro inflammatione remouenda ad caput 20. recurrat. Anhelitus difficultati ac præcipue tussi, cum maxime, Aegrotantem affligat, & Vulnus continuo dilaceret consolidatio nemque prohibeat, cum in tussi dilatetur ac contrahatur Thorax, & omnia eius velamina moueantur, quamprimum succurrere debemus, causam remouendo, quæ est copiosa materia intra pulmonem contenta, vel materia continuo ad Pulmonem destillans; Ad materiam intra pulmonem contentam euacuandam, Electuaria vias dilatantia, & tussim sedantia, & alia Medicamenta, quæ hoc efficere possint propinanda, vt est loch. de Farfara, de Pino, sanum, vel infrascriptum.

Med. tussim sedantia ac vias dilatantia.

℞. Saccari Violacei, & Nymphææ an. vnc. 5. Diatragaganthæ, Diapenidion sine speciebus an. dragm. 6. Succi Glicirizzæ dragm. 2. Styracis calamitidis drag. 1. 5. Myrrhæ, Rotarum siccarum an. dragm. 1. Dragaganthæ, Nucum Pinearum an. drag. 5. Syruppi violacei, vel de Glicirizza q. suff. M. & S. A. fiat Elect. Vel infrascriptum decoctum quod frequenter offerri debet, vel saltem mane, & se ℞. Hordei mundi pug. 1 Liquiritiæ Rasæ, & Contusæ vnc. 1. quatuor seminum frigidorum maiorum vnc. 5. Passularum vnc. 3. Iujubarum vnc. 1. Capillorum Ven. Violarum an. M. 1. Caricarum num. 6. Penidiorum vnc. 3. Sebesten albissimi vnc. 4. Aquæ Hordei q. suff. M. & S. A. fiat decoctum, & colato, & temperate calido, vt diximus, Aegrotanti offeratur.

Comperit etiam Loch de Pulmone Vulpis, Diatragaganthum album, Diapenidion, Syruppus de Glicirizza, Capillorum Ven. de Hisopo, qui mane præberi debent. Deforis illiniatur pectus cum Vng. Pectorali, vel cum Oleo Amigdalarum dul. Violarum, pulli pinguedine, Recenti Butyro, & mucilaginæ Altheæ simul mixtis, vel infrascripto Vng. vel alijs Thoracis musculos emollientibus.

℞. Olei Amigdalarum dul. Lileacei an. dragm. 3. Pinguedinis Gallinæ dragm. 1. 5. Butyri recentis dragm. 2. Succi Fenugreci, Radicis Altheæ an. drag. 1. Styracis dragm. 5. pul. Radicis Helenij, Iridis an. dragm. 1. Croci scrup. 5. Ceræ q. suff. M. & S. A. fiat Vng. Victus sit conueniens, & dulcia in hoc affectu conueniunt, & omnia frigida vitanda, sicuti Aer, & omnia alia, & si prauorum humorum plenitudo adsit, conuenientibus Med. euacuandi. Destillationibus etiam resistendum, quæ cum sint subtilis materiæ aut salsæ, Pulmonis Vulneris consolidationem impediunt, tussim excitant, somnum perturbant, & sic concoctiones impediunt, & multorum aliorum prauorum Symptomatum sunt causa; Vt ergo huic Symptomati resistamus eius causa considerandæ ac etiam humoris defluentis conditio; Cumque causa, vt plurimum prauorum succorum repletio sit, & materia subtilis, & calida; Ideo Venæ sectio, & purgationes conuenientibus Medicamentis fieri debent; Sic Reuulsiones, & deriuationes, vt plures superius fuit dictum, & si necessitas vrgeat, vesicatoria primum distantibus partibus, deinde collo, & capiti sunt applicanda. Subtilis materia inctassanda rebus Vulneri etiam proficuis, vt Trocisis de Terra sig. de Carabe, de Rosis, Diacodione Melle composito, pilulis de Cinoglossa, Syruppo Mirtino, Rosaceo, de Papauere, & his similibus Capiti verò derasis capillis supra Coronalem Suturam infrascripti pulueres vel similes aspergantur. ℞. pul. mastiches. Sandrachæ, Boli Arm. Balaustiorum an. part. æqu. M. & si destillans materia sit calida, infrascriptum Empl. raso capiti imponatur.

℞. Terræ Lemniæ, vel Boli Arm. q. vis, & Plantaginis succo commisce, & fac ad Emplastri formam, & applica, & victus conueniens instituatur.

De Abdominis & Partium intra contentarum Vulneribus Cap 80 Abdominis Anatomes.

VT recte Abdominis Vulnera curare, & in eius lesæ partis cognitione deuenire possimus, sicuti de alijs partibus superius fecimus, huius partis Anatom ē quo

ad

ad rem noſtram pertinet deſcribere optimum erit.

Abdomen ergo tota illa pars vocatur, quæ à ſpuriis coſtis, Lumbis Iliumque oſſibus comprehenditur, quæ conſtat cute, pinguedine, Membrana carnoſa, octo muſculis, & ſub his omnibus adeſt Membrana quædam, peritoneum dicta, quæ ſubſtantia eſt tenuis, & omnia viſcera, quæ ſub Diaphragmate ſunt, ab ea colliguntur, & circum circa veloti inuolacrum ſtringit ac comprehendit, & viſcera ab exſtrinſecis muſculis interſtinguit, & vnumquodque contentorum viſcerum etiam hæc Membrana ſeorſum tegitur.

Viſcera intra peritoneum contenta ſunt Iecur, Lien, Ventriculus, Inteſtina, Renes, Veſſica, Vaſa ſeminaria, Vaſa diuretica, adeſt etiam omentum, & Meſenterium, & ſuper ſpinam Vena caua, & Arteria Aborta deſcendit. Iecur immediate ſub Diaphragmate dexteram partem maxima eius portione occupat, cuius pars Ventriculo inſider, & erga ſiniſtram tendit; Cuius ſubſtantia ſanguini euaporato, & incraſſato ſimilis eſt, & eſt ſanguinis officina à quo duæ Venæ magnæ procedunt, vna caua dicta, quæ ab eius gibboſa parte procedit. Altera porta nominatur quæ eſt in eius cauitate, in qua Hæpatis parte felli Veſſicula appenſa adeſt. Lien in ſiniſtra animantis parte conſiſtit, & Iecori eſt oppoſitus, & ipſius concauo ad dexteram conuerſo ad Iecur, & Ventriculum infertur. Eius ſubſtantia eſt rara, laxa, & ſpongioſa, & arterijs numeroſis, & magnis, & Venis interrexta, quæ nigro, & craſſo ſanguine ſunt refertæ. Ventriculus à mucronata cartilagine incipit meatus exactæ inter ſiniſtram, & dexteram Animalis partem. Sed magna eius portio dexteram occupat, & vbique vt diximus, ſingula habet viſcera dextero latere Iecur, cuius fibris tamquam digitis comprehenditur, in ſiniſtro Lien, inferius poſitus, & ei tamquam puluinar deſeruiens, vtque ab ambobus his viſceribus concaleſcat, & melius cibum concoquat, figuræ eſt rotundæ, & veloti Cucurbita oblongus, tribuſque tunicis eſt compoſitus duabus propijs, & exterior à peritoneo orta, & ad hanc partem pauciſſimæ Venæ, & exiles Arteriæ perueniunt, & per Neruorum non exilium ex Cerebri ſexta coniugatione ad Ventriculum perueniunt, & per eius os præcipuæ, & partes ori vicinas, & alias ad fundum vſq; percurrunt. Ventriculi fundo pilotum dicto, Duodenum inteſtinum vnitum eſt quod longitudine duodecim Digitorum eſt; Huic continuum eſt Inteſtinum Ieiunum, quod ſatis longum eſt, & hoc ſequitur Inteſtinum Ileon dictum ſatis ſimiliter longum, & hæc ſunt tria Inteſtina Gracilia ac tenuia, quæ in multos giros ac anfractus circa anteriorem Abdominis regionem conuoluuntur.

Inteſtino Ileon continuum eſt inteſtinum cecum, quod eſt tamquam Marſupium in dexteroque latere eſt ſitum, huic continuatur, inteſtinum colon, quod a dextera parte ſub Ventriculo tendens, ad ſiniſtram partem perreptat, & deorſum deſcendendo cum recto inteſtino iungitur, quod per os ſacrum recto tramite ad podicem vergit; Et hæc ſunt tria inteſtina craſſa, & inter hæc colon dictum maxime eſt capax, & ſatis longum cum ſit ſæcum receptaculum. Duabus Tunicis inteſtina ſunt compoſita vna propria, alia ex peritoneo orta, & Nerui ex Cerebro, tùm ſenſui, tùm ipſorum excretioni inſeruientes Inteſtinorum Tunicis ſunt inſerti; Omnia verò dicta inteſtina Meſenterio complectuntur, quod originem ducit ex peritoneo iuxta ſpinam, & eius ſubſtantia eſt compoſita ex duplici tunica, & Glandulosis corporibus, pancreis dictis, & per hanc partem omnes Meſaraicæ Venæ quæ ad Iecoris portam in vnum colliguntur, perreptant; Supra inteſtina, à parte anteriori, ideſt immediatè ſub peritoneo, Omentum diſtenditur, quod Epiploon, & Zirbus etiam dicitur, compoſitum enim eſt ex duabus denſis ſubtilibuque tunicis mutuo ſibi incumbentibus, & multis præterea Venis, & Arterijs, & pinguedine non pauca contextum eſt, vt Ventriculum, cuius fundo inſidet, foueat, innatumque calorem per inediam tueatur, & ideo quibus per vulnera id excidit, & præſcindi id fuit neceſſarium, ij Ventrem frigidiorem habent, ægre concoquunt, operimentiſque pluribus indigent, origo eius eſt ad ſpinam, vbi Vena magna, & Arteria primum exporrigitur, & in hominibus præſertim pinguibus ad pubis oſſa deſcendit.

Renes

Renes propè cauam Venam sunt siti, paululum sub iecinore, & dexter in omnibus Animalibus elatior eminet, & aliquando iecoris Fibram attingens; Aliquando, sed raro, sinister propè dextrum, aut etiam sublimior inuenitur, Carne constat densa, & solida, & sua facultate à Venis, & Arterijs serosum sanguinem per emulgentia vasa ad se alliciunt, deinde alienum à familiari separant postea id per diuretica vasa ad vesicam expellunt, diuersa ergo vasorum orificia Renes habent, alia ad attractionem, & ad expulsiones alia; Sinus verò in vtroque Rene existit, corpore quodam Membraneo circundatus, & ab extra adiposa Membrana obhereſcit; Ex Renibus, vrinarij meatus singuli albicantes, & validi, substantia vesicæ similes proueniunt, & anfractuose circa vesicæ initium inferuntur, & hi duabus tunicis sunt compositi, Vasa seminaria sunt duæ Venæ, & duæ Arteriæ singulæ vtraque parte, magnæ Venæ, & magnæ Arteriæ propagines, per illa deorsum in testes sanguinem deferentes, quæ ortu suo inuicem variant, in dextris regionibus ab ipsius cauæ non latere, sed medio fere sub ea, quæ hac parte in Renes tendit, originem accipit; Quæ sinistra parte testiculo inseritur, ex ea, quæ ad Renes fertur, emulgens dicta procedit, cui nonnumquam ramulus à caua accedit, & cum hoc vna pergit. Hæc seminaria vasa deorsum Membranulis dorso annexæ ad testes feruntur.

Vesica suo pube est sita, duabusq; tunicis est composita, & eius cervix satis crassa est, eius verò capacitas, & fundum subtile ac neruosum est. Hæc enim pars vrinæ est receptaculum, cum in hac Renes per vrinarios meatus, Vreteras dictos, qui obliquo itinere, vt diximus, ei inseruntur, veluti in Lagenam vrinam deponunt, & huic parti. Intestini recti pars, & os sacrum subiacet; & vesicæ cervix est propè meatum seminarium, quod ex testium regionibus in pudendum prodit; In mulieribus verò inter vesicam, & Rectum Intestinum vterus adest, qui etiam duabus Tunicis est compositus ad cuius latera, quæ sunt veluti cornua, parui testes adsunt, cum suis vasis seminarijs ac deferentibus, & Nerui in ipsius corpus disperguntur ad sensum præstandum, & Venæ, & Arteriæ à magnis vasis spinæ incumbentibus deductæ, vt hæc nutriatur, ac etiam fœtus, quando in vtero geritur, quæ etiam vteri sespensoria existunt, & hæc de huius partis Anatome satis.

De Abdominis Vulnerum Differentijs.

ABdominis Vulnera; Alia sunt penetrantia; Alia non penetrantia.

Non penetrantia sunt illa, in quibus partes supra peritoneum contentæ Vulneratæ sunt, peritoneo intacto; Penetrantia sunt illa, in quibus etiam peritoneum est Vulneratum, & hæc penetrantia Vulnera; Alia sunt cum partium intra peritoneum contentarum læsione; Alia sine vlla contentarum partium læsione, & quæ sunt sine internarum partium læsione; Alia sunt cum exitu alicuius partis, vt Omenti, vel Inteſtinorum; Alia absque harum partium exitu; Penetrantium Vulnerum cum internarum partium læsione tot differentiæ esse possunt, quot sunt partes in Abdomine contentæ, vt Vulnus Iecoris, Lienis Ventriculi, Inteſtinorum, & cœt. Et ex his Vulneribus; Alia sunt parua; Alia magna; Alia mediocria, & ex his; Alia sunt obliqua, ideſt quod eius orificium oblique tendit; Alia recta, quod recto tramite tendunt.

De Abdominis Vulnerum Signis.

PEnetrantium Vulnerum signa ex pluribus desumi possunt; Primum ex Digiti, vel stili, vel Cereæ Candelæ immissione, quoniam si horum multa portio ingrediatur (modo aduertamus ne dicta oblique inter musculos ingrediantur) penetrationis manifestum est indicium, in non penetrantibus stili vel Candelæ pauca portio ingreditur.

In Vulneribus penetrantibus oblique tendentibus, aliquando etiam, si penetrantia sint, orificium non adinuenitur, & ideo magna stili vel Candelæ portio ingredi non potest, & ex alijs signis in penetrationis cognitionem deuenire debemus, vt ex Vini iniectione Caterere facta, quoniam si penetrabit, in cauitatem

Vinum

Vinum ingredietur, niſi penetret, rerro egredietur, omenti item, vel Inteſtinorum egreſſio manifeſtiſſimum penetrationis eſt indicium; Ex comparatione item facta inter Vulneris magnitudinem, & Vulnerans inſtrumentum, in penetrationis, vel non penetrationis cognitionem deuenire poſſumus.

Signa Vulnerati Iecinoris.

VVulnerati Iecinoris ſigna ſunt, quod Vulnus in dextero Hipocondrio eſt, vbi Hepatis adeſt regio; Ex tali Vulnere magna ſanguinis nigri, & craſſi copia emanat; Precordia ad ſpinam contrahuntur, & leuis quædam tuſſicula ſuperuenit, Punctiones, & Dolores, ob conſenſum, vſque ad iugulum extenduntur; Ex cubatione in ventre dulcedinem ac alleuationem perſentiunt, & aliquando etiam bilis vomitus accidit, vt *C. Celſus lib. 5. cap. 26. inquit*. Poſt aſſumptum cibum præcordiorum grauedinem perſentiunt, inquieti fiunt, graui febre corripiuntur, ſiti infeſtantur, aliquando ſanguinolentum lotium minguut, ac etiam poſt dies aliquot per Aluum putrefactum ſanguinem excernunt & facies decolorata, & Cinericea fit.

Signa Vulnerati Lienis.

LIenem Vulneratum indicantia ſigna ſunt, Vulnus in ſiniſtro Hipocondrio & nigerrimi, & craſſi ſanguinis egreſſio, Præcordia cum Ventriculo ab eadem parte indurelcunt, maxime ſiriunt, & dolor ad iugulum vſque extenditur.

Signa Vulnerati Ventriculi.

VBi Ventriculus fuerit Vulneratus, ſub mucronata cartilagine eſt Vulnus, vt loco citato inquit *C. Celſus*, ſingultus, & bilis vomitus enſcitur, appetitus defectio, & nauſea, & ſi quid cibi vel potionis aſſumptum, eſt, id cito per vomitum redditur, Arteriarum motus elangueſcunt. Sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt, per Vulnus chilus, vel aſſumptus cibus, & potus egreditur, & ingens dolor excitatur, qui Syncopen aliquando efficit, frequens vertigo fit, ſputum ſanguinolentum redditur, & præcordia indurantur.

Inteſtinorum Vulneratorum ſigna.

IN Gracilium Inteſtinorum Vulneribus, & præcipue ieiuni dicti, eadem ſigna adſunt, quæ in Ventriculo Vulnerato, vt *C. Celſus inquit*; Nam cibi, & potus per Vulnus exeunt, precordia indureſcunt, nonnunquam bilis per os redditur, & Vulnus circa vmbelicum, vel in ſuperiori parte erit; Maximi dolores Agrotantem infeſtant, & valida febris, & in huiuſmodi Vulneratis pulſus admodum exiles, & frequentiſſimi fiunt. Si craſſa fuerint vulnerata ex ſtercoris odore, vel per Vulnus egreſſione cognoſcitur, & per aluum ſupprimitur.

Renum Vulneratorum ſigna.

SI Renes fuerint Vulnerati, cognoſcitur quia Vulnus eſt in Dorſo prope ſpondilia, ſub legitimis coſtis, vrina ſupprimitur, vel difficulter redditui, & ea aut eſt cruenta, & ſanguinolenta, aut ſanguis mingitur, Dolor grauis affectam partem affligit, & ad Inguina, & Teſticulos deſcendit ac extenditur, & quando Vulnus eſt magnum, ex Vulnere aquoſus ſanguis egreditur, & dolores augentur.

Veſicæ Vulneratæ ſigna.

VVlneratæ Veſicæ ſigna ſunt, pectinis Vulnus, maximus partis, & inguinum dolor, quod ſuper pubem eſt, intenditur, vrina ſupprimitur, vel pro vrina ſanguis mingitur, aut ex ipſo Vulnere vrina egreditur, vt ventriculus ob conſenſum afficitur, itaque aut bilem vomunt, aut ſingultiunt.

Meſſenterij Vulnerati ſigna.

SI Meſſenterium fuerit Vulneratum nigrioris ſanguinis copia egreditur, Dolores intollerabiles fiunt, & Nerui circa Ceruicem ac Thoracem fere conuelluntur, & incuruatio ſequitur cum per Meſſenterium multæ Neruorum propagines ex ſexto pari, & à ſpinali medulla ortæ diſpergantur.

Omenti

Omenti vulnerati signa non ponemus cum ex huius partis Vulnere neque dolor, neque aliud paruum Symptoma sequatur.

Vteri Vulnerati signa.

VTeri Vulnerati, vt *C. Celsus loco citato inquit*, signa sunt dolor in Inguinibus, & Coxis, & Femoribus est, Sanguinis pars per Vulnus pars per naturale descendit, bilis vomitus insequitur, quædam obmutescunt, quædam mente labuntur, quædam sui compotes Neruorum Oculorum dolore vrgeri se confitentur, morientesque tandem, eadem quæ corde Vulnerato patiuntur.

De Abdominis Vulnerum Prognostico.

ABdominis non penetrantia Vulnera si rite tractentur, absque vllo periculo sunt, nisi sint valde magna; Penetrantia Vulnera absq; vllius internæ partis læsione, ratione magnitudinis ac latitudinis, non sunt absque periculo, Omenti etiam Vulnera periculosa non sunt, sed ex eius abscissione subiectæ partes frigidæ, & ægre concoquentes relinquuntur. Lateralia Abdominis Vulnera minus sunt periculosa, ijs, quæ in medio sunt, vt inquit *Gal. 6. Meth.* cum pars media sit magis neruosa, & sutura in medio difficulter administretur præterea etiam intestina ad hanc partem impetum faciunt, & procidunt, & sic glutinationem impediunt; Eodem loco etiam inquit Gal. Quod mediocre Vulneris foramen angusto salutarius est, quoniam, & si per mediocre foramen plura intestina egrediuntur, tamen facilius denuo intromittuntur, & in paruis Vulneribus intestina, quæ excidunt, difficilius intromittuntur, & nisi, quod procidit, illico in suum locum reponatur, inflatur, & in tumorem assurgit, quo fit, vt per angustum foramen immitti non possit, & ideo minus graue per huiusmodi Vulnera mediocre foramen est. Vulnera Abdominis penetrantia cum internarum partium læsione, vt plurimum læthalia sunt, & ideo *Hipp. 6. Aph. 18. inquit*, Pertusa perfectaque Vessica, Cerebro, Corde, septo transuerso, Tenui quoque Intestino, Ventriculo, Iecore, Lethale est, & *Celsus lib. 5. cap. 26. inquit*. Seruari non potest cui basis Cerebri, cui cor, cui Stomachus, cui Iecinoris pars, cui in Spina Medulla percussa est; Cuiq; aut pulmo medius, aut Ieiunum, aut tenue intestinum, aut Ventriculus, aut Renes Vulnerati sunt cuiue circa fauces grandes venæ, vel Arteriæ percussæ sunt,

Iecinoris Vulnera magna, vt diximus læthalia sunt, tamen superficialia, & parua, & si difficulter sanentur, tamen non omnino lethalia sunt. Sic Lienis Vulnera parua, & superficialia sanari possunt, magna verò, & profunda, cum hæc pars inflammationibus maxime sit obnoxia, periculosissima sunt, Ventriculi superficialia, & non penetrantia Vulnera, vt inquit *Gal. 5. de locis Aff cap. 5. sanari possunt*. Penetrantia verò, & præsertim oris eius omnino lethalia sunt; Eius verò fundi Vulnera nisi magna sint, curari posse inquit Gal. cum Medicamenta facilitèr ad fundum perueniant, & ibi permaneant contra verò in Ventriculi ore accidit.

Omnium intestinorum tenuium Vulnera læthalia sunt, vt citati Autores inquiunt, & Hpp. lib. de morbis, sed ieiuni præsertim omnino incurabilia sunt, vt inquit *Gal. 5. Meth. cap. 2.* & quia eius tunica neruosa, & tenuissima est, & multis Vasis est referta, & quia sinceram bilem recipit, & tandem quia Hepati valde est proximum. Crassorum verò intestinorum parua Vulnera, & per eorum longitudinem tum ob eorum crassitiem, & quia minori Vasorum copia sunt referta, & quia Medicamenta facilitèr ad partem affectam per clisteres, mittuntur ac retinentur, tum ob alias causas facilius sanantur. Si verò Vulnera sint magna, & transuersa maxime sunt periculosa. Si verò intestina ob Aeris alterationem liuida, vel nigra fuerint reddita, actum est de illis. Renum Vulnera, vt diximus læthalia sunt, & si aliqua forte sanentur, hoc difficillime, & post longum tempus fit, cum Aquoso sanguine Renes nutriantur, & multa humiditas per eas pertranssit, quæ omnia Vulneris sanationem impediunt.

Vessicæ Vulnera, idest eius capacitatis, & fundi, quæ pars tenuis, & neruosa est, insanabilia sunt, & huius partis Vulneribus maximi dolores, inflammationes, & Conuulsiones superueniunt, & si patiens

non

non pereat, continuo per Vulneris orificium vrinam emittit; Eius verò colli Vulnera, vbi Veſſica craſſa, & carnoſa eſt ſanari poſſunt, vt in dies in calculorum extractione apparet.

Vteri Vulnera periculoſa ſunt, & curatu difficilia, vt inquit loco ſuperius citato *C. Celſus*; Sic in præcipiti ſunt, quibus magna vaſa fuerint Vulnerata, & ideo vaſorum ſeminarium, & Diureticorum Vulnera periculoſa etiam ſunt, cum hominem ſanguinis profuſione, vel dolore enecare poſſint.

De Curatione Vulnerum Abdominis.

NOn penetrantia Abdominis Vulnera, ſicuti aliarum carnoſarum partium Vulnera curari debent, primum ſanguinem ſiſtendo, deinde partes futura vniendo, & ſi opus fuerit, in Vulneris fundo, paucorum dierum ſpacio orificium relinquendum, & oportuna Med. ſicuti de carnoſarum partium Vulneribus fuit dictum, applicanda.

In curatione penetrantium Vulnerum Abdominis abſq; internarum partium læſione, ſi Omentum, vel Inteſtina non fuerint egreſſa Vulnere, ſi huiuſmodi Vulnus futura egeat, quamprimum ſuendum. Si verò ob eius anguſtiam futuram non egeat, glutinatio Medicamentis ad id aptis quamprimum adiuuanda, vt Oleo Abietino ſtillatitio, vel de Terebenthina, vel alijs cap. 15. huius lib. deſcriptis, & deinde conuenienti faſciatura, ita tamen, vt dolorem non inferat, vincien-dum; Suppoſitis ſemper vniuerſalibus præſidijs, id eſt Venæ ſectione, purgatione, & optimâ diæta, & animi, & corporis quiete.

In curatione verò penetrantium Vulnerum abſque internarum partium læſione, ſed cum earum exitu, non alium magiſtrum ſequemur, quam *Gal. qui 6. Methodi cap. 4. optime hanc curationem deſcribit, inquit igitur*. Primum itaque id agendum eſt, vt inteſtina, quæ exciderunt in ſuum recondantur locum; Secundo, vt Vulnus ſuatur; Tertio vt Medicamentum apponatur; Quarto vt proſpiciamus, ne quæ præſtantior pars ſimul afficiatur. Pro primo conſequendo ſcopo, ſi Vulnus mediocre fuerit, inteſtinum prolapſum manibus, & digitis leniter impellendo, & Chilum in interiorem inteſtinum exprimendo, eius intromiſſio tentanda, quod facilimè fit, quando recenter inteſtina exciderint, & flatu replera non fuerint; Si verò ita paruum fuerit Vulnus, & inteſtina ob longam extra ventrem moram, ex ambientis frigore ita flatibus repleta, & turgida fuerint reddita, vt intromitti nequeant, flatus diſcuſſio prius eſt tentanda, aſſidue igitur fouenda ac calefacienda inteſtina molli ſpongia calenti Aqua imbibita, & expreſſa, vel calenti vino nigro, & auſtero, cum id magis ob innatam caliditatem calefaciat ac flatum diſcutiat quam Aqua, roburque inteſtinis addat, vt Gal. inquit, vel huiuſmodi vino, ſiue Aqua flatus diſcutiendi vim habentia incoquenda, vt eſt Calamintha, Origanum, Pulegium, Anetum, Chamæmolum, Melilotum, Spica, Ciperum, Dictamnum, Semina Anſorum, Feniculi, Ammeos, Ceruici, Dauci, & ſimilia, vel Animalia, aduch viua diſſecta, & calida applicanda prolapſis inteſtinis, vt ea calefaciant, & flatum reſoluant, vt ſunt Catuli, Gallinacei Pulli, vel Columbæ, vel calidi Animalium pulmones, vt aliqui voluat.

Patiens ſimiliter manibus, & pedibus appræhenſus eleuandus, ac concutiendus vt inteſtina ingrediantur, & in naturalem ſitum reuertantur, vt Rhaſes voluit; Si his præſidijs inteſtinorum tumor ac inflammatio non ceſſerit, & intromitti non poſſint tantum Vulnus, Siringotomis ſiue curuo Gladiolo, in eius acumine Cera impoſita, eſt dilatandum, quantum ei quod exciderit, intromittendum, vt verò in naturalem ſitum inteſtina redeant, cum fuerint intromiſſa, leuiter comprimendus eſt Ager, Scalpelli ſiue Gladioli, quibus acies vtrimq; eſt, aut quibus culpis acuta eſt, pro Vulnere dilatando, omnino fugiendi, propter periculum quod adeſt, internas partes vulnerandi.

Laborantis autem ſitus talis ſit, vt quæ Vulnerata pars eſt, ſublimiorem ſemper locum obtineat, & ſic cauebimus ne id quod exciderit, quicquam ab inteſtinis alijs degrauetur, & cura aliquantiſper eleuata permaneat. Si Omentum fuerit egreſſum, & refrigeratum non fuerit, neque colorem ad pallidum, vel liuidum, vel nigrum mutauerit, quamprimum intromit-

Quomodo intromittendum.

Flatus diſcutientia.

Quomodo Vulnus tandum.

Prolapſum Inteſtinum

De Omenti Egreſſione.

tromittendum, cùm citissime ab Aere alteretur ac putrescat, vt inquit *Hipp. 6. Aph. 58. & Gal. in eius Com.* Nisi verò omninò fuerit refrigeratum, & pallescere inceperit, calida Aqua, vel Vino nigro calido simplici, vel in quo Chamemolum fuerit incoctum, omentum fouendum, & si colorem, & naturalem calorem recuperauit, intromittendum, nisi calorem recuperauerit, vel nigrum fuerit factum, vinculo id totum, quod refrigeratum fuerit, ac colorem mutauerit, in eius confinio excipiendum, & sic quod post vinculum est, amputandum, fracta amputatione intromittendum omentum, & fili seu vinculi capita extra Vulnus relinquantur ac pendeant, vt conglutinato omento, Ligamentum seu filum educere possimus; Vinciendum verò omentum, ne ex eius sectis vasis sanguinis intra Abdomen magna effusio fiat, cum multa vasa per talem partem dispergantur, vt in Anatome fuit dictum. Non est verò opus vstione, post omenti amputationem, vt multi faciunt, sed solum vinculum sufficit.

Abdominus Vulnera quo modo suenda.

Prò secundo scopo consequendo, non solum Medici opera est opus, sed etiam diligentis ministri; Situato igitur infirmo in parte Vulneri opposita, & propè lumen quando intromissa in suamque sedem reposita intestina fuerint, minister manibus suis, extrinsecus tota Vulneris labia apprehendere debet, & intro reprimere, & constringere, ac exiguum semper consuenti Medico prænudare, ac porrigere, quin etiam, quod assutum fuerit, modice comprimere, quo ad totum persuatur oprimum erit; Quomodo verò sui debeat, inquit dictus Autor dicens; Quoniam autem coire coalescereque oportet cum peritoneo Abdomen, ideſt peritoneum cum Abdominis musculis, & vicissim Musculi cum peritoneo, cum difficulter peritoneum cum peritoneo vniatur, cum Membranosum, & tenue sit, & nisi peritoneum etiam vniatur intestinalis Hernia sequitur, vt in mulieribus aliquando in magno conatu in partu fit; Ideo primum Acus filum trahens ab extra ad intra cutim, & Musculos subiectos pertransiens, intacto peritoneo, infigenda, & per alteram partem ab intra ad extra peritoneum Musculos, & cutim transfigat, & digiti transuersi spacio interiecto, per eamdem partem Acus ab extra ad intra infigatur, & cutim, & musculos intacto peritoneo transigat, & in oppositio labio ab intra ad extra peritoneum cum superpositis musculis, & cute transfigat, & ità iterum atque iterum faciendum, modo perforando, modo peritoneum prætereundo, donec Vulnus totum fuerit consutum, & hæc futuræ species maximè à Gal. laudatur; Alij intromittunt Acum ab extra ad intra, & cutim musculos, & peritoneum perforant, in oppositio labro similiter ab intra ad extra peritoneum cum superpositis partibus perforant, & superius fili capita, simul vinciunt, & aliquantisper remote à nodo amputant, & punctum siue infibulationem efficiunt, & tot puncta apponunt, quot sunt necessaria, & hic suendi modus maxime est in vsu. Alia futuræ species fit suendo peritoneum cum peritoneo, & Abdomen cum Abdomine, ideſt musculi, & aliæ superiores partes cum musculis, & superpositis partibus, quæ ita fit, infigitur enim Acus per Abdomen ab extra ad intra, donec ad peritoneum perueniat, deinde Acu ex aduersa parte reuocata, per vtramq; peritonei partem ab extra ad intra Acus est transigenda, deinde à parte interna per aduersum Abdomen ad exteriorem partem per musculos, & cutem acus transfigatur, & sic tot fieri debet, donec vniuersum Vulnus fuerit consutum, & fili capita in his futuris semper exterius finantur, vt extrahi possint, & in Vulneris fundo paruum orificium relinquere possumus, vt genitæ saniei pars per illum orificium expurgari possit; Alij alias suendi species ponunt, quæ breuitatis causa relinquo, & cum minus sint in vsu, & dictæ sint meliores ac faciliores. Prò futura verò facienda Acus sit satis longus, aliquantisper curuus, & triangulari cuspide, filum sit æquale, validum, & duplicatum, Ceraq; oblinitum, neque nimis crassum, neque nimis tenue. Puncta inter se per spacium minimi transuersi digiti distent, & sic punctum à Vulneris labio per digitum transuersum distet; Sed quoniam futuræ cito laxantur, filum labia erodendo, & præsertim in Abdominis Vulneribus ob continuum intestinorum impetum, & respirationis motum, ideo optimum iudicauimus, deforis Glutinum cum suis ansulis applicare, & sic futuram

Acus, & filum valida esse debent.

Punctorum distantia.

diutius ſeruabimus, & melius ſic labia vnientur ac conglutinabuntur; Facta ſutura adſtringentes, & ſuturæ conſeruatiui puluercs ſuperius dicti inſpergendi, qui fiunt ex Bolo Arm. Sang. Drag. Sarcocolla, Aloe, Maſtiche, Myrrha, Myrtillis, & his ſimilibus, & deſuper aliquod Ceratum glutinandi vim habens apponendum, vt Hyeme Barbarum, & alijs temporibus Diapalma, vel alia Glutinantia in cap. 15. huius libri dicta ſuperponere poſſumus, cum huiuſmodi Medicamenta in his Vulneribus competant, vt Gal. inquit, & glutinatio quam primum curari debet.

Appoſitis Glutinantibus Med. faſcia duplici initio circumdata vinciendum, & ſi Vulnus per Abdominis rectitudinem eſſet, huiuſmodi faſciatura maxime ſuturas adiuuaret, & Inteſtinorum impulſui reſiſteret; Sed in tranſuerſis Vulneribus, parui eſt iuuamenti,

Pro Quarto ſcopo aſſequendo, inquit Gal. Quod inter Bubones, & Axillas eſt, id totum molli Lana ex Oleo mediocriter calido imbuta circumdari oportet, & hoc faciendum, inquit Gal, ob multas neruoſas quæ in Abdomine ſunt, partes quæ læſæ eſſe poſſunt, & cum cerebro maximum habent conſenſum; Inungenda etiam inguina, vt Cruor, & ſanies in Abdominis cauitatem prolapſa inſenſibiliter reſoluatur, & ideo calidis Oleis hæ partes fouendæ, vt Oleo Liliorum, Anethino, Coſtino, Rutaceo, & his ſimilibus.

Vel moliens, ratefaciens, & diſcutiens Emplaſtrum applicandum dictis etiam Oleis partem emollientes, & ſi Natura ſenſibiliter contentam materiam euacuare velit, Bubonem inguinibus excitando, vt facilius fiat, quod frequenter fieri ſolet, vel retenta materia ad rectum inteſtinum à Natura tranſmittatur,

Quando ergo Natura in inguinibus Bubonem facere tentaret, ſuppurantibus Emplaſtris auxilio ei eſſe debemus. Niſi enim dicta materia, ſi copioſa eſſet, euacuaretur, Inteſtina, & alias partes intra Abdomen contentas lædere poſſet, vel infirmum ad Hydropem perducere. Signa verò copioſæ materiæ intra Abdomen contentæ ſunt, Abdominis tumor, tenſio, grauitas, dolor, & dictæ materiæ motus, & inundatio, quando Ager delatere in latus voluitur, vel Abdomen comprimitur

Signa denotantia copioſam materiã intra Abdomẽ contineri.

De Curatione Vulnerum Inteſtinorum.

CVm ſuperius dixerimus, quod ex Inteſtinis alia ſunt tenuia, & gracilia, alia craſſa, videndum imprimis, ac ex ſupradictis ſignis etiam conſiderandum, quæ horum ſint Vulnerata, & quando horũ quodlibet fuerit Vulneratum, imprimis futura huiuſmodi Vulnus vniendum ſecundo Med. applicanda; Tertio in ſuum locum inteſtina reducenda, quarto curandum, ne feces in eorum tranſitu Vulneri noceant, & tandem Abdominis Vulnus, ſicuti ſuperius fuit dictum curandum.

Primum ergo Vulneratum inteſtinum adinueniendum, & niſi extra Abdomen ſit prolapſum, paulatim, & placide foras trahendum, deinde Vulneris labia ſimul adducenda, & adducta conſuenda, ſicuti pelliarij pelles ſuas conſuere ſolent, quæ ſutio vulgo ſoprafilo, nominatur, cum ſemper filum ſupra Vulneris labia reuoluatur, & punctum à puncto parum diſter, & Acus ſit tenuis, & polita, & filum ſit molliſſimum, & ex Acia valida, & Cera oblitorum, & eius capita longa ſinantur, & extra Abdominis Vulnus emineant, vt poſt conglutinationem extrahi poſſint. Inteſtini Vulnere conſuto, Vino nigro ſtiptico calido inteſtinum, & eius Vulnus abluendum, vel Vino in quo Abſinthium, Chamemelum, Melilotum, Roſæ, & Anethum fuerit incoctum, deinde exſiccandum, & ſupra Vulneris labia, ideſt ſupra ſuturam, aliquis agglutinatiuus puluis inſpergendus, vt ſuperius fuit dictum. His factis in priſtinum ſtatum inteſtina, vnum poſt aliud, paulatim, & leniter reducenda, & chilum in inteſtinum intromiſſum exprimendum, & intromiſſa, paulatim corpus concutiendum, vt in naturalem ſitum redeant, poſtea Abdominis Vulnus ſicuti ſuperius fuit dictum, ſuendum, & nullo pacto Abdominis Vulnus apertum reliquendum, vt multi faciunt, vt Med. ſuper Inteſtini Vulnus apponere poſſint, quoniam difficulter hoc fieri poteſt, cum inteſtina pluribus de cauſis ſitum mutent, & ex frigido Aere Vulnus ingrediente, flatus in inteſtinis gignitur, & in tumorem aſſurgunt, & ſuturæ abrumpuntur, & dolores, & torſiones excitantur, & iterum facillime inteſtina egrediuntur, re-

Inteſtina quomodo ſua debeant,

frigeran-

frigerantur, & emoriuntur, calor similiter illius partis expirat, & imbecillior redditur. Suendum igitur etiam Abdominis Vulnus, & si gracilia Intestina fuerint Vulnerata, & per os danda ea, quæ glutinandi vim habeant, vt est Diatragagantum, Diaspermaton, vel decoctum Centaureæ mai. Consolidæ, Aequiseti, Pilosellæ, Pimpinellæ, & similium, vel dandum Saccarum Rosaceum verus cum puluere Boli Arm. Orient. vel Terræ sig. vel Cydoniorum conserua cum puluere Rosarum Rub. vel malicorij, & si sit in intestinis crassis, Clisteribus glutinandi vim habentibus Vulneris conglutinatio adiuuanda. Victus similiter sit tenuis, exsiccans, adstringens, & glutinans, & omnia eius fercula Aqua Calibeata incoquantur, & prò potu dicta Aqua vtatur, in quo dissolui potest puluis Mastiches, vel Boli Arm. Orient. & ne indurentur fæces, & in eorum transitu vel eorum retentione, Vulneri noceant, & id comprimat, liquida pro cibo offerantur; Fæces similitèr Clisteribus primum emollientibus, vt ex Iure Capi, vel ex Intestinorum, & extremitatum verueis, in quo inferbuerit Chamomelum, Hordeum, Anetum, & Furfur, cum Oui vitello, & Melle Rosaceo q. suff. euacuantur, postea injiciatur clister glutinans, & adstringens, vt cum vino nigro austero simplici, vel in eo incoquantur Hippuris, Centaurea mai. Rosæ, Oliuarum Folia, Plantago, & Mel Rosaceum admisceatur, vel dicto vino commisceatur pulus Sang. Drag. Gummi Arabici, Mastiches, & Tragaganthæ, pro glutinando, & roborando, & omnia vnctuosa ac Oleaginosa deuitentur.

Glutinantia per os assumenda

Reuulsiones similiter, tùm venæ sectione, tum Cucurbitulis, ac vinculis faciendæ, & purgantia Medicamenta deuitanda, ne excrementa in affectam partem adducant, & in eorum transitu dolorem infegant, & imbecilliora Intestina reddant.

De Ventriculi Vulneris Curatione.

HVius partis Vulnera considerandæ an penetrent, intra eius cauitatem nec ne, & in qua eius parte sint, idest si in eius ore, vel in capacitate ac fundo, quod ex supradictis signis dignoscitur. His consideratis, si Ventriculi Vulnus penetrans non sit, suatur Abdominis Vulnus, vtque superius fuit dictum, curetur, & Ventriculi Vulnus naturæ beneficio relinquatur. Si penetret, considerandum, si magnum, vel paruum fuerit Vulnus (& quamuis omne penetrans Ventriculi Vulnus, & præsertim oris eius lethalæ sit) tamen sine curatione non relinquendi, cum melius sit anceps remedium, quam nullum, & multa præter Medici spem eueniat; Si magnum igitur fuerit Vulnus, aliqui volunt, quod sicuti de intestinis diximus vt eadem futuræ speciei suatur, Si verò consui non possit, vel paruum sit Vulnus, & instrumento angusto, & perforante factum, tunc inconsutum relinquendum, & Abdominis Vulnus consuendum, & in Vulneris inferiori parte orificium relinquendum, vt pus expurgari possit, & intra dictum orificium Turunda immittenda, quæ intra Ventriculi Vulnus ingredi nullo pacto debet, sed vt ad illud perueniat, tantum sufficit, quæ illiniatur Med. factis cum Resina Terebentina, Hypericonis Oleo, & oui Vitello, vel Oleo Abietino cum Vino maluatico mixto, & partes circumcirca rebus Ventriculum roborantibus inungendæ, vt Oleo Absinthite, Mastichino, Cydoniorum Rosaceo, & his similibus præsertim si inflammatio aliqua oriatur; Nisi verò inflammatio adfuerit, infrascripto lenimento adiacentes partes inungantur.

℞. Olei Abietini vnc. 1. Mastichini vnc. 2. Mannæ Thuris dragm. 2. pulueris Tormentillæ, Radicis Consolidæ mai. an. dragm. 1. Vermium Terrestrium num. 5. Crocisscrup. 1. Vini Albi austeri impotentis vnc. 2. M. & ad Vini consumptionem incoquantur, & fiat linimentum.

Si verò dolor adsit, Trocisci de Carabe, vel de Terra sig. vel de Ipodio cum decocto Radicum Consolidæ mai. Tormentillæ, Penaphili, Myrto, & similium dari possunt; Similiter ab Axillis ad inguina Oleis dictis calidis inungendum, quod in omnibus penetrantibus Abdominis Vulneribus, tam cum internarum partium lesione, quam sine ea faciendum. Et si Ventriculi Vulneribus inflammatio non superueniat, eius glutinationem ac sanationem sperare possumus; Quo ad vniuersalia, si quid obstet, Venæ sectio competit facta ex Basilica dextera, & vice purgantium Medic. quæ nullo pacto competunt Clisteribus, ve suppositorijs

Aluus proritanda, & aliquis Syruppus astringens, & glutinandi vim habens instituendus, vt est Syruppus Myrtinus, de Miua Cydoniorum, & Granatorum cum decocto Centaureæ mai. Aequiseti, Consolidæ, Pentaphili, & similium, cui addi potest pulus Mastiches scrup. 2. vel dictorum Trociscorum sed in victu maxima huius curationis pars consistit, & in ijs quæ per os assumuntur. Paucissime ergo comedere debet patiens, ne ex cibi copia Ventriculus distendatur, sed corrugatus maneat, & sic Vulnus facilius vnitur ac conglutinatur, & ne etiam ex cibi copia vomitus excitetur, qui conglutinationem impediret, & nisi dicto victu sustineri possit, nutrientes clisteres indantur, qui fiant ex carnis contuso, ouis in pingui iure conquassatis, & saccaro, & his similibus; Eius verò victus sit tenuis, & ex rebus optimi succi, & facilius digestionis, vt Aqua Carnis, aut paruæ pullæ, aut iuuenum Columbarum, Turturum, Auicularum Montanarum, & similium, quibus incoquantur, quæ consolidandi, & conglutinandi vim habent, vt Pimpinellæ, Tormentilla, Pilosella, Consolida Equiseti, & his similia, vel detur ius cum oui Vitello, & quantitas sit vnc. 1. 5. ad vnc. 2. & quarta quaque hora dari debet. Pro potu competit Cydoniorum malorum succus, vel malorum punicorum dilutus cum Aqua stillaticea Plantaginis vel dictarum Herbarum, vel eorum decocto, & detur in pauca quantitate. Sepe etiam dari potest Saccarum Rosaceum veteris, vel Diatragaganthum, vel Cydoniorum conserua sine speciebus, cum puluere Thuris, vel Mastiches, vel supradictorum Trociscorum mixta; Competit etiam Electuarium Dialpermaton dictum, vel per se, vel cum maioris Centaureæ, vel Pentaphili decocto, & alia quæ conglutinandi ac consolidandi vim habent, quæ ferre continuo in ore detineri, & paulatim deglutiri debent.

De Hepatis, & Lienis Vulnerum curatione.

HEparis, & Lienis Vulnera, & si, tum propter sanguinis hemorragiam; tum quia hæc viscera facill me inflammantur, ex Hpp. Gal. & aliorum grauissimorum Autorum mente lethalia sunt, tamen si parua superficialia sint, & nullum magnum vas tetingerit, aliquando sanari solent, & ideo Aeger non est derelinquendus

Si ergo Abdominis Vulnus magnum sit & prædictæ partes egrediantur, quam primum intromittendæ, ne ab Aere alterentur, deinde Vulnus consuendum, & in eius inferiori parte orificium relinquendum, in quod Turunda Med. in superiori curatione dictis illinata immittenda, & glutinatio Naturæ committenda, & si magna sanguinis hemorragia adsit, aliquod astringens Med. Metrenchita ter vel quater in die injciendum, vt est succus Poligoni, Plantaginis, Hippuridis cum puluere Olibani, Centaureæ mai. Boli Arm. Mumiæ, & similium, & circumsitæ partes inungantur linimento facto ex Oleo Rosaceo Myrtino, Puluere Sandalorum alborum, & Rubeorum, Rasura Eburis, & puluere Seminis Endiuiæ, & Cera q. suff.

Quo ad vniuersalia, nisi quid obstet, sanguis mittendus, & Clisteribus, Cucurbitulis, zaliæq; diuersiones faciendæ, sic, si fuerint opus Aluus læniter purganda Rhabarbaro, Cassia, Diacatollicone, & his similibus, instituendus etiam aliquis Syruppus, vt de Rosis siccis, vel Myrtinus vel de Cicoria, cum decocto Consolidæ, Aequiseti, Bettonicæ, Pentaphili, & similium, quibus addi potest drag. 1. vel scrupp. 2. puluetis Trociscorum de Rabarbaro, de Terra sig. vel Spodij; Competit etiam decoctum Thuris, & Mastiches factum cum Vino, aut Aqua; Victus sit tenuis, & ex rebus glutinosum sanguinem gignentibus, vt Hordei Ptisana in Chalibeata Aqua cocta, vel in iure extremitatum Hedi, vel Vituli, vel Veruicis, vel in dicto Iure Panatella fiat, quibus carnibus etiam simul coqui possunt folia Cicoriæ, Plantaginis, Endiuiæ, Borraginis, & similium, vel fiant Panatellæ in Iure Paruæ Pullæ, vel Auicularum Montanarum, in Chalibeata Aqua coctarum cum quibus dicta Holera incoquantur. Pro potu competit Aqua Chalibeata cum Syruppo de Rosis siccis, vel Myrtino, vel in dicta Aqua Saccarum Rosaceum dissoluatur, Electuaria sæpe in ore teneat, & paulatim deglutiat, quæ fiunt cum Saccaro Rosaceo, puluere Rhabarbari, Gummi Arabici, Spodij, Dragaganthi, Boli Arm. Terræ sig. Mastiches, Thuris manæ, & his similibus. De sanguine verò,

qui

qui in Abdominis cauitatem erumpit, dubitandum non est, si sanari Aeger debeat cum à Natura resoluatur, vel per Inguina, vel per secessum euacuetur, In illis partibus abscessum natura excitando.

De Renum Vessicæ, & vteri Vulnerum Curatione.

IN harum partium Vulneribus, quo ad ad vniuersalia præsidia idem faciendum quod in Vulneribus Hæpatis, Lienis, Ventriculi, & Intestinorum. Venæ ergo sectio competit; Purgatio similitèr lentientibus Med. facta, & aliæ reuulsiones, & clisteres in pauca quantitate instituantur, ne Renes aggrauent. Victus, & si in primis diebus tenuis competit, longa tamen dieta deuitanda, cum vrinas acres ac mordaces reddat, doloresque in Renibus excitet.

Competit ergo Emulsio seminum communium frigidorum cum Amili Farina, vel Hordei Ptisana, postea concedi possunt oua sorbilia, Panatellæ factæ in Iure Paruæ Pullæ, Veruicis, Hedi, & similium, & potus paucissimus sit, & præsertim Aquæ, pro potu ergo competit succus Cydoniorum malorum, vel malorum punicorum dilutus cum Aqua Chalibeata, in qua hordeum, & Melopeponum semina inferbuerint, & molliter, & quiete iaceat.

Quo ad particularia optime animaduertendum, si Renes tantum superficialitèr vel tantum in eorum carnosa parte sint Vulnerati, vel si ad eorum Ventriculos Vulnus penetret, quod cognoscitur, ex sanguine copioso, & lotio, e Vulnere exeunte. Si ergo lotium, vel sanguis non egrediatur, cum tantum eorum carnosam partem esse Vulneratam indicet, in tali casu ad fortiora glutinantia Med. confugiendum, infundatur igitur intra Vulnus oleum Abietinum stillaticeum calidum, vel de Terebenthina, vel aliquod aliud glutinans Med. ex dictis in cap. 15. huius lib. & Vulnus deforis fuatur, & aliquod glutinans ceratum applicetur, vt Barbarum, vel quid simile. Si verò Vulnus ad eorum Ventriculos penetret, & multa Lotij, vel sanguinis copia egrediatur, intra Vulnus injciatur vinum nigrum austerum calidum, in quo inferbuerint Dragaganthum, Radices, Consolidæ maj. & Centidonij, vel succus Poligoni, vel Plantaginis cum posca mixtus, & deforis simili-

tèr applicentur Emplastra ad sanguinem sistendum apta, & quando sanguis non amplius fluit, Glutinantia intus instillanda ac injcienda.

Per os similitèr primis diebus dandi Trociscj de Alchechengis, cum Hippuridis, vel Plantaginis stillaticea Aqua dissoluti, vel Trociscj de Carabe, vel Diaspermaton cum decocto seminum Melloponum, Liquiritiæ, Maluæ, & Alchechengi, vel eorum succo, & quando consolidatione est opus, Aegro est offerenda Farina Amili, pulus Dragaganthi, & aliarum Gummarum frigidarum, & Trociscj de Terra sig. cum optimo Terebinrho exhibiti optimi sunt. Cum verò in harum partium Vulneribus sepe vrina supprimatur ob sanguinem grumefactum, Vessicæ meatum obstruentem ac obturantem, ideo pecten, & inter vtrumque sexum inungatur cum Oleo de Scorpionibus, Amigdalarum Amararum, vel Irino Oleo, & similibus, vel applicetur Empl. factum cum parietaria, Malua, Saxifragia, & Citrach in vino albo coctis, & dictis Oleis, vel foueatur pars vino in quo dicta holera inferbuerint, vel dictum vinum cum Oximellitis pauca portione Siringa in Vessicam injciatur.

Vessicæ Vulnera quomodo curanda

Vessicæ Vulnera, quæ in eius fundo ac capacite sunt, citissime ad necem Aegrotantem perducunt, cum hæc pars neruosissima, & maxime sensibilis sit, quæ verò in eius cerui'ce ac carnosa parte sunt pro eorum curatione eadem indicationes, quæ in Renum Vulneribus diximus, sunt habendæ, præter quam diurerica, & purgantia non competunt, ne ad Vessicam humorum copiam perducant, & in Vulnus glutinantia Med. imponenda, & quam primum horum Vulnerum agglutinatio curanda, ne fistulam degenerent, & per Vulnus vrinam continuo reddere cogantur; Partes verò circumsitæ Oleis temperate calefacientibus, ac resoluentibus inungendæ, vt est Oleum Liliorum Albo-rum, Nardinum, Irinum, & Mastichinum; Vtq; citius conglutinatio fiat, per virgam iniectiones fiant ex vino, in quo inferbuerint Radices Consolidæ Centaureæ maj. Rosæ, & Hordeum, cum huiusmodi vino parum Rosacei Mellis commiscea-tur, & temperate calidum injciatur, vel Vini vice iniectiones fiant ex decocto

Centaureæ mai. Conſolidæ, Foliorum Oliuæ, & Myrti in Aqua Chalibeata facto, cum quo Amili Farina miſceri poteſt, & Mel Roſaceum, vel injiciatur Aqua Conſolidæ mai. vel Lac, vel eius ſerum Chalibeatum cum puluere Trociſcorum de Terra ſig. commixto.

Vteri Vulnerũ Curatio

In vteri vlceribus ſimiliter, quoad vniuerſalia eædem indicationes habendæ, quæ in curationibus ſuperioribus dictæ fuere.

Quo ad particularia, Abdominis Vulnus, ſicuti ſuperius fuit dictum, ſuatur, & glutinantia Med. applicentur, & proximæ partes inungantur, Oleo Roſaceo comp. ſemini Lini, Matricariæ, & his ſimilibus; Intra vterum per pudendum Metreuchita injiciantur, quæ glutinandi, & maxime exſiccandi vim habent, vt eſt ſuccus Conſolidæ, Pimpinellæ, vel Centaureæ, quibus admiſceatur puluis Boli Arm. Turiæ, Aloes, Maſtiches, Thuris, Croci, & ſimilium, vel dicta in Vino nigro auſtero, vel ſero Caprino Melle Roſaceo mixto, vel ſimplici Melle iniectiones fiant.

Si verò in huiuſmodi Vulnere magna ſanguinis hemorragia ſequatur, Reuulſionibus, & alijs conuenientibus præſidijs huiuſmodi ſanguinis fluxum ſiſtere tentandum eſt, vt Venæ ſectione ex Baſilica dextera, paulatim ſanguinem euacuando, & pluribus vicibus, ſuperiorum partium frictionibus, ac vinculis, Cucurbitulis ſub Mammis appoſitis, inunctionibus Abdomini factis aſtringentibus Oleis, vt Roſaceo Omph. Myrthino, Cydoniorum, & his ſimilibus. Per pudendum iniectiones fiant ex ſucco Plantaginis cum puluere Boli Armeni, vel Sang. Dragonis mixto, vel ſucco polygoni, & his ſimilibus.

De Sclopettorum Vulneribus.

Cap. 81.

IN horum Vulnerum pertractatione eundem ſeruabimus ordinem, quem in aliorum diſcurſu ſuperius ſeruauimus; Primum enim de horum Vulnerum eſſentia verba faciemus, vt optime curatiuas indicationes adinuenire poſſimus; Secundo de Cauſis, Signis, & Differentijs; Tertio de Prognoſtico; Quarto de Curatione ſermo noſter erit.

Quod Vulnus ſit,

Quo ad primum, Vulnus à Sclopettorum Glande factum non eſt ſimplex Vulnus, ſiue ſimplex continui ſolutio, ſed eſt Vulnus cum contuſione, & laceratione plerumque muſculorum, Vaſorum, partium neruoſarum, & ſæpe etiam cum oſſium fractura coniunctum, vt omnes Autores inquiunt; Aliqui etiam volunt, quod cum his Vulneribus Ambuſtio, & venenoſa quædam qualitas ſit coniuncta; Aliqui verò his contradicunt; Modò vt veritas elaceſcat, dictorum rationes in medium adducamus, & deinde propriam ſententiam de hac difficili quæſtione proferamus.

Vtrum cum Sclopettorum Vulneribus Ambuſtio, & Venenum complicata ſint.

Rationes eorum qui Ambuſtionem & Venenum his Vulneribus eſſe coniunctum tuentur.

QVi huiuſmodi ſunt ſententiæ, ſic arguunt. Huiuſmodi Vulnera à Globuli impulſo à Sclopettario puluere in flamma conuerſo fiunt, qui calefit, & igneſcit; Ergo Vulnera, quæ his Globulis fiunt, vt ambuſta ſint eſt neceſſe, cum effectus ſuæ cauſæ naturam ſapiat ac redoleat ſecundo arguunt.

Si verùm eſt, quod inquit *Ariſt 2 Cœli Textu 42 & 1. Meteororum Textu 30.* Ob vehementem motum ferrum calefieri, & plumbum liquefieri, & ligna, & lapides ignirj; Huiuſmodi ergo Globi cum vehementiſſime moueantur; Ideo tantam caliditatem ſuſcipere eſt neceſſe, vt ambuſtionem efficere poſſint, & tanto magis, cum ab ignea cauſa motus huiuſmodi fiat; Ergo huiuſmodi Vulnera Ambuſtione carere non eſt dubitandum; Tertio arguunt à ſenſu dicendo; In his Vulneribus circum circa quædam rubedo manifeſte apparet veluti ea, quæ in parte ab igne ambuſta ſuperuenire ſolet.

Ergo talia Vulnera inuſta eſſe credendum eſt, præſertim cum in his Vulneribus ſimiliter nigredo, & Eſcara quæ apparet, ambuſtionis manifeſtum indicium præbeat.

Inquiunt etiam in his Vulneribus inflammationem vſq; ad nouem dies excreſcere, poteſt verò alios nouem dies diminui atque euaneſcere, quod in omnibus ambuſtionibus fieri eſt conſuetum, ſcores ſimiliter admodum acres, terri, & nigri vt illi, qui ab alijs ambuſtionibus profluunt, ambuſtionis manifeſtum indicium præbent, & ex his concludunt, cum his Vulneribus ambuſtionem eſſe coniunctam, & tanquam ambuſtis remedia eſſe applicanda.

Arg.

Arg. Probantia talia Vulnera esse venenata.

VEnenata verò huiusmodi Vulnera esse, pluribus rationibus comprobant; Dicunt enim primum talia Vulnera venenata esse, cum ex venenata causa prouenian̄t, vt est Sclopettarius puluis, qui venenatus est.

Quod verò talis puluis sit venenatus, comprobant primum ex Elementis, ex quibus sit; Elementa enim huiusmodi pulueren componentia sunt, Sulphur, Sal petræ, siue Sal nitrum, & Carbones, quorum aliqua ita sunt calida, vt dum incenduntur, ad quartum caliditatis gradum peruenire est necesse, & consequenter venena fieri.

Secundo ex ijs, qui talem puluerem construunt, qui, ne ab eius venenoso alitu offendantur, os, & Nares sibi occludunt, & tunc temporis etiam ab acrium esu se abstinent, vt ab Allijs, Cæpis, Aceto, & his similibus, cum experimento ea sibi obesse, didicerint, cum ob dictorum ciborum acrimoniam, & aperiendi ac incidendi vim, pulueris malignitas ad cordis intima, & principalium membrorum penetret.

Arguunt secundo dicendo; Huiusmodi Vulnera venenata esse, quia praua Symptomata his Vulneribus superuenire solent, vt maxime Inflammationes, Vlcera Herpetis naturam sequentia, & maxime corruptiones, Gangrenæ, Sphacelismi, quæ venenatis Vulneribus euenire solent.

Huiusmodi etiam Vulnera Venenata esse inquiunt, quia Vulnerati præter rationem quodam cordis tremore ferè semper corripiuntur, & quia Vulneris labia liuent ac nigricant; Et quod in his Vulneribus eadem præcepta sint obseruanda, quæ in alijs venenatis Vulneribus obseruantur, ideſt vt diutius aperta seruentur, quod nisi fiat, difficulter huiusmodi Vulnera sanantur, sæuaque Symptomata superueniunt.

Quarto ab experientia arguunt, dicendo; Quod ab Alexipharmacis hi Vulnerati maximum iuoamentum persentiunt quod manifestum est indicium talia Vulnera venenata esse.

Hæ ergo sunt rationes eorum, qui tenent in huiusmodi Vulneribus non solum continui solutionem, Contusionem, ac Dilacerationem esse, sed etiam Ambustionem, & venenum.

Rationes eorum qui Ambustionem in Sclopettorum Vulneribus ac Venenum adesse negant, & rationum contrariarum solutiones.

A Sensu enim imprimis, dicendo arguunt. Quod ij, qui huiusmodi Vulneribus Vulnerantur nullam vstionem percipiunt, sed tantum dolorem, & contusionem ac dilacerationem; Similitèr si indumenta ab huiusmodi Globo transfossa aspiciantur, nullum Ambustionis adest vestigium, vel sint Linea, vel Lanea, vel serica, vel cuiuslibet alterius materiæ, sed tantum dilacerata, & abscissa apparent; Præterea Stuppa, aut Gossipium, aut Lana, aut Lintea, aut id genus alia, quæ vna cum pila in Sclopeti fistulam immittuntur si post eiaculationem inspiciantur, absque vllo ambustionis vestigio reperiuntur, & hæc sepe in Vulnerum cauitate latentia à Cheirurgis incombusta adinueniuntur ac extrahontur.

Si fiant similitèr Globi ex Gossipio, vel Stuppa, vel Charta, vel alia accensibili materia, vt in publicis spectaculis fit, quamuis ignis vi excutiantur, tamen nullam combustionem, sunt passi, & si nigricantes appareant, hoc ex puluere prouenit; Ergo tanto minus Globi ex plumbo, vel ferro facti cum minus inflammabilis sint materiæ incendi ac igniri possunt.

Deinde illi, qui Naues vel quid aliud ab huiusmodi bombardicis globis defendere volunt, Stuppam, vel Lanam, vel quid simile apponunt, vt huius Globi impetum retundere possint, quod non assequerentur, si in talibus Globis ignea vis esset, quoniam huiusmodi ex tali ictu flagrarent ac comburerentur.

Adiungitur etiam, quod huiusmodi Globi Metallici si statim, post quam fuerint eiaculati, manibus pertractentur, vix tepidi persentiuntur, ne dum ita sint calidi, vt vstionem efficere possint; Additur etiam quod plumbum ægre absque fusione igniri potest, vt experientia patet.

In his etiam Vulneribus, si Ambustio adesset, sanguinis fluxus non fieret, cum Ambustio, vt inquit *Gal. 5. Meth.* sanguinis profluuium sistat. Sed in huiusmodi Vulneribus magna, vt plurimum fit sanguinis hemorragia, ergo in his Vulneribus vstionem non adesse fatendum est.

Si

Sic Globi item igniti eſſent, vt Aduerſarij inquiunt, ſi in accenſibilem materiam impingerentur, vt in Sclopettarum ſiue Bombardicum puluerem, facillime illum conflagarent, quod nullo pacto euenit, vt experientia patet; Ergo nullo pacto igniti ſunt, cum huiuſmodi puluis ex minima ignis ſcintilla flammam concipiat, & ſi huiuſmodi puluis non ignitur, ergo tanto minus caro conburi à Globo poteſt.

Si quid etiam ignitum comburere debet, opus eſt mora, cum manifeſte appareat, aliquos accenſas prunas, vel quid ſimile maximo motu innoxie pertractare; Sic licet Globus perigoitus eſſet, breui temporis ſpacio, quò partem feriens pertranſit, nullo pacto vſtionem efficere, & Eſcaram inducere poteſt, cum ignitum ferrum, vt Eſcaram inducat, mora ac temporis interſtitio egeat.

Manifeſtum etiam eſt, ſi Globus à magno puluere Bombardici aceruo contegatur, puluiſque accendatur, quod illico, ſi quis Globum contrectabit, non excalefactum percipiet. Si hoc ergo eſt verum vt eſt veriſſimum; Ergo tanto minus Globus à Sclopetto emiſſus tantum calorem ab accenſo puluere concipere poterit, vt inurere poſſit, cum ne minima quidem ipſius Globi pars à puluere in Sclopetto contento conregatur, & ſtatim propellatur.

Si Globi ſimiliter igniti eſſent, & ambuſtionem efficerent, cum intra carnem retinentur ſibilum, & ſtrepitum efficerent cum ex caloris actione in humidum, huiuſmodi ſtrepitum fieri videamus. Cum ergo nullus ſibilus auditur, ſignum eſt, quod huiuſmodi Globi igniti non ſunt, & ambuſtionem non efficiunt.

Manifeſte etiam apparet, quod ſi colli quarum plumbum ſupra carnem ponatur, Veſſicas tantum excitat, minime verò Eſcaram inducit. Si hoc ergo ita eſt, & tunc temporis feruidiſſimum eſt, tanto minus Eſcaram inducere poterit, quando colliquatum non erit.

Si fiat ſimiliter pila, ſiue Globus ex Sulphure vel Cera, & in Sclopetti fiſtulam poſt magnam Bombardici pulueris quantitatem imponatur, & eiaculetur vel à propinquiori, vel à remotiori loco, neque Cera liquefcit, neque funditur, aut accenditur, aut immutatur Sulphur, quamuis à Sclopettario puluere accenſo impellantur, aut violento motu ferantur; Ergo minus plumbum igneſcere dicimus.

Et ſi enim Globi ignis vi impellantur, tamen igniti eſſe non poſſunt cum in accenſo Bombardico puluere non tantum immorentur, vt ignem concipere poſſint quod fidem faciunt cerei Globi, qui à Sclopetto eiaculati, ſi in parietem impingantur, vel inquid aliud durum, reſiliunt ac retrocedunt, & non adhærent, quod facerent, ſi calefacti eſſent, & ſi quid aliud percutiant vehementer ledunt, ac perforãt.

Ad Ariſt. Autoritates dicendum; Licet ex motu calor excitetur, & licet plumbum quo ſagittæ muniuntur, cum in tenues laminas ſit redactum, liqueſcere facilitèr poſſit, tamen non compeobant, quod Globi ex plumbo comburere poſſint, cum craſſi, & ſolidi ſint; Habemus etiam hoc quod ſagittæ cum ſphæricam figuram non habeant difficilius Aerem ſcindunt, & ideo in difficiliori motu magis excalefiunt, Globi verò cum ſint rotundi facilius per Aerem feruntur, vt inquit Ariſt. 4. Meteorum, & circumquaque facilitèr voluuntur, & modo in hac modo in illa parte calorem concipiunt, ſi quem modo acquirant, & ideo non ita excalefiunt, vt vſtionem efficere, & liquefieri poſſint.

Rubedo ſimiliter quæ circa huiuſmodi Vulnera apparet, vſtionis indicium non præbet, vt aduerſarij inquiunt, cum talis rubedo in alijs Vulneribus, ſiue contuſionibus ſæpe ob tenuis ſanguinis confluxum eueniat, qui confluxus ob dolorem, vel quid aliud excitatur.

Ad id verò quod inquiunt, quod Eſcara manifeſte in his Vulneribus apparet, dicendum, quod nigredo, & id quod in his Vulneribus Eſcaræ ſimile apparet, non eſt vera Eſcara, quoniam vera Eſcara, quæ ab igne vel igneo ferro inducitur, dura admodum, & ſolida eſt propter humorum qui in carne prius continebantur exſiccationem; In his Vulneribus verò id, quod Eſcaræ eſt ſimile, humidum eſt, & nihil aliud eſt, niſi contuſa, & attrita caro quæ ex vehementi contuſione à Globis facta emoritur, & non ſolum ſanguine, ſed etiam ſpiritu priuatur, & ideo languida, liuida, & emortua apparet, vt Eſcaram, & cruſtam referat, Et hoc etiam in alijs magnis contuſionibus apparet ac fit.

Ad id verò, quod inquiunt, huiuſmodi

di

di Vulnera vsque ad nouem dies excrescere sicuti ambusta; Respondendum hoc ignis vi non fieri, vt vulgares cogitant. Sed hoc prouenit, quia tali temporis spacio Escara abscedit, pus gignitur, & adusta caro putrefit; Sic in his Vulneribus tali temporis spacio contusa caro putrefit, & abscedit, & sanies egreditur; Non prouenit ergo ex ignis Natura, sed ex putrefactione.

Argumenta probantia huiusmodi Vulnera esse sine veneno & aduersariorum rationum solutiones.

IN his Vulneribus veneficam qualitatem non adesse, rationes probantes sunt infrascriptæ. Si quid veneni in his Vulneribus adest ex puluere prouenit; Sed pulvis venenatus non est; Ergo huiusmodi Vulnera absq; vllo sunt veneno. Quod verò pulvis non sit venenatus, probatur, quia pulueris compositionem ingredientia, vt est Sulphur, Sal petræ, & Carbo innoxie deglutiuntur, immò magna cum vtilitate ac iuuamento ab Aegrotantibus aliquando assumuntur, & deforis similiter cum Aegrotantium vtilitate applicantur; Ergo venenosa non sunt, & per consequens, neque qui ex his fit pulvis, venenatus esse potest, & hoc probatur, quoniam Sulphur in pulmonum affectibus, si apte, & commode præparetur maximo cum informorum iuuamento à Medicis probatur, vt *Gal. lib. de Simpl. Med. Facult. Dioscorides lib 5 cap 36. & multi alij primates Autores inquiunt.* Nitrosæ item ac sulphureæ Aquæ non ne maximo cum Aegrotantium iuuamento ad inueteratos Stomaci dolores ad paralisim, Calculum, & alios difficiles morbos ad multas libras bibuntur, & à piccatis mulieribus non ne absque cuiuenti noxa Carbones deuorantur, Sal petræ similiter, siue Sal Nitrum, nullam in se habet venenositatem, vt experientia patet, cum non pauci pro sale illo vtantur.

Ex transmutatione similiter in igneam qualitatem pulvis venenositatem acquirere non potest, cum ipla doceat ratio, ignem vi veneni resistere, tum actu, tum potentia, nullamq; venenosam rem ignis vi generari posse; Neq; à plumbeo Globo vlla virulentia prouenire potest, cum plumbum naturæ nostræ familiaræ sit cum ad malignorum vlcerum consolidationem ac exiccationem conducat, & hoc magis probatur, quia plumbei Globi ab aliquibus, qui ab his fuere vulnerati, diutissime interdum absq; vllo incommodo in pentiores partes permanent, ac feruntur, Plumbum igitur ex se nullam venenosam qualitatem habet, Tetrapharmaco similiter quod fit Nitro. Sulphure, & Cinere, vetusta scabies, & Psora curatur; Quod verò hic pulvis veneno careat, Germani fidem faciunt; vt Quercetanus insignis Medicus testatur, qui ab huiusmodi accepto Vulnere huius pulueris Cochlear magno cum iuuamento deuorare solent. Praua verò symptomata in his Vulneribus euenium ratione Cacochimiæ, & pletoræ vel contritæ, contusæ, dilaceratæ, & emortuæ carnis ratione, quia humor à Vulnere profluens in contusam carnem imbibitur qui copiosus existens, naturalique calore carens putrescit, & proximas eam sibi partes tangendo corrumpit, & Phagedena, vel Sphacelum gignit; Et si venenati huius Vulneris ratione hæc praua Symptomata euenirent, in omnibus acciderent ac orientur, quod contra apparent. Ergo concludendum, quod hæc Vulnera venenata non sunt, cum non in omnibus praua Symptomata eueniant, & quibus accidunt, vt diximus, ex patientis Cacochimia, vel pletora, vel contusionis ratione, vel qualibet alia causa prouenient, & non veneni ratione cum huiusmodi Vulnera prorsus veneno careant.

Tremor similiter cordis rarissime euenit, & quibus accidit, vel ex timore, vel qualibet alia causa prouenire potest, & non venenati Vulneris ratione, quod si esset, vel semper, vel vt plurimum adesset, ex Alexipharmicis iuuamentum persentiunt, quatenus principalia Membra roborant, & non quia venenum oppugnant cum nulla virulentia adsit, vt superius fuit probatum.

Dù verò aperta huiusmodi Vulnera seruari debent, & hoc præceptum, vt in virulentis Vulneribus obseruari debet contusionis ratione, cum totum contusum in pus verti debeat, *Hipp. Gal. ac alij Autores inquiunt & non ratione veneni.*

Huiusmodi item pulueris constructores pauci sunt qui dicta diligentia vtantur, vt in dies videmus, & qui hoc faciunt, recte faciunt, cum quilibet attractus pul-

uis,

tis pectori noceat, ac alijs partibus, & pectoris angustiam, Asthma obstructiones, & alios morbos parere possit; Non faciunt ergo hoc, quia talis pulueris alitus venenosus sit, quod si esset, multi ex his magistris sepe interficerentur, & pauci ad senectutem peruenirent, quod contra in dies apparet, sed vt à prædictis morbis se caueant.

Huius difficillimæ Quæstionis determinatio ac propria sententia.

NOstra verò sententia est, quod hæc Vulnera, vt plurimum sint absque vstione ac veneno, sed cum contusione, dilaceratione musculorum Vasorum, partium Neruosarum, ac etiam sepè cum ossium fractura. Sed aliquando etiam posse esse complicata cum ambustione ac veneno, quod ita probatur.

Si quis enim ita comminus Bombardico fulmine fuerit Vulneratus, vt inflammatus puluis Globum impellens, à quo ictus infertur, & in læsa parte cum Globo imprimatur, nemini est dubium, quod indumenta vsta tunc apparent, & caro aduri etiam potest, quæ adustio tanto magis fit, quando in parte nudata, propius Vulnus accipitur, idque fit ob solius pulueris inflammati vi quæ ardens atque ignitus à Scloperti fistula, foras ferrur, & non incensi ac inflammati Globi vi. Sed ambustio fieri non potest, quando à longinquo quis fuerit percussus, cum inflammatus puluis illuc peruenire non possit. Ex dictis ergo patet quòd cum his Vulneribus ambustio etiam complicari potest, & non firmiter asserendum, hæc omnia Vulnera absque vlla ambustione semper esse.

Venenum his Vulneribus complicatum esse posse.

QVo ad Venenum, dicimus, quod huiusmodi Vulnera etiam venenata esse possunt, sed non Bombardici pulueris ratione, vt superius fuit dictum, ac probatum, sed plumbei Globi ratione, cui ab extrinseco Venenum adhibetur, cum facillime quouis humore imbui possit ob eius molliciem ac raritatem, quamuis ex sua natura nullam venenatam qualitatem Vulneribus inferre possit, quod mirum esse non debet, cum ferrum magis densum, durius, solidius, & minus perosum aliquam virulentam qualitatem recipere, & alterius generis substantiam admittere possit, vt grauissimi Autores attestantur, vtq; 9. Aeneiadum apud Virgilium patet, qui inquit, vngere Tela Manu, Ferrumque armare Veneno, & lib. 10. dixit; Vulnera dirigere, & Calamos armare Veneno, & lib. 12. dixit; Non secus ac Vento per Nubem impulsa sagitta, armatam seut partus, quem felle Veneni, partus siue Lydon telum immedicabile torsit; *Et Ouidius lib. Trist. 3. scriptum reliquit*; Nam volucri ferro tinctiæ virus inest; Et hoc confirmat etiam *Paul. Ag lib. 6. cap. 88. & Dioscorides lib. 6. cap 21. & alij multi Autores.*

Non est ergo dubitandum, quod ob aliquam venenatam mixtionem Globi venenati fieri possint, atque plagas huius modi veneno ita complicatas efficere posse, vt solo traiectu eius veneni notas periculosissimas relinquant, & nisi opportunum adhibeatur remedium, necem affere posse, cum illud venenum propter suæ substantiæ dissensionem, substantiam nostram lædat, ac corrumpat.

Experientia etiam patet, vt multi grauissimi Autores attestantur, multas hodie reperiri mixtiones adeo venenosas ac pestiferas, vt si in ijs sagittæ acies temperentur, qua Vulnus fiat, & sanguis profluat, quamuis sagitta non adhereat, sed velocissime transmittatur, tamen venenum adeo subtile est, & pestiferum, vt sensim à minoribus venis ad maiores serpens atq; inde ad præcordia pergens confestim Vulneratum interimat. Concludere ergo possumus, quod Globi plumbei vel alterius materiei nisi veneno possint, in mergendis Globis, atque aliquoties extinguendis in lethalibus ac ferris succis, & non infundendo venenum in aliquod foramen consulte factum, vt aliqui voluerunt; Sic ergo plagas inficere, atque illorum maligna qualitate imbuere possunt quamuis ipsi Globi velocissime transmittantur. Cum venena quò magis spirituali substantia sunt composita; eo celerius ac subtilius suos effectus pariant, cum pernicioſiora ac communi cabiliora esse soleant, vt ex viperarum ac aliorum venenosorum Animalium morsu patet, & hoc tanto magis venenosi Globi efficiunt, quando

in

in corpore retinentur.

Si quis verò diceret, Venenum Globo perfusum ignis vi extingui, & ideo venenosam plagam efficere non posse.

Respondendum Globum ignis vim non sentire, vt superius probatum fuit, cum contractari statim, post quam fuerit eiaculatus, possit, vel dicendum, quo i si ignis vim sentiat, tamen tantam non esse vt Venenum, quo Globi substantia perfusa est, extinguere possit, præsertim cum Venenum illud per omnes Globi partes ita sit permixtum, vt omnem illius substantiam maligna qualitate peruertat. Concludendum igitur, quod Vulnera à Sclopetro facta veneno complicata etiam esse possunt, non propter puluerem, sed ob Globum veneno dil. butum, quod male animati homines facere solent, cum meditato consilio, ex insidijs aliquem adoriuntur.

De Vulnerum Sclopettorum essentia.

QVo igitur ad horum Vulnerum essentiam ex dictis satis manifestæ fuit demonstratum, quod huiusmodi Vulnera sunt coniuncta cum contusione ac dilaceratione partium mollium, & aliquando etiam cum solidarum fractura, & ambustio etiam, & virulentia coniuncta esse potest

De Causis, signis, & horum Vulnerum differentijs.

Causæ. HOrum Vulnerum Causæ, sicuti de alijs Vulneribus fuit dictum, semper sunt externæ, vt Globus pulueris inflammati vi à Sclopeti fistula eiaculatus.

Signa. Notæ verò Vulnerum à Sclopetario Globo factorum à pluribus sumi possunt imprimis à Vulneris figura, quæ circularis est, vel quadrilatera, vel alterius figura, quæ circularis est, vel quadrilatera, vel alterius figuræ, secundum quod, vel à rotundo, vel quadrilatero Globo, vel alterius figuræ Vulnera facta fuerint, cutis, & carnis color depranatus, & liuidus apparet, contusio adest, inequalis tumor, dolor admodum vehemens, & grauis ita vt ab aliqua magna mole percussio facta esse videatur, & hoc præcipue accidit, quando nernosæ partes fuerint lesæ. In his Vulneribus aliquando pauca, vel nulla sanguinis copia ob contusionem alio sanguinem impellentem, vel ob aliam causam ipsius sanguinis fluorem impedientem, effunditur, & aliquando etiam ob vehementem dolorem magna sanguis hemorragia fit, Vulnus paruum apparet, & aliquando pars ita tumet, vt vix primo aspectu in ingressu angustum specillum ingredi possit, ferientis corporis semper data proportione; Et exitus via, quando totum Membrum transfossum erit, patentior est, quam via, per quam Globus fuit ingressus, & tandem ex Aegrotantis relatione in talis Vulneris cognitionem deuenimus, se à Bombardico Globo Vulneratum esse affirmantis.

Hæc ergo sunt signa talium Vulnerum. Si verò huiusmodi Vulnera venenata fuerint, optime animaduertendum est, ne inopinatus interitus superueniat, & Medici imperitiæ, vel Aeris malignitati, vel Pletoræ, vel Cacochimiæ imputetur.

Horum Vulneratorum Vulnerũ signa. Signa verò talium venenatorum Vulnerum sunt, color carnis, qui liuidior est alijs Vulneribus à Sclopetto factis, & caro veluti emortua apparet, cum totius partis decoloratione, & maiora ac seuiora Symptomata concomitantur, vt maiores ac extraordinarij ac intollerabiliores dolores; In Vulneris ambitu inflammationes, & pungitiui dolores cum totius corporis grauedine ac torpore persentiuntur ingentes, ac ardentes febres, animi deliquia, & Sy copæ, virium prostrationes, & mentis alienationes comitari solent, absque vlla manifesta causa, ob quam huiusmodi Symptomata superuenire debeant, Globus similiter, si haberi possit, considerandus, qui si venenatus erit, non sui coloris apparebit, sed incisus, & per medium dissectus obscurus, violaceus, ac purpureo colore permixtus, & tandem alterius coloris, quam reliqui non venenati Globi esse solent.

Ambustionis complicatæ signa. Complicatæ ambustionis signa erunt vesicæ, Excoriatio, Dolor mordens, & cutis indurata ac contracta siccitas, vestium adustio, & tandem Vulnerati relatio, vtrum cominus, vel eminus fuerit percussus, ambustionis propter inflammatum puluerem indicium nobis dabit.

Hæc enim omnia animaduertere oportet,

ſet, non ſolum quia morbum grauiorem efficere valent, ſed etiam quia idoneam curationem propter praua Symptomata prohibere poſſunt, cum doceat *Gal.* 4. *Methodi cap.* 5. quod quando vlcus cum aliqua alia affectione fuerit coniunctum, prius illam affectionem eſſe curandam, ac tum demum ad vlceris curationem eſſe deueniendum.

De horum Vulnerum Differentijs.

CVm Differentiarum cognitio ac conſideratio vt inquit *Gal.* 4. *&* 7. *Meth.* maxime ad Vulnerum curationem conferat ac conducat, ideo de horum Vulnerum differentijs verba faciemus.

Differentiæ igitur in his Vulneribus ſumi poſſunt, vel à magnitudine, vel paruitate, vel Vulneris figura, quæ differentiæ, à Globis proueniunt, ſecundum quod ex varia materia, vel figura, vel magnitudine fuerint præditi, cum alij ſint rotundi, alij plani, alij longi, alij maiores, alij minores, & alij minimi, vel à parte affecta, cum alij ſolum carnem Vulnerent ac perforent; Alij cum carne etiam neruoſas partes, alij etiam oſſa confringunt, & alij ſolum carnem pertingunt, & cum aliquid tali ictui reſiſtat, vt fortis Armatura, vel quid ſimile, vel à Vulnerationis modo differentiæ oriuntur, cum aliqua ex his Vulneribus tantum plana ſint, aliqua vſque ad centrum penetrent, & aliqua magis, vel minus, & aliqua totam partem perforent, & aliqua, vt diximus, ſunt cum veneno coniuncta, alia abſque veneno, & aliqua cum ambuſtione, & aliqua abſq; ea.

De Vulnerum Sclopettorum Prognoſtico.

IVdicium in his Vulneribus faciendum, ſicuti in alijs Vulneribus ſuperius diximus, & præcipue illa aurea *Gal. ſententia* 4. *Meth.* 6. dicta conſideranda, Vulnera ſcilicet, vel morbos dici magnos, vel propter affectæ partis præſtantiam, vel propter Vulneris, vel morbi magnitudinem ac vehementiam, vel ob vlceris ſeu morbi malignitatem. Quotieſqumque igitur Vulnera in aliqua nobili ac principali parte, vel nobili ac principali parte deſeruiente fuerint, mortifera eſſe iudicabimus, Vulnera ſimiliter, quò magiota ac profundiora fuerint, cum oſſium ac Neruoſarum partium dilaceratione, eo ſunt periculoſiora, ac ea præſertim, quæ in capite cum cranij fractura fuerint acceptа, & in Thorace, vel Abdomine quando intra dictarum partium cauitatem penetrant, & ſi cum internarum partium læſione ſint, periculoſiſſima redduntur. Item quæ in Iuncturis, vel Iuncturis propinquis partibus, propter magna ac varia Symptomata, quæ inde ſequi ſolent, periculoſa ſunt Vulnera. Quibus Vulneribus ſimiliter malignitas, & præſertim venenum eſt coniunctum, periculum maximum adeſt, quamuis parua huiuſmodi Vulnera appareant, ob contrariam veneni ſubſtantiam. Supradicta item Sclopettorum Vulnera eo periculoſiora ſunt cum in corpore Cacorhimo, & prauis ſuccis repleto erunt, & quo ſeuiora Symptomata eueniunt, & quo maioribus affectionibus erunt complicata, eo periculoſiora redduntur. Si verò talia Vulnera ſint in corpore ſano, in parte ignobili, & parua ſint, & abſque prauis Symptomatibus, & abſque alterius morbi complicatione, tutiora erunt.

De Vulnerum Sclopettorum Curatione.

PRo horum Vulnerum curatione, cum vniuerſalia ac particularia præſidia conueniant. Quo ad vniuerſalia, ne iterum, quod ſuperius, de alijs Vulneribus fuit dictum, repetamus, idem faciendum eſt, ac eadem præcepta ſunt obſeruanda, ideſt circa ſex res nonnaturales, purgationes ſanguinis miſſionem, Reuulſiones, ac Deriuationes, ideo vide ſuperius, de quibus diffuſe à nobis fuit dictum.

Quo ad particularia, imprimis quicquid extraneum in Vulnere fuerit, vt indumentorum Fruſtula, Globi, Oſſium fragmenta ſeparata ac pungentia, & alia quæ à Natura conſeruari non poſſunt, vt ſanguis extrauenatus, caro contuſa, & lacera, pus, & ſimilia, ſi abſque maximo dolore fieri poteſt, extrahenda, & hoc faciendum, vel digitis, vel volſellis, aut Tenaculis, aut Forcipibus denticulatis, atque inſtar Roſtri aduncis, vel alijs ſimilibus inſtrumentis. Quamprimum verò extranea educenda, & prima die, ſi fieri poteſt cum

Extranea quãdo, & quibus extrahenda

cum dum calentia sunt Vlnera, minori dolore tractentur, & facilius hæc actio fiat, & procedente tempore sensibiliora reddantur Vulnera, Tumor aliquis superuenit, & Vulnus angustius redditur, si caro, vel membranosi Tendines rumpantur, aut perforentur sæpe Globum, tegunt ac intercludunt, & ideo postea ingenti cum dolore euelluntur, his ergo de cautis quamprimum, & prima die, si fieri potest, omnia externa euellanda, & si Globus, & alia externa longe ab opposita parte distent, per idem foramen extrahenda, & nisi Vulnus satis hiet, modo nihil prohibeat, vt facilius externa extrahi possint ampliandum vulnus; Si verò parum ab opposita cute distent, & neque Nerui, aut Venæ, aut Arteriæ sectionem in opposita parte prohibeant, per oppositam incisam partem euellenda. Nisi verò Globæ extrai possint, vel quia latent, vel quia in extractione aliquod imminet periculum tunc melius erit illos tam diu dimittere, donec Natura sua sponte ipsos extrudat, cum innoxie stanei, vel plumbei Globi intra carnem ferantur, non tamen hoc accidit de Ferreis, & Aeneis Globis, & de alijs, qui rubiginem contrahere possunt, qui, donec fuerint educti, Vulnera sanescere prohibent. Hæc verò externa educendi actio, cito, tuto, ac iocunde facienda, vt *Gal. 14. Meth.* ac multis alijs in locis inquit, & quia quid faciendum est si fieri potest, vnica vice agendum, & in sequentem diem non differendum, & quic quid fuerit extractum ægro ostendendum, cum maxime infirmi letentur ex inspectione eorum, quæ ei dolorem inferre poterant.

Si verò Globus in aliquo osse sit infixus, vt in osse Tibiæ, vel Femoris, vel Cubiti, vel aliquo simili, & compressione, vel specilli impulsione dimoueri, & alijs dictis instrumentis euelli non possit, Terebello Cannula munito, vel solo Terebello Globus perforandus, & sic commode extrahi solet; Nisi verò Terebelli commoditas adsit, vel nullo pacto absque maximo dolore, euelli possit, post inflammationis tempus, & post suppurationem, ac quando contusumos abscedet, remouebitur, & cum ipso osse egredietur, quod desquamari, & abscedere est necesse, cum à vehementi illa contusione sit alteratum. Si verò in partibus nobilibus, & ad vitam necessarijs Globuli sint infixi, & absq; vitæ discrimine euelli non possint, cum iam praua Symptomata apparent, vt in Cerebro Corde, Pulmone, Iecore, Renibus Vessica, Gutture, & alijs similibus partibus, nullo pacto manus est admouenda, cum infirmo vllo modo opem ferre nequeamus; Et in his tantum Prognostico vti debemus, & aliquod Medicamentum applicandum, ne infirmus omnino à Medico derelinqui videatur. Si verò euentus sit incertus, periculum prædicendum & Globi extractio aggredienda, cum præter spem multa in Cheirurgia commoda eueniant, & cum humanum sit, & plenum beneuolentiæ signum in extremis malis ad experimentum vsque procedere, vt Actius inquit. Quomodo verò in eorum extranearum eductione æger sit situandus, abunde superius fuit dictum, ideo non repetam.

Qid faciendum in primo apparatu.

In electione ac particularium Medicamentorum institutione, cum vnà cum continui solutione contusio, & carnis dilaceratio, & dolor adsit, plures intentiones habere debemus; Prima enim erit dolorem lænire ac sedare, quod præsidijs superius dictis faciemus; Secunda, quod contusum est, idest dilaceratam carnem, quamcitissime seiungere ac separare; Tertia erit disiunctas partes vnire, quod fieri non poterit, nisi deperdita ac dilacerata caro iterum restauretur; Iure ergo à doloris mitigatione, quando infestat, incipiendum, cum dolor materiæ ad affectam partem attractionis sit causa, & vires prosternat, & vigiliarum, Febrium, ac aliorum prauorum Symptomatum sit causa, & ideo pro primo apparatu aliqui Oui albumine, vel potius Ouo integro, idest putamine vnà cum Albumine simul optime concussis cum penicillis, & Splenijs vtuntur, & circum circa defensiuum applicant; Alij Oleo, & Aceto simul mixtis à principio Licchinia imbuunt, & applicant, cum hoc præsidium dolori, defluxiom, inflammationi, ac putredini resistat, alij feruentia Olea, vt Oliuarum, vel Sambuci, vel Catellorum à principio salubriter admouent, & huiusmodi Olea sunt in causa, vt interna prauorum humorum fuligo dissoluatur, & impediunt etiam ne extraneo Aeris, ac ventorum

impulsu Vulneris cauitas alteretur, & id eo cum hæc Vulnera maximè ab Aere alterentur, quamprimum igitur occulenda. Alij pro primo apparatu vruntur Oleo feruenti ex Quorum Vitellis, vel Hypericonis Oleo, vel Florum Verbasci, cum hæc omnia mirabilitèr leniant ac emolliant, doloresq; sedent; Et in supradictorum Oleorum defectu, feruens Oleum Sem. Lini, vel Chamemoli, vel Lumbricorum, vel Terebenthinæ, & ipsa Resina Tereb. & calens Butyrum assumi potest, & competit.

Notandū. Animaduertendum verò ne in his Vulneribus Emplastica Medicamenta, quæ sint crassæ, & terrenæ substantiæ, ac astringentia sint, & quæ subito exsiccantur applicentur, quoniam partem comprimendo magnos excitant dolores, & ideo defluxiones inflammationes, & alia praua Symptomata oriantur, cum meatus, & cutis poros obstruant, humores cogant crassioresq; efficiant. Pro secunda intentione consequenda, cum omne, quod contusum est, putrefieri sit necesse, vt inquit Hipp. ac alij boni Autores, & hoc quam primum fieri debet, vt dicti Autores inquiunt, ne incluſum virus, aut latens sanies maius periculum moliatur, atque etiam Febres, Dolores, & alia praua Symptomata sedentur. *Prosecūdo apparatu.* Pro secundo ergo apparatu suppurantia ac pus mouentia conueniunt, quæ insiti caloris nostri vim ac substantiam tueantur, & corruptos humores in benignius commutent, putridumque sanguinem in pus quamcitissime conuertant, & sic Vulnus in meliorem statum restituant. Sed in his Vulneribus suppurantibus Medicamentis, *Digestiuum.* Digestiuis Vulgo dictis vti debemus, vt est id, quod Resina Terebenthina, Oui Vitello, & Oleo Rosaceo componitur, vel Terrapharmaco, quod fit ex Pice, Resina, Cera, & Adipe, quod Digestiuum maxime à Celso laudatur, vel aliquo simili suppurandi vim habente, quibus semper aliqua precipitati præparati portio addenda est, vt sexta vel octaua pars, & hoc faciendum, vt affecta pars à corruptione præseruetur, cum de hæc rè maxime talia Vulnera periclitentur, cum dictum præcipitatum putridam ac contusam carnem, nullo, vel minimo cum dolore, absumat nullamque malam qualitatem Vulneri inducat, sed optime dispositum illud reddat; Illiniantur ergo Turundæ, vel quicquid in Vulneris cauitatem apponitur infrascripto Vng. vel simili. ℞. Vng. Tetrapharmaci dicti vnc. 2. Præcipitati optimi ac præparati dragm. 2. M. & vtere, vel.

℞. Vng. Basiliconis mai. vel minoris vnc. 2. Butyri recentis vnc. 1. Precipitati optimi ac præparati dragm. 2. 5. vel vel dragm. 3. M. & his, vel similibus Turundas siue Elechinia illinc. In Vulneris verò ambitu Vng. suprascriptum, vel Terrapharmacum Vng. sine præcipitato applicare possumus, & bis in die hæc Medicamenta permutanda. Vt verò partis calor conseruetur ac foueatur, vtq; dolor deuitetur, affecta pars Lana succida Hydreleo ex Oleo Rosaceo, & Aqua Rosacea ac pauciſſima Aceti portione imbibita circumdanda, vt *lib. 5. cap. 26. C. Celsus inquit.* Remotiora verò loca ad humorum defluxum prohibendum, aliquo defensiuo illinienda, vt Vng. de Bolo defensiuo dict̃p, vel infrascripto, vel simili, quorum formulæ plures superius descriptæ fuere.

Defensiuum. ℞. Pulueris Rosarum Rub. Myrtillorum an. dragm. 1. Boli Arm. Terræ sig. an. dragm. 6. Succorum Plantaginis, Solatri vnc. 1. Aceti Rosacei vnc. 2. Olei Rosacei Omph. Myrtyni an. vnc. 2. 5. Ceræ vnc. 2. M. & S. A. fiat Vng.

Animaduertendum verò ne Elichinia siue Turundæ sint nimis crassæ, ne extendant, ac tetrorum vaporum, aut cuius vis putrilaginis, quæ à Vulnere desidere solet, exitum prohibeat, & sic Inflammationum ac aliorum prauorum Symptomatum sint causa, ac etiam, ne nimis sint longæ, ne pungant, vel duræ nimis, vel asperæ, ne dolorem excitent, ac lacerent; Neque intromissi laquei, secundum meam sententiam, conueniunt, ob maximum ac vehementem dolorem, quem dum intromittuntur, ac dum in Vulnere detinentur, inferunt, Penicilli siue Turundæ ergo saltem primis diebus sint tantæ longitudinis ac crassitudinis, vt ne Vlnus claudatur, prohibeant, & commode pus exire possit; Neque horum Vulnerum in interna parte agglutinatio verenda ob magnam carnis contusionem ac attritionem, quæ in toto est Vulnere, cum glutinatio

fieri

fieri non possit, nisi post contusæ carnis putrefactionem ac abolitionem, & nouæ regenerationem, Vinculorum etiam ac fasciarum multitudo, adstrictio, & frequens Membri contrectatio deuitanda, cum hæc omnia dolorem inferant, & Inflammationum ac aliorum Symptomatum sint causa. Contentiua igitur fasciatura hæc Vulnera vinciri debent, & deinde commodo situ ac dolore vacante, & immobilis pars Vulnerata situanda. Dictis verò digestiuis vti debemus, donec pus laudabile aliquo modo apparere incipiat, quo apparente, ad Detergentia Med. deueniendum est, quibus semper præcipitati præparati puluis in maiori dosi, quam in Digestiuis, commiscenda est; Quomodo verò fiant Detergentia Med. pluries superius diximus, & inter Vng. in Officinis parata sunt Vng. Apostolorum Auic. viride Andromaci, Diaponpholigos ac, Aegiptiacum Auic. & similia. In illis verò Vulneribus, in quibus ob eorum profunditatem Medicamenta cum Elichmijs siue Turundis in fundum vsq; applicari non possunt, iniectiones dictis Medicamentis Vino, vel aliquo conuenienti decocto dissolutis faciendæ, & quotiescumq; hæ iniectiones siue ablutiones fiunt animaduertendum vt parum, vel nihil dictæ iniectiones in Vulneris cauo relinquatur, sed tantum sufficit, vt Vulnus abluatur. Detersо optime Vulnere, carne replendum, & hoc sarcoticis Medicamentis pluries superius dictis, & Turundarum in dies immutatione assequemur vt repleto tandem Vulnere carne, Cicatrix Epuloticis est inducenda, vt de alijs Vulneribus superius fuit dictum.

Quousque digestiua conueniant.

Nisi verò Digestiuis Medicamentis hæc Vulnera ad suppurationem perduci possint, & in Gangrenam ac partis corruptionem degenerare videantur, quod cognoscitur ex partis calore ad luridum, fuscum, & nigrum tendente, ex fetore, & alijs Gangrenæ signis, quibus existentibus ad Gangrenæ curationem, quam lib. de Tumoribus descripsimus, recurrendum est; Sic si aliquod prauum Symptoma, vel aliquis alius morbus superueniat, vel complicetur, vt dolor inflammatio, Erisypela, Oedema, vel quid simile, ad horum curationem recurrendum est; Sic si talia Vulnera in depascentia ac serpentia, & in alia maligna Vlcera degenerent, de quibus omnibus in superioribus à nobis fuit pertractatum.

In Vulneribus Venarum ac Arteriarum eadem præcepta sunt obseruanda, quæ in harum partium Vulneribus superius diximus; Sic in Vulneribus Neruorum ac Tendinum, & aliarum Neruosarum partium. Quando similiter ossa fuerint ab huiusmodi Globis percussa, vel fracta, vel in plura frustula comminuta, aut Luxata fuerint, vt de ossium Vulneribus superius diximus, ac de fracturis, ac Luxationibus inferius dicemus, pertractanda. Hoc tamen animaduertendum in ossium commutione, ne frustula educantur, nisi omnino fuerint separata, aut nisi pungant quoniam si violenter ea educere, antequam à Natura separentur, conaremur, caro, Ligamenta, Tendines, & Membranæ, quæ ossibus adherent, diuelleatur, ex quarum partium offensione postea ingentissimi dolores, inflammationes, abscessus, & alia sæuissima Symptomata accideret, & sæpe mors succedet. Si verò ossis frustula à Globo ad aliquam neruosam partem fuerint delata, & illam pungendo stimulent, vel si propter pus, quod ea frustula à carne Ligamentis, & Membranis separat, ad aliquem descenderint locum, quem pungunt, tunc volsella, vel alio simili instrumento educenda. Curatio horum Vulnerum similiter secundum partium diuersitatem, vt de alijs Vulneribus superius diximus, varianda, & eadem præcepta sunt obseruanda, quæ in dictarum partium diuersitatem, vt de alijs Vulneribus superius diximus, varianda, & eadem præcepta sunt obseruanda, quæ in dictarum partium Vulneribus obseruari superius diximus, vt si huiusmodi Vulnera fuerint in capite, ad Vulnerum capitis curationem recurrendum, sic si sint in Thorace, vel in Abdomine; Hoc tamen sciendum, quod in quibus Globuli intra Caluariam, & Cerebrum penetrauerint, desperata est eorum salus, sic in quibus penetrarunt intra Thoracem ac Abdominem, cum internarum partium læsione, quæ similiter sine internarum partium læsione intra Thoracem penetrarunt etiam sunt periculosa, cum absq; vlla ossis læsione penetrare non possint, nisi Globus, qui Vulnus inferat, sit valde paruus,

Notandū

& inter costarum spacia penetret. Cum ergo ex Glande Costæ, vel reliqua Thoracis ossa, vt plurimum frangantur, ideo dolores ac inflammationes excitantur, ad quas mors sequi potest, & ideo huiusmodi Vulnera verenda; Tamen vtcumque sint Vulnera, non sunt Aegri destituendi, vt superius diximus, sed periculum assistentibus prædicendum, & quæ artis sunt, eorum nihil omittendum, cum aliquando spe deplorati ægri ad sanitatem perducantur. Hoc tamen curandum in penetrantibus Thoracis Vulneribus, in quibus plumbeus Globus in cauitate continetur, & per illam errat, vt ociſſime educatur, cum pericardij ac Diaphragmatis compressionem efficiat, & harum partium vellicationem.

Quomodo Globi ex Thorace extrahendi.

Situandus igitur est æger ita, vt Vulnus deorsum spectet, & flexili Specillo immisso Globulus circum circa molliter perquæstigandus, & nisi adinueniatur, huc atq; illuch æger moueri debet, & tandem vt Vulnus pronum sit situari debet, & iterum Globus perquæstigandus, & eo adinuento, reflexo specillo erga orificium placide trahendus, & Coruino Rostro, vel quolibet alio instrumento apprehenso educendus; Et si aliqua ampliatione sit opus, per costarum longitudinem, & in superiori costæ parte, vt superius fuit dictum, facienda; Circa reliquum curationis, sicuti de alijs Thoracis penetrantibus Vulneribus fuit dictum, faciendum. In externa contusa ac dilacerata Carne, quæ in Vulneris labijs existit, eadem Medicamenta sunt applicanda, quæ in aliarum partium carnosarum Vulneribus à sclopetto factis superius admoueri diximus. Sic Abdominis penetrantia Vulnera, si absque vlla internarum partium læsione sint, licet periculosa dicantur, tamen multi sanari solent, & si Globus intus remanserit, & de internarum partium læsione nullum certum adsit signum, vt educatur, conari debemus, vtque in Thoracis Vulneribus diximus, æger super Vulnus decumbere debet, & huc atq; illuc moueri, ita tamen, vt Vulneris orificium deorsum spectet, & reflexo specillo leuiter perquæstigandus ac educendus. Nisi verò vllo pacto inueniri possit, illic sinendus, cum melius sit ita facere, quam periculosam sectionem, & cum pauca spe optati finis adire, cum multi cum Globo intra Abdomen diu superuixerint; In reliquis eadem curatio competit, quam in Abdominis Vulneribus superius descripsimus. Si verò hæc Vulnera sint absque harum partium penetratione, sicuti Carnosarum partium Vulnera curari debent. Si verò huiusmodi Vulnera à venenato Globo fuerint facta, vt quam primum talis Globus, si intus remanserit, euellatur, ac omni pacto extrahatur curandum est; Deinde huiusmodi plagæ, sicuti alia venenata Vulnera superius diximus sunt curandæ, cum Medicamentis ipsi plagæ applicatis ac venenum extrahendi vim habentibus, tum per os assumptis, & deforis applicatis veneno resistentibus, cor roborantibus ac munientibus, vt sunt Theriaca, Mitridatum, & alia Alexipharmaca cum vino, aut alio conuenienti decocto propinatis, vt est decoctum Angelicæ, Gentianæ, Tormentillæ, Bistortæ, Acetosæ, Pimpinellæ, Veronicæ, Melissæ, Seminum Citri, & similium.

Quando cum his Vulneribus Ambustio fuerit complicata super ambustas partes Cimolia Terra, Creta dicta, cum posca in vnguenti formam redacta applicanda, vt *Oribasius lib. 7. cap. 6. & Paul. lib. 4. cap. 11. inquiunt*, vel Vnguentum de Calce optime lotum cum Rosaceo admixtum apponendum, vel Vng. Refrigerans Gal. vel quid aliud in Ambustionis curatione à nobis dictum.

De Remouendis Granulis Pulueris Sclopettarij Carni infixis.

Cap. 82.



Vm sæpe Sclopettarij pulueris Granula in faciem prosiliant, & in carnem infigantur, eamque contuadant ac nigredine turpissime inficiant; Ideo aliquod præsidium, pro hac deformitate tollenda in medium est adferendum, quamuis difficulter hoc fiat.

In Principio igitur, antequam illa vulcuscula occalleſcant, specilli cuspide Granula læniter educenda, & posca talis pars optime abluenda, vt comminuti pulueris Granula ac nigredo tollantur, & deinde Oui albumen optime concussum, vt

dolor

dolor leniatur, & humores repercutiantur applicandum, seque ti die iterum posca vluscula abluenda, & specilli cuspide pulueris reliquiæ, quo ad fieri potest, tollendæ, & Digestiuum Medicamentum trium dierum spacio applicandum, & talia Vlcuscula eodem Digestiuo replenda, & singulis quibusq; diebus posca abluendum, & specilli cuspide nigredinem tollere conandum est, & hoc pacto nigredo vnà cum pure, vt plurimum euacuari solet. Nisi verò dictis tollatur, in dicta vlcuscula Aegiptiacum Vnguentum imponatur, vt nigrefactam carnem exedat, vel vlcuscula leuitèr tangenda cum Gossipio in stili cusprde inuoluto, & in Oleo Sulphuris, vel Chalcanti, vel alio Medicamento exedendi vim habente madefacto, & sic nigredo remouebitur, & desuper Vnguentum Rosaceum, vel Galleni Refrigerans, vel quid simile applicandum Ablata nigredine, vt vlcuscula coalescant, Medicamentis ad id aptis curandum est. Si verò Granula intra Carnem coaluerint ac faciem deforment, si illa tollere vis, opus est, vel ignita specilli cuspide, vel Adurentibus Medicamentis locum nigredine infectum ita perfores ac aduras, donec ad partem peruenias, in qua nulla amplius nigredo adsit; Deinde, vt ignis caliditas mitescat, Oui albumen cum Aqua Rosacea, vel Rosaceum Vnguentum vel Gal. Refrigerans applicandum, deinde Butyrum, vel quodlibet aliud Medicamentum Escaram remouens apponendum Remota Escara, Sarcotica Medicamenta, & quæ Vulnera consolidandi vim habent applicanda.

De Ambustione vel ab Igne, vel Aqua, vel Oleo, vel qualibet feruenti materia. *Cap. 83.*

CVm in Vulnere Sclopettorũ pertractatione, aliquid etiam de Ambustione fuerit dictũ, & cum ambustio, sicuti Vulnera, semper à procatartica, & externa causa fiat; Ideo post Vulnerum tractatum, de Ambustione verba facere decreuimus, eundem seruando ordinem, quem in superioribus seruauimus.

In Ambustionibus igitur, aliquando tantum cutis læditur, aliquando vna cum cute etiam subiecta caro, & Ambustio, quæ ab Igne, vel feruenti Aqua, vel Oleo vel qualibet alia feruenti materia fit, non differt, nisi quatenus, ex his vnum magis vel minus vrit, & vnum magis alio penetrat.

Ambustionem sequuntur dolor, Vessicæ, Exulceratio, & si magna, & intensa fuerit Ambustio, Escara succedit. Dolor fit ob calidam intemperiem, & continui solutionem. Vessicæ oriuntur, quia ignea caliditas Aquosam humiditatem sub cute subito attrahit; Remanent verò sub cute dicta Aquositas, quia ob cutis densitatem exterius exire non potest, & ideo fiunt Vessicæ aquosæ, Inflammationes, & praua Apostemata, Exulceratio fit ob continui solutionem à re adurente factam; Escara inducitur ob nimiam vstæ partis exsiccationem, & propriæ humiditatis consumptionem. *Quæ ambustione sequantur, & cur.*

De Ambustionis Curatione.

IN Ambustionis curatione, quando magna est, tenuis victus conuenit, & secundum humorum in corpore prædominium reliqua vniuersalia, vt in superioribus fuit dictum, competunt; vt Rhasis inquit; Et hæc præcipue obseruanda ac facienda, quando Ambustio morbosis corporibus, & Cacochymis, ac ijs, qui imbecilla sunt valetudine, accidit, qui omnibus iniurijs sunt expositi, & omnibus incommodis obnoxij, vt ingentibus doloribus, inflammationibus, febribus, & his similibus.

Quo ad particularem curationem tres intentiones habere debemus; Prima erit Vessicas, & inflammationem prohibere, ac dolorem lænire; Secunda Vessicas iam factas, & excitatas curare; Tertia erit excoriationem siue Exulcerationem remouere, & ad cicatricem perducere.

Prima intentio omnibus potestate frigidis completur, quæ ab vstione protinus supra vstam partem, & circumsitas partes tepida sunt applicanda, cum actu talia dolorem leniant, & Empyreuma foras euocent, & frigiditate, quam potestate habent, ardorem extinguunt, & inflammationem prohibent, ac remouente, & dicta frequenter mutari debent, ne supra

partem exſiccentur ac dolorem inferant. Aliqui verò volunt, quod infraſcripta Medicamenta Aeſtate frigida applicentur, vt Hyeme verò tepida, vt nos diximus, quod etiam fieri poteſt.

Veſſicas & inflãmationẽ prohibẽtia.

Medicamenta ergo à principio applicanda, & pro prima intentione conſequenda ſunt Oxicratum, Oui albumen, Succi, & ſtillaticeæ Aquæ Lactucæ, Endiuiæ, Solani, Semperuiui, Plantaginis, Hyoſchiami, & quæuis Terra, vt inquit *Aetius lib. 14. cap. 64. & Paul. lib. 4. cap. 10. & Gal. 9. de Simpl. Medicamentorum Facult. & Celſus lib. 5. cap. 27. cum refrigeret ac digerat.* Sed inter Terras maximè Cimolia ab omnibus extollitur, & Armenius Bolus cum prædictis ſuccis, ſiue ſtillaticis Aquis, vel poſca, vel Roſacea Aqua ſolutis, & in Lenimenti formam redactis, & Pinna ambuſta pars eſt illinienda, cum ambuſtæ partes Manu contrectari non debeant, & tenuæ Linteum ſuperponendum, & in teneris corporibus Terra cum Aqua, in durioribus cum poſca, ſiue Aceto non admodum acri commiſceri, proſunt etiam Lenticula ſemicocta, & apelicata, Coriandrum viride, vel Eruum illitum, Betæ etiam folia cruda contuſa, poſtea cum Vino elixata, & illita conducunt, ſimiliter Hederæ folia in vino decocte, & illita; Item Ceruſa, Alcumen Aqua ſolutum, & Oui albumine, Santala ſimiliter trita dum Aqua Roſacea, & portulacæ ſucco commixta plurimum proſunt, Ouum item integrum crudum, vel tantum eius albumen molli Lana exceptum, & applicatum maxime prodeſt, vt inquit Gal. 11. lib. de Simpl. Medicamentorum Fac. cum refrigeret, & citra mordacitatem ſiccet. Thus cum Aqua tritum etiam prodeſt, & Aeruginis, & ſpumæ Argenti pares portiones cum Vino, & Oleo tritæ, & illinitæ ad Veſſicas prohibendas mirifice proſunt; Auic. maxime laudat Bolum Armenum cum Aceto, & Terra ſig. & Litargirium, & Ceruſam cum Aqua Solatri, & Endiuiæ, vtilæ etiam eſt Vng. Populeum cum Oui Vitello permixtum.

Non applicanda verò ſtatim à principio ambuſtis frigida adſtringentia ac ſemper reprimentia, vt multi faciunt, cum illa repercutiant, & non ignitum ardorem eliciant ac extrahant, vt fieri debet; Sed illum magis partibus infigunt, & morbum augent, & præſertim Acetum deuitandum cum adſtrictoria ſua facultate aperta vaſa occludat, influxumque ſanguinem cohibeat, vt *Aetius inquit, & ideo Ariſt. 1. Problem. inquit*; Vſtam partem paulatim igni offerendam, vt calor calorem attrahat, & bullæ non excitentur, alij eadem ratione Cepas cum ſale tritas admouent, alij Oliuarum Muria, aut alia ſalſugine madido Linteo ambuſtis igneam vim atque vtentem feruorem extrahunt, doloreſque ingentiſſimos mitigant, puſtulaſque prohibent.

Alij laudant Oleum Oliuarum cum ſale, vel ſimplex Oleum Amigdalarum Amararum, vel cui parum ſalis ſit admixtum, vel Oleum Amigdalarum dulcium adiecto ſale, alij ſucci Cæparum partes duas cum parte vna Vernicis liquidæ miſcent, & applicant, vel infraſcripta Medicamenta applicentur, quæ ſunt optima. ℞. Olei Sambucini, Nucum an. vnc. 2. Olei Ouorum vnc. 5. Seui Ceruini, Medullæ cruris Tauri an. vnc. 1. Ceparum coctarum num. 2. Ceræ tantillum M. & S. A. fiat Vng. vel.

℞. Olei Lardi, Olei Butyri an. vnc. 5. Succi foliorum, & baccarum Hederæ vnc. 2. ſucci Corticis mediæ Sambucci, vnc. 1. Olei Sambucini vnc. 3. Salis Petræ dragm. 2. M. & ſimul ad ſuccorum conſumptionem decoquantur, & cum tantillo Ceræ S. A. fiat Linimentum, vel.

℞. Vng. Albi Camph. Vng. Populeonis an. vnc. 1. M. & fiat Vnguentum; Et ſi maximus adſit dolor, addatur mucilaginis Seminis Pſillij, & Nenupharini Olei q. ſuff. Proſunt etiam Vnguentum album, & Rubrum, Camphuratum, Infrigidans Gal. Vnguentum Santalinum, Populeum cum Oui vitello, vel humano Lacte, vel alterius Animalis admixtum, & Roſ. Vng.

Ad vſtiones ab Aqua feruente factas.

Ad Vſtiones ab Aqua feruente factas, prius quam Veſſicę ſiue puſtulæ excitentur valet Alumen ſciſſilæ, de pluma etiam dictum, tritum, & cum Aceto illitum, aut Taurinum Fel cum Aqua copioſiore liquatum, & illitum, aut Liliorum Bulbi, aut Hyacintorum cum Roſaceo triti, & ad ſordium craſſitudinem redacti, & illiti, vel ſtatim illiniantur cum Medicamento facto cum Quo integro, parum Farinæ

Hordei,

Hordei, & parum salis, vel applicetur madidum Linteum cum Aqua Rosacea, & Santalis, & Camphura, non permittendo exsiccari, sed qualibet hora iteretur, Oliuarum Salsarum Aqua continua conspersio ante bullarum excitationem, & ipsæ Oliuæ salsæ coquitæ, cum polenta eliquatæ etiam conducunt, vt loco superius citato Paul. inquit.

Pulus etiam corticis pini conspersus prodest, & omnia superius dicta Medicamenta ad Aquæ vstionem vtilia sunt. Si verò Vesicæ siue pustulæ excitatæ fuerint à principio non aperiendæ, cum à principio apertæ dolorem diu inferant, curationemque retardent, tertia ergo, vel quarta die tantum Acu aperiendæ, vt contentus humor effluat, cum quandoque sola apertione sanentur, nisi verò aperiantur, contenta materia subiacentes partes corrumpit ac exedit. Quando igitur Vesicæ adsunt, comperunt infrascripta.

Vesicæ quando aperiendæ.

℞. Olei Nucum vnc. 2. Ceræ vnc. 5. M. & simul agitentur, & viere, & hoc etiam competit ante Vesicarum generationem, & ipsi apertis.

Ad Vesicas ab Ambustione ex citatas, & exulcerationes.

Rhu similitèr, & polenta cum Aceto trita, & imposita prodest, aut suillum fel coctum, aut Hyoschiami succus assidue illitus. Valent igitur ad vstionem, vbi Vesicæ apparent, vel cum sunt excoriatæ, & vbi Vlcus adest, quæ leniunt, & moderatè siccant, & ideo Metallica vsta, & lota, aliquoblando, & leni liquore excepta, vtilissima sunt, & Calx Aquæ Plantaginis, vel Rosarum lota cum Rosaceo Vng. mixta valde est efficax, vel ℞. Ouorum Albumina num. 2. Vitellorum Ouorum elixatorum vnc. 2. Calcis lotæ vnc. 1. Ceræ nouæ q. suff. M. & S. A. F. Vng.

Vbi Vesicæ, & exulcerationes adsunt infrascriptum Vnguentum etiam maxime confert.

℞. Olei Oliuarum q. vis, & in ea abundanter secundum Sambuci corticem coque, deinde eo colato, adde Ceruse partes duas, plumbi vsti, Litargirij ad partem vnam, & in plumbeo mortario diu agitentur, & F. Linimentum.

Vel ℞. Calcis lotæ vnc. 1. Ceræ albæ vnc. 1. 5. Olei Rosacei vnc. 4. Cineris Stercoris Columbini vsti dragm. 2. Aquæ Ros. vnc. 1. Albuminis Ouorum 1. M. & S. A. F. Linim.

Ad vstionis inflammationem, vt inquit *Celsus lib. 5. cap. 27.* maximè valet Lenticula cum Melle mixta, & imposita, & vbi declinauerit, Farina cum Ruta, vel Porro, vel Marrubio optima est, donec crustæ cadant, quæ violenter nullo pacto sunt remouendæ, sed sponte sua decidere debent, Auic. inquit; Quod porri elixati multum valent, si super locum apponantur, & portulaca cum Hordei Farina, & Oleo Myrtino.

Ad inflammationem ab vstione excitatam.

Ad detergendum, quando est opus, valent Eruum cum Melle, vel Iris, aut Resina Terebenthina vel infrascriptum Medicamentum.

℞. Resinæ Tereb. lotæ cum Hordei decocto vnc. 1. Syruppi Rosacei vnc. 1. 5. Myrrhæ, Aloes an. dragm. 5. Farinæ Hordei q. suff. ad crassitiem.

Rhu, & Hordei Farina cum Melle leuigata, & impositæ etiam prodest, & multa alia, quæ breuitati studens, prætermitto.

Vbi Vlcus Ambustione relictum carnis repletione egeat infrascripta conferunt ℞. Olei Rosacei vnc. 4. Olei Ouorum vnc. 1. Vitri albissimi tenuissime pulueriz-zati vnc. 5. Corticis medij Sambuci M. 5. Ceræ albæ dragm. 6. coquantur simul, & S. A. F. Vng.

Ad vlcera carne replenda

Myrrha similiter trita cum Vino Rubro mixta, & adhibita maxime prodest, & dictis secundam intentionem complebimus.

Quando verò dolor, punctio, & inquietudo fuerit remissa, & Vlcus mundum, & bene coloratum, & æquale apparebit, ad tertium scopum consequendum nos met ipsos accingere debemus, Cicatricis inductione igitur est opus, quod infrascriptis Med. faciemus.

Epuloticа Medicamenta

℞. Diachylonis Communis vnc. 1. Vng. Populei, Olei Rosacei an. vnc. 1. 5. Mucilaginis Seminum Cydoniorum in Aqua Rosarum extractæ vnc. 2. Vitellorum Ouorum num. 1. M. & S. A. fiat Vng. vel.

℞. Plumbi vsti, & loti, Tutiæ lotæ Litargirij loti, Ceruse lotæ an. vnc. 5. M. cum Oleo Ros. Omph. vel Myrtino, & Solani succo q. suff. & in Mortario plumbeo ac pistillo S. A. fiat Vng. vel.

℞. Ceruse Argenti spumæ, Hordei vsti ac triti an. vnc. 1. Ceræ vnc. 3. Olei Rosa-

Roſacei, aut Myrtini vnc. 8. Hordeum cum Oleo, & Cera ſimul liquefactis, poſtea adde Argenti ſpumam, & Ceruſam in Mortario cum Vino tritas.

Vnguentum etiam de Plumbo, quod Oleo Roſaceo, plumbo combuſto, & Cera componitur. Vel Vnguentum de Tutia, vel de Minio coctum, vel crudum maxime confert, Ficus ſimiliter cum Cera, & Roſaceo ſubacta Ambuſtis cicatricem inducunt; Competit, & puluis Foliorum Myrti cum Roſacea Aqua perfuſus, qui blande exſiccat, & cutim nutrit, cinis ſimiliter Foliorum Myrti inſperſus, vel ſimi Columbini Cinis in Panno Lineo alligatus, & aduſtus, cum Oleo Roſaceo mixtus, vel cum Vino maxime valet. Item Cera Alba, cum portulacæ ſucco mixta præſtantiſſima etiam eſt; Sic Vng. Ruſa cum Medullæ Ceruinæ momento Inducta Cicatrice, quotidie ipſam Oleo de Ouorum vitellis oblinienda, vt ipſam deleatur, vel alio talem facultatem habente, vt cap. 36. huius libri à nobis ſunt dictum.

Si verò Aduſtio ad corruptionem tendat, vel in Corroſiuum ac malignum Vlcus degeneret, tunc eo pacto curandum, ſicuti Vlceris malignitas requiſiuerit. Et hæc de Vulneribus ad Dei Deipareque ſemper Virginis laudem, & ad communem ſtudioſorum vtilitatem dicta ſufficiant; Quo in opere quid præſtiterim omnium recte ſentientium eſto iudicium.

FINIS.



CHEIRVR-

CHEIRVRGIÆ FRANCISCI PECCETTI

COELESTNI CORTONENSIS,

PHYSICI, ATQVE CHEIRVRGI.

LIBER TERTIVS.

De Vlceribus, tàm in Vniuersali, quàm in Particulari.

De Vlceribus in Vniuersali. *Cap.* I.

ABsoluta Vulnerum pertractatione, vt de Vlceribus verba faciamus, postulat ordo, cũ vtraque hæc continui solutio in eodem subiecto fit, ideſt in carnosa parte, & in vtraque etiam eundem finem ac intentionem, in curando, habere debemus, ideſt vnitionem siue agglutinationem.

Ordo seruandus.

In Vlcerum igitur pertractatione eundem seruabimus ordinem, quem in superioribus libris secuti sumus; Primum enim de Vlceribus in vniuersali, postea in particulari verba faciemus, & primo dicemus, quid nominis; Secundo quid rei, ideſt quid sit vlcus; Tertio Differentias ac Vlcerum species assignabimus; Quarto Causas; Quinto signa; Sexto Prognostica; Septimo Vlcerum curationem in vniuersali, Deinde cuiuſque Vlceris speciei curationem instituemus ac docebimus, & Tandem ad particularem Vlcerum curationem deuenietemus.

Quid nominis.

Quoad primum, hæc vox vlcus à Græcis Elcos dicta, pluribus modis apud Autores vſurpata fuit, ideſt communiſſime, communiter, & proprie; Communiſſime *Hipp. 3. de Fracturis 34. vſurpauit, vbi inquit; Esse quosdam, qui morbos omnes vlcera appellant. Quem locum fortasse Gal. lib. de inequali intemperie cap. 6. significauit, cum dixit.* Ex ijs fortaſſe nec illud aurius dici videtur, quod Hipp. alicubi ait, Omnem Morbum Vlcus esse: quippe Vlcus vnitatis est diuiſio. Ex quo loco patet, quod per Vlcus omnis continui ſolutio intelligi debeat, lib. ſimiliter de Vlceribus idem Hipp. Omnes continui ſolutiones ſub Vlceris nomine complecti videtur, Et lib. de Vuneribus Capitis ſepe Vulnera illa Vlcera appellat. Communiter accipitur hæc vox Vlcus pro quarumcumque partium carnoſarum continui ſolutione à qualibet cauſa proueniente, & ſic vſurpauit *Gal. 3. Meth. cap vltimo*, vbi Vlcerum differentias tradidit ac alibi. Proprie verò dicitur Vlcus continui ſolutio partium carnoſarum ab eroſione proueniens, & ſic conſtituit Gal. lib. de conſtitutione artis, vbi de continui ſolutione diſtinctius quam alibi agit. Sed cum Vlcera alia ſint interna alia externa. Nos de ijs tantum Vlceribus agemus, quæ in mollibus partibus exterius ſiunt, & Cheirurgi Manu curari poſſunt.

Quid

Quæ ſit bona definitio.

Quid verò ſit Vlcus propriè acceptum modo dicendum eſt, cum bona definitio ſit illa, quæ ſemper, ſoli, atque omni conuenit, & cum ſuo definito conuertitur, vt Dialectici ac Peripatetici omnes inquiunt; Ideo talem Vlceris definitionem in medium proponemus, quæ ſecundum ſententiam noſtram eſt hæc.

Quid ſit vlcus propriè acceptum & dictæ definitionis examinatio.

Vlcus eſt fœda, & impura continui ſolutio, vt plurimum in parte carnoſa ex Vulneris degeneratione, vel abſceſſu, vel corporis vitio procreata. Modo vnamquamq; huius definitionis particulam examinemus. Cum Definitio ex Genere, & Differentia conſtat; Continui ſolutio eſt loco generis, cuius ſpecies lib. de Vulneribus ſatis à nobis fuere explicatæ, & reliquæ definitionis particulæ pro differentia poſitæ ſunt. Diximus quod eſt ſolutio continui fœda, & impura, humoris vitio, vel ibi genita ſanie, vel pure, vel quauis alia corruptione, non extrinſecus, ſed ex Vlcere ipſo profecta, vt à Vulnere differat, quod ſanguine, qui ibi continetur, deſedatur, qui corporis excrementum non eſt ſed ſuccus alendo corpori neceſſarius.

Diximus, vt plurimum in parte carnoſa, quia in Venis, & Arterijs, & Membranis vlcera contineri poſſunt, quæ tamen carnem proprie dictam non habent, & ſi dici poſſit habere carnem communi appellatione, & ideo Gal. lib. de Morborum Differentijs dixit; In omni genere carnoſo communiter Vlcus, & *6. Epid. Sect. 6. Com 25. inquit.*

At Carnem quidem appellat Hipp. non ſolum eam, quæ muſculos efficit ſed eam quoque ex qua Inteſtina, & Veſſica conſtant. ſi quidem vnaqueque particula ex carne ſibi idonea conflata eſt, per Carnoſam ergo partem, omnes molles partes intelligere debemus, & cutem ac Cuticulam, ſicuti *Gal. 3. Meth. cap. 1.* fecit qui inquit Vlcus eſt ſolutio continui in parte carnoſa, & poſtea cap. 4. inquit, Vlcus eſt ſolutio continui in parte carnoſa, & poſtea cap. 4. inquit, Vlcus eſſe ſolutionem continui, vel in Epidermide, vel in cute tota, vel vnà cum cute ſubiecta. Ex his ergo Autoritatibus colligi poteſt per Carnoſam partem non ſolum intelligi veram carnem, ſed etiam cutem, quæ carnis naturam ſapit, & Venas, Arterias ac Membranas. Quatenus enim diximus quod in carne conſiſtit à Carie, Teredon à Grecis dicta, & fractura, quæ in Cartilaginibus, & oſſibus fiunt, differt, & à Conuulſione, quæ fit Neruis. Quatenus verò eſt ex degeneratione Vulneris factum, differt à Ruptione, & Conuulſione, quæ ex Vulneribus non fiunt; Sed ex ſoluta vnitate carnis ſenſibus inconſpicua; Et multo magis eius naturam ſpecificat, quod ſequitur, cum nullum Vulnus corporis vitio procreetur; Intelligendo per corporis vitium Vlceris antecedentes cauſas ac continentes, ſiue coniunctas, in quarum numero eſt omnis corporis impuritas, & Cocochimia, aut ex improbo victu aut ex viſcerum praua affectione contracta, & in harum ordine continetur omnis vitioſus humor eo confluens, omniſque corruptio in ea parte conſiſtens atque choerens.

Propoſitam ergo definitionem optimam eſſe exiſtimamus, quia non ſolum, quid res ipſa ſit, explicat, ſed etiam propter quid, cum illa definitio quæ huiuſmodi conditiones habet, a Dialecticis perfectiſſima iudicetur, & quæ à demonſtratione non ſolo ſitu differre dicitur.

Aliorum Vlceris definitiones, cum parum ad curationem conferant, & breuitatis cauſa, non ponemus, neque examinabimus, cum cuiſque ex ſe ipſo videre, & an bonæ ſint, & ſi qua ex ſupradictis conditionibus deſit examinare ac diudicare poſſit.

Vlcus ergo cum ſit continui ſolutio, eſt morbus communis tàm ſimiliaribus, quàm organicis partibus, vt *Gal. lib. de Artis Conſt. inquit*, quamuis ſimiliaribus partibus magis proprie conueniant, *vt 1. lib. de morbis idem Autor inquit.* *Quid morbus ſit.*

Partes igitur ab Vlceribus affectæ poſſunt eſſe, & ſimiliares, & Organicæ, ſiue Inſtrumentales partes, quæ verò ſint partes ſimilares, & quæ Inſtrumentales lib. de Vulneribus abunde à nobis fuit dictum. *Partes affectæ.*

De Vlcerum Differentijs ac Speciebus.

VLcerum Differentiæ aliæ ſunt veræ, & propriæ, aliæ non veræ, & impropriæ. Propriæ Differentiæ à rebus ſumuntur ideſt à loco affecto, ab eſſentia, & Vlceris natura, & à cauſis vlcus excitãtibus

Impro-

Impropriè verò Vlcerum differentiæ à pluribus sumi possunt, vt à rebus præter naturam Vlceri adiectis ac complicatis, vel à Symptomatibus, vel à proprietatibus, siue moribus, vel ab externis rebus, vt à Tempore, vel ab his, qui primo curarunt, vel ab his, qui primo fuere talibus Vlceribus correpti, vel à similitudine, vel à fine, vel ab operibus Naturæ.

Differentiæ à loco, siue ab affecta parte sunt, Vlcus in carne, & hæ vel in principio, vel in fine, vel in medio musculi, Vlcus in Membrana, in Vena in Arteria, in Capite, in Oculo, in Cubito, in Genu, & his similibus, & hæ Differentiæ, vt *Gal. 3. Meth. cap.* 10. *inquit*, maxime vtiles sunt, cum vna pars alia valentioribus vel mitioribus exsiccantibus egeat, & secundum partium diuersitatem ac temperiem diuersa curatio instituì debeat. Differentiæ ab essentia, & natura à Vlceris vt loco citato Gal. inquit sumuntur, vel à figura, vel à Magnitudine, vel ab æqualitate, & inequalitate. Differentiæ à figura sunt Vlcus rectum, obliquum, Pampini modo retortum, Hamiritu vncum, aut alio quoque modo se habens, à Magnitudine differentiæ sunt, vt magnum vel paruum Vlcus, longum, & breue, latum, & angustum, & in summo residens, & in profundum penetrans, & huiusmodi. Differentiæ ab æqualitate, & inequalitate penes diuisionis profunditatem erunt cum alia Vlcera æqualia, & vniformia sint, alia inæqualia, & difformia, cum in vna parte magis, quam in alia profundiora sint. He Differentiæ maxime sunt vtiles, cum essentia ac affectus natura maxime curationem exoptet ac desideret, vt inquit *Gal. 1. Meth cap* 9. cum Rotunda Vlcera difficilius, ob partium maximam distantiam, & ob Angulorum carentiam, curentur alijs Vlceribus alia figura prædijs, & maiora Vlcera vehementioribus exsiccantibus minoribus egent, & æqualia Vlcera vniforme experunt Med. contra inæqualia.

Vlcera rotunda curata difficile.

Differentiæ à Causis Efficientibus sumuntur, vel ab Interna, vel ab Externa causa. Differentiæ ab interna causa erunt vt Cacochimia, & partis intemperies, à qua Vlcus Cacochymum, vel Rheumaticum, vel Melancolicum dicitur; Ab intemperie nulla differentia sumitur, cum sit coniuncta causa atque semper magna, aut parua, aut minima adsit. A Causa externa differentiæ sunt, vel ab acri acurente extrinseco apposito, à quo ambustum Vlcus dicitur, vel ab atterente, à quo Intertiginosum Vlcus nominatur, vel à contagioso corpore, à quo Vlcus per contagium acquisitum vocatur, de quibus inferius cap. de Vlcerum Causis diffusius agemus.

Hæ Differentiæ ab interna causa dictæ similitèr in curando maximam vtilitatem afferunt, cum diuersam curationem Vlcera ab vna causa interna, quam ab alia requirant. Ab externa verò Causa nulla Curationis indicatio sumitur, cum à nullo eorum, quæ aduch non permanent, indicatio sumi eius, quod ex vsu sit, potest sed ad morbi cognitionem Externæ causæ, sunt necessariæ, vt inquit *Gal. 4. Meth. cap 5.*

Differentiæ impropriæ dictæ sunt illæ quæ non ab ipsa Vlceris substantia accipiuntur, sed ab effectu aliquo, qui per se consistere possit, cum ea, quæ per se consistere possunt, alterius differentiæ esse non possint, cum differentia sit rei forma, quæ à re separari, nisi per interitum, numquam potest, vt inquit *Gal. 3. Meth. Cap. vltimo*. Ideo cum dicitur Vlcus putridum, non aliqua Vlceris differentia constituitur, sed complicatus affectus ex Vlcere, & putredine, vt inquit *Gal. comp. 45. lib. 6. Aph.* Sic cum dicitur Vlcus Phlegmonodes, vel Aerefipelatodes, vel Cancerosum, vel Gangrenosum, vel Intemperatum, vel Apostematosum, vel Callosum vel Ostracosum, vel Varicosum, vel cum osse corrupto, vel quid similæ.

Quid sit differentia.

Differentiæ igitur à Symptomatibus sunt Vlcera dolorosa, cruciantia, pungentia, exurentia, pulsantia, prurientia, & similia, quæ ad sensum pertinent.

Differentiæ à proprietatibus siue moribus sunt, vt Vlcus malignum, vel benignum, Contagiosum, siue non Contagiosum, Rebelle, vel facilis curationis, cum hæ vniuscuiusque morbi proprietates sint.

Differentiæ à tempore sunt, vt vlcus recens, vel antiquum, siue inueteratũ, vlcus incipiens, crescens in suo vigore permanẽs & declinans, & sanescens, & hæ differentiæ, sicuti loco citato inquit Gal. nihil indicant,

cum

cum diutum, & antiquum vlcus aliam curationem non poſtulet, quam recens, quatenus eamdem habet proprietatem. Similiter vlcus incipiens creſcens, in ſuo vigore permanens, & declinans, quando nihil eſt ei complicatum, tantum ſanationem deſiderat, quæ eſt vnitio ſiue agglutinatio, vel Coitio, ſiue continuatio.

Differentiæ ſimiliter ab his, qui primo curarunt, & ab his, qui primo talibus Vlceribus affecti fuere, nihil ad curationem faciunt, vt in Cheironio, & Telephio Vlcere, & ſi ſciamus à Cheironio Medico curatum fuiſſe, & Telephium primo talibus Vlceribus fuiſſe vexatum.

Differentiæ à ſimilitudine ſunt, vt Vlcera Canceroſa ideſt exulcerato Cancro ſimilia, & huiuſmodi; Differentiæ a fine ſunt, vt ſanabile, & non ſanabile, vel Lethale vlcus.

Differentiæ ab operibus Naturæ ſunt, vt Vulcus Excrementoſum, purum, virulentum, ſordidum, Sanioſum, purulentum, putridum, Fetens, Verminoſum, & huiuſmodi.

Si quis verò, has omnes veras, & proprias Vlcerum differentias cerulcole nominare velit, modo in curatione nullus committatur error, non eſt cum eo contendendum, inquit *Gal. 3. Meth cap. vlt.* Cum de nominibus contendendum non ſit.

De Vlcerum Cauſis.

VLcerum Cauſæ, vt inquit *Gal. 4. Meth. cap. 1.* cum de Eroſione loquitur, aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, internæ cauſæ ſunt, antecedentes, & coniunctæ, antecedentes cauſæ ſunt Cacochymia, ideſt praui ſuccis in corpore abundantes, qui, vel ex interna cauſa, vel ab externa gignuntur, ab interna cauſa duobus modis tem generantur, vel ex toto corpore male affecto, vel ex lecoris, vel Lienis vitio, vtinquit *Gal. 6. de Com. Med. S. Gen cap. 2.* Ab externa cauſa, vt ab Aere aliqua praua qualitate prædito, vel vitioſis, & praui ſuccis Cibis, vt ſunt alia, Cepe, Aromata Vua generoſum, & ſimilia, vel à animio, & violento motu, vel ab immodicis, vigilijs, vel ab intenſis, & diuturnis cogitationibus, & alijs Animi paſſionibus, & his ſimilibus, & non ſolum ex humoribus mala qualitate prædictis vlcera procreantur, ſed etiam in copia ac quantitate exuperantibus vt pluribus in locis Gal. inquit.

Coniunctæ cauſæ ſunt acres, & erodentes humores in affecta parte conſiſtentes, ac vlcus excitantes, qui ſimiliter, vel à toto corpore, vel ab Hepate, vel Liene, vel à qualibet alia parte ad cutem fluxerunt, vt inquit *Gal 5. de Locis Aff. cap. 5.* Vel tales acres ac erodentes humores in parte ipſa male affecta ob aliquam malam intemperiem, ac, vt inquit, complexionis malitiam gignuntur, illamque exulcerant. Vlceri ergo ſemper adeſt cauſa coniuncta, quæ, quod genuit etiam non fouet.

Externæ Vlcerum Cauſæ procatarcticæ etiam dictæ, ſunt, vt acria ac vtentia Medicamenta deforis appoſita à quibus ambuſta Vlcera fiant, Corpora fricantia ac continuo atterentia, à quibus tetrigineſa Vlcera gignuntur, Contagium ſimiliter, vt materia contagioſa, vel contagioſus contactus, contagioſa Vlcera excitant vt ijs fit, qui rem habent cum muliere, quæ carioſum habeat pudendum, vel ijs euenit, qui cum ſcabie, vel Lepra infectis vel in Lecto ſcabioſi, vel Lepra infecti hominis dormierint, ob frigus ſimiliter, manifeſte apparet, quod in pedibus, & manibus ſepe Vlcera excitantur, & huius cauſa eſt dolor, qui ex Frigore excitatur, ob quem ſanguis ad dolentem partem fluit, ibique putreſcit, & acredinem, ac erodendi facultatem acquirit, & Vlcus excitat.

Excrementa Vlceribus emanare ſoleant.

Modo cum diuerſæ humiditates ſiue excrementa ab Vlceribus emanent, videndum, qua de cauſa fiant, & quibus nominibus nominentur, cum in horum excrementorum nominibus maxima inter Autores confuſio adſit. Ab Vlceribus igitur tres præcipue humiditates, ſiue excrementa, emanare ſolent; Vnum, quod eſt ſubtile, ſanies à Latinis dictum, aliud cruſtum, quod ſordes nominatur; Tertium medio modo ſe habet inter tenue, & craſſum, pus dictum, & ab his excrementis Vlcera denominationem ſumunt, & ideo Vlcus ſanioſum, ſordidum, & purulentum nominatur. Fiunt verò hæc diuerſa excrementa in Vlceribus ex materiæ diuerſitate, quæ ad affectam partem confluit, ſi enim

Aqueſi

Aquosi humores ad affectam sine Exulceratam partem confluant, subtile excrementum sanies dictum gignitur ac excernitur; Si verò crassi, crassum excrementum, sordes dictum. Si verò bonus sanguis, qui neque in qualitate, neq; in quantitate peccet ad affectam partem, & ad exulceratæ partis superficiem pro nutrimento confluat, & ob partis imbecillitatem in partis substantiam conuerti non possit, in illud excrementum quod pus dicitur conuertitur, vt Auicennas inquit,

Alteratio triplex.

TIVON à Grecis dictum. Gal. verò S. Simpl. inquit; Quod in Animalium corpore triplex alteratio fit. Vna à Naturali calore fit in cibo laudabili, ex quo gignitur succus ad vnam quamque partem nutriendam aptus; Alia à calore extraneo, & præter naturam fit in materia putrescibili, & ab hac alteratione non laudabile excrementum gignitur. Tertia fit a nativi caloris, & extranei mixtione, nativo tandem prævalente, in materia mediocri, & ab hac alteratione bonum pus gignitur, vt idem Autor etiam 57. Secundi Aph.

Boni cuius conditiones & causæ

inquit; Quod nil aliud est, vt Hipp. inquit, & Gal. Com. vltimo 1. Progn. nisi illud excrementum, quod ex Vlceribus emanat, quod est album, mediocriter crassum, leue æquale, & quamminime fetidum. Est enim album, quia fit à nativo calore Venarum, Arteriarum, Neruorum, & Membranarum, quæ omnia alba sunt, & ideo in colorem sibi similem transmutant; Est mediocriter crassum quia coctio incrassando fit, est æquale, quia nativus calor per omnes eius partes permeauit, & ideo vniforme reddidit, ac eadem etiam de causa est tangenti leue, est parum fetidum, quia calor nativus extraneum vicit.

Saniei nomina.

Modo quid sit sanies declarandum, sed ne in nominibus confusio sequatur, sciendum, quod sanies à Latinis dicta, diuerso modo à diuersis Autoribus nominatur, & pro diuersa materia intelligitur à Grecis enim Ichor vocatur, & ab aliquibus virus à quibusdam verò Medicis vulgaribus pro sanie laudabile pus male intelligitur ac vsurpatur, ab alijs autem pro sanie omnis alterata humiditas ab Vlcere profluens intelligitur, & ideo C. Celsus duas saniei species esse dixit, quarum altera Ichor, altera Meliceria à Grecis dicitur, & tenuis ichor subalbidus ex prauo Vlcere erit, & maxime vbi leso Neruo inflammatio secura est. Meliceria crassior & glutinosior, subalbida, & albo Melli similis est, & hæc quoque ex prauis Vlceribus profluit, vbi Nerui circa Articulos sunt læsi, & inter hæc loca, maxime ex genibus profluit. Sed verè, & proprie sanies dicta est illud tenue, & subtile excrementum ex abundantia aquosorum humorum in Vlceribus genitum, quod ea humida reddit, quod, vt Guido inquit multiplex est, ideſt calidum, frigidum, serosum, & rubicundum.

Sanies quid sit.

Sordes est illud crassum excrementum ex crassorum humorum abundantia in Vlceribus genitum ac procreatum, quod sordidum vlcus reddit, quod triplex est vt idem Autor inquit, vel enim est spissum, inequale, coagulatum, & album, vel est nigrum, vel est veluti fex cinericeo colore præditum.

Sordes quid sit.

De Vlcerum signis.

Licet ex sensu visus externorum Vlcerum signa, sicuti Vulnerum sint petenda, tamen cum ad Vlcerum naturam, & eorum causas, & consequentia Symptomata inuestiganda, signis indigeamus, ideo quambreuissime nunc de signis verba faciemus; Et cum signorum tria sint genera, ideſt demonstratiua, Prognostica, & commemoratiua, in præsenti de demonstratiuis, quæ præsentem morbum indicant, & de commemoratiuis, quibus prætetita considerantur noster sermo erit, de Prognosticis inferius tractabimus. Sed cum vnumquodque signorum genus vel sit salubre, vel insalubre, vel neutrum, nos de insalubribus tantum, quæ morbi speciem, vel partem affectam, vel morbi causam indicant pertractabimus.

Signum ergo ne per ignora procedamus, est id, quod nostris sensibus est manifestum, & aliquod latens, & occultum demonstrat, cum illius sit signum, Et cum signa desumantur, vel ab essentia morbi, vt inquit *Gal. lib. Artis Med. cap 8 vel à causis vt idem inquit 1. de diff Feb. cap. 3. Vbi ab effectibus, vt in lib Artis Med. Cap. dicto, vel ab Analogia, & similitudine, siue proportione, vt idem Autor primo ad Glauc. Capite 5. inquit.* Ideo

Signum quid sit.

A quibus desumatur.

Præter Naturæ quæ ſint.

ab his omnibus ſigna deſſumemus. Et cum tria præter naturam corpori inſideant, vt omnes Autores inquiunt, ideſt morbus, morbi cauſa, & Symptoma, & quamuis Symptoma per ſe cognoſcatur, cum ſemper ſub aliquem ſenſum cadat, & ſignis non egeat, tamen morbus, & morbi cauſa, cum plerumque ſenſus noſtros effugiant, ex Symptomatibus, & ſignis dignoſcenda ſunt; Ex ſignis igitur morbus, & morbi ſpecies inueſtiganda, pars affecta, & morbi cauſa. Vlcus ergo ſtatim oculis patet, quod eſt morbus in ſolutione continui, ſic ſi eſt magnum, vel paruum, vel æquale, vel inæquale, & cuius ſit figuræ, Vlcerum etiam ſpecies, vel ab excrementis dignoſcuntur, vel ex Symptomatibus, vt ſi ex Vlcere citra eroſionem tenue ac liquidum excrementum, ſanies ſiue virus dictum excernatur, ſanioſi, ſiue virulenti Vlceris erit ſignum; Sic ſi craſſum ac viſcoſum recrementum excernatur, ſordes dictum, ſordidi Vlceris ſignum erit; Si verò videamus aliquod vlcus ſua malignitate erodendo in dies maius fieri. Corroſiui Vlceris ſignum erit; Si verò corroſio non ſolum ad Vlceratas, & corruptas partes extendatur, ſed etiam partes ſanas abſumat. Depaſcentis Vlceris, Nome à Græcis dicti, erit ſignum. Si verò putridus ac grauiter oleos vapor, qualis à corruptis Cadaueribus ab Vlcere expiret, & ſordes ac ſuperflua humiditas excernatur, & externa caliditas perſentiatur ac vt plurimum febris comes adſit, putridi Vlceris erit ſignum, ſic aliæ Vlcerum ſpecies ex ſuis ſignis, vt proprio Capite dicemus dignoſcuntur.

Ex ſignis quæ in ueſtigando.

Partes affectæ ex quibus inueſtigat.

Partis verò affectæ ſigna non ſolum ex ſenſu viſus, & manuum, & ſpecilli tactu deſſumuntur, ſed ab Excrementis, actione læſa, Doloris proprietate, ſitu, & proprijs accidentibus, Excrementa affectam partem indicant, vt gratia exempli, ſi ab Vlcere tenuis, & ſubalbida materia, Ichor à Celſo dicta, excernatur, vel craſſior, & glutinoſior, & ſubalbida, Meliceria ab eodem nominata, non ſolum malignitatem Vlceris indicat, ſed etiam Neruoſas partes eſſe læſas, actio læſa, vt ſi in exulcerata parte ſenſus vel motus fuerit læſus, Nerui, vel Neruoſæ partis læſæ eſt ſignum. Doloris proprietas, vt pungens dolor, Neruoſæ partis affectæ eſt ſignum, pulſans verò Arteriæ; Situs ſimiliter eſt ſignum læſæ partis, vt ſi profundum vlcus in cubiti, vel Genu articulo fuerit, neruoſarum partium læſarum eſt ſignum, cum per Cubitu ac Genu articulum multi nerui pertranſeant. Propria accidentia ſimiliter affectam partem indicant, cum diuerſa Symptomata Neruoſis partibus exulceratis eueniant, quam carnoſis, & ſic de alijs.

Ab Vlcerum verò cauſis poſtea ſigna deſſumenda ſunt, & optime inueſtigandum ſi cauſæ internæ, vel externæ fuerint, & ſi fuerint internæ conſiderandum imprimis coniuncta Vlcerum cauſa, ideſt acres ac erodentes humores, ſi bilioſi fuerint, vel melancholici, vel cuiuslibet alterius generis, & poſtea conſiderandum ſi in affecta parte ex aliqua praua intemperie fuerint geniti, vel à toto corpore, vel ab aliqua determinata parte ad affectum locum fuerint tranſmiſſi, & ſi continuo ab antecedente cauſa foueantur, vel non, & tandem ex qua cauſa, ſiue interna, ſiue externa praui ac erodentes humores fuerint geniti, vt de cauſis ſuperius fuit dictum. Si enim ex toto corpore praui humores ad affectam partem confluant, Cacochimiæ ſigna apparebunt; Sic ſi aliqua determinata parte, læſionis illius partis ſigna aderunt, & ſi ex partis affectæ intemperie mali humores fuerint geniti, illius intemperiei ſigna apparebunt, vt ſi partis color fuerit ruber, & tactu, & laborantis ſenſu caliditas percipitur, & ex frigidorum applicatione iuuamentum perſentiat, calidam intemperiem indicabit, & ſi color fuerit albus, & rigor in affecta parte perſentiatur, & ex calidis Medicamentis iuuamentum perſentiat, Frigidum, vt inquit Gal. 4. Meth. & ſi partis color fuerit viridis vel niger frigidam, & ſiccam intemperiem indicabit, vt Auic. inquit, & ſi humida, vel ſicca intemperies adfuerit, mollities, vel duricies, vel aſperitas in affecta parte erit, vt Gal. loco ſuperius citato inquit.

Signa à cauſis deſumpta.

Si Vlcerum cauſæ fuerint externæ ex ægri querimonia inueſtigandum, ſi ex aliquo acri ac erodente Medicamento, vel vrendi facultatem habente fuerint genita, vel ab atterente corpore, vel ſi per contagium fuerint excitata, vel à qualibet externa cauſa, & ad externarum

cauſa-

Causarum cognitionem Commemorativa signa maxime deseruiunt. Ex affectus verò proprietate signa, vt malignitas, non solum ab effectibus, sed etiam à causis dignoscuntur, à causis vt à continuo maligni humoris defluxu, & alijs causis superius dictis, ab effectibus, ideſt Symptomatibus, vt ex continuo dolore, vel punctione, vel mordicatione. Si vlcus diuturnum sit, & nullo Medicamento gaudeat, ac sanetur, sed potius magis irritetur, si cicatrice obduci nequeat, vel si fuerit obducta, postea iterum excitetur vlcus, & similia. Ex Analogia siue similitudine etiam speciei Vlceris in cognitionem deuenire possumus, cum multa Vlcera maligna, vel benigna, vel erodentia siue depascentia, & similia tunc temporis vagentur, & multi morbi in similia Vlcera definant.

Signa ab effectibus

Signa ab analogia

De Vlcerum Prognostico.

IN præsenti tractatu, primum prædictionum vtilitates enarrabimus; Secundo, quid in prædictionibus sit prædicendum; Tertio quæ sint ad bonum Prognosticum faciendum considerandæ, & tandem multorum Autorum sententias, quæ ad rem nostram faciunt in medium adducemus.

Prædictionum vtilitates.

Quo ad primum, sapientissimus senex primo Prognosticorum, & *Gal. in eius Com inquiunt*, Quod ex prædictione in morbis tres præcipue vtilitates enascuntur. Prima enim est, quod excogitans æger Medicum sui, & Morbi naturam cognouisse, libentissime Medici manibus concreditur. Secunda cognoscens Medicus exquisita ratione ægri affectionem, imminentia mala, vel eorum magnitudinem prohibet. Tertia vtilitas est, quod quotiescumque Medicus morbi exitum prædicit, ab infamia se liberat, & quando mors succedit, non ei imputatur.

Quid prædicendum.

Quid verò Prognostico prædicendum sit, inquit *Gal.* 4. *de Præsag. ex pulsibus dicens*; Tria præcipue in Prognostico prædici debent; Imprimis quis sit futurus exitus rei, de qua quæritur; Secundo mutationis tempus, an cito scilicet, vel tarde, & denique quo tempore accidet; Tertio ipsius mutationis modum oportet præsagire, ideſt si paulatim, vel confertim contingent.

Quid verò ad bonum Prognosticum faciendum sit considerandum, inquit *Gal.* 3. *de Crisibus cap.* 5. *dicens*, Ad bene prædicendum oportet conferre ægrotantis vires cum morbi magnitudine, & præcognoscere quando futurus sit exitus, *Et* 1. *ad Glauc. cap.* 10. *inquit*. Non licet nobis prædicere, nisi quantitatem morbi atque virium accurate expendamus; Etenim si vires adeo validæ fuerint, vt morbum vincere possint, necesse est ægrum euadere, si verò contra omnino morietur. Morbi ergo magnitudo imprimis consideranda, & cum in Vlceribus magnitudo, sicuti in Vulneribus, à tribus desumatur, vt inquit *Gal.* 4. *Meth. cap.* 6. Vel ab affectæ partis præstantia, vel ab eius magnitudine, ideſt quod magnum, seu profundum spacium occupet, vel ab eius malignitate.

Considerandain faciendo prognostico.

Vlcera magna quæ dicantur.

Modo ob quam harum periculosa sint Vlcera examinandum.

Ob loci ac exulceratæ partis præstantiam; Externa Vlcera de quibus noster est sermo, licet periculosa esse non possint cum cutis præcipua ac principalis pars non sit tamen inquit *Gal. & Auicennas*, Quod Vlcera, quæ in musculorum Dorsi extremitatibus, vel Brachiorum, vel Tibiarum consistunt, omnia sunt maligna, & periculo non vacant, Vlcera verò profunda, & ad internas partes penetrantia, vel interna membra occupantia maxime sunt periculosa Artuum verò, siue extremarum partium Vlcera, vt manuum ac pedum sepe, & præsertim in pletoricis ac Cacochymis corporibus tumores præter naturam in propinquioribus Glandulis, siue adenosis partibus excitant, cum hæ partes ob eorum imbecillitatem, raritatem, ac laxitatem facillime fluxionibus tententur.

Ob Vlceris magnitudinem periculosa Vlcera esse possunt, cum in magno Vlcere affecta pars ob multas causas, & præsertim ab externo aere maxime debilitetur, cum multæ internæ partes detegantur, & subiectæ partes, vt Nerui, Tendines, Venæ, Arteriæ, & ceteræ præstantes partes propter profunditatem corrodi ac lædi possint. Ob Vlceris verò malignitatem Vlcera periculosa sunt, quoniam, & si omnia decenter fiant, vix tamen, aut omnino sanari nequeunt, vt inquit *Gal.* 4.

Meth. cap. 5. & huiuſmodi ſunt compoſita Vlcera, vt vlcus cum intemperie, cum putredine cum inflammatione, cum Gangrena cum Cacochymia, & his ſimilibus quæ omnia non propriam Vlceris differentiam conſtituunt, vt inquit *Gal. com. 45. lib. 6. Aph. ſed complicatum affectum. Ideo Hipp 6. Aph.* 4. oſtendendo Vlcerum malignitatem, inquit, Circumglabra Vlcera maligna, quia, vt Gal. in eius Com. inquit, vbi à circumſtantibus Vlceris partibus pili decidunt, aut ſquamulæ à ſumma parte amittuntur, humorum ad vlcus confluentium malignitas ſignificatur.

Cum autem Pili, qui prius deciderant in iis, quæ circiter vlcus ſunt, ſedibus renaſcuntur bonum ſignum eſſe ſolet, vt *5. Meth. idem inquit*; Quæ Vlcera omnibus rite ac decenter factis, non ſanantur ea Medici Cacoethæ, hoc eſt maligna, contumacia, & rebellia nuncupant. *Hipp. 45. Aph. lib. 6. inquit*, Si Vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere eſt neceſſ., & cicatrices caues fieri, & *Gal in eius com inquit*. Vlcera quæ veteraſcunt, vel cicatrice ipſis nullo modo obducta, vel ſi obducta ſit rurſus reſoluta ea (modo nihil in curatione peccent Medici) vel propter affluentiam vitioſorum humorum, vel propter affectionem in ipſa parte temporis diuturnitate ex humorum affluentia contractam, vel ob aliquod oſſis vitium eo loco corrupti, ægre ſanabilia euadere eſt neceſſe. Ex his ergo concludere poſſumus omnia Vlcera annua eſſe maligna.

Vlcera Cacoethæ quæ dicatur

Gal. 4. Meth. inquit. Vlcerum ægre ſanabilium ac rebellium modi tres ſunt; Primus ex ſubiectæ partis intemperie; Secundus ex confluentis ſanguinis vitio id eſt in mala qualitate, Tertius ex confluentis ſanguinis copia prouenit. Dicere ergo poſſumus, quod Vlcera difficulter ſanantur, vel ob exulceratæ partis tantum intemperiem, vel ob Tumorem, vel quid aliud cum Vlcere complicatum, vel ob influentem humorem in qualitate aut quantitate peccantem, vel ob oſſis corruptionem, ſiue cariem in Exulcerata parte exiſtentem,

Cur difficulter Vlcera ſanantur.

Hpp. primo præd. inquit, vlcus ſiue ante exortum, ſiue in ipſo morbo natum ſit diligenter obſeruari debet, nam ſi moriturus æger eſt, aridum, & ſiuens, aut pallidum ante mortem apparet, quoniam, vt Gal. in com. inquit, vlcus omnino ſiccum ob facultatis nutrientis imbecillitatem redditur.

Rhaſis 14. Cont. inquit, Vlcera, quæ alijs ſuccedunt morbis per viam terminationis, ægre ſanabilia, & periculoſa ſunt cum Natura corruptam materiam ad exulceratam partem exoneret ac tranſmittat, *& Gal. lib. de Atra Bile cap. 5. inquit, Vlcera ab Atra Bile procreata incurabilia ſunt*.

Vlcera ſimiliter rotunda praua ſunt, & fero, & magna cum difficultate ob angulorum carentiam, & propter magnam labiorum inter ſe diſtantiam ad ſanitatem perducuntur, vt ex *Hipp. lib. de Vlceribus, ac alibi elicitur, & ex Celſo lib 5. cap. 26.*

Auic. 4. Fen. cap. 1. inquit. Omne vlcus poſt quam carne eſt impletum, & cicatrix illi induci debet, & ſubito renouatur, periculum eſt ne in fiſtulam degeneret.

Vlcera ſimiliter dura, & ad viriditatem, vel nigredinem tendentia praua ſunt cum huiuſmodi colores affectæ partis natiui caloris extinctionem indicent. Maligna item Vlcera totius corporis colorem referentia, vt exempli gratia, candidum, purpureum, fuſcum, aut citrinum, aliquod effatu dignum Hepatis vitium, atque ſanguini ab ipſo Hepate procreato inſignem corruptelam ineſſe ſignificat. Omnia ergo Vlcera ſunt maligna ac difficilis curationis, quæ ex totius corporis vitio, vel Hepatis, vel Lienis, vel cuiuslibet præcipuæ partis intemperie ac vitio prouenium, & hac de cauſa in Hydropicis Vlcera difficulter ſanantur, & in Iſtericis ſimiliter. Vlcera ergo, quæ Hydropicorum puſtulas ſequuntur; Item pregnantium Vlcera difficilis ſunt curationis, Icoroſa ſanies ab Vlceribus profluens mala eſt aliquando mortem indicat, mala etiam eſt copioſa, nimis tenuis, liuida aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut fetida, & quæ ipſum vlcus, & iniunctam, ei cutem erodit vt *Celſus inquit*; Si verò poſt longum ſaniei ſiue virolentiæ emiſſionem, non multa, & modice craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida ſanies, aut laudabile pus apparere incipiat, ſpes ſanitatis in his Vlceribus

adeſt

adest, cum natiui caloris partis robur, & materiæ abundantia indicetur, & *Gal. Com. 22. lib. 5. Aph. inquit*, Vlceri maximum est ad sanitatem indicium, & pus, & Medicamen, quod habet, id faciendi facultatem, & deinde inquit, Vlceri pus gignenti nihil mali aduenire potest, & eodem loco inquit, Vlcera putredini obnoxia, & quæ partes circumstantes exesas habent, & quæ difficulter cicatricem recipiunt, minime suppurantur. In Senibus Vlcera ob siccitatem, & sanguinis ac innati caloris defectum, difficulter sanantur, vt inquit *Gal. Com.* 31. *lib.* 3. *Aph.* Sic in Hecticis ob siccitatem, & boni sanguinis paucitatem Vlcera difficulter sanantur.

Quibus in Vlceribus ante optimam detersionem ac mundificationem sarcotica, idest carnem gignentia apponuntur mala ac superflua caro in illis gignitur quibus verò optime detersis ac expurgatis, talia Med. applicantur, his caro non supercrescit, nisi contusa fuerint, vt *Hipp. lib. de Vlceribus & Gal.* 4 *Meth.*

Vlcera, quæ pura sunt, vt inquit *Gal. Com.* 1. *lib. de Articulis cap.* 56. maxime opra videntur, esse, vt omnibus Symptomatibus corripiantur, quam nimirum sensibiliora sint.

Lienis Scirrho laborantibus Vlcera in Cruribus excitata ac exorta non persanantur, vt inquit *Paul. lib.* 3. *cap.* 49. & ratio est, quoniam si Vlcera curari debent, vt expurgentur est opus, sed cum expurgari non possint, nisi humorum fluxus ab ipsis intercipiatur, & in tali affectu laborantibus semper crassi ac Melancholici humores ad inferiores partes transmittuntur ac præcipitantur; Ergo iure fit, vt in his Vlcera consolidari non possint. Et hæc de Vlcerum præsagitione satis, cum multa in cap. de Vulnerum Prognosticis dicta à nobis fuerint, quæ ad Vlcera etiam conueniunt.

De Curatione Vlcerum in Vniuersali.

IN Vniuersali Vlcerum curatione instituenda, imprimis considerandum quæ indicationes se se nobis offerant, & à quibus sumendæ, & cum in rebus præter naturam, indicationes ratione contrarietatis fiant, & in rebus naturalibus ratione similitudinis; Et cum res præter naturam res sint, idest morbus, morbi causa, & Symptoma; In Vlcerum ergo curatione à tribus indicationes sumendæ, à morbo, idest ab Vlcere, & ab alijs morbis cum Vlcere complicatis, à Causis, & à Symptomatibus; Et cum vnum non indicet nisi vnum, vt inquit *Gal.* 2. *&* 9. *Meth.* Ideo cum Vlcus sit continui solutio, ratione contrarietatis indicat vnitionem, & si etiam caro desit, cum imminuta sit quantitas, ratione contrarietatis, repletionem, indicat; Sic alij morbi, qui cum Vlcere sunt complicati propriam curationem per contraria indicant; Sic causæ sui remotionem, & Symptomata sui lenitionem ad sedationem indicant.

Quibus verò medijs indicationes istæ in simplicibus Vlceribus, & absque sua causa, & alio complicato affectu ac Symptomate exequi debeant, omnes Autores concordes inquiunt, quod exsiccantium Med. ope Vlcera curantur, ac vniuntur, & ideo Hipp. in Princ. libri de Vlceribus in quod siccum est, ad sanum, quod madet ad vitia tum propius accedit, & semper siccantibus, Vlcera curari iubet, & hoc etiam de Vulneribus intelligi debet.

Et Gal. 3. *Meth. cap.* 4. *inquit*, Omne profecto Vlcus, tum siccari debere, tum etiam adstringi, non tamen detergi, contra cauitatem in carne siccari quidem postulare, & abstergi, minimè autem adstringi, *&* 4 *Meth. inquit*, Vlcus omne qua Vlcus est, vt sanetur, mediocriter siccari postulat; Quod verò hoc verissimum sit, manifestè patet, quoniam simplex Vlcus absque vlla substantiæ amissione, tantum vnitionem indicat, & ideo Glutinantia, quæ sicca sunt, applicantur; Si verò Vlcus sit cum substantiæ amissione, idest cutis, & carnis; Si tamen cutis desit, caro ita siccanda, & siccantibus, & adstringentibus Med. densanda, vt cutis officium supplear, quæ cum pars spermatica sit, regenerari nequit; Si verò desit caro, regeneratio requiritur, quod cum sit Naturæ opus, & nouam Carnem ex sanguine gignat, qui prò illius partis nutrimento illuc confluit; Et cum in huiusmodi Naturæ actione, sicuti in qualibet alia coctione, vt *Gal.* 3. *Meth. inquit*, duo resultant excrementa, vnum tenue, & aliud crassum; Ideo Natura Medici auxilio eget, idest, vt exsiccantibus Med. quod tenue est, tollatur, & detergentibus quod crassum. Patet igitur quod ex suprascriptis Autoribus fuit dictum. Quod

Caro quo modo gignatur.

omnia vlcera pro eorum sanatione exsiccantia expostulant; Sed animauertendum quod pro temporum diuersitate diuersa remedia Vlcera, sicuti omnes alij morbi, expostulant, cum Vlcera etiam, & principium, augumentum, statum, & declinationem habeant, vt inquit Gal. lib. de totius morbi temporibus cap. 3. Cum ergo in principio, vt Gal. inquit tenuis sanies incocta, & aquosa ex Vlceribus defluat, & coctionis beneficio crassior fit reddenda, vt in bonum pus vertatur; Ideo in principio suppurantia ac pus mouentia imponenda; præter quam in Vlceribus putridis ac fluxione vexatis, vt inquit *Gal. Com. 22. lib. 5. Aph.* & causa est, quia in putridis Vlceribus, suppurantibus putredo augetur, & in fluxionibus à toto corpore prouenientibus, talibus Med. pars laxa redderetur, & ad humores recipiendos magis habilis. Ideo in fluxionibus à toto corpore prouenientibus suppurantia non conueniunt, nisi prius defensiuis Med. superioribus partibus applicatis fluxio intercipiatur, ac retro humores pellantur.

Suppurantia in principio vbi vtilia.

Si verò fluxionis causa sit in parte recipiente, & affecta, sicuti est Dolor, Calor, Inflammatio, & huiusmodi, tunc suppurantia conueniunt, sed debent esse lenia, anodina, & calorem ac inflammationem remittentia, & sic fluxionis causa remouebitur, & tamdiu in suppurantibus persistendum, donec pus bonum appareat, quod est album, leue, æquale, & quam minime fetidum. Causa autem cum suppurantia à principio competant, est, vt materia, quæ extra propria vasa porositates fluxit, non putrescat ac inflammationem in affecta parte excitet, sed concoquatur, & ex ea bonum pus gignatur, & affecta pars ad carnem generandam habilis reddatur, & ideo *Hipp. lib de Vlceribus textu 2. inquit*, Vlceribus recentibus magis, quam in vetustis, tum in his, quæ Articulos infestant, Catapl. calidum, & humidum applicandum, cum huiusmodi Catapl. vbi doloris ac inflammationis causam lenire, vel relaxare, seu pus mouere sit opus, conueniat. In augumento cum parcior ac crassior sanies excernatur ideo detergentia ac mundificantia Med. applicare debemus.

Cur Suppurantia à principio competant.

Detergentia quando applicanda.

In statu cum Vlcus mundum iam sit redditura, pus tenue excernitur, ideo carnem gignentia, Sarcotica dicta, conueniunt. In declinatione similiter, cum ex Vlcere pus colore magis album consistentia crassius, & minus copiosum excernatur, in valentioribus sarcoticis persistern debemus, quousq; vlcus carne repletum fuerit, & repleto tandem Vlcere carne, Cicatricem inducentibus Epuloticis dictis, vti debemus, vt inquit *Gal. 13. Meth. cap. 9. & lib. primo de Med. S. Gen. cap. 12. & 3. de Fracturis cap. 7. & 5. Aph. Com. 22. & C. Celsus lib. 5. cap. 26. & Rhasis 14. Cont. cap 3. & Auic. & deniq: omnes boni Autores.*

Sarcotica quando conueniant.

Si quis autem obijcerit dicens, *Gal. 3. Meth.* in Vlceris caui ac plani curatione, nullam concoquentium ac suppurantium Med. mentionem fecit; Et in primo lib. de Comp. Med. S. Gen. cap. 12. in Vlceris principio adstringentia ac repellentia laudat, quæ suppurantibus contraria sunt.

Dubitatio.

Ergo suppurantia in Vlcerum principio conuenientia non sunt.

Ad primam autoritatem respondere possumus Gal. ibi supponere vlcus mundum, & idoneum, vt carne repleri possit, cum tantum modum carne Vlcus replendi doceat, & ideo concoquentium Med. mentionem non fecit; Ad secundam Autoritatem dicere ac respondere possumus quod diuerso respectu, & diuersis locis, Suppurantia, & Repellantia in Vlceris principio conueniunt, Repellentia enim influentis materiæ fluxum respiciunt, vt inquit *Gal. 13. Meth. cap. 2.* & ideo circumstantibus Vlceris partibus conueniunt ac applicanda sunt, vt materiæ fluxum ad affectam partem prohibeant ac intercipiant, vt *5. lib. Aph 23. Hipp. inquit*: Suppurantia verò à principio conueniunt vt materia influxa euacuetur, & ne sua caliditate, & acredine partem inflammet, & ideo suppurantia exulceratæ parti applicanda.

Solutio

Patet igitur, quod suppurantia in omnium Vlcerum principio competunt, nisi putrida fuerint, & vbi humorum fluxio adsit, etiam competunt, modo Repellentia circum circa applicata prius fuerint, cum ex Repellentium circumpositione infrascriptos bonos effectus consequamur. Primo influentem materiam repellimus ac intercipimus; Secundo suppurante Med. supra Vlcus applicato, etiam si calidum sit, nihil à circumstantibus partibus attrahemus; Tertio Repellente Med. cum adstringens sit, partem roboramus; Quarto materiam alio propellendo, partem per

Repellentium vtilitas.

acci-

accidens exficcabimus. Quinto partis calorem, per Antiperistasim, augebimus, vt validius concoquant, cum calor circumpositi Med. frigus fugiens in Vlcere vniatur. Sed in suppurantium Med. institutione, totius, & partis temperies, sicuti in omnibus alijs Med. instituendis, est obseruanda, vt si totius, & partis temperies sit temperata, Suppurans Med. etiam temperatum sit, si calidior, paulo etiam calidius sit Med. quoniam si calidiora, quam conueniant Med. apponeremus, natiuum calorem in febrilem ac extraneum conuerteremus, & ideo totius ac partis temperiei cognitio ac animaduersio maxime est necessaria, cum suppurantia partibus, quibus applicantur conuenire debeant, cum ab illis natiuus calor roborari, & in quantitate augeri debeat, minime verò in qualitate, vt *Gal. 5. Simpl. cap. 6. inquit.*

Si verò cum Vlcere aliquis alius affectus fuerit complicatus, à quo vlcus fuerit genitum, vel foueatur, vel aliquod magnum Symptoma sit coniunctum, quod rationem causæ habeat; Vel propria Vlceris causa adhuc permaneat, sine quorum ablatione vlcus curari non possit, imprimis hæc omnia auferenda. Quo ad causam adhuc permanentem sine cuius ablatione vlcus perfecte sanari non potest, vt *Gal. 4. Meth. inquit*, Si externa adhuc adsit, ne amplius vlcus foueat, amouenda. Si interna, vt est humorum acrium ac erodentium influxio, qui, vt superius diximus, vel totius corporis, vel alicuius præcipuæ partis vitio, vel ex erratis in sex rebus nonnaturalibus commissis gignuntur, plures intentiones habere debemus. Prima ergo intentio erit victum conuenientem instituere, sic, & alias nonnaturales res. Secunda antecedentem materiam auertere ac intercipere; Tertia partes male affectas ad propriam temperiem reducere ac corroborare; Quarta vlcus sicuti decet curare.

Pro prima intentione consequenda, victus, vel tenuior, vel abundantior secundum ægrotantis vires, ac humorum abundantiam, vel paucitatem instituendus, sic in qualitate secundum temperamentum, & humorum, tàm in toto corpore redundantium, cum in affecta parte influentium, & si humores calidi, & acres sint, frigidus, vt caliditatem, & acrimoniam obtundat, instituendus, & tandem humores in mala qualitate peccantes victus ratione etiam corrigendi, sic aliæ res nonnaturales, vt decet, instituendæ.

Secundam intentionem euacuantibus, vel reuellentibus, vel intercipientibus præsidijs consequemur. Humorum igitur in copia, vel in qualitate peccantium euacuatio fit, vel Venæ sectione, si vires, ætas, & cætera consentiant, vel purgantibus Med. quæ etiam auersionem efficiunt, & humores in substantia, vel in mala qualitate peccantes, vt diximus, non solum victus ratione, sed etiam alterantibus Med. corrigi debent, vt si nimis tenues incrassandi, & si in mala qualitate peccent, eorum malitia per sua contraria corrigenda. Reuulsio semper ad contraria loca, & maxime distantia fieri debet, *Gal. 4. Meth. cap. 6. inquit, & 2. ad Glauc. cap. 2.* & in Reuulsione facienda, & partis, & vasorum rectitudo est obseruanda, vt exempli gratia, si vlcus crus dexterum occupet, mittendo sanguinem à dextro cubito, partis rectitudinem seruamus; Si verò in sinistro crure venam secamus, vasorum rectitudinem ac conuenientiam. Fit etiam Reuulsio Calore, Dolore, & vi vacui. Calore attrahunt ac reuellunt calida contrariæ parti applicata, vt calida Epitemata, & profusiones, & calidæ inunctiones; Dolore reuellunt, vincula dolorosa contrarijs similiter partibus facta, Dolore, & Calore simul reuellunt Cucurbitulæ, & vesicatoria, vi vacui reuellunt ac euacuant Cauteria siue Fonticuli, purgatio, vomitio, Frictiones, & similia, cum humores sequantur id, quod euacuatur. Humores intercipiuntur, & quasi in itinere detinentur, ac etiam retro pelluntur vinculo siue fasciatura expressiua, incipiendo ab ægra parte, & erga sanam tendendo, vt in fracturis fieri solet, vt *Gal. 4. Meth. inquit*, cum huiusmodi deligatura meatus astringat, per quos natura humores ad vlceratas partes influit, Med. etiam frigidis, & adstringentibus, quæ vulgo defensiua appellantur, quæ sua frigiditate ac adstrictione partem ac humores cogendo ac constringendo, non solum humorum fluxus prohibetur, sed etiam humores retro pellantur, quæ proximiori iuncturæ, vbi Vasa excarnia sunt, vt melius suo munere fungantur, applicari debent, vt inquit *Gal. 1. Meth. cap. 1. & Com. 23. lib. 5. Aph.*

Reuulsio quouis modis facta.

Quibus

Quibus verò fiant huiusmodi defensiua abunde lib. de Vulneribus à nobis fuit dictum, & ideo non repetam.

Si verò fluxionis causa ex partis imbecillitate, & intemperie proueniat, intemperies tollenda, & pars roboranda, quibus verò hoc fieri debeat, & quomodo etiam complicati affectus, & Symptomata vlcus sequentia corrigi ac remoueri debeant quæ est tertia intentio, in particulari Vlcerum curatione inferius dicemus.

Quartam intentionem consequemur, si tenue Vlcerum recrementum siccabimus, & crassum detergemus, & tandem si omnibus alijs Medicamentis superius dictis, & inferius dicendis, vt decet, & secundum sua tempora Vlcus ipsum curabimus.

De simplicium Vlcerum Curatione. Cap. 2.

Quid sit vlcus simplex.

IN tradenda simplicium Vlcerum curatione, imprimis dicemus, quid per simplex vlcus intelligimus; Secundo quot sunt simplicium Vlcerum genera; Tertio vnius cuiusq; generis curationem trademus. Simplex ergo vlcus illud esse dicimus, in quo, neq; causa, neq; vllus alius affectus est complicatus, neque vllum Symptoma est coniunctum, sed tantum est continui solutio ab erosione facta, & hæc simplicia Vlcera duorum sunt generum; Alia enim sunt plana ac æqualia, & alia cauа dicuntur, plana, & æqualia illa sunt in quibus tantum Cuticula, vel Cutis deest, Caua dicuntur, in quibus cum cute etiam subiecta caro deest. In tradenda verò curatione primum de cauo Vlcere, sicuti *Gal. 3. Meth. cap 3 verba facientes postea de plano ac æquali sicuti Gal. cap 4. & 5 eiusdem libri.*

Simplicium Vlcerum genera.

In cauo igitur Vlcere curando, cum duo se nobis offerant, Cauitates, & continui solutio; Ideo duæ intentiones habendæ sunt, altera erit cauitatem replendi, & quod disiunctum est reuniendi erit altera.

Vt verò primam intentionem consequamur, vt caro quæ perijt restituatur est opus, & cum materia ex qua caro gignitur, sit bonus sanguis, & opifex sit affectæ partis natura; Ideo, vt nostram intentionem consequamur, opus est, vt hæc duo bene se habeant, & sic caro quamcitissime producetur, dicente *Gal. 3. Meth. cap. 3.* Porro ita se habentibus, ideſt bonus sanguis, & natura robusta, nihil est præterea, quod obstet, quo minus prima carnis generatio prosperè contingat, idque nullius externi Med. ope. Quippe causis ambabus, vnde nascitur præsentibus, nulloque extrinsecus, quod impediat obstante, non potest prohiberi carnis generatio. Sed cum Naturæ robur consistat in partis temperie, quæ secundum naturam sit ideo curandum, vt caro gigni possit, vt in affecta parte iustum temperamentum adsit, & sanguis, ex quo caro gigni debet vbonus, & in moderata copia influat. Quod consequemur præcipue ex rerum nonnaturalium optima institutione, & ideo victus in quantitate, & qualitate talis instituendus, ne sanguinem in mala qualitate, neque in in copia peccantem gignat, Aer similitèr sit temperatus cum frigus Vlceribus sit inimicum, vt *Hipp 5. Aph 20. inquit*, Sic meridionales venti, & humida temperies, & Aer nimis calidus, cum calorem partis debilem reddat, deuitandus. Pars affecta in quiete maneat, & si opus fuerit, etiam totum corpus, cum ex motu totum corpus excalefiat, humores eliquentur, & fluxiles reddantur.

Naturæ robur in quo consistat.

In somno, & Vigilia mediocritas seruetur, cum in Vigilia, multæ humiditates exoluantur, & in somno exsiccatæ partes humectentur. Aluus etiam lubrica seruetur, & aliæ naturales excretiones suum cursum teneant, Animi affectus, cum totum corpus alterent, vitentur, & animi quies seruetur.

Quando igitur supradicta in Vlcere aderunt, ideſt bona affectæ partis temperies, & sanguinis boni, & in moderata copia influxus, bonum pus ab Vlcere excernetur, quod est album, leue in pauca copia, mediocriter crassum, & minime fœtidum, & tunc temporis vlcus purum erit, & carne impleri poterit.

Si verò Vlcus impurum sit, vt nimis aridum, aut humidum nimis aut albidum, aut pallidum, aut liuidum, aut nigrum, & pus nigrum, vel liuidum, fœtens inæquale, & grumosum excernitur; ita Vlcere existente, talique pure apparente, Vlcus carne impleri non potest, nisi Vlcus idoneum reddatur, & materia ibi contenta suppurantibus Medicamentis euacuetur, & in pus bonum conuertatur, Ex excrementorum igitur obseruatione præcipue conijciendum, quando pus mouentia, & quando Detergentia, & quando Sarcotica conueniant, & quando vno magis quam alio vti sit opus.

Sed cum suppurantia plurimum sint generum, in mollioribus corporibus mitiora sup-

Suppurantia Medicamenta à quibus fiant.

suppurantia conueniunt, est id quod fit ex Oui Vitello, & Oleo Rosaceo simul mixtis, vel simile. Si Corpus non sit ita molle ac humidum, fiat suppurans Med. ex Resina Tereb. Oui Vitello, & Oleo Mastichino, & si adultum sit Hordei Farina etiam addi potest. In siccioribus verò corporibus, suppurantia fiant ex Resina Tereb. vel Abietina, Ouorum Vitellis, Farina Triticea, Puluere Thuris, & Croco, vel fiat ex Resina Tereb. Succo Apij Farina Fenugreci, Sem. Lini, Pinguedine Galli, vel Anatis, & his similibus. Vt verò vlcus mundum reddatur, cum suppurantibus, quando pus apparere inceperit, Detergentia admiscenda, vt ab omni eo, quod præter naturam intus continetur, vlcus expurgetur, & semper circumitantibus partibus Repellentia applicanda.

Suppurantia, & Detergentia quousq; apponenda.

Quamdudum verò suppurantia ac detergentia Med. apponi debeant, inquit *Rhasis 13 Cent. dicens*. Quousque bonum pus appareat, suppurantia ac detergentia applicentur, quoniam, si diutius, quam conueniat, suppurantibus vteremur, sordidum vlcus fieret.

Notãdũ.

Notandum verò quod omnia Medicamenta, quæ Vlceribus applicantur, vel sint Suppurantia, vel Detergentia, vel Sarcotica, vel Epulotica, quod lenia esse debent, & æqualia, ne partem exasperent ac irritent; Quo ad consistentiam sint mediocria inter molle, & durum, si enim nimis dura sint, dolorem excitant, si nimis mollia à partis calore eliquantur, & per vlcus defluũt, & si Linea siue filamenta absque Med. super vlcus remanent mordicant, & ob emollientem facultatem, quam habent, carnem nimis mollem ac laxam gignunt, & ideo *Gal 2. ad Glauc. cap.* 8. nos monet, vt in Vlceribus minime profundis, & in summo existentibus, Med. crassiori consistentia existentibus vtamur, in profundioribus verò Vlceribus mollioribus Med. sic habito respectu temperamenti totius, & partis, in corporibus, & partibus mollioribus molliora etiam competunt Med. in durioribus verò ac siccioribus crassiora Med. conueniunt. Bono ergo pure apparente, & Vlcere puro existente, idest rubicundo, & neque nimis sicco, neque nimis humido, sarcotica conueniunt. Sed cum in primæ carnis generatione duplex excrementum prouenire sit necesse, sicuti loco citato, idest 3. *Meth. inquit Gal.* aliud tenuius quod sanies siue Ichor dicitur, aliud crassum, quod sordes appellatur, & cum ex tenui ac subtili excremento humidum vlcus reddatur, & ex crasso sordidum, ideo quod tenue est exiccante Med. eget, & quod crassum detergente, & cum Natura nunquam operari cesset, certe nec tempus vllum erit, in quo ambo hæc excrementa in cauo Vlcere colligantur. Ideo nec tempus vllum erit, in quo exiccante ac detergente Med. non sit opus. Sed cum exiccantium ac detergentium Med. plures sint gradus, in hoc consistit boni Medici iudicium, vt huiusmodi Med. secundum totius ac partis temperiem eligat, ac applicet, vt bona caro produci possit cum corporis natura, quo est humidior, tanto quod minus siccet Medicamentum postulet, & quo est siccior, quod magis siccet. Similiter vlcus quò est humidius, eo siccantius Med. postulat, & quo minus humidum, minus exiccans. Med. igitur ad carnem producendam aptum modice tum siccare, tum detergere debet, & præcipue per gradum vnum affectam partem in siccitatem excedere debet, minime verò adstringere, vt inquit *Gal. 3. Meth. cap. 4.* ne sordes arctius Vlceribus affigantur. In actiuis qualitatibus illum caloris gradum teneant, quem naturaliter habet pars, cui applicantur. Nisi verò subiecta pars naturalem temperiem seruet, sed intemperata sit, idest vel calidior, vel frigidior, contrarijs ad naturalem temperiem reducenda, & hac de causa, sicuti Gal. inquit, & Aeris ambientis, & anni temporis, & regionis, & temporis constitutionis, in Med. instituendis ratio est habenda, vt horum excessibus occurratur, & ideo Hipp. Frigidioribus anni temporibus paulo calidioribus Med. vtebatur, & calidioribus temporibus paulo frigidioribus. In mollioribus ergo corporibus debiliter exiccantibus vti debemus, vt est Thus, Thuris Manna, Thuris cortex, Aloes, Farina Hordei, Fenugreci, & similia, ex quibus Med. componi possuet, & in Pharmacopeis Vng. Basilicon maius, paratum habemus. In paulo siccioribus competent farina Lupinorum, Fabarum, Orobi, Aristolochia

Yreos,

Valentiora siccãtia.

Yreos, Vng. Basilicon maius, de Betonica, & de Matresilua, in corporibus, & partibus valde siccioribus, vt in Rusticis, Remigibus, Senibus, & his similibus, valde exsiccantia conueniunt, sicuti est Antimonium vstum, & lotum, Calcitis, Cadmia, & alia Metallica vsta, & lota, Centaurium, Polium, Vng. de Tutia, Apostolorum, & similia. Debent ergo Sarcotica Medicamenta esse proportionata temperiei totius ac partis; Si enim imbecilliora Medicamenta applicentur, sanies in magna copia excernitur, & mollis, & flaccida caro in Vlcere generatur. Si validiora sarcotica, caro consumitur, & Vlcus aridum redditur, labia Vlceris valde rubicunda, vel pallida, & subtilis sanies, & aliquando sanguinolenta excernitur, & punctio ac mordicatio aliquando persentitur. Debilitèr ergo exsiccantia in corporibus ac partibus siccioribus non carnem producunt, sed pus mouent, & valida exsiccantia in corporibus, & partibus mollioribus carnem absumunt.

Boni sarcotici signa.

Boni igitur Sarcotici signa erunt, vt inquit *Gal. 4. de Comp. Med. S. Gen. cap. 1.* Si pars Vlcerata ex Medicamento ita sicca reddatur, sicuti secundum naturam esse solet, & ex Vlcere, neque pus, neque sanies effluat, & bonus color in Vlcere appareat, & neque calor, neque frigus ex Medicamento in parte excitetur. In Detergentibus etiam eamdem considerationem habere debemus, in corpore enim molli parte exquisiti sensus, & paruo Vlcere mitioribus Detergentibus vti debemus, vt est mulsa aquosa, Hordei Farina, Erui, Thuris manna, & similia, vt inquit *Gal. 8. Meth. cap. 4.* quoniam si validioribus Detergentibus vteremur, colliquaretur caro, & Vlcus exacerbaretur. Si verò magnum sit Vlcus, & caro mollis, & exquisiti sensus paulo valentiora detergentia conueniunt, vt est Aristolochia, Iris, & Radix Panacis. In Vlcere verò magno, carne sicca, & obtusi sensus valentioribus detergentibus vtemur, vt est Mel purum Mel Rosaceum, Syruppus Rosaceus, puluis Seminis Erucæ, & similia. Signa verò boni detergentis sunt Vlceris puritas absque vlla mordicatione, & è contra praui detergentis signa erunt Vlceris impuritas, & mordicationis sensus.

Detergẽtia mitiora.

Mediocria Detergẽtia.

Detergẽtia valẽtiora.

Boni detergentis signa ac praui.

His igitur Medicamentis tenue excrementum exsiccantibus, & crassum detergentibus vtemur, quousque vlcus carne fuerit repletum. Repleto Vlcere Carne, aliud simplicis Vlceris genus remanent, quod æquale, siue planum dicitur, in quo Vlcere cum duo adsint affectus, idest continui solutio, & substantiæ cutis defectus, duas intentiones habere debemus, & quod disiunctum est coniungere, & quod deest restituere, vt inquit *Gal. 3. Meth. cap. 4.* & in regenerando, quod deest, similitèr quod disiunctum erit vnitur; Et sicuti in regenerando carne, & materia, & opifex, vt diximus, est opus, sic inquid simile cuti, & quod eius officium suppleat, generando, vt carni sit operculum, & materia, & ægens est opus. Materia ergo ex qua fit cicatrix est caro, quæ ita alteranda, vt cuti similis euadat, & cum cutis carne tum siccior, tum densior fit, ideo caro, & similis euadat, ita siccanda ac adstringentibus Medicamentis densanda, vt cuti similis fiat, ægens verò & Opifex est, & Natura, & Epulotica Med. apposita.

Cicatrix ex quo fit.

Quod verò Natura hoc agat, manifeste apparet, quoniam cicatrix primum circum circa Vlceris labia oritur, deinde in medio, & multa etiam Vlcera absque vllo Epulotico Med. apposito ad cicatricem perducunt. Natura enim hoc efficit, quoniam repleto Vlcere carne, cum illa quæ in summo est, non ita nutriatur, & ab Aere etiam densetur, ideo siccior fit, & caro illa, quæ primæ cuti est contermina ob cutis siccitatem, ipsa sensim siccatur, & sic continuatim post hanc alia, donec totum Vlcus cicatrice operiatur. Sed cum hæ actiones temporis diuturnitate à Natura fiant, & aliquando etiam ob carnis nimiam humiditatem à Natura caro ita exsiccari ac densari non possit; Ideo Epuloticis Med. quod est aliud opifex, Natura est adiuuanda; Qualia verò debeant esse ista Med. *dixit 3. Meth. cap. 4. & 5. Gal. & 4. de Comp. Med. S. Gen. cap. 1.* idest quod debent esse sicca in 3. gradu, cum non solum excrementa, & quod aliunde influit exsiccare debeant, sed etiam ipsius partis naturales humiditates, & aliquid etiam ab ea abradere debent. Et hoc intelligendum, quo ad comparationem temperamenti totius ac partis, ac

Epuloticorum qualitates.

Vlceris

Vlceris magnitudinem, & non quod Medicamenta Epulotica absolute in 3. gradu ficca esse debeant, & ideò ficuti in alijs Medicamentis instituendis, Aegrotantis ac partis temperies, & Vlceris magnitudo est consideranda, ita in Epuloticis. Sed cum non solum in cicatrice inducenda, mollis caro sit exsiccanda ac induranda, sed etiam caro laxa sit astringenda ac stipanda; Ideo non solum exsiccantia ista Medicamenta esse debent, sed etiam astringentia, & absque vlla mordicatione, & ex his Medicamentis quo ad actiuas qualitates alia sunt frigida, alia calida, frigida per se Epulotica dicunt, quoniam carnem exsiccando, astringendo, & frigiditate condensando cicatricem inducunt. Calida, vt sunt carnem eliquantia ac distrahentia, carnem alterando, & calli instar indurando per accidens cicatricem inducunt, vt inquit *Gal. 5. Simpl. cap. 14.* Cum dixerimus igitur, quod Epulotica Medicamenta debent esse siccantia in gradu 3. habito respectu ad totius, & partis temperiem, & Vlceris magnitudinem, & quod in mollioribus corporibus, & minoribus Vlceribus mitiora Epulotica conueniant, in durioribus corporibus maioribusque Vlceribus validiora Epulotica conueniunt, & in corporibus ac partibus durissimis validissima Epulotica competant; Ideo in tres gradus Epulotica distinguemus, in mitiora, in valentiora, & valentissima, sicuti de allijs Med. in superioribus, fecimus.

Epulotica mitiora.

Mitiora ergo Epulotica simplicia sunt Cadmia optime lota, Aloes, Thuris cortex, Pini cortex, Plumbum vstum, & lotum, Ciperi Radix, & similia, Composita sunt Vng. de Litargirio, de Minio, Ceratum de Minio, Vng. de Cerusa, & Diapompholigos Aetij.

Epulotica mediocria.

Mediocria Epulotica simplicia sunt Galla immatura. Malicorium Balaustia, Mirabulani Citrini, Myrtilli, Sumach, Bolus Arm. Orient. Sanguis Drag. Terra sig. & similia, inter composita sunt Vng. de Tutia Mag. Vng. Deficatiuum rubrum, Diapalma, & Diapompholigos Oribasi.

Epulotica valentissima.

Valentissima Epulotica simplicia sunt precipitatum optime lotum, Alumen scissile, Mysi, Calcitis, Aes vstum præparatum, & Aeris squama præparata. Inter composita sunt Ceratum de Bolo Arm. Vng. de Tutia Mag. cui aliqua portio æris vsti, & loti, vel æris Squamæ præparatæ, vel præcipitati sit commixta, & similia.

Hæc verò valentissima Epulotica in pauca quantitate, ne carnem exedant apponi debent, & quæ calida sunt, si calidis partibus applicari debeant, cum frigidis miscenda, vt cum puluere Sandalorum, Rosarum, Nenupharis, & similium.

Tempus verò Epulotica Medicamenta apponendi, sicuti *Gal. 13. Meth. cap. 5. & Auic. inquiunt*, erit, quando vlcus non omnino carne fuerit repletum, sed parum deest, & hoc faciendum, sicuti dicti Autores inquiunt, ne cicatrix circumposita cute eminentior sit, quoniam Natura, dum cicatricem inducere studemus carnem producere non desistit, sed continuo carnem generat, & quod deest, supplet, & ideo ita pulcra, & æqualis cicatrix inducitur, & in Epuloticorum Medicamentorum vsu hanc etiam animaduersionem habere debemus, sicuti loco superius citato Gal. inquit, & Medicamenta actu, & potestate sicca circumcirca, vbi prius cicatrix induci debet, imponantur, & Epulotica actu humida, & potestate sicca, vt sunt Vnguenta superius dicta, in medio, cum ibi minori exsiccatione sit opus, & aliqua cautas adsit, & tardius cicatrix induci debeat, & in cicatricis retardatione caro, quæ deest, à Natura reparatur ac augetur. Quando verò totum vlcus æquale fuerit, actu, & potentia siccis Epuloticis in omnibus partibus vti debemus, & desuper sicca Linamenta apponemus, quæ etiam siccandi, carnemque densandi facultatem habent, & sic finem nostrum assequemur, & qui plura desiderat, ad cap. 35. Libri de Vulneribus recurrat, vbi diffusius de hac materia egimus.

Epulotica quando apponenda.

De Vlcere cum intemperie.

Cap. 3.

POst quam de Simplici Vlcere fuit pertractatum, de composito verba faciamus ordo postulat, Compositum ergo Vlcus illud est, quod vel cum alio affectu præter naturam, qui eius curationem impediat, est complicatum, vel cum sua generante ac fouente causa,

Quid sit Vlcus compositum.

cauſa, vel cum Symptomatibus, quæ omnia, cum magna ſunt, habent rationem cauſæ ſine qua non, ideſt ſine quarum ablatione Vlcus curari non poteſt, vt inquit *Gal. 12. Meth. cap. 1.* Incipiamus ergo ab intemperie.

Si exulcerata pars aliqua intemperie laboret, quæ vel ante Vlcus adfuerit, vel ipſo exulcerationis tempore fuerit orta, cum fieri non poſſit, vt in Vlcere, vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio recte vnquam cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat, vt inquit *Gal. 3. Meth. cap. 8.* Ideo primum talis intemperies tollenda, deinde ad Vlceris curationem deueniendum; Sed cum intemperies duplex ſit, vel cum materia, vel ſine materia; Nos de intemperie ſine materia verba faciemus, quæ etiam duplex eſt, vel enim eſt ſimplex, vel compoſita; Simplex intemperies, quadruplex eſt, vel enim eſt calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, compoſita item quadruplex eſt vel enim eſt calida, & humida, vel calida, & ſicca, vel frigida, & humida, vel frigida, & ſicca, modo cuiuſque ſimplicis intemperiei cauſas ponamus.

Intemperierum ſpecies.

De Intemperierum Cauſis.

CAlidæ Intemperiei cauſa, vel eſt Aer nimis calidus, Linteorum, & faſciarum, vel aliorum operimentorum copia, vel lauacra, vel Medicamenta calidiora actu, vel poteſtate Vlceri appoſita. Frigidæ, verò, Aer nimis frigidus, vel Vlceris longa denudatio, operimentorum inopia, & Medicamentorum actu, & poteſtate frigidorum appoſitio. Humidæ intemperiei cauſæ ſunt, vt humidum ambiens, & lauacra, vel humectantia Medicamenta.

Vlceri diu appoſita, & humidum totius, vel affecti membri temperamentum.

Siccæ Intemperiei cauſæ ſunt ſiccum ambientis, & regionis temperamentum, & lauacra, vel Medicamenta nimis exſiccantia Vlceri applicata, vel alimenti confluentis penuria, vel corporis totius, vel affectæ partis ſiccatemperies, vel vtrumq;

De cuiuſque Intemperiei ſignis.

INtemperierum ſigna, vt *Gal. 4. Meth. cap. 2. inquit*, ſumi præcipue poterunt partim ex calore, partim tactu, & partim laborantis ſenſu, & ex excretis etiam addere poſſumus.

Calidæ intemperiei ſigna ſunt, ſi non ſolum pars circum circa Vlcus rubicundior quam pro naturali habitu ſe habeat, ſed etiam Vlcerata caro rubicundior appareat, tactu ſimiliter calidior reliquis partibus perſentitur, & æger etiam manifeſtum calorem, & aliquando vſtionem, ex qua etiam calor ſequitur, & aliquando pruritum perſentit, & ex frigidorum Medicamentorum applicatione delectationem ac iuuamentum percipit, & quæ excernuntur partem mordicant, & aliqua calefaciens cauſa præceſſit.

Frigidæ intemperiei ſigna ſunt, cutis color ad albedinem, vel luiditatem tendens, & cutis mollior eſt, Vlceris ſimiliter color eſt albicanus, & tactu pars frigida perſentitur, ipſeque æger manifeſte in affecta parte frigus ſentit calidiſquæ gaudet, & vt plurimum patiens eſt frigidi habitus, refrigerandique cauſa aliqua præceſſit.

Humidæ intemperiei ſigna ſunt Vlceris caro humidior, quam pro naturali habitu, & molis, flaccida, & quaſi relaxata apparet, & aliquando etiam talis praua caro ſupercreſcens eſt, multaq; excrementa ab Vlcere profluunt, & humectans aliqua cauſa præceſſit, & quod totum corpus, vel affectum membrum humidum eſt, Vlcus per ſocietatem humidum eſſe indicat.

Siccæ intemperiei ſigna, vt inquit *Gal. 4. Meth cap 2.* ſunt cutis exulceratæque carnis ſqualor, & ſiccitas, & aſperior ac durior apparet, nullaque icoroſa ſanies, vel pauciſſima excernitur, & aliqua exſiccans cauſa præceſſit, & aliquando totum corpus, & membrum, in quo Vlcus in eſt nimis exſiccatum apparet. Hæc igitur ſunt cuiuſcumque ſimplicis intemperiei ſigna, ex quibus complicatæ & mixtæ intemperies cognoſci poſſunt.

De

De intemperierum Prognostice.

Sicuti Vlcera omnia, quæ cum aliquo alio magno morbo, vel cum forti causa, vel cum magno Symptomate sunt complicata, difficilis sunt curationis, & ideo Cacoethę dicuntur, sic Vlcera cum intemperie aliqua coniuncta, licet omnia recte ac ordinate administrentur, difficillimæ curatu sunt, & Cacoethæ, & maligna appellari possunt, cum dixerit *Gal. 4. Meth. cap. 1.* Itaque temperatam subiectam carnẽ ad Vlcera sananda prorsus esse oporteat, & inferius inquit, ægre sanabilia ac rebellia Vlcera esse, alia propter Vlceratæ carnis intemperiem, alia ob affluentem humorem talia fieri, Vlcera cum intemperie sicca pessima sunt, & curatu difficillima, & causa est, quia neglecto Vlcere tantum intemperiei occurrere cogimur.

Vlcera cum intemperie humida, calida, vel frigida facilius, quam cum sicca curari possunt, quoniam in his Vlceribus eodem tempore, & intemperiei, & Vlceri occurrere possumus.

De cuiusque Intemperiei cum Vlcere Curatione.

TAntum simplicium intemperierum cum Vlcere curationem ponemus, cum ex hac quomodo compositæ, & complicatæ intemperies curari debent, quisq; conijci possit. In curando igitur Vlcere cum intemperie, tota curatio ad intemperiem tollendam non neglecto tamen Vlcere (quando fieri potest) est dirigenda, vt inquit *Gal. 4. Meth. cap. 2.* cum ei, quod magis vrget, is occurrendum, altero non neglecto; Sed intemperies cum efficientis causæ rationem habeat, maxime vrget; Ergo primum curanda ac tollenda est; Ablata intemperie, curandum vlcus sicuti nulla intemperies vnquam adfuisset, vt idem Autor inquit; Cum ergo contrariorum contraria remedia existant, vt inquit *Gal. Com. 1. de Rat. Vict. in Acutis cap. 18. & com. 15. lib. 6. Epid. & com. 59. lib. 7. Aph. & com. 19. lib. 5. Aph. & pluribus alijs in locis*; Ideo quando exulceratæ partes per aliquam intemperiem à naturali habitu recesserint, eorum sanatio, naturalem statum reductio per ea quæ contrarijs viribus sunt, fieri est necesse, & ideo calida intemperies refrigerantibus tollenda, frigida calefacientibus, humida siccantibus, & sicca humectantibus. Sic complicatæ intemperies per sua contraria tollendæ. Præsidia hoc efficientia, alia sunt vniuersalia, alia particularia, & Topica, vniuersalia præsidia sunt victus ratio, & aliæ res nonnaturales, & alterantia Med. & si intemperies sit cum materia, & purgatio, & Venæ sectio, & omnia reuulsionum genera conueniunt; Particularia verò præsidia sunt Fomenta, Profusiones, Balnea, Inunctiones, Vng. & similia.

De calida intemperiei curatione.

IN calida intemperie curanda, primum externa causa, si adfuerit, ammouenda deinde refrigerans dieta, & aliæ nonnaturales res, sicuti decet instituendæ. Quo ad particularia præsidia, calida intemperies refrigerantia Medicamenta indicat, & eo mitiora, vel valentiora secundum intemperiei magnitudinem ac prauitatem esse debent, & cum calidi proprium sit attrahere, ideo dicta Medicamenta etiam astringentia, & repellentia ne attrahant, esse debent. Vlcus verò, vt sanetur, exsiccantia ac detergentia expostulat. Sed cum ex calida intemperie, humiditates absumendo, siccum Vlcus reddatur; Ideo mitioribus siccantibus in Vlcere cum calida intemperie complicato, vti debemus, & secundum quod maior, vel minor fuerit intemperies, sic in Vlcere magis vel minus siccantia applicanda. Si enim calida intemperies fuerit magna, minus siccantia, & si parua magis siccantia applicanda. Inter mitiora refrigerantia intra vlcus apponenda est Vnguentum Sandalinum, vel Album, vel Rubrum Camphuratum, inter mediocria est Vnguentum de Tutia, de Cerusa, & de Plumbo, inter valentissima est Vng. Populeum.

Possumus etiam frigida, & exsiccantia Vng. parare cum Resina Terebenthina Aqua Plantaginis lota, Plumbo vsto, & loto, & Tutia lota, Cadmia, Oleo Rosaceo, Violaceo, Nenupharino, Myrtino, & his similibus; Ab extra verò inter mi-

tiora eſt Vnguentum Roſaceum, Refrigerans Gal. Aqua Roſacea, Plantaginis, Poligoni, Endiuiæ, Sonci, & ſimilium, inter mediocria eſt ſuccus Plantaginis, Poligoni, Burſæ Paſtoris, & ſimilium, vel fiat Medicamentum vt inquit Auic. ex Solano, & Bolo Armenio, & Aceto, aut cum Sandalis, & Camphura, aut cum Litargirio nutrito, & cum Aceto diſſoluto, Oleo Roſaceo, vel Myrtino q. ſuff. & parum Plumbi vſti, Ceruſæ, & Camphoræ.

Inter valentiſſima eſt ſuccus Semperuiui, Solani, Cicutæ, Mandragoræ, & ſimilium, quibus caute vtendum, cum Narcotica ſint, & natiui caloris extinctionem efficere poſſint.

Ab extra ſimiliter duplicatum Linteum vel ſpongiam in Vino nigro auſtero imbibiram, & expreſſam apponere poſſumus, vel in dicto Vino refrigerantia ac adſtringentia coqui poſſunt, vt ſunt Balauſtia, Gallæ immaturæ, Myrti folia Malicorium, Plantago, & ſimilia, quo in Vino etiam faſcia madefieri poteſt, vel in poſca, vel in ſuccis ſupradictis; Ablata calida intemperie, vlcus ſarcoticis primum, deinde Epuloticis, ſicuti ſuperius fuit dictum curetur, quæ, cum pars calida intemperie laborauerit, minus ſicca eſſe debent.

De frigida intemperiei Curatione.

FRigida intemperies externarum cauſarum ablatione, ſi adfuerint, curanda, & victu, & alijs non naturalibus rebus optime inſtitutis. Quò ad Topica, & particularia præſidia frigida intemperies calefacientia expoſtulat, & cum proprium frigidi ſit condenſare, ac conſtipare, talia etiam Medicamenta ſimul debent eſſe relaxantia, rarefacientia, ac cutis poros aperientia, & pro Vlceris curatione exſiccantia ac detergentia ſunt opus, vt pluries ſuperius diximus, & ſicuti calefaciendi, relaxandi, & rarefaciendi meta, eſt ſumenda ab intemperiei magnitudine vel paruitate, ab Aetate, Anni tempore, parte affecta, & alijs ſuperius dictis, ſic exſiccandi, & detergendi quantitas ab Vlceris magnitudine, vel paruitate, & alijs ſuperius nominatis; Ideo in tres claſſes, & intra Vlcus apponenda Med. & extra Vlcus applicanda diuidemus.

Inter Mitiora intra Vlcus applicanda eſt Vng. Iſidis, & Apoſtolorum, quæ calefaciunt, ſiccant, & detergunt. Inter mediocria eſt Reſina Laricina, Abietina, ſiue Colophonia cum Oleo de Spica emollita, vel Oleum Hypericonis compleruum. Inter valentiſſima eſt Ceratum Sacrum cum Oleo de Spica, vel de Garioph illia emollitum, Aqua vitis cum pauca portione Syruppi Roſacei, vel Mellis Roſacei mixta, & ſimilia.

Ab extra verò fomenta, & Epitemata præcipue conueniunt, quæ actuali caliditate, & vaporatione partem calefaciunt, relaxant, & rarefaciunt; Ideo quando alijs Medicamentis ab extra vti volumus ſemper prius Fomentis pars calefacienda mitiora ergo fomenta fiant ex vino albo calido non nimis generoſo in quo imbibatur Spongia, vel Linteamina, vel Panni, & ſic pluries pars foueatur, poſt forum inungatur pars Oleo Hypericonis, Chamemolino, Anetino, Rutaceo, vel his ſimilibus, vel applicetur Ceratum de Beronica, vel iſidis.

Mediocria calefacientia fomenta fiant cum Vino Maluatico, vel Greco, aut in albo vino incoquantur Saluia, Abſinthium Hyſopus, Pulegium, Origanum Mentha Calamintum, Flores Chamemoli, Ruta, Lauri folia, & ſimilia, poſtea inungatur cum Oleo Irino, vel Vulpino, vel de Spica, vel aliquo ſimili.

Valentiſſima fomenta fiant cum Lixiuio in quo Alumen ſit incoctum, vel cum Aqua Calcis viuæ, vel cum Aqua Vitæ, & poſtea inungatur cum Oleo de Euphorbio, vel de piperibus, vel Gariophillorum, vel alio Oleo maxime calefaciendi vim habente, & pars continuo calidis panonis, vel pellibus foueatur, ablata intemperie ſicuti decet, vlcus curandum.

De humida intemperie curanda.

IN curatione humidæ intemperiei cum Vlcere complicatæ, primum, ſicuti de alijs intemperiebus tollendis diximus, externæ cauſæ tollendæ, deinde cum intemperies ſit humida, exſiccantia poſtulat & cum humiditas partem relaxet, tale Medicamentum non ſolum exſiccans eſſe debet, ſed etiam roborans, ac adſtringens, vlcus ſimiliter exſiccantia expoſtulat

Sed

Sed cum exsiccantium Medicamentorum plures sint gradus; Ideo si maius vel minus exiccans competat, ex intemperiei, & Vlceris magnitudine, & ex totius corporis ac affectæ partis temperie, & alijs superius dictis, conyciendum, cum quo maior fuerit intemperies, & minus fuerit vlcus, eo mitiora exsiccantia expostulat, & è contra, quo intemperies maior, & vlcus maius fuerit, eo valentiora exsiccantia exsiccantia exigat, vtque summatim dicamus quo magis, vel minus pars à proprio temperamento discesserit, vel mitioribus, vel mediocribus, vel valentioribus exsiccantibus ad proprium temperamentum reducenda.

Simplicia autem exsiccantia in huiusmodi intemperie conuenientia, vt inquit *Gal. 1. de Comp. Med. S. Gen. & lib. 6.* Simplicium, sunt Alumen scissile, Aes tom Combustum, Cadmia, Calx optime lota, Cornu Cerui vstum, Chalcitis combusta, Aerugo, Aeris, squama, Aes combustum, Aeris spuma, Ferri squama, Lana combusta, Plumbum vstum, Tutia præparata, Stibium præparatum, Stomoma, & similia, quibus composita Medicamenta mitiora, vel valentiora componi poterunt, secundum quod maior, vel minor Ceræ portio admisceatur; Si enim dictis cum exsiccantibus decupla Ceræ portio admisceatur, vt Gal. inquit, cum exsiccantium vis maxime retundatur, mitius exsiccans euader Med. Si quintupla, vel quadrupla Ceræ portio commisceatur, valentius exsiccans fiet, si tripla valentissimum, & quando maxima exsiccatione fuerit opus, etiam dicta exsiccantia simplicia insubulissimum pollinem redacta superponere possumus.

Si quis verò diceret, Cera, & Resina ob eius vnctuositatem, cum Carnem emolliendi vim habeat, à *Gal. 4. de Comp. Med S Gen. cap. 1. in casu nostro reprobantur*. Respondendum quod Gal. simplicem Ceram, & Resinam damnauit, sed non cum exsiccantibus mixtam, cum nos Ceram, & Resinam dictis cum siccantibus misceamus, vt eorum siccitatem retundant, vtque etiam in Vnguenti vel Cerati formam dicta exsiccantia reducantur. Pinguedines verò, & Olea nullo pacto commiscendi debent, cum maximam humectandi vim habeant, vt *Gal. 4. de Comp. Med. S. Gen. cap. 3. inquit*; Inter composita in huiusmodi intemperie curanda idonea sunt Vng. de Tutia, vel Plumbo, vel de Cerusa, vel de Gratia Dei, vel Diacalcitios, & similia.

Notæ verò optimi exsiccantis Medicamentis erunt, si post Medicamenti applicationem leuis, aut nullus dolor, vel punctio, vel mordicatio persentiatur, signum est, quod Med. valentius est, ideo mitigandum, ac moderandum.

Si verò Vlcus lauandum videatur, inquit *Gal. 4 Meth cap 2.* aut Vino, aut Posca, aut Decocto austeræ cuiuspiam herbæ preparato abluendum, cuiusmodi sunt Balaustium, Malicorium, Myrti folia, & Rosarum rub. rubi germina, Hypocistis, Alumen, Absinthium, Bettonica, Saluia, Pentaphilon, & similia, quæ in Vino decoquantur.

Ablutio etiam facta cum vrina humana calida optima est, vt inquit *Hipp. lib. de Vlceribus, & Gal. 10. Simp. cap. de Vrina cum siccandi ac detergendi facultatem habeat.* Comperit etiam ablutio facta cum Aquis Aluminosis, vt inquit *Gal. lib. 1. Simpl. cap. 7.* cum exsiccandi, detergendi ac repellendi vim habeant, dictis ergo non solum vlcus ablui, sed etiam pars foueri, vtque citius pars exsiccetur, in his etiam Lintea, & fasciæ madefieri possunt. Ablata humida intemperie, vlcus sarcoticis carne replendum, & æquali facto, cicatricem inducentibus tandem sanandum; Animaduertendo tamen, vt sarcotica ac etiam Epulotica sicciora fint quam si Vlcus humidam intemperiem non haberet passum.

De sicca intemperie curanda.

IN huius intemperiei curatione, si intemperies magna fuerit, tota curatio ad intemperiem, neglecto Vlcere, est dirigenda, vt superius diximus, vtq; huiusmodi intemperies curetur ac remoueatur omnes externæ causæ primum remouendæ ac auferendæ, vt inquit *Gal. 1. Meth. cap. 1.* deinde his ablatis, considerandum si talis siccitas ex alimenti defectu, vel ex impressa ficca intemperie, vel ex vtroque prouenit. Si enim ex alimenti penuria tantum fuerit orta, alimenti attractionem ac renutritionem indicat.

Victus igitur, vt copioſus, & bonus ſanguis gignantur, ſit ex cibis boni ſucci, & ex optimo Pane, Carne, Ouis, & his ſimilibus, & pro potu optimo vino vratur, & cibus, & potus ſit in moderata copia. ad affectam partem nutrimentum attrahendum Frictionibus, Picationibus, Fomentis ex Aqua temperate calida, quæ omnia circumſtantibus Vlceris partibus tamdiu facienda, donec pars rubra euadat, quod ſignum eſt alimentum ad partem eſſe attractum, vt inquit Albucaſis, & Rhaſis 14. Continentis, Picationes fiant Linteis nigra pice infectis, & oblinitis, & partis applicatis, & deinde ablatis, & tantumodo huiuſmodi Lintea apponenda, & remouenda, vt diximus, donec rubra pars reddatur. Si intemperies ſicca parti fuerit impreſſa; Conſiderandum ſi magna ſit, vel parua, & ſi magna ſit, cum alimentum ob attractæ facultatis imbecillitatem, attrahi non poſſit; Ideo, & humectantia, & attrahentia indicat. Hæc ergo de cauſa *Gal. 4. Meth. cap. 2. inquit*, Carnis quidem intemperies, ſi ſqualleus ſiccaque videatur, Aqua temperata fouens humectantique corriges. Quoties autem eo remedio vteris, eſto tibi profuſionis humectationiſque mera, vt cum primum rubeſcit attolliturque particulæ moles tum deſinas. Quippe ſi vltra perfundas, quod attraxiſti, reuocabis, itaq; nihil profeceris, Quin etiam Medicamentorum humectandi facultas plenior eſto, quam vt in ſana carne præceptum eſt, hæc Gal.

Picationes quomodo fiat.

Hoc enim præſertim pars humectatur, cum Aqua humectandi vim habeat, & ſimul nutrimentum attrahitur, quoniam tepida Aqua meatus laxandi ac aperiendi, & humores fundendi, ac eliquandi vim habet.

Non debet verò frigida Aqua, vel calida nimis pars foueri, quoniam frigida condenſandi ac repercutiendi vim habet, & nimis calida, & ſi valentius attrahat, & meatus ac vias aperiat, tamen nimis humores liquat ac fundit, qui in alium ver ſi poſtea reſoluuntur. Monet poſtea, ne diutius dicta tepida Aqua pars foueatur, ne attracta materia reſoluatur, ſed tantum quouſque nutrimentum attractum fuerit, cuius ſignum eſt pars non ita ſqualleus, ſed rubicundior ac mollior facta, & auctio molis ipſius partis, taleque fomentum faciendum ter, vel quater in die, vt inquit *Gal. Com. 15. lib. 3. de Medicæ Officina.*

Auic. inquit affectam partem operiendam, vt vaporem ab Aqua exalantem ſuſcipiat, & ſic tam diu detinendam donec pars rorida fiat, ac ſudet, Falloppius maxime laudat fomentum ex Hydreleo factum, Hyeme præſertim, & recte quidem quoniam Hydreleum magis humectandi vim habet, vt inquit *Gal lib. 5. Simplicium cap. 5. & Aqua calida vt inquit Gal. 3. de Medici Officina*, calorem ad ſuperficiem euocando partem refrigerat, quod non efficit Hydreleum, cum ob Olei cum Aqua mixtionem meatus obſtruat, & caloris exhalationem prohibeat. Loco ſupe ius citato Gal. etiam nos monet, ne dicta fomenta in pletorico vel Cacochymio corpore fiant, niſi prius euacuatum ac purgatum fuerit, ne ſanguis in maiori copia, vel in qualitate peccans attrahatur. Poſt dicta fomenta, in vlcus filamenta in Hydreleo, vel Oleo imbibita imponantur, vel in aliquo alio humectandi vim habente, vt eſt Vng. quod fit ex Succo Maluæ Par. Oleo dulciſſimo partibus 2. & Ceræ albæ q. ſuff. vel ex Oleo partibus 2. Reſina Tereb. Part. ſemuis & Ceræ lotæ q. ſuff.

Supra verò affectam partem duplicata Lintea, vel Spongiæ Hydreoleo, vel Aqua vel alio humectandi vim habente madidæ, vt continuo pars humectetur, ſuperponendæ, vel humectantia Cataplaſmata. Si verò ſicca intemperies exigua ſit, vlcus non eſt negligendum, ſed mitiora ſiccantia apponi debent, vt eſt Vng. Baſilicon Minus, vel cum alijs ſarcoticis aliqua Olei portio, vt eorum ficcitas redundetur, commiſcenda, & intemperies ſicuti fuit dictum, tollenda. Intemperie ablata, vlcus carne replendum, & hæc mitioribus ſarcoticis, quæ mioretem ficcandi facultatem habeant, ne iterum in ſiccam intemperiem recidant, faciendum, vt inquit, *Gal. 4. Meth. cap. 2. & Auic. 4. 4. Tr. cap. 10.* Ideo ſarcoticis paulatim pinguedines & Olea quædam, & Cera ac ſimilia commiſceri poſſunt, & his Vnguenta parari, habito reſpectu corporis, & affectæ partis temperamento Aeris conſtitutioni, & Vlceris magnitudini, fiant igitur Vnguenta in infraſcripti formam.

℞. Thuris

℞. Thuris, Aloes, Maſtiches an. dragm. 5. Arietini ſeui vnc. 5. Olei Roſ. vnc. 1. Ceræ q. ſuff. M. & S. A. fiat Vng. vel.

℞. Reſinæ Tereb. vel Abietinæ vnc. 1. 5. Pul. Aloes, Maſtiches an. ſcrup. 2. Succi Betonicæ, Olei Roſ. an. vnc. 5. Ceræ mollis q. ſuff. M. & S. A. fiat Vng.

Repleto Vlcere carne cicatrix Epuloticis, vt fuit dictum, inducatur. Si quis contra propoſita humectantia Medicamenta dicendo obſtaret, Hipp. lib. de Vlceribus in principio inquit, Vlcera nulla madefieri debent, præterquum Vino, niſi Articulum teneant, quam quod ſiccum eſt, ad ſanum, quod madet ad vitiatum accedit, & *Gal. 4. Meth. cap. 2. inquit*; Vlcus Aqua nullo pacto abluendum, ſed Vino aut poſca, & 3. *Meth. inquit*, Nulla humectantia Vlceribus conuenire, & 1. *de Comp. Med. S. Gen. cap. 6. inquit*, Nullum humectans, neque per ſe, neque per accidens Vlceribus conuenire, multo minus Aqua. Si ergo dictæ Autoritates, & ſententiæ veræ ſunt, nullo pacto fomenta ex Aqua, aut ex Hydreolo, & alia humectantia à Gal. & ab alijs Autoribus propoſita applicari debent.

Dubitatio.

Solutio. Reſpondendum, quod veriſſimæ ſunt omnes iſtæ ſententiæ ac Autoritates, dummodo tantum vlcus curari debeat, cum in omnibus Vlceribus ſiccandi facultatem habentibus vti debeamus, cum vlcus perpetua exſiccatione egeat, & omnia humectantia vitanda, cum neq; per ſe, neq; per accidens Vlceri, quatenus Vlceri quatenus vlcus eſt, vtilia ſint; In caſu verò noſtro, cum vlcus ſiccæ intemperiei ſit coniunctum, tota curatio ad intemperiem, neglecto Vlcere, vt diximus eſt dirigenda, & ideo humectantia ab Hipp. & Gal. & ab alijs Autoribus propoſita conuenientiſſima ſunt, intemperiei reſpectu.

De Vlcere cum Particulæ Tumore complicato. *Cap.*

SI Tumor aliquis præter naturam Vlceri acciderit, cum Vlcus perfecte ſanari non poſſit, niſi prius Tumor curetur vt *Gal. 4. Meth. cap. 5. inquit*, ideo curatio, ad tumorem ſanandum non neglecto tamen Vlcere, dirigenda, vt verò Tumor curetur, inueſtiganda ac adinuenienda eius cauſa, & cum tumor ex humorum ad affectam partem afluxu fiat, & humores ad partem fluant, vel quia a recipiente parte attrahuntur, vt quando in ea eſt magnus dolor vel quando eſt nimis calida, cum hæc duo ſicuti Gal. inquit, tamquam Cucurbitula trahendi vim habeant, vel quia humores in copia, vel in mala qualitate peccant, mittentemq; partem ſtimulant, quæ ſtimulata ad inferiores, & imbecilliores partes tranſmittit. Si dolor igitur attractionis fuerit cauſa læniendus, ſicuti *cap. 19. lib. de Vulneribus docuimus*. Si partis caliditas ſit attractionis cauſa, vt ſuperius de calida intemperie tollenda diximus, curanda. Si Tumor ex defluxu humorum in copia, vel in mala qualitate peccantium fuerit ortus, huiuſmodi humores euacuandi; Si in copia igitur peccent, tenuis victus inſtituendus, & niſi quid obſtet, Venæ ſectio facienda, & ſi ob ætatem, vel quid aliud Vena ſecari nequeat, aluus aliquo Med. laxanda, cum purgatio vicem Venæ ſectionis ſupplet, vt elicitur ex *Gal. 4 & 5. de ſanitate Tuenda*. Si humores in mala qualitate peccent, purgatio prò humorum natura inſtituenda, ſic victus ratio, & alia, & non ſolum humor, qui influit dictis præſidijs, euacuandus, ſed etiam omnibus Reuulſionum generibus reuellendus, ac etiam ne ad affectam partem influat, repellentibus ac intercipientibus, ſuperioribus partibus applicatis, cohibendus. Qui verò iam influxit reſoluendus ac euacuandus eſt. Quomodo autem hoc fieri debeat, *lib. de Tumoribus Pret. Nat. & lib. de Vulneribus cap. 20. & 21. & 23. abunde diximus. Gal. 4. Meth cap. 5.* Phlegmonoſorum Vlcerum breuem curationem tradidit dicens, neque enim ſi cubi Cataplaſmate, quod calefaciat humectetque illiniuntur, quæ Phlegmonæ infeſtant, ex prima ratione id fit, hoc eſt, vt remedium affectus, ſed vt Symptomatis mitigatio, ſi quidem ipſius Phlegmonis remedia ſiccorum ſunt virium; Deinde inquit, audi namque loquentem Hipp. Cataplaſmata Oedematum, & Phlegmones, quæ in circa poſitis conſiſtunt, Verbaſcum coctum, & folia Triſolij cruda, & Epipetri folia cocta, & polium, quippe omnia hæc ſiccandi vim habent, veluti in comentarijs de ſimplicibus Medicamentis docuimus;

Humoret fluxus cauſa.

Et compendiaria obſeſſarum Phlegmone partium curatio per id genus præſidia obitur, quæ ſanè, vel affectum prorſus ſubmouent, vel ſi quid exiguum, quod ſuppuret, reliquerint, alterum Med. acre quod educere pus queat, requiritur, vel ſi tenuis circumpoſita cutis ſit veliſq; celerius explicatum ægrum, ſectio petenda

Cæterum curatio Phlegmones per Hordei Farinam, ideſt per Catapl. ex Hordei Farina, Aqua, & Oleo compoſitum, dolorem lenire ſtudentis eſt, non medentis, & contra malum pugnantis; Et ideo, vt *lib de Vlceribus idem Hipp. inquit*. Si Phlegmone Vlcera obſideat, Medicamentis ſiccantibus, ac Phlegmonem arcentibus curari debet; Et *Paul. hoc confirmans lib. 4. cap.* 38. *inquit*, Si dolor, & inflammatio Vlcera exerceat, adhibenda ſunt ſiccifica, & quæ inflammationem extinguunt Medicamenta ex liquidis igitur probatiſſimum creditur Vinum, deinde poſca; Si verò cum ſordibus angat inflammatio, etiam mulſa aquoſa conuenit, ex alijs autem Pharmacis communiter expediunt, quæ aduerſus inflammationes facere prædicta ſunt, apta demptis Oleosis, acribus, priuatim illud commendatur, mala punica dulcia Vino elixata, & contrita Cataplaſmate ſuperinducto, ſuſpicandum id, & multiplici vſus, nam Capitis quoque Vlceribus conducit, & ad verendorum, vniuerſi corporis infeſtantia Vlcera, item contra Oculorum inflammationes. Quod ſi Erysipela, aut ſimile quiddam Vlceri acceſſerit, ijſdem vtendum præſidijs, quæ illis dicata ſunt; Applicari etiam poſſunt in calidi tumoris principio Catapl. facta ex malis Cydoneis, & acerbis piris coctis cum Myrti puluere commixtis, vel ex coctis Lentibus cum malicorij, & Roſarum rubearum puluere, & aliqua Reſinæ Tereb. portione, omnibus ſimul mixtis. In augumento dictis Cataplaſmatibus addi poſſunt flores Chamemoli, Farinæ Fabarum, Hordei, & Tritici, in ſtatu adhibeatur Catapl. factum ex Farina Sem. Lini Fænugreci, Furfure, & decocto Maluarum, & Abſinthij in dulci Vino facto. Si verò Tumor ad ſuppurationem tendat adiuuanda ſuppuratio Catapl. facto ex Malua in Aqua cocta cum farina Sem. Lini, Fænugreci, & Suilla Axungia, vel ex Tritici Farina in Aqua cocta, Oleo Com. & Croco, vel.

℞. Maluarum M. 3. cum furfure in Aqua coquito, & contunde, deinde tumori applica, & hoc etiam ad Emunctoriorum calidos tumores ab Vlcere excitatos prodeſt. Vel applicetur infraſcriptum Catapl. quod dolorem læniendi ac reſoluendi vim habet.

℞. Foliorum Maluarum, Violarum an. M. 1. Fabarum decorticatarum lib. 1. M. & omnia in ſimplici Aqua bulliant, donec omnia bene coquantur, deinde contundantur, & aliquid Olei Roſacei Omphacini addatur, & S. A. F. Catapl.

Si verò Tumor frigidus ſit, infraſcripta Cataplaſmata, & ſimilia apponi debent.

℞. Foliorum Maluarum M. 1. Radicum Altheæ vnc. 2. Fabarum decorticatarum vnc. 8. M. & omnia in Lixiuio Barbitonſoris coquantur deinde contundantur, & cum Oleo Chamomelino, vel Liliorum alborum q. ſuff. S. A. Fiat Catapl. vel.

℞. Mumiæ in Vino ad craſſitiem coctæ vnc. 1. Oeſipi vnc. 2. Farinæ Tritici vnc. 5. M. & ſimul bulliant, & S. A. fiat Catapl. Et qui plura deſiderat, cuiuſque tumoris particularem curationem videat.

Si verò cum Vlcere contuſio complicata ſit, ſicuti contuſum vulcus curari debet. Ideo ad caput 38. lib. de Vulneribus recurrere poteſt; Sic ſi Vlcere ſupercreſcens caro adſit, ad cap. 37. eiuſdem lib. recurrat, quibus in locis de his rebus diffuſe actum fuit.

De Vlcere cum Labiorum duricie ac decoloratione, & de Liuido Vlcere. *Cap.* 5.



IN Vlceris labia dura ſint, & Oſtracola, vt aliqui nominant, & decolorata, videndum imprimis ac animaduertendum, qua de cauſa ita fuerint facta cum vt inquit *Gal. 5. de Simpl. Med.* duricies tribus de causis fiat, vel a nimia ſiccitate, vel à congelatione, vel à nimia repletione, & qualibet de cauſa fuerit orta, quamprimum tollenda, cum niſi duricies illa à labijs tollatur, & ad naturalem ſtatum reducatur, vlcus curari non poſſit, vtque hoc recte fiat etiam animaduertendum *Duricieꝝ Cauſæ.*

dum, vtrum duricies exigua sit, vel magna, & si exigua sit, & à nimia siccitate fuerit orta, mollientibus ac resoluentibus curari ac tolli poterit, & huiusmodi sunt pinguedines, & medullæ, & alia emolliendi ac resoluendi vim habentia, & inter simplicia sunt. Pinguedo Anatis, Anseris, Gallinæ, Vrsi, Leonis, Medullæ Crurum Cerui, Leonis, Vrsi, Bouis, & similium, Mucilagines Altheæ, Sem. Lini, Fenugreci, & omnia Gummi genera, & Olea quædam, vt Amigd. dul. Lumbricorum, Liliorum, & similium, & ex his etiam composita Med. in infrascriptam formam parari poterunt.

℞. Medullæ Cruris Cerui vnc. 5. Mucilaginis Altheæ, Tragaganthi an. dragm. 2. Res Tereb. vnc. 1. Olei Amigd. dul. dragm. 3. Ceræ pinguis q. suff. M. & S. A. fiat Vng. vel superponatur Empl. de Mucilaginibus, vel quid simile, vel fiant Embrocationes cum Arietinæ carnis iure.

Si verò duricies à congelatione fuerit orta, cum emollientibus, quæ incidendi vim habent, vt viscosos humores indicant sunt commiscenda, & ideo aliqua Aceti portio commiscere potest, vel Triapharmaco Vng. Aceto confecto vti possumus.

Si à Repletione duricies orta fuerit, quod raro fit, cum omnis repletio euacuationem indicet, ideo primum per resolutionem materiam euacuare tentabimus, vtque hoc recte succedat, primum pars emollienda, deinde cum emollientibus resoluentia commiscere debent, nisi verò resolui possint, maturantia ac pus mouentia, sicuti capite superiori fuit dictum, applicanda. Si duricies magna fuerit, vel si emollientibus Med. non cedat, *Gal. 4. Meth. cap. 2. inquit.* Cum labra tantum Vlceris decolorata duraue plusculum fuerint, excindenda ea sunt ad sanam vsque carnem. Cum verò amplius progressus eiusmodi affectus est, deliberatio incidit, excidendum ne omne id sit, quod præter naturam visitur, an spatio potius curandum, proculque dubio est ægri animum hoc casu consulendum esse. Aliqui enim longiori tempore curari citra sectionem malunt, aliqui quid vis subire, dummodo citius sanentur, sunt parati.

Si æger igitur citissime sanari, vtque excisio fiat, ferre velit, ad sanam vsque carnem decolorata, & dura Vlceris labia Nouacula, aut aliquo alio Instrumento simili, excidenda, cum sectio promptissima, & vtilissima sit actio, cum minor dolor ac breuior, quam Med. inferatur, & non ita pars siccetur, neque vlla mala qualitas, sicuti validis erodentibus ac vrentibus Med. inducatur, vel actuali Cauterio talis duricies tollenda, & huiusmodi vstione non solum duricies tollitur, sed roboratur, ac etiam à putredine arcetur ac defenditur, & post vstionem, quæ escaram remouendi vim habent, vt sunt vnctuosa omnia, applicari debent.

Nisi verò incisionem, neque vstionem æger ferre velit; Erodentia Med. sunt apponenda, quæ, vel mitiora, vel valentiora esse debent, secundum duriciei magnitudinem, partis sensibilitatem, ætatem, & corporis temperamentum, cum in minori duricie, parte maxime sensibili, in pueruli, & molli corpore præditis mitioribus, erodentibus vti debeamus, contra in maxima duricie, parte non multum sensibili, senili ætate, & in duris corporibus maxime erodentia ac caustica Med. conueniunt; Sic in mediocri duricie, & in parte moderate sensibili consistenti ætate, & in corpore neque molli nimis, neque nimis duro mediocriter erodentibus vti debemus.

Inter mitiora Erodentia est infrascriptus pulvis, quo dura labia aspergantur.

℞. Mirabulanorum Citrinorum dragm. 2. Corallorum rub. scrop. 1. Gallarum non perforatarum dragm. 5. Sang. Drag. Terræ sigillatæ, Cerusæ, Floris æris an. drag. 1. Aluminis vsti dragm. 5. Sarcocollæ, Myrrhæ, Thuris, Masticis an. scrup. 4. M. & F. Pulvis subt. *Erodentia mitiora.*

Inter mediocria est infrascriptum Vng. quod super Lineamenta distenditur, quæ labijs Vlceris apponuntur. *Erodentia Mediocria.*

℞. Olei Rosacei vnc. 1. 5. Pinguedinis Veruecis vnc. 1. Medullæ Cruris Bouis, Aquæ sublimati, siue erodentis an. vnc. 5. M. & paulatim omnia bulliant, quousque Aqua absumatur, deinde adde Cerusæ vnc. 5 iterum parum bulliant, & ab igne remoueantur, & quousque frigescat, spatula agitetur.

Inter valentissima duriciem auferentia est Oleum Sulphuris, vel Vetrioli, vel erodens Aqua, vel aliud simile causticum. *Erodentia valētissima.*

Quibus

Quibus cum Cautella præcipue in Neruoſis partibus vti debemus, & ſupra aliquod emolliendi ac dolorem leniendi vim habens Med. applicandum, vt eſt infraſcriptum Vng. vel ſimile.

℞. Olei Roſacei vnc. 1. Pinguedinis Veruecis dragm. 6. Medullæ Cruris Cerui, & Bouis an. dragm. 5. Litargirij, Ceruſæ an. dragm. 2. M. & ſimul bulliant, deinde ab igne remoueantur, & quouſq; refrigeretur, ſpatula agitetur.

Circumſtantibus verò partibus non ſolum, vt dolor læniatur, ſed ne noua materia attrahatur, refrigerantia ac aſtringentia Med. defenſiua dicta, ſunt applicanda.

Si verò nimia Rubedo, vel Liuiditas, vel Nigredo ob putreſcentem ſanguinem, circa Vlcus appareat, cum Vlcus curari poſſit, niſi quæ iuxta plagam ſunt, curentur, vt *Hipp. lib. de Vlceribus inquit*; ideo vt idem Autor, & ſimul Auic. inquiunt, Vlceris Labia ſcarificanda, & bis, vel ter ſanguis euacuendus, & niſi fluat, Cucurbitula applicanda, vel ſangui ſugæ admouendæ. Poſt ſanguinis detractionem inquiunt dicti Autores, quod Spongia denſa, mollis, inciſa, ſiccior, & non madens applicetur, deinde aliquod ſiccans Med. vt leuis inſperſio pulueris præcipitati, vel quid ſimile. His factis, Vlcus, vt reliqua Vlcera, curetur.

De Varice cum Vlcere. *Cap. 6.*

Quod ſit varices.

Affectæ partes.

Varices ſunt dilatatæ Venæ ex nimia craſſi ſanguinis repletione, vt *Gal. 4. Meth. & Com. 21. lib. 6. Aph. & Paul. lib. 6. cap. 82. & Aetius Serm. 14. cap. 84. inquiunt*. Partes à varicibus affectæ, vt dicti Autores inquiunt, ſunt tempora, & partes ſub Vmbelico, quibus in partibus raro fiunt non raro vero circa Teſtes apparent, ſepe verò in Cruribus eueniunt.

De varicum Cauſis.

Coniuncta varicum cauſa eſt ſanguis vt plurimum craſſus vt inquit *Gal. 3. de Articulis, Venas dilatans, qui ſanguis, vel eſt melancholicus, vt inquit Gal. lib. de Atra Bile cap. 4. vel quilibet alius crudus humor viſcoſus, & craſſus ſanguinâ admixtus, vt inquit Gal. 3. de Articulis, vel bonus ſanguis copia in exuperans, venaſque dilatans, qui ob Venarum imbecillitatem illuc confluit, cum non poſſint illum expellere ac regere, vt inquit Gal. lib. de Tumoribus præter Naturam cap. 16. & lib. de Arta Bile cap. 4.*

Antecedentes cauſæ, vt plurimum, ſplenis, vel Hepatis obſtructio ac imbecillitas, vel alicuius præcipui Membri crudum ſuccum, vel melancholicum ſanguinem, generantis. Primitiuæ cauſæ ſunt nimia ciborum, & præſertim melancholicorum repletio, nimius potus, nimiæ, & longæ ſtationes, vel pedum fatigationes, & maximorum ponderum geſtationes, & ſimilia.

De varicum ſignis.

Varices cum ſtatim oculis appareant ideo ſignis non egent, ſed color humorem Venam dilatantem indicat; Si enim nigra varix appareat, melancholici ſanguinis eſt ſignum, ſi pallidus, vel albidus, crudi, & phlegmatici ſanguinis, ſi rubicundior videatur, à probo ſanguine Venam eſſe dilatatam, indicat.

De varicum Prognoſtico.

Cvm ex varicibus ſupra exulceratum locum exiſtentibus continuo humiditas aliqua ad Vlcus defluat, ideo contumax ad vlcus ſanandum redditur, cum, vt *Hipp. lib. de Vlceribus in principio inquit*. Quod ſiccum ad ſanum, quod madet, ad vitiatum accedit; Ideo, vt *Gal. 4. Meth. cap. 2. inquit*, prius Varices ſunt ſanandæ, deinde Vlcus curandum. *Aetius Serm. 14. cap. 84. inquit*, Varices, qui in Temporibus

poribus fiunt Cheirurgiam difficultèr admittunt.

Vtrũ varices curari debeant.

Vtrum verò curari varices debeant, maxima diſſenſio eſt inter Medicos, cum varices à multis morbis homines liberent, teſte *Hipp. lib. 6. Aph. 21. vbi inquit*, Inſanis ſi varices, vel Hemorroides ſuperueniant, inſaniæ fit ſolutio; *Et 6. Epid. inquit.*

Superuenientibus varicibus furorem curari; *Et 3. Articulis Textu 4. inquit*, Gibberum, & alios morbos infra Thoracem Varicibus ſuperuenientibus ſolui, & *Gal. in eius Com. inquit*. Si ſucci craſſiores fuerint, in inguine varices fiunt quia ibi Venæ latiores ſunt, & magis craſſorum ſuccorum capaces; Si mediocriter craſſi in poplite varices; fiunt, Si morbi adſint varicibus ſuperuenientibus curantur; ſicuti dicti Autores inquiunt, quia praui humores ad Venas illas à Natura detruduntur, & ideo corpus purgatum ab excrementis remanet. Si curentur ergo varices, cum Natura non habeat locum; ad quem peccantes humores tranſmittere poſſit, ideo dictis morbis, & alijs eger tentabitur, quia ſi dictorum morborum ex varicum ſuperuentu ſolutio fit ex varicum curatione ac conſtrictione exitabuntur, iuxta illud Ariſt. dictum. Cuius loci adeſſe bonum eſt illius abeſſe malum eſt; Ergo his de cauſis varices non curandæ, ergo conſequenter vlcus cum varice ſanari non poteſt, neque debet; Et ſruſtrà *Gal 4 Meth ſanandas varices inquit & fruſtra etiam Paul Actius, & Autores alij varicum curationem docent.*

Solutio ac queſtionis determinatio.

Reſpondendum, quod varices ſunt curandæ ſed non omnes, ſed illæ tantum, quæ magnæ ſunt, & maxime ſanguine repletæ ob quam repletionem maxime Vena diſtenditur ac inflammatio, & dolor maximus oritur, & periculum eſt, ne Vas abrumpatur, & maxima ſanguinis hemorragia ſequatur, vel quando magnum ac malignum vlcus fouet, Quando verò dictæ conditiones non adſunt, melius eſt ferro non attingere; ſed, & victus ratione, & alijs Medicamentis illorum augumentum prohibere. Non temere igitur ac præpropere varices curandæ, vt illi Medici faciebant, qui a *Gal. lib aduerſus Ereſiſtratores 6. reprehenduntur, quoniam omnia dicta mala ſuccedere poſſent, ſed debitis circumſtantijs curatio debet, vt Gal. 4. de Comp. Med. S. Gen. cap. 2. & lib. de Atra Bile cap. 4. docet, & nos inferius dicemus.*

Lib. de Aere, Aquis, & locis inquit. Hipp. qui paluſtres, & lacuſtres aquas, & ſtabiles, bibunt (quas neceſſe eſt calidas eſſe craſſas, ac male olentes) ijs varices, & Vlcera in Tibijs accidunt, quare fieri non poteſt, vt ſic longæ naturæ ſint, ſed ante tempus ſeneſcant.

De varicum Curatione.

IN varicum Curatione plures intentiones hab re debemus; Prima in ſex rerum non naturalium inſtitutione conſiſtit; Secunda in peccantis humoris præparatione ac euacuatione; Tertia in Membrorum male affectorum rectificatione; Quarta in localibus conſiſtit.

Quo ad primam intentionem ſalutiferus ac temperatus Aer eligatur, victus ſit in moderata copia, vt à Ventriculo recte concoqui, & ab Hepate bene ſanguificari poſſit, ſitque ex optimis cibis, & omnia, quæ melancholicum ſuccum generare poſſunt, vitentur. Potus ſimiliter ſit moderatus, & craſſa, & nigricantia vina deuitentur, quies potius, quam motus in curatione conduci; Somnus ſit moderatus, & nocturnus, Animi affectus, vt ira, ſollicitudines, Curæ, & omnia, quæ melancholiam inducunt, deuitentur, vtque conſuetæ, & naturales excretiones fiant curare debemus.

Pro ſecunda intentione conſequenda, ſi ægri vires conſtent, neque quid aliud prohibeat, vt inquit *Gal. 4. de Comp. Med. Gen. cap. 2.* In id vitij genus a Venæ ſectione auſpicari præſtat, ſeruata partis rectitudine, ideſt ſi dexterum crus varice ſit affectum, à dextera Baſilica ſanguis educendus. Si verò ſiniſtrum ſiniſtra, & latum foramen, vt crabus ſanguis educi poſſit, faciendum. Facta Venæ ſectione, melancholicus ſuccus ac pituitoſus Pharmaco purgandus ac euacuandus præcedente tamen talium ſuccorum præparatione ac concoctione, iuxta illam *Hipp. ſententiam 1. Aph. 22. dicentis*, Concocta medicari ac mouere non cruda neque per initia, niſi ſuopte ciantur impetu,

quod

quod perraro fieri ſolet. Quæ verò Med. huiuſmodi humores concoquant, & quæ purgent, cum vnuſquiſque mediocriter exercitatus Medicus ſciat, & breuitati ſtudentes, non ponemus. Quod verò ita fieri debeat, inquit *Gal. 4. de Comp. Med. S. Gen. cap. 2. dicens*. Si vniuerſum corpus plethoricum, vel Cacochymum exiſtat, id prius euacuare, & expurgare expedit, quam Vlceri Med. admoueas.

Tertiam intentionem conſequemur, affectum viſcus, talemque prauum humorem generans rectificando, & intrinſecis, & extrinſecis præſidijs ad naturalem temperiem reducendo ac roborando, cum, vt inquit Gal. loco citato. Lien non vaquam male affectus talis vitioſi humoris ſit autor, ſicuti, & iecur, quibus vbi imprimis conſultum fuerit, ſic tandem accedere ad curandum vlcus oportet.

Varicis ſectio, quando, & quomodo fieri debeat

Quartam intentionem, vt *Hipp. lib. de Vlceribus*, *Paulus lib. 6. cap. 82. & Aetius Serm. 14 cap. 84. inquiunt*, conſequemur varicis ſectione, & ſanguinis eductione, & hæc actio fieri debet potius in die callido, quam frigido, ac pranſo homine magis, quam ieiunio, & parum cibo ac potu pleno, motuque etiam concalefacto, quæ omnia ſanguinem craſſiorem in Venis contentum diſſoluunt, efflu-ique paratiorem reddunt. Si varix igitur crus vt magna ex parte accidere ſolet, occupauerit, loto prius homine, vinculum ſuperiori Femoris regioni inijcito, ac deinde, vt inambulet, iubeto; Deinde Venam ita repletam, quæ eb interiori Femoris parte apparet cum ibi ipſarum origo, vt plurimum cernatur, atramento ſcriptorio, aut aliquo ſimili iuxta varicis ſitum notabimus, digitis per longitudinem ternis interpoſitis, aut paulo amplius.

Reclinato, ſiue decumbente poſtea homine, cruribus extenſis, altero ſupra Genu vinculo deligemus, turgeſcentemque in faſtigium Venam ſupra Atramenti notationem Scalpello ſcindamus, ſic vt cutem duntaxat ſcalpellum penetret, ne Venam incidamus. Deinde Hamis plagæ ortæ deducentes Membranas Herniarijs, ſiue obtuſis Specillis, & flexillibus excoriantes Vena vndiquaq; nudata explicataq; femoris deligationibus ſoluris, vnaque ipſa per obtuſum Hamum ſuſpenſa, Acum ſubter duplex Linum trahentem tranſmittimus, Linique finum amputamus, & Vena ſcalpello per medium diſſecta, ſicuti in ſecanda Vena fieri ſolet, ſanguinis, quantum eſt opus, detrahemus, altero deinde Lino ſuperiorem Venæ partem conſtringemus; Crureque recto eleuato, manuum expreſſione, ſanguinem, qui in crure eſt, euacuabimus. Deinde infra rurſum Venam deuincientes, partem illam Venæ, quæ inter duo vincula exiſtit, adimemus, vel relinquimus, quo ad ſua ſponte vna cum vinculis excidat, & plaga Thuris polline craſſo modo inſperſa Linamentiſque ſiccis oppleta, Splenium Oeneleo, ideſt Vino, & Oleo ſimul mixtis madens ſuperimpoſitum deligabimus. Deinde Linamento Medicamine ſuppurationem inducente imbuto curationem proſequemur, & tandem ſicuti alia Vlcera curari debet. Sed interim quies ægro imperanda, ſeruato accliui membri decubitu, ne ſi decliue iaceat, humores ad ipſum confluant.

Aliqui poſtea Antiquiores vinculis vſi non fuere. Sed alios Venam carne indidem denudatam excidere, alios ab imo adherentem videntur, extrahendo abrumpere. Alij actuali Cauterio digitalibus interuallis innixa mucronata Cauteria turgentibus Vaſis ad multam profunditatem admouebant, atquæ quo cruſta deciderit, vlcuſque incarnatum, & cicatrix inducta fuere locum roborant. Sed omnium tutiſſimum à nobis, ſecundum Hipp. Pauli, Actij, & aliorum bonorum Autorum mente, propoſitus Cheirurgiæ modus exiſtit.

Varices, quæ in imo ventre ſimili Cheirurgia tractantur, illæ item, qui in Temporibus exiſtunt, ea ratione, quam in exemptione vaſorum *Paulus lib. 6. cap. 5.* docuit curantur, ac eliguntur.

Cheirurgica actione facta, pars à varice affecta roboranda medicamento, quod Venas conſtringat, & ſi quid ſuperfluj ſanguinis fuerit relictum etiam reſoluat; Si quod toti cruri applicandum venit vt eſt infraſcriptum vel ſimile.

℞. Lixiuij Barbitonſoris, Paſſi an. q. ſuff. M. & in his coque Taſſi Barbaſſi Folia, Apij, Tamaricis an. M. 1. Cortices Radicum Capparorum vnc. 2. his coctis colentur, & exprimantur, &

& Radices, & herbæ abijciantur, & in dicto Decocto infraſcripta coquantur, ℞ foliorum Abſinthij, Florum Camomelli, Melilotian. M. 2. Myrtillorum, Roſarum rub. an. M. 1. Nucum Cupreſſi num. 6. Acaciæ vnc. 1. Furfuris M. 1. 5. Farinæ Fabarum, Farinæ Lupinorum an. vnc. 6. contundenda optime contundantur, & tam diu in dicto decocto ferueant, donec Catapl. formam acquirant, & in fine parum optimi Aceti addatur, vt incidendi etiam facultatem habeat, & dictum Catapl. calidum applicetur, & bis in die renouetur. Roborata parte, & ſanguinis reſiduo reſoluto curationi finem imponemus. Sanato à varice infirmo, ne Mania, vel Pthiſi, vel alio ſupradicto morbo æger ob materiæ, quæ deſcendere ſolebat, detentionem, tenetur, per debita temporis interſtitia à peccante humore purgari, & phlebotomari debet, debitumque ac conueniens vitæ regimen, vt in ſuperioribus fuit dictum, obſeruare debet, & ſic omnia dicta mala euitabit.

Aerius loco ſuperius citato inquit quod aliqui ſunt, qui incipientes varices infraſcript. Medicamentis prohibere conantur, proponit Empl. citra moleſtiam exiccans, etiam ſi manantia Vlcera in ipſo varice fuerint, maxime competens, quod eſt infraſcriptum.

Empl. varices prohibens.

℞ Bituminis iudaici Lib. 1. Olei Veteriſſimi vnc. 8. Terebenthinæ liquidæ vnc. 6. Sulphuris viui vnc 4 Bitumen ad Ciceris magnitudinem craſſius contuſum in Oleo, donec liqueſcat, coquito, deinde adiecta Tereb ſimul coquito, donec non amplius inquinet, & ſub lato ab igne Medicamento, Sulphur tritum inſpergito, atque ſimul omnia in Mortarium frigida Aqua plenum injcito, & probe ſubactis vtitor.

De Verminoſo Vlcere.

Cap. 7.

VErmes ex putredine in Vlceribus ortum habent, & Aeſtate magis, quam temporibus alijs, & in illis præcipue Vlceribus oriuntur, quæ caua, & ſinuoſa ſunt, & ob Medici negligentiam, vel quid aliud immunda, & ſordida tenentur.

De Vermium Cauſis.

MAterialis Vermium cauſa in Vlceribus potiſſimum eſt pituitoſum excrementum; ſeu nimia putredinalis humiditas, vt inquit *Paul. lib. 4. cap. 42.* quæ coadunantur, aut quia neglectum fuerit vlcus, aut quia ob ſinus cauitatem, vel quid aliud bene expurgari non potuit, aut quia talis humiditas ad vlcus à toto corpore prouenit.

Cauſa efficiens eſt putredinalis, ſiue præter naturam calor à putridis excrementis ortus, & natiuus calor ei etiam commixtus, & ideo non quid putridum, ſed quid concoctum gignitur, cum natiuus calor etiam ex putrida materia, quod melius eſt generare quærat, vt *Ariſt. primo de Gen. Animalium cap. 16. inquit.* Quod vero ex his cauſis vermes gignantur, inquit *Gal. Com 26. lib. 3. Aph. dicens.* Vermes non ex ſemine, ſed ex putredine ortum habent.

Sola enim putredo non ſatis eſt hiſce generandis, ſed multo etiam calore eget. In verminoſo ergo Vlcere, cum neceſſario ex dictis hæc præter naturam adſint, ideſt vlcus, putrida materia, Vermes, & extraneus calor; luco dicere poſſumus, quod tale vlcus coniunctum ſit cum putredine, & calida intemperie.

De Vermium ſignis.

VErmes, ſi patentia ſint Vlcera, oculis conſpiciuntur, niſi ob ſinus anguſtiam, vel profunditatem videri poſſint ex alijs ſignis dignoici poſſunt, vt ex punctione, morſu, & vndoſo motu, qui in Vlceribus ab ægrotantibus perſentitur, & ob ingentem putredinem etiam maximus adeſt fetor.

De Vlceris Verminoſi curatione.

IN Verminoſo Vlcere curando plures intentiones habere debemus. Prima erit vermes auferre. Secunda putredinalem humiditatem euacuare; Tertia intemperiem tollere, & partem ad naturalem temperiem reducere. Quarta vlcus, ſi cuti decet, curare.

Vt primam intentionem conſequamur ſpecilli cuſpide vel Manubriolo, ſiue alio Inſtru-

Inſtrumento vermes eximemus, niſi verò vllo inſtrumento auferri poſſint, aut quia pertinaciter Carni adherent, aut quia vermium euulſio magno cum ægrotantis dolore fit, aut quia in cauernis, ſiue profundis Vlceris ſinibus continentur, tunc prius ſunt interficiendi, deinde auferendi. Enecantur verò vermes præcipue amaris, vt Aloè, Abſinthio, Matricaria, Abrotano, Calaminitha, Filice, Scordio, Agreſti Cucumere, nigro Elleboro, Centaura maiori, Lupinis, Perſicorum folijs, Capparorum, & his ſimilibus, quibus, vel in decocto, vel eorum ſucco, vel in puluere, vti poſſumus.

Candenti etiam ferramento vermes interfici poſſunt, & optimum eſt, ſi æger ferre poſſit, & vlcus in partibus Neruoſis, & maxime ſenſibilibus non fuerit. Archigenes, vt Paulus, & Aetius referunt, infraſcripto Medicamento vermes enecabat.

℞. Ceruſæ, Polij montani an. parr. æqu. Picis nauallis liquidæ q. ſuff. M. & illinito. Linamenta etiam ieiuni hominis ſaliua imbibita non ſolum Vlcerum, ſed etiam Aurium vermes enecare inquiunt.

Competit etiam puluis Sulphuris viui, Miſy, Chalcitidis, viride Aeris, Piretri, & alia acria Med. vt Cepæ ſuccus, Lac Tithimali, vrina antiqua, Fel Taurinum, & huius generis alia.

Enecatis, & ablatis vermibus, vlcus optime detergendum, & his validis Medicamentis putrida materia euacuanda, & ſic ſecundam intentionem conſequemur. Quæ verò ſint Detergentia Medicamenta pluries diximus, & in Officinis paratum habemus Vnguentum viridæ, Apoſtolorum, & Aegiptiacum, quod valentiſſime detergit. Hæc enim Vnguenta, & ſupra Linamenta extenſa Vlceribus applicari poſſunt, & ſi profundus fuerit ſinus, cum aliquo detergente decocto commiſceri ac infundi debent; Si verò volumus ſimul Vermes enecare, & vlcus detergere, Lupinorum Farina in Hydromelite decocta prodeſt, vel cum ſupradictarum Herbarum decocto aliquam Mellis portionem commiſcere poſſumus in infraſcripti Med. formam.

℞. Decocti Abſinthij, Calaminthæ, Abrotani, & Matricariæ lib. 1. Mellis crudi lib. ſ. M. & infunde. Si vis vt valentius agat, infraſcripto vtere, quod non ſolum vermes enecat, & vlcus detergit, ſed etiam exſiccat.

℞ Decocti Dictamni albi, Cucumeris Silueſtris, Rad. Ellebori albi, Capparorum Centaureæ mai. lib. 1. Succi Abſinthij, vrinæ Humanæ veteris an. vnc. 2. Vng. Aegiptiaci vnc. 1. M. & infunde temperate calidum.

Si verò humiditas à toto corpore ad vlcus traſmittatur, & in inſtitutione optimæ Dietæ, & Phlebotomia, & purgantibus, & alterantibus Medicamentis toti corpori ſuccurendum, & ne talem humiditatem generet prohibendum. Deterſo optime vlcere ac ablata putredine tertiam intentionem conſequemur, ſi in Vlcere calida intemperies aliqua fuerit relicta, Medicamentis ſuperius propoſitis illam auferendo ac ad naturalem temperiem reducendo; His omnibus factis, & puro exiſtente Vlcere, Sarcoticis, & tandem Epuloticis, vt decet, & nos ſuperius diximus, vlcus curandum, & ſic quartam intentionem conſequemur.

De Vlcere cum Oſſe corrupto. *Cap.* 8.

Vlceribus aliquando os corruptum ſiue cariоſum ſubeſt, & hi oſſium affectus ſunt in cauſa, vt Vlcera optime ſanari non poſſint, quoniam, & ſi ad cicatricem aliquando perducantur, iterum poſt paucum temporis interſtitium Phlegmone ſuperueniente, & eo ſuppurato, rumpuntur, & iterum Vlcera excitantur ac renouantur.

De cauſis Oſſa corrumpentibus.

CAuſæ Oſſa corrumpere valentes, aliæ ſunt internæ, aliæ externæ vt inquit Gal. de Morborum cauſis, externæ cauſæ, etiam procatarcticæ dictæ, ſunt Aer vel nimis frigidus, vel calidus nimis, Aer enim nimis frigidus natiuum oſſis calorem extinguit, & calidus nimis naturalem calorem euocando, eiuſque humiditatem reſoluendo, ſimiliter illud corrumpit; Inciſio ſimiliter, ideſt præcedens vlcus, vel contuſio, & Medicamenta nimis acria, & abſtergentia appoſita oſſis corruptionem efficere poſſunt, vt inquit Gal.

Gal. loco citato, & ideo considerandum num quid vlcus à Vulnere, an ab Apostemate ortum habuerit, vt in causæ ossis corruptionis cognitionem deueniamus. Quoniam si à Vulnere vlcus fuerit factum, aut ex Aeris alteratione, aut Vaguentorum appositione os corruptum erit; Si à præcedente Apostemate vlcus fuerit factum à prauis humoribus os fuisse corruptum iudicare possumus.

Internæ causæ sunt vitiosi humores erodendi vim habentes ad ossa defluentes, vt loco citato Gal. inquit, vel praua, & virulenta antiqui Vlceris sanies, quæ contractu os corrumpit, vt inquit *Gal. 3. de fracturis textu* 37. & aliquando superflua, & viscosa humiditas, quamuis acredinem nullam habeat, primum ossis substantia emollit, deinde corrumpit, vt *Gal. locis superius citatis inquit.*

De signis corrupti Ossis.

IMprimis enim sciendum, quod os corruptum aliquando in Vlceribus appareat, aliquando non apparet.

Apparentis corrupti ossis signa, vt inquit *Celsus lib. 8. cap. 2.* sunt, quod os vitiatum primum pingue fit, deinde, vel nigrum, vel carioſum; Pingue, & vnctuosum primum os redditur, quia ab eo naturalis humiditas separatur; Fit verò liuidum, vel Nigrum, quia proprium temperamentum, quo album seruabatur, fuit ablatum, fit carioſum, quia propria ossis substantia deest.

Non apparentem ossis corruptionem denotantia signa, vt inquit, *Gal. Com. 45 lib. 6. Aph.* sunt Vlceris ad cicatricem perductio, & cita renouatio, vel Vlceris diuturnitas, vel præcedens fistula, vt Celsus inquit, cum ob continuum puris contractum os remolliatur, ac corrumpatur, Ideo *Hipp. 6. Aph 45. inquit.* Si Vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant os abscedere est necesse, & cicatrices cauas fieri; Exterius caro hebes, flacida, & in corruptionem tendens apparet, vt inquit Auic. cap. de ventositate Spinæ, cum ab humiditate ab osse corrupto emanante caro remolliatur, & aliquando liuida appareat, vt inquit *Hipp. 7. Aph. 2.* Et si quis specillo intime scrutetur, non adinueniet os lubricum, leue, & æquale, neq; durum, & stabile ac resistens, sed asperum, diminutum, & carioſum, ac molle, & specillum per ossis substantiam remollitam penetrabit. Humiditates item ab Vlcere defluentes copia magis, quam Vlceris magnitudini conueniat, ac etiam valde tenues, oleaginosæ, & fœtidæ ossis corruptionem indicant, & ideo *Gal Com. in 3. lib de fracturis cap.* 18. *inquit*, Os subiectum esse vitiatum coniicies, si ex Vlcere emanet pus multo vberius, quam pro Vlceris magnitudine, & inferius inquit. Os vitiatum iam corruptum indicant deducta Vlceris labia, quæ coire non possunt, nec non laborantis sensus. Si imponatur item siccum Linamentum in vlcus, alteroque die extrahatur, & maxime fœteat, ossis corruptionem indicat, inquit Faloppius.

Signa profunditatis cariei, & superficialis, vel profundæ ossis corruptionis tradit *Celsus lib. 8 cap cap 2. dicens.* Si specillum tenue in foramen demittatur, quod magis, vel minus intrando, vel in summo cariem esse, vel altius descendere testatur. Nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore, & ex febre; Quæ vbi mediocria sunt, illa alte descendere non potest, vbi verò magna, alte descendit, manifestior tamen adacta Terebra fit; Nam finis vitij est, vbi scobis nigra esse desijt.

De Prognostico Vlcerum cum Ossis corruptione.

HIpp. 7. *Aph 2. inquit.* Propter os ægrotans caro liuida, malum, & causa est, vt inquit Gal. in eius Com. quia non ob mediocrem ossium labefactationem, sed fortem corruptionem talis coloris species circumstantibus carnibus contrahitur, quia in ipsis scilicet nativus calor extinguitur, & *Com. 45. lib. 6. Aph. inquit*, Vlcera, quæ veteraſcunt, vel cicatrice ipsis nullo modo ob ducta, vel si obducta fit, rursus resoluta, ea (modo nihil in curatione peccent Medici) vel propter affluentiam vitiosorum humorum vel propter affectionem in ipsa parte temporis diuturnitate ex humorum affluentia contractam, vel ob aliquod ossis vitium eo loco corrupti, ægre sanabilia euadere, est necesse. Concludere ergo, ex dictis, possumus, Vlcera cum

oſſis corruptione complicata difficillimæ curationis eſſe, & inter maligna, & Cachoetæ connumerari debere.

De Curatione Vlcerum cum Oſſis corruptione.

IN tali Vlcere curando plures Intentiones habere debemus; Prima in vniuerſalibus præſidijs conſiſtit; Secunda in corrupti oſſis remotione; Tertia in Vlceris curatione ac ſanatione.

Quo ad vniuerſalia optima inſtituenda dieta, ſic, & aliæ res nonnaturalis, Venæque ſectio, & peccantium humorum purgatio, quando eſt opus facienda ſunt ne ad affectam partem humorum fluxus fiat.

Pro ſecunda intentione conſequenda os nudandum, ſecta ſuperpoſita carne, deinde corruptum os auferendum. Sed optime imprimis animaduertendum, qua in parte os corruptum ſit, ſi iuxta neruoſas partes, vt in Manibus, vel Pedibus, vel in magnorum Oſſium capitibus, & in iuncturis. In his enim partibus propter magnam Neruorum ac Tendinum colligantium, ſiue, Muſculorum capita, hæ operationes ob maximi doloris, & ſpaſmi periculum, quod inſtat, fieri non debent, vt *Auic. inquit*. Vbi ſimiliter magnæ Venæ, vel Arteriæ adſunt, periculoſa, ob magnam ſanguinis hemorragiam eſt ſectio; in corruptione ſimiliter oſſium Capitis, Femoris, & Vertebrarum validæ inciſione, neque ignitis Ferramentis vti debemus, ſed tantum potentialibus, vt inferius dicemus. In corruptis verò aliarum partium oſſibus, ſi vlcus ſanari debet, os corruptum, vel Medicamentis, vel inciſione, vel vſtione auferendum; *Ideo Gal. 6. Meth. cap vltimo inquit*. Vt autem, quæ prouenit caro coalefcat, circumhereatque omni oſſis parti, id inde maxime euenit, ſi neque ſordes ſuper eo ſit nec oleoſa quæpiam pinguedo. Id igitur eſt quod Aegris Medici ad carnis productionem præſtat, vt totus locus ſiccus ſit, tum quælibet vitiati oſſis pars planè pura; atque hæc quidem omnium Fracturarum, cum caro in ijs produci incipit, communia ſunt.

Corruptum igitur os, vel Medicamentis, vel Cheirurgia auferri debet, Medicamentis quando oſſis corruptio tantum ſuperficialis eſt, quod ex ſupradictis ſignis cognoſcitur, & quando ſectione, ſiue abraſione, & vſtione vti non poſſumus. Medicamenta corruptum os ſeparantia ac exmentia, vt ex *Hpp. lib. de Vulneribus Capitis & ex Gal. Com. 45. lib. 6. Aph.* & alijs locis habemus valenter ſiccantia eſſe debent, vt humiditas, quam in ſe corruptum os habet, & eius nutrimentum abſumatur, & ſanum os firmius reddatur, & caro inter corruptum, & ſanum os gigni poſſit, quæ poſtea aucta corruptum os impellat, ac ſeparet. Sed cum inter ſiccantia dentur gradus, & in minoribus natu, & in ſuperficiali corruptione, minoribus exſiccantibus ſit opus, & in natu maioribus, & profundiori corruptione maiora exſiccantia competant, & in media ætate, & mediocri corruptione mediocria exſiccantia requirantur; Ideo in tres claſſes exſiccantia diſtinguemus, vt vnuſquiſque, ſecundum quod fuerit opus Med. componere poſſit.

Exſiccantia mitiora.

Inter mitiora ergo exſiccantia eſt Myrrha, Ariſtolochia, Radix Peucedani Radix Vitis albæ, Ireos, Cortex Panacis, Aloes, Alumen, Acacia, Sumach, & ſimilia.

Exſiccantia mediocria.

Inter valentiora eſt Radix Ariſtolochiæ rot. Cortex Opoponacis, Scoria Aeris, Pumex vſtus, Cortex Pini, Radix Dragontij, Chryſocolla, Borax dicta, & Aqua Vitæ.

Auic. inquit, quod infraſcriptum Medicamentum breui oſſium ſquamas detrahit, & nouam probamque carnem deſuper naſci facit.

Empl. corruptum os ſeparãs

℞ Ariſtolochiæ, Iridis, Myrrhæ, Aloes, Corticis Panacis, Terræ Eretriæ aduſtæ, Scoriæ Aeris, Corticis Pini an. part. æquales, Melle omnia dicta in ſubtiliſſimum pollinem redacta excipiantur, & in Empl. formam redigantur, & corrupto oſſi bis in die applicetur.

Exſiccantia valentiſſima.

Inter valentiſſima eſt Euphorbium pul. Calchantum, Chimiſtarum Aqua, Cinis Ficulneus, Calx, Fex vſta, Argentum viuum præcipitatum, Aqua Saponis Argentum viuum ſublimatum, Arſenicum, auri pigmentum, Oleum Mercurij, Oleum Calchanti, Oleum Sulphuris, Paſtilli, Andronis, Muſæ, Paſonis, Ioannis de Vigo, & ſimilia. In quorum vſu, cum valen-

tiſſima

tissima sint, & caustica, vim habeant, circumsitæ partes, ne adurantur, Linteis, vel filamentis, vel quid simili sunt muniendæ.

Supradictorum ergo exsiccantium pulueres, vel cum Melle, vel Vng. Aegyptiaco, vel Vng. Regis, vel Diachalciteos misceri possunt, vel cum Resina Tereb. Pice, Cera, & his similibus, vel in Vng. vel Cerati formam redigi possunt, vel Iniectiones ex his fiunt, vbi in profundo loco ossis corruptio, vel caries adsit, neque incisio, neque abrasio, neque vstio fieri possit vel infrascripta Aqua vti possumus.

Aqua corruptum os separans

℞. Radicis Aristolochiæ vtriusque Iridis Flor. Centaurij, Misi an. vnc. 1. 5. Agarici dragm. 3. Symphiti, Hyperici, Pedis Columbini, Herbæ Roberti an. M. 1. Corticis Pini vnc. 2. Rosarum rub. Anthos an. pug. 5. Mellis Rosacei col. vnc. 3. cum Vino albo omnia simul mixta irrorentur, & plumbeo Alembico destillentur, & hæc Aqua bis in die injiciatur, & hæc quod ad corrupti ossis ablationem per Med.

Ablatio ossis corrupti per Cheirurgiam.

Cheirurgia os corruptum præcipue auferendum, vt superius diximus, quando corruptio magna, & profunda est, & quando timemus Naturam tarde expulsuram, & noscitam curationem quærimus, vt in ossibus Thoracis, & similium locorum, cum Natura 35. vel 40. dierum spacio ossa corrupta separet.

Os ergo corruptum duobus modis Cheirurgia tollitur, vel Abrasione, vel vstione. Abrasione quando corruptio non est valde profunda, & qui radit, audacter ferramentum imprimat, vt aliquid agat, & cutius desinat, vt Cellus inquit, & abradat quousque cruor aliquis emanet, & ad album os, vel solidum peruenerit, & post abrasionem Nitro bene trito os est repurgandum, vel suprascriptorum exsiccantium pulueribus.

Aliqui post abrasionem os vrendum esse inquiunt, & hoc iure quidem, quoniam si ossis corruptio ex superuacanea, & excrementosa humiditate ortum habuerit, vt sepe euenit, nullum præstantius ac tutius præsidium ipsa vstione excogitari potest. Hæc enim decenter admota, & cito, & tuto, & in summo, & profunde corruptionem tollit ac sistit. Quomodo verò hæ Cheirurgicæ operationes fieri debeant, optime explicauit, *C. Celsus lib. 8. cap. 2. dicens.* Oportet ante omnia os nudare Vlcere exciso, & si latius eius vitium est, quam vlcus sit, carnem subsecare, donec integrum os vndique pateat, tum id, quod pingue est semel iterumue satis est admoto ferramento adurere, vt ex eo statu secedat, aut eradere donec iam aliquid cruoris offendatur, quæ integrioris nota est. Nam necesse est aridum fit id, quod vitiatum est, & abrasioni finem imponere debemus, vt dictus Autor inquit, cum vel ad album os, vel ad solidum ventum est; Albo finiri ex nigritie vitium soliditate quadam ex carie manifestum est. Hæc igitur Cheirurgica actio Ferro, vel igne, vel vtrisq; fieri debet, Ferramenta ad hoc apta sunt Scalprum, vel Terebra; Scalpris in superficiali ossis corruptione vtimur, Terebra in profundioribus. Si Caries ergo alte descendat, per Terebram vrgenda crebris foraminibus est, quæ altitudine vitium æquet, tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat. Simul enim post hæc, & resoluetur ab inferiore osse quodcumque vitiatum est, & is sinus carne replebitur, & humor aut nullus postea feretur, aut mediocris. Si autem nigrities, aut caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi. Atque idem in carie quoque ad alteram partem ossis penetrante fieri potest. Sed quod totum vitiatum est, totum eximendum est. Si inferior pars integra est, eatenus, quod corruptum est, excidi debet. Quando ergo ossis corruptio, siue caries ad medullam vsque peruenerit, hoc vnicum est remedium, vt os integrum præscindatur, nisi fuerit in Capite, Coxendicis, vel Dorsi Spina, quibus in locis fucata, siue palliata curatione vti debemus.

In vstione verò facienda animaduertendum, ne circumsita caro aduratur, & ideo ignitum ferramentum per Cannulam immittendum, & si Canula ita incalescat, vt circumsitam carnem vrat, vel alia assumenda vel eadem in Aquam immergenda, vt feruorem amittat, & humiditas, quæ ab osse, dum aduritur, resudat, continuo spongia, vel Linteo exsiccari debet, ne illa etiam circumsitas partes exurat, & Cheirurgicæ actiones citissime

& ante quam inflammatio aduenias, faciendæ, cum tunc temporis omnia tutius agantur. Animaduertendum verò ne magis, quam ſit opus, os aduratur quoniam diuturniori tempore eſcara remoueretur, & curatio protraheretur. Poſt vſtionem candenti ferro factam vt eſcara ſeparetur, tribus primis diebus Aqua Roſacea Oui albumine mixta ſtuppa ſæpe imponenda, vt inflammatio ab oſſe, & carne arceatur, & ſimul carnis dolor læniatur, vel ſepæ infundendum, tribus primis diebus Oleum Roſaceum calens cum Oui albumine mixtum, alijs tribus diebus Roſaceum cum Oui Vitello, deinde Butyrum cum Melle Roſaceo imponendum, & deſuper vſque ad oſſis exquamationem ac reſolutionem aliquod Mundificatiuum apponendum inquiunt. Aliqui poſt vſtionem candenti ferro factam ad vlteriorem exſiccationem ſuccum porri cum ſale mixtum imponunt, aut Andronis, aut Paſonis, aut Polidæ Trociſcos, aut Nigri Hellebori Radices. Alij ad eſcaram remouendam Iride cum Melle vtuntur, Radice Panacis, Ariſtolochiæ, & Acori, & in pollicoribus corporibus orobi farinam cum Melle, & Thure Gal. ſufficere inquit.

Vel reliquo curationis tempore oſſis caries ſiue corruptio ſequenti Aqua ſepe tangatur.

Aqua oſſis Cariem ſiſtens.

℞. Aquæ Vitæ ter deſtillatæ, Aquæ Roſaceæ an. vnc. 3. Sublimati dragm. 1. M. & lento igne ad ſublimati diſſolutionem bulliant, & in vitreo vaſe ad vſum ſeruetur, poſt dictæ Aquæ vſum infraſcripto puluere os cariſum, ſiue corruptum aſpergatur.

℞. Corticis Pini, Ariſtolochiæ rot. an. dragm. 3. Radicis Peucedani, Arundinis an. dragm. 2. Agarici albi, Tartari an. dragm. 1. 5. Euphorbij dragm. 1. M. & ex his fiat tenuiſſimus puluis. Hic etiam puluis Melle poteſt miſceri, vel Vnguento Regis, & Melle, vel Vng. Aegyptiaco, & ſuper cariſum, aut corrumptum os Linamentis applicari debet, & deſuper ponatur Ceratum Diacalcitheos, vel Diuinum, vel ſequens, quod cariem ac corruptionem educit, detergit, & carnem gignendi facultatem habet.

℞ Corticum Ouorum, Oſſium humanorum, & panni combuſtorum, & in puluerem redactorum an. dragm. 3. Radicis Peucedani, Lumbricorum ſimiliter puluerizzatorum an. dragm. 5. Cerati de Gratia Dei, Diachilon communis, Picis nauallis an. vnc. 2. M. & S. A. Fiat Ceratum, & applicetur. Poſt corrupti oſſis ablationem ac ſeparationem aliquis ex ſupradictis exſiccantibus pulueribus inſpergendus, vt carnis augumentum adiuuemus, & ſarcoticis vſque ad omnimodam Vlceris carnis repletionem, deinde Epuloticis, vt cicatrix inducatur, vtemur, & ſic tertiam intentionem conſequemur.

De Vlcere cum eius cauſa, ſiue cum humorum affluxu complicato.

Cap. 9.



Vm ablatione cauſæ, quando adeſt effectus auferatur, & niſi cauſa remoueatur, effectus, ſimiliter auferri non poteſt; Ideo quando Vlcus cum ſua generante ac fouente cauſa eſt coniunctum, primum eius cauſa auferenda, deinde vlcus curandum ac ſanandum, & cum ſuperius dixerimus, quod ex generalibus cauſis, aliæ ſunt internæ, aliæ externæ, & internæ duplices ſint, ideſt partis intemperies, & humorum affluxus. Si ergo Vlcus curari debet, eſt opus, vt craſis, & naturalis temperies adſit, ac ſeruetur, vtque ſanguis bonus, neq; in quantitate, neq; in qualitate peccans ad partem confluat. Si verò pars intemperata ſit, vel ſanguis in quantitate, vel qualitate peccans influat, vlcus ſanari non poſſit; Ideo *Gal. lib. 1. & 4. de Comp. Med S. Gen. dixit*. Vlcerum ægre curabilium quatuor ſpecies potiſſimum ſunt. Prima quando Vlcera tantum ex humorum in quantitate, vel qualitate peccantium affluxu fiunt, & huiuſmodi Dyſepulota à Græcis dicuntur, & Cacoethæ, & Chronia. Secunda quando ex partis intemperie Vlcera procreantur, & huiuſmodi maligna ſunt, & Cacoethæ etiam dicuntur. Tertia quando ex humorum affluxu, & partis intemperie ſimul Vlcera fiunt & huiuſmodi Vlcera ſupra modum maligna appellantur. Quarta quando Vlcera ex humoribus ad modum vitioſis, & ita intenſa intemperie fuerint procreata, vt pars prauum habitum contraxerit, & huiuſmodi Nomen, ideſt Vlcera depaſcentia dicuntur.

Vlcera quæ ægre curabilis.

De

De intemperie cum Vlcere complicato, cum superius diffuse fuerit pertractatum, modo superest, vt de Vlcere cum humorum affluxu, quæ est altera interna Vlceris causa, verba faciamus.

Sed cum fluxionum sue causæ adsint, & propria Vlceris fluxione vexati signa; Ideo primum fluxionis causas enarrabimus deinde signa enumerabimus, & tandem ad curationem deueniemus.

De Fluxionum causis.

FLuxionum causæ, aliæ sunt internæ, aliæ externæ; Externæ causæ sunt Aer nimis frigidus, vel nimis calidus, vel aliqua mala qualitate præditus, Cibi praui succi, vel in nimia copia, nimius potus, nimiæ vigiliæ, vel diuturnior somnus, nimius motus, Curæ, Ira, Solecitudines, & animi angores, vel aliquæ consuetæ euacuationes retentæ. Interne causæ, vt elicitur ex *Gal. 2. de Diff. Feb. cap. vltimo & 13. Meth. cap. 3.* quatuor sunt, pars mittens, particula recipiens humoris fluentis conditio, & viæ per quas fit fluxio. Pars mittens à se humores expellit, quia robusta, & valida est, vel quia ab humoribus, vel in copia, vel in qualitate peccantibus irritatur, vt inquit *Gal. de Morborum causis cap. 1.* Vitiosi vero humores, vel a praua victus ratione, & alijs nonnaturalibus rebus gignantur, vel Iecoris, vel Lienis vitio, vel alicuius præcipui membri, vel pars mittens a se humores expellit, quia proprios meatus angustos, habet, vel quia aliquem connexum cum particula recipiente habet, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap. primo.*

Pars recipiens est fluxionis causa, vel quia mediante calore, vel dolore attrahit, vt inquit *Gal. 13. Meth. cap. 3.* vel quia imbecilles, vel rara, vel ignobilis, vel est in inferiori loco sita, vt inquit *Gal. 2. ad Glauc. cap primo.*

Humor est fluxionis causa, vt inquit *Gal. 13. Meth. cap. 3.* quatenus partem copia, vel mala qualitate molestat, vel quia tota substantia est Naturæ molestus vt tempore pestis, vel quia substantia est tenuis, & ideo ex se fluit, vt in Hydropicis apparet, cum humores in ijs ob tenuitatem, & pondus ad pedes defluant, & non quia expellantur.

Viæ, vt Venæ, & Arteriæ, pori, & alij corporis meatus sunt fluxionis causa, quatenus nimis sunt dilatati.

De signis fluxionis humorum.

VLcera cum humorum affluxu complicata, non solum Vlceris labia tumida, sed circumsitas partes habent, & tumor, vel maior, vel minor adest secundum humoris defluxi copiam.

Dolor continuus vt plurimum adest, qui non solum ex humorum copia nerueas partes vellicante ac stimulante oritur, ob dolorem similiter, vt plurimum, Vlcera inflammantur, sanies item, siue virulentia copia magis, quam pro Vlceris magnitudine profluit, Vlcera item magis, vel minus eroduntur ac dilatantur, quo fluens humor, vel copiosior, vel acrior fuerit, & tandem huiusmodi Vlcera, etiam si omnia rite, quæ ad curationem requiruntur, peragantur, ob humorum affluxum sanari non possunt, & ideo diuturniora fiunt, vt inquit *Gal 4. Meth. cap. 5.*

De Prognostico.

EX dictis ergo colligi potest, quod huiusmodi Vlcera, nisi defluxio tollatur nullo pacto sanari possunt, cum ex defluxione humida reddantur, continuo maiora fiant, tumescant, ac inflammentur, & dolor excitetur, qui nouæ fluxionis est causa, & ideo diuturniora fieri.

De curatione Vlceris cum humorum affluxu.

IN huiusmodi Vlcere curando, cum duplex affectus existat, idest vlcus, & fluxio, ideo duas intentiones habere debemus, altera sanandi Vlcus, & fluxionis remouendæ erit altera, Sed cum vlcus sanari nequeat, nisi fluxio auferatur, id-

eo primum à fluxionis remotione, Vlcere tamen non neglecto, initium ducemus. Sed cum fluxio remoueri non possit, nisi eius causa remoueatur; Ideo curatio ad fluxionis causas, deinde ad ipsam fluxionem dirigenda. Aer ergo temperandus ac corrigendus, victus ex optimis cibis, & in moderata copia instituendus, & potus sit pauciferus, & sit malorum punicorum succus Aqua dilutus, vt refrigeret, crasse faciat, & in proprijs receptaculis humores retineat, vitet motus, qui fluxionum sunt causa; Somnus sit moderatus, & nocturnus, & Ira, contentiones, & omnia, quæ humores accendere, liquefacere, & fluxiones inritare possunt, deuitentur, & omnes naturales euacuationes interm ssæ iterum proritandæ. Si verò fluxio ab interna causa proueniat, vt à parte mittente valida, vel ab humoribus copia, vel mala qualitate peccantibus stimulata, humorum copia minuend. tenui victu, Venæ sectione, & Frictionibus, quæ in contrarijs partibus sunt faciendæ, vt ab affecta parte humores retrahantur ac reuellantur. Humores mala qualitate partem mittentem stimulantes sunt euacuandi ac contemperandi, sed imprimis cognoscenda humoris species, cum præcipue humores, qui fluxiones excitare solent, sint bilis Flaua, Atra, Salsa pituita, vel serosus humor, qui etiam aliorum homorum est vehiculum. Considerandum etiam ac inuestigandum, à quo membro hi humores gignantur. Si ergo aliquod viscus hos humores generet, vt Hepar, Lien, vel Cerebrum, non solum peccantes humores conuenientibus Medicamentis præparandi ac euacuandi; Sed etiam membrum huiusmodi humores generans corrigendum ne amplius illos gignat.

Quibus verò Medicamentis hoc fiat à practicis petendum; Si verò non à parte mittente, sed à parte recipiente excitetur fluxio, vel quia calida, vel quia dolet; Caliditas refrigerationem indicat, & ideo sicuti de calida intemperie superius diximus, curanda. Dolor item, si adfuerit, leniendus ac sedandus, sicuti *cap.* 19. *lib. de Vulneribus diximus ac docuimus*. Si verò pars ob sui imbecillitatem, vel raritatem fluxionum sit causa, roborantibus ac constringentibus Med. roboranda ac condensanda.

Si verò propter eius ignobilitatem humores recipiat, humores reuellendi, vel ad aliquam propinquam partem deriuandi, in quam Fonticulus, vel quid simile, faciendum. Si verò humores recipiat, quia est in inferiori loco sita, sublimior talis pars, quousque vlcus sanetur, humores euacuentur, vel alio propellantur, situanda ac seruanda est. Si verò humoris fluentis conditio sit fluxionis causa, si in copia, vel in qualitate peccet, euacuandus ac contemperandus, ac eius malitia corrigenda. Si in substantia peccet, ideſt quo nimis sit tenuis, vel ab intrinseco calore sit fusus ac eliquatus, vt à Febre, vel à purgante Medicamento, vel ab animi motibus, vel aliquo simili, tunc omne eliquandi humores facultatem habens tollendum, & humor sanguinem crassiorem reddentibus densandus, & crassefaciendus, vt decoctis refrigerantibus ac adstringentibus, vt Solani, Endiuiæ, Sonci, Plantaginis, Iuiubarum, Myrtillorum, & his similibus, ac Syruppis etiam ac Iulеb huiusmodi facultatem habentibus, & Saccaro Rosaceo, & Violaceo; Potus sit Succus Mali Punici dilutus, vel austerum Vinum, Cibus sit ex optimo Pane, Hordeo, Amilo, Oriza, optima Carne, Ouis durioribus, Piscibus in posca decoctis, Caseus etiam recentissimus, & Lac recens mulctum, vel cum Ouis simul coctum competit. Si verò fluxio fiat, quia Viæ, ideſt Venæ, & Arteriæ, & alij corporis meatus sunt nimis dilatati, adstringentibus ac refrigerantibus Medicamentis huiusmodi Viæ constringendæ, quæ vulgo Defensiua appellantur, & hæc quo ad tollendas fluxionis causas.

Modo ad ipsam fluxionem deueniamus. In omni humorum fluxione Reuellentibus, Intercipientibus, & Repellentibus vti debemus. Reuellentia sunt illa, quæ ad contrariam partem, & maxime distantem, vel calore, vel dolore, vel vi vacui trahunt. *Reuellentia quæ sint.*

Calore trahunt Balnea, Frictiones, calidaque, & Digerentia Medicamenta Dolore trahunt, Vincula, Fonticuli, Setacea, Vesicatoria, & omnia, quæ dolorem inferre possunt, vi vacui reuellunt purgatio, & Venæ sectio, in qua semper partis rectitudo est seruanda. Intercipientia sunt, quæ humores in itinere detinent, ne ad affectam *Intercipientia. quæ sint.*

affectam partem confluant, quæ Defensiua appellantur, & frigida, & adstringentia esse debent, vt Vasa constringant humorem densent, ac crassiorem, & minus ad fluendum habilem reddant, quæ fiant ex puluerib⁹ Boli Armenij, Sanguinis Dragonis, Myrtillorum, Balaustiorum, Malicorij cum Oui albumine, vel Oleo Myrtino modico Aceto, & his similibus, vel astringentia in austero Vino foueatur; Et huiusmodi Defensiua ac intercipientia Medicamenta applicantur, ante quam humor fluat, vbi Vasa excarnia sunt, ideſt supra iuncturas affectæ partis, & frequenter mutari debent, ne incalescant. Repellentia, nisi Dolor aut Inflammatio vlcus præmat, circa affectam partem, ideſt ad partes sanas superiores, sed procul ab affecta parte apponuntur, vt humorem influentem, & iam influxum, ideſt, qui in vasis, & vacuis spacijs continetur, retro pellant, & huiusmodi frigida, & sicca esse debent, & non humida, ne partem laxando, magis ad fluxionem recipiendam habilem reddant, & frequenter mutari debent. Fiant ergo repellentia spongia, vel lintea imbibitis, & expressis in posca, vel in vino nigro austero, vel huiusmodi vino cum aceto mixto, vel in dicto vino incoquantur Balaustia, Malicorium, Galla immatura, Rubi folia, & germina, Folia Myrti, Plantaginis, Oliuæ, Pentaphili, Scabiosæ, Polygoni, & similium, & si volumus vt valentius agat, vt in valida fluxione, & robusto corpore, Alumen incoquendum, & quarta Aceti portio commisceri potest, & in minoribus fluxionibus, & mollioribus corporibus mitiora repellentia applicanda; Et ex dictis etiam in vino decoctis Cataplasmata effermari, & circumstantibus Vlceris partibus, sed procul, vt superius diximus, applicari possunt, quæ optime repellunt, vel inducta expressiua fascia, vt nos primo de Fracturis Hipp. docuit, bis, vel ter supra Vlcus euoluendo, deinde sursum, semper leuius stringendo ad sanam partem tendendo, vt illic desinat.

Defensiua ex quibus fiant.

Defensiua vbi applicanda.

Sed cum superfluus humor non solum causarum fluxionis abolitione, & superiorum partium constipatione, & expressione auferatur, sed etiam euacuatione, & partis exsiccatione, vt in inquit *Gal. 4. Meth. cap. 8.*

Ideo Vlcus fluxione vexatum propter humorem in partis porositatibus impactum, qui repelli non potest, vt inquit *Gal. 13. Meth. cap. 5.* magis exsiccantia citra demorsum requirit, cum ea, quæ mordicant, partem exasperent, dolorem que inferendo, fluxiones proritent, & Phlegmonem concitent. Vlcus igitur imprimis detergentibus, quæ partem non mordicent purum reddendum, vt inquit *Gal. 4. de Comp. Medicamentum S. Gen.* deinde propter influxos humores, & propter maiorem excrementorum copiam, quæ in carnis generatione fit, magis exsiccari debet, & ideo sarcotica valentiora, quam in simplici Vlcere, & fluxione non tentato esse debent habito tamen respectu ætatis, totius, & partis temperamenti, anni temporis, Regionis, & Cœli status. Non debent tamen huiusmodi Medicamenta esse consistentia humida, & mollia, ne partem laxent, & ideo *Gal. loco superius citato inquit*; Quod in Vlceribus Dysepulotis omnia Oleaginosa, & vnctuosa deuitari debent, & hoc intelligendum de his rebus simplicibus, & non commixtis, vt de simplici, ac communi Oleo, & non de Myrtino, Mastichino, Lentischino, & alijs quæ siccant.

Si verò materia influxa in substantiæ porositatibus impacta sit, & incocta adsit, acris, & mordax, cum egeat coctione, ideò dictis Medicamentis, quæ digerendi, acrimoniam obtundendi, ac concoquendi facultatem habent, commiscenda, & sarcoticis vsq; ad vlceris replectionem vti debemus, vlcere carne repleto, epuloticis, vel mitioribus, vel valentioribus secundum ætatem, & partis, & totius temperamentum, & cætera superius dicta, cicatricem inducemus.

Si verò cum Symptomate aliquo Vlcera fuerint coniuncta ad cap. 19. lib. nostri de Vulneribus fas est recurrere, vbi diffuse cuiusq; Symptomatis remouendi curatio traditur.

De

De Vlcere Virulento, Corrodente, & depaſcente, Phagedena, Nomodes dicto.

Cap. 10.

LIcet virulentum vlcus illud dicatur in quo virus ſiue tilis ſanies citra eroſionem excernitur ac abundat, tamen Vlcus, quod ſua malignitate ac malitia, parti, quam iam occupauit, prodendo atque interdum Eſcaram (quamuis acris ac mordax ſuccus ad ipſum confluens excitat) gignendo, maius atque amplius in dies efficitur, virulentum, & corroſiuum nominari poteſt, quod ſi eius malitia adeo creſcat, vt non modo Vlceratas atq; corruptas carnes, ſed etiam ſanas abſumat, ac depopuletur, vlcus iam depaſcens appellatur, & Nome Græci nominant, cuius ſpecies eſt Phagedena, Ambulatiuum vlcus etiam appellatum, quod huc atque illuc ſerpendo, cutim, & ſubiectam carnem, ſed extimam tantum, & ſuperficialem depaſcitur ac erodit, & nunquam in penitiora penetrat, vt inquit *Gal.* 8. *Meth.* 2.

Quid ſit Vlcus depaſcens.

Quid ſit vlcus Phagedena.

De Corroſiui Vlceris Cauſis.

HIuſmodi Vlcera à pranis humoribus, ſed præcipue biliоſis acribus, ac mordacibus, qui propter aduſtionem, quandam malignitatem ſunt acquiſiti, originem ducunt, vel à biliоſis humoribus cum ſalſa pituita mixtis, qui humore, vel à calida, & ſicca affectæ partis intemperie, vel ab aliquo præcipuo membro calida intemperie prædito gignantur, & aluantur, & ideo etiam, vt plurimum poſt Herpetes, vel prurientes puſtulas, quas acris, & biliоſus humor excitauit, oriuntur; Anteceedens cauſa eſt prauorum humorum præcipue biliоſorum redundantia; Primitiuæ cauſæ omnes illæ eſſe poſſunt, quæ talium prauorum ac biliоſorum humorum cumulum efficere poſſunt, & aliquando à mordacibus Medicamentis Vulneribus adhibitis, quæ illa exacerbata, exaſperata atque irritata fuere excitantur, vtque in huiuſmodi Vlcera degenerent, ſunt in cauſa, præſertim ſi Vulnera in Cacochymo corpore fuerint, ex contractu etiam putridæ carnis exedentia Vlcera fiunt, vt in Vulneribus à Sclopetto factis euenit, in quibus contuſa putreſcit caro, quæ contractu bonam inficit, & depaſcens vlcus, & malignum reddit, vel vt in vrentibus ac potentialibus cauſticis adhibitis, ſi combuſta illa caro putrefacta non remoueatur, exedentis Vlceris eſt cauſa.

De ſignis Corroſiui Vlceris.

HIuſmodi Vlcerum ſigna ſunt, quod labia, vt plurimum decolorata habent, circumiacentes Vlcerum partes tumidæ ſunt, vlcus ſimiliter à principio prurit, deinde continuo dilatatur, & non ſolum cutem, ſed etiam cuti ſubiectas partes erodit, vt inquit Gal de Tumoribus Præter Nat. & hoc vlcus corroſiuum dicitur, & Phagedena, & ſi non modo exulceratas, & corruptas, ſed etiam ſanas partes abſumat, depaſcat, ac depopuletur, vlcus exedens ac depaſcens, ſiue nome eſt, ac nominatur, vt Gal. 6. de Comp. Med. S. Gen. inquit, Phagedenæ vocatæ exedunt, quidem partes vicinas, non tamen putrefaciunt, ipſas, nec febres inferunt.

Signa exedentis Vlceris ex calida, & ſicca membri intemperie ſunt febris, Vlceris ſiccitas, ingens ſitis, croceus color, & feculenti icores emanantes, quæ omnia biliis redundantiam ſignificant, vt inquit *Gal.* 1. *Prog. com* 25. Nonnunquam Vlceris labia quaſi inuerſa ſunt, vel eleuata, rubor circa vlcus exiſto, venulæ in Vlcere albæ cum citrinitate quadam apparent, & in toto Vlcere inæqualitas quædam conſpicitur, exacta quoque ſenſibilitas, dum

per-

pertractatur, & abſtergitur vlcus, licet leuiſſime pertractes, vel abſtergas percipitur, neque vlcus ipſum in eodem ſtatu permanet, ſed diebus ſingulis augetur, & maius efficitur.

De erodentium Vlcerum Prognoſtico.

SI omnia enumerata ſigna, vel ex his multa Vlceri inſint, malignum ac malimoris Vlcus eſſe indicant.

Omnia Exædentia Vlcera Cacoetæ ac maligna ſunt, & à prauo ſucco prouenient, vt inquit *Gal 4 Meth.*

Exedentia, ac Depaſcentia Vlcera, niſi recte curentur, frequenter in exulceratum Cancrum degenerare ſolent.

Vlcera item exædentia cum Iecoris in temperie, vel à Gallica Lue prouenientia peſſima ſunt, & difficillime ſanantur.

De Exadentium Vlcerum Curatione.

IN his Vlceribus curandis quatuor intentiones habere debemus; Prima erit bonum regimen in ſex rebus nonnaturalibus inſtituere, vt prohibeat, ne humor corroſionem faciens multiplicetur; Secunda erit corpus purgare, & conuenientibus Reuulſionibus, ac Derriuationibus humores ab Vlcere retrahere, & intercipientibus Medicamentis eorum fluxum prohibere. Tertia virulentiam exſiccare, & intemperiem etiam, ſi adſit, tollere ac emendare. Quarta erit carne vlcus replere, & poſtea conſolidare, & cicatricem firmam ac ſtabilem inducere.

Pro prima intentione conſequenda victus, & aliæ res nonnaturales ad frigidum vergant, & in paſſiuis, ſecundum membri affecti, & corporis diſpoſitionem vel ad ſiccum, vel ad humidum tendant.

Secundam intentionem conſequemur purgantibus Pharmacis humorem peccantem euacuando, & Cliſteribus, Venæ ſectione, Cucurbitulis, partium oppoſitarum frictionibus, & his ſimilibus, ne ad affectam partem humores fluant, reuellendo, & refrigerantibus ac adſtringentibus Medicamentis Defenſiuis dictis ſuperioribus partibus adhibitis humores in craſſando, ac in itinere detinendo.

Factis vniuerſalibus, & alijs ſuperius dictis, & remotis cauſis iſtius affectionis, ad localia deueniendum eſt, cum nunquam vt omnes Autores inquiunt, & præcipue *Gal. 13 Meth.* vbi redundantia in toto corpore, aut in ſuperiacente particula adſit, ad particularia præſidia ſit deueniendum, niſi prius factis vniuerſalibus euacuationibus, & ſic tertiam intentionem conſequemur, & huiuſmodi Medicamenta vt inquit *Gal. 2. ad Glauc frigida, & ſicca eſſe debent, indicatione ſemper ſumpta ab Vlceris propria differentia, non autem à tempore, vt 3. Meth. Gal. inquit.*

Si particula ergo exulcerata ac eroſa ſupra modum calefacta fuerit, frigidis, ſtipticis, & exſiccantibus refrigeranda, vt Vng. Pompholigis, quod inflammationem, & corroſionem remouet, ac ſiſti, & carnis generationem adiuuat, vel Vng. de Calce, & ſi ab his Vlceris malitia non vincatur, ad fortiora confugiendum eſt.

Oprimum etiam erit ab his Vlceribus, & adiacentibus partibus ſanguinis fluxum prouocare, cum ita peccantes humores vna cum ſanguine in particula infixos educantur, ac euacuentur, vt inquit *Auic. 4. 4. textu 9. & ſic vlcus ſiccius reddetur, & hoc eſt præceptum Hipp. lib. de Vlceribus, & Gal. 4 Meth.* Vlcus igitur aſperare ad qua perfricationum, vt ſanguis effluat, vel ſcarificandum, vel Hyrudines applicandæ, vtque ſanguis effluat, ſinendum eſt, deinde aliquod ſiccum Medicamentum imponendum, & vlcus Aluminoſa Aqua abluendum, quæ maximè corroſiuis Vlceribus conducit, cum valde defluentes humores repellat, & qui iam influxerunt exſiccat, vel infraſcriptis decoctis, vel Aquis abluatur.

℞. Rolarum rub. Malicorij, Balauſtiorum, Mirabulanorum citr. Nucum Cupreſſi an. part. æqu. Aquæ Chalibeatæ vel Plantaginis q. ſuff. M. & F. Dec. vel ℞. Ceruſæ, Litargirij an. vnc. 1. Plumbi vſti, Sang. Drag. Terræ ſig. vnc. 1. Boli Arm. vnc. 1. 5. Aluminis vſti vnc. 5, Calicum Glandium, Gallarum viridium, Baccarum Myrti, Balauſtiorum, Malicorij, Sumach an. M. 1. Sem. Coriand. Plantaginis an. vnc. 5. Rolarum rub. Pug. 2. M. & omnia in Fabrorum Aqua decoquantur, qua vlcus poſtea abluatur ac foueatur, & hoc decoctum maxime ſiccat, & corroſionem ſiſtit; Et ſi magna calida intemperies cum Vlcere

adſit

adsit valde frigida adiungi possunt, vt est Hyoscyamus, Papauer, Mandragora, & similia, & si Mel Rosaceum admisceatur ad sordidum vlcus optimum erit, vel sequenti Aqua corrosiuum vlcus abluatur.

℞. Succi Rubi, Sumach, Virgæ Past. Plantaginis, Solani, Acetosæ an. vnc. 3. Albuminum Ouorum num. 6. Aluminis pul. vnc. 4. M. & omnia in plumbeo Elembico destillentur, & ad vsum seruentur.

Partes circa Vlcus Defensiuo illinien-dæ, & aliquis refrigerans, & exsiccans pulvis supra vlcus inspergendus, vt sunt infrascripti ℞ Litargirij, Plumbi vsti, Tutiæ præp. Antimonij an. vnc. 5. Aeris vsti, & præp. dragm. 2. lapidis hematitis optimi, pul. Corallorum, & Myrabolanorum an. vnc. 5. & omnia tenuissimè in pollinem redigantur, vel ℞. Myrabolani Citrini, Terræ sig. Cerusæ an. drag. 3. Tutiæ præp. dragm. 1. 5. Sang. Drag. dragm. 2. Aluminis vsti dragm. 2. 5. M. & F. pul. tenuissimus qui in Vlcere ponatur.

Deinde splenia siue penicilli filamentis facto Vng. Ponpholigos oblinuti, vel Vng. Calcis, vel plumbi, vel Cerusæ cum Camphora vel sine superponatur, & desuper applicentur pulvilli, siue plumaceoli dicti posca imbibiti, vel alio refrigerante decocto ac adstringente vel supra dictis Vnguentis oblinuti, & deinde Expressiua, fascia, vt Hipp. lib. de Fracturis docet, deligetur, & alternis diebus, nisi quid obstet, soluatur, & tunc siccis Linamentis, vel sicco Linteo facies ab Vlcere detergatur, & non madefiat, & eodem pacto curetur, donec malitia ab Vlcere tollatur, & corrosio sistatur. Guido à Glauco huiusmodi Vlcera post ablutionem, tantum Lamina plumbea tenui, & perforata, in qua virtus Argenti viui cum Aqua Plantaginis erat ui fixa, & expr mente Fasciatura curabat, & optima est in malignis Vlceribus huiusmodi curatio, vt nos pluries experti fuimus.

Nisi verò vlcus dictis Medicamentis cedat sed in dies magis serpat, & augeatur, iterum corpus purgandum, & ad fortiora Medicamenta, & etiam ad Escarotica dicta, vel ad actualem ignem deueniendum vt *Gal. 2. ad Glauc.* qui inter cætera actualem ignem præstantissimum, esse remedium inquit, cum non solum corrolam carnem remoueat, sed Vlceris malitiam adimat, & partem roboret.

Vrenda ergo pars igneo ferramento, si id auxilij genus Aeger non renuat ac reformidet. Si verò ob tumiditatem, vel delicatam vitam candens ferrum admittere noluerit, ad fortiora Medicamenta gradatim procedendo, deuenendum est.

Si quis verò dicendo obijceret, *Hipp. lib. de Vlceribus inquit*, Sicca Medicamenta mordicationis expertia Vlceribus conuenire, & non acria, & escaram inducentia, vt *Gal. loco superius citato*. *Dubitatio.*

Respondendum Hipp. talia Medicamenta conuenire intellixisse, si malignum, & putrescens non sit vlcus, vt *Gal. 2. ad Glauc. ostendit*. *Solutio.*

Non verenda ergo fortiora Medicamenta Vlceris malitiam corrigentia ac superantia, vt est precipitati pulvis, qui per diem integrum in Vlcere manere debet, vel Aegyptiacum Vng. Calchantum, Chimistarum Aqua, Pastilli Andronis, Musæ Paulonis, vel Asphodelorum vel Ioannis de Vigo, vel infrascriptum Med.

℞. Argenti sublimati dragm. 2. 5. Vng. Populei, vel de Cerusa, vel Dialthææ, vt sublimati acutatem retundant dragm. 1. M. & viere.

Sed caudendum ne diutius ista causticà Medicamenta detineatur, & dum apponuntur circumsitæ Vlceris partes semper refrigerantibus muniendæ ne ex Med. vehementia fluxio inferatur, *Auic. inquit*; Nisi illo pacto depascens erosio dicta sisti possit, ad Membri amputationem deuenire est necesse.

Si verò aliqua calida intemperies in parte, vel ab humore corrodente, vel à causticis Medicamentis fuerit derelicta, refrigerantibus Vng. tollenda, vt Vng. Albo, vel Rubro Camphoratis, Vng. de Succo Solani, de Tutia, de Calce, de Plumbo, & his similibus, quæ etiam superfluitates in loco existentes exsiccandi facultates habent.

Ablata omni malignitate, & Vlcere puro existente, quartam intentionem Sarcoticis primum, deinde Epuloticis, vt superius pluries fuit dictum consequemur.

De

De Sordido ac Putrido Vlcere. *Cap. 10.*

Quid ſit ſordidũ vlcus. Quid ſit vlcus putridum.

VLcus Sordidum ſiue fraudolentum à Grecis Rhyparon dictum, eſt id, quod craſſiore illo ac viſcoſo excremento, ſordes dicto ſcatet, Putridum vlcus eſt id, ex quo non ſolum craſſum, & viſcidum, & copioſum excrementum effluit, ſed etiam vapor aliquis grauitèr olens ac cadaueroſus expirat, & putridum vlcus à ſordido ſolum fraudolentia, & malignitatis intenſione differre volunt, & *Gal Com. 45. lib. 6. Aph. inquit*. Putræ, & Depaſcens vlcus non eſt propria Vlceris differentia, ſed affectus ex Vlcere, & putredine complicatus.

De Sordidi, & Putridi Vlceris Cauſis.

HOrum Vlcerum Coniunctæ cauſæ ſunt praui, & craſſi humores ſanguinis naturam quodammodo referentes qui non ſolum incaleſcendo, ſed etiam in ferueſcendo, venenoſitatem, & non paruam malignitatem acquirunt ac contrahunt, vt inquit *Gal. 4. de Comp. Med S. Gen.* Efficiens putredinis cauſa eſt extraneus, & præter naturam calor, Materialis eſt humida materia, vt inquit *Gal. Com 3. in lib 3 Epid. cap primo, & 21. & pro quiete putredo augetur*.

Antecedentes cauſæ ſunt dicti praui, & craſſi ſucci in corpore abundantes. Primitiuæ cauſæ ſunt praua victus ratio, & prauus, & peſtiferus Aer, vel longus vnctuoſorum Medicamentorum, vſus, cum prauis ſuccis, vel ſine his, vt ſepius fit, vel Medicamenta debilitèr exſiccantia Vlcera talia reddunt, vt inquit *Gal 4. de Comp. Med. Sec Gen. Idem Autor Com. 3. de Fracturis cap 48. inquit*. Sordes in Vlceribus ſignat ab Oleoſis, & dolorem lenientibus Medicamentis, vel ſordidum fit vlcus propter fortiora abſtergentia Medicamenta, quæ vlcus exſiccant, vt *4. Meth. Gal inquit*, Fit etiam vlcus ſordidum, quando Natura alteri Vlceri, vel Morbo eſt intenta, vt vlcus deſtitutum deſinquat, & *Com. 2. lib. 6. Epid. cap. 30. inquit idem Gal*. Putrefieri nonnulla à Medicamentis Emplaſticis, vel ob vitium humorum, à quibus oriuntur, vel ob affecti membri imbecillitatem.

De ſignis Sordidi, & Putridi Vlceris.

SOrdidi Vlceris ſigna ſunt quod recrementa quædam copioſa craſſa, & viſcoſa in his Vlceribus gignuntur, & mollis, & flacida caro, & aliquando ſuperabundans adeſt.

Putrida Vlcera, non ſolum dicta ſordidi Vlceris ſigna habent, ſed etiam carnem quandam cruſtoſam, & extraneam caliditatem cum ſuperflua humiditatem, & plerumque febrem annexam, & fætidus, caueroſus, & grauiter olens fetor ab huiuſmodi Vlceribus expirat, ac eleuatur.

Signa Vlceris ſordidi ex fortiori abſtergente Medicamento appoſito ſunt, quod in dies vlcus cauum magis efficitur, ab extra rubicundior in dies apparet, & ſubtile pus, & pauciſſimi ſcores, & admodum calidi ex Vlcere profluunt. Si ex Medicamenti imbecillitate ſordidum fuerit factum vlcus, albidum apparet, & ſicuti tela quædam Vlcus totum ambit, & pauca excrementa effluunt, cum à ſordibus eorum exitus prohibeatur. Si ex affecti membri imbecillitate, quia alio morbo Natura ſit intenta ſordidum vlcus reddatur, cognoſcitur ex ipſo Vlcere, quod labia depreſſa habet, viuidus color non apparet, & tandem ex omnibus apparet, facultates ad partem illam non recte influere, & ex cauſarum exploratione ſordidum cauſæ & ſigna adinueniri poſſunt. Adeſt etiam hoc, quod huiuſmodi Vlcera, vt plurimum, maleficos Carbunculos, ſiue Anthraces, vel Abſceſſus, vt Vulnera male curata ſequantur.

De Sordidi, & Putridi Vlceris Prognoſtico.

IN Sordidis Vlceribus, ſi ob ſordidorum copiam ac craſſitiem tranſpiratio, & innati caloris euentatio impediatur, ac prohibeatur, neceſſario partis corruptionem, atque exeſionem ſequi eſt neceſſe, & ideo in huiuſmodi Vlceribus, quando diu craſſa, & copioſa excrementa excernuntur, & ſubalbidæ Venæ apparent, vt plurimum in Depaſcentia Vlcera degenerantur, & ſi influentium humorum malitia in dies augeatur, in Gangrenam, & tandem in Sphacelum, ſiue ſideration em deſinunt, & mortem afferunt.

De

De Sordidi, & Putridi Vlceris Curatione.

IN huiuſmodi Vlceribus curandis tres Intentiones habere debemus; Prima eſt rerum nonnaturalium optima inſtitutio; Secunda corpus ab excrementis euacuare, & à prauis ſuccis liberum, & immune reddere; Tertia in Localibus ac Topicis conſiſtit, quibus ab Vlcere Sordities, & Putredo remouenda deinde vlcus carne repleẽdum, & tandem, vt decet, conſolidandum.

Pro prima intentione conſequenea, ſincerus, clarus, & ſiccus Aer, & in actinis temperatus eligatur, victus ſit moderatus refrigerans, & putredini reſiſtens, ſitque optimi nutrimenti, vt oua recentia, optimæ carnes, & ſimilia, Vinum ſit Oligophorum, & dilutum, & vbi febris adeſt, Vinum, & caro interdicantur, & eius vice Aqua cum aliquo iulapio concedatur, & dictarum carnium ius, in quo incocta ſit Acetoſa, Lactuca, Endiuia, Borrago, & ſimilia, affecta pars in quiete detineatur, ſomnus ſit moderatus, & nocturnus, aluus lubrica ſeruetur, à venere ſe caueat, curas fugiat, & hilariter viuat.

Si vlcus ſordidum ob prauos humores fuerit factum, quemadmodum ſepe fieri ſolet, ſecundam intentionem auerſione, & peccantium humorum purgatione ac euacuatione conſequemur, vt inquit *Gal. 4. Meth.* Auertuntur humores Venæ ſectione facta in parte oppoſita, ſeruata rectitudine, vt ſuperius pluries diximus, & ſi quid Venæ ſectionem prohibeat, appoſitæ parti Cucurbitulæ applicentur, fiant frictiones, vincula, fomenta, & alia Reuellentia ſuperius dicta.

Purgatio conuenientibus Medicamentis, vel vnica, vice, vel partitis vicibus, ſecundum quod Medico expedire videtur, fiat, & ſi poſt purgationes Corpus etiam excrementis abundet, Guaiaci vel ſaſſæ parillæ decoctum, vt corporis excrementa exſiccentur, & per ſudorem erjciantur, conuenit, & vtile erit.

Vbi corpus vniuerſum à prauis ſuccis, & excrementis purum fuerit redditum, ad tertiam intentionem deueniendum eſt. Imprimis ergo, vt ſanguis ab ipſo Vlcere affluat, curandum eſt, vt cum ſanguine ipſo praui humores etiam euacuentur, & hoc *Gal. præcepto, qui Com. 2. lib. 6. Epid. cap. 3. inquit.* In ſordidis, & putridis Vlceribus ſæpe altioribus ſcarificationibus inciſionibuſque ac Medicamentis quammaxime ſiccantibus vtimur, vt Auic. inquit. Vbi autem iam purum ab excrementis vniuerſum corpus tibi apparuerit, tum laborans ipſa particula, ideſt Vlcerata Cucurbitulis, ſcarificationibus, Hyrudinibus, & fortibus à corruptis, & depranatis ſuccis ipſam occupantibus vindicanda erit. Poſt hæc ad propriam Vlceris curationem deueniendum eſt. Abluendum ergo eſt Vlcus primum Muria, vel Marina Aqua, vel Mulſa, & ſi valde ſordidum vlcus non fuerit mitius abſtergens eſt adhibendum, vt ſunt infraſcripta.

℞ Reſinæ Tereb. Mellis Roſ. an. vnc. 1. Farinæ Hordei dragm. 2. Thuris dragm. 1. M. & vtere, vel ℞. Succi Apij Mellis Com. an. vnc. 2. Reſinæ Tereb. vnc. 1. pul. Ireos dragm. 3. Farinæ Hordei dragm. 1. 5. M. & fiat in Vng. forma, vel.

℞. Succi Apij, Plantaginis, Abſinthij an. vnc. 1. Farinæ Hordei Orobi an. ſcrup. 2. Reſinæ Tereb. vnc. 5. Myrrhæ dragm. 1. 5. Mellis vnc. 1. 5. M. & fiat. Vng.

Animaduertendo verò ne temere in ſordido Vlcere adſtringentibus vtamur, cum ſordiem magis impingant, & ideo poſtea difficilius, detergitur ac educitur.

Si maiori abſterſione fuerit opus Vng. Apoſtolorum vtere, & cum magnæ fuerint ſordes, & leui Medicamento auferri non poſſunt, Vnguento Aegiptiaco, vel Aeris ſquama præparata, vel præcipitati puluere ſordities auferenda eſt, cum abſque dolore præcipitati pulus vlcus optime abſtergat, & ſuper puluerum aſperſionem ſicca filamenta apponenda, deinde adhibendum Linteum aliquo frigido Medicamento illitum, ne vlcus facile inflammatione tentetur, ſed ante dictorum Medicamentum applicationem vlcus infraſcripta compoſitione abluatur, ℞. Lixiui facti cum Cineribus Braſſicarum, & corticum Fabarum vnc. 5. Mellis vnc. 1. puluerís præcipitati dragm. 2. M. & vtere, vel abluatur Lixiuio dicto in quo Aegiptiacum Vng. ſit diſſolutum.

Si verò ſupra modum ſordidum fuerit vlcus, & abſque inflammatione, Saponaria Aqua, vel Lixiuio abluí poteſt, & deluper

desuper aliquod frigidum Vng. vel Emplaustrum apponendum, & puluilli posca imbibiti, vel aliquo refrigerante Vnguento obliniti superponendi, & circumiacentibus Vlceris partibus defensiuum Vng. semper applicandum, & sic pergendum, donec vlcus purgatum ac mundum fuerit, vt 4. *de Comp. Medicamentorum S. Gen. inquit Gal.*

Purgato ac mundo Vlcere existente, nisi vllum Symptoma impediat, vlcus sarcoticis Medicamentis carne replendum, & carne repleto ac æquali facto, Epuloticis consoljdandum, & cicatrix inducenda est.

In maxime sordidis Vlceribus non timenda fortiora abstergentia Medicamenta, quoniam sordes est velut tegumentum, quod Medicamentorum mordicationi resistit, & ideo à fortioribus Medicamentis est incipiendum, vt inquit *Gal.* 4. *de Comp. Med. S. Gen.* & non à leuioribus, sicuti in morbis alijs. Deinde ablatis sordibus, ad leuiora deueniendum, cum iam sensibilius vlcus fuerit redditum, à qua sensibilitate indicatio qualitatis Medicamenti sumenda est. In sordidis Vlceribus ab Oleaginosis Medicamentis redditis, leuioribus abstergentibus vti debemus, & nunquam ad fortiora deueniendum, nisi generationis Phlegmonis suspicione ablata. Vbi similiter Febris adest, fortiora abstergentia deuitanda, ne pars inflammetur, & vlcus sordidum in depascens degeneret; Tunc enim siccis filamentis, vel leuioribus abstergentibus vlcus purgandum, & nisi dictis recte mundificari possit, saltem, ne sordidius fiat, prohibebimus, quo ad febris vel remittatur, vel auferatur, & futuræ inflammationis suspicio amplius non adsit.

Si ex validis Medicamentis sordida Vlcera fuerint reddita, mitiora imponenda Medicamenta, vel Vng. Ponpholigis applicandum, & Linteolum aliquo frigido Medicamento illitum superponendum. Si dicta Medicamenta non profuerint, & in dies magis malignum fiat vlcus, magisque exedat, & sordes in putredinem ac corruptionem degenerent; Vlcus Oxicrato, vel Cineris, vel Saponis Aqua abluendum; Deinde superponendum Emplastrum factum ex carnibus salsorum Piscium, Farina Orobi, Aristolochia longa, & Scylla omnibus in Vino coctis, & cum Melle mixtis, & S. A. in Emplastri formam redactis, vel Aegiptiacum Vnguentum apponendum, & si vlcus fuerit profundum Aegiptiacum Lixiuio dissoluendum, vel Oxicrato, vel aliquo simili, vt vsque in fundum penetret vel infrascriptum Auic. Medicamentum applicandum, quod est optimum. ℞. Auri pigmenti Tragaganthi rubri etiam dicti vnc. 1. Galcis viuæ, Aluminis, Malicorij an. dragm. 6. Turis, Gallarum an. vnc. 5. Ceræ, & Olei q. suff. M & S. A. Fiat Vng. vel.

℞. Calcanthi vnc. 1. 5. Chalcitidis dragm. 10. Tragaganthi dragm. 9. M. & & omnia, in Aceto coquantur, & ex his fiat Lenimentum.

Animaduertendum verò, dum vehementioribus Medicamentis vtimur, vt semper in Vlceris ambitu Defensiuum Vnguentum, & desuper puluillos Oxicrato imbibitos admoueamus, vt dolor ac inflammatio quæ ex his Med. excitari solet, deuitentur.

Si verò huiusmodi Vlcera ad tantam malignitatem ac feritatem deuenerint, vt adiacentes partes semper magis erodant depascant ac corrumpant, non solum vehementibus Medicamentis in superiori capite propositis, sed vstionibus, & incisionibus vitiata, & corrupta caro extirpanda, ac auferenda, & si dictis etiam nihil proficiamus, & erosio, & corruptio continuo augeatur, ac serpat, & nullo pacto sisti possit, vt totum corpus seruetur, ad vltimum ac miserum auxilium, idest ad membri amputationem deueniendum est. Quomodo verò membri sectio fieri debeat; Cap. de Sphacelo require, de quo, Lib. de Tumoribus Præt. Naturam verba fecimus

De Vlcere Sinuoso siue Cuniculoso

Cap. 12.

Inuolum vlcus, Colpon à Græcis dictum, Cuniculosum, siue Cauernosum à Latinis etiam dicitur, & ab aliquibus Fistulosum nominatur, quamuis Fistulosum dici non debeat cũ citra callositatem ac duriciẽ fit, Fistulosum verò vlcus, vt inferius dicemus, semper

eſt cum duricie ac calloſitate coniunctum, & ideo ſinuoſum vlcus, à Fiſtuloſo, ſolum calloſitate ac duricie differt.

Quid ſit vlcus Sinuoſum.

Sinuoſum ſiue Cauernoſum vlcus eſt id, cuius orificium eſt anguſtum, & profunditas eſt altior ſenſum effugiens, & occulta, & multos anfractus, & cuniculos ſiue vias hinc inde diſcurrentes, citra duriciem ac calloſitatem, habet.

Sinuum ſpecies.

Sinuum ſiue Cuniculorum ſpecies plures ſunt, quorum differentiæ præcipuæ ſumuntur, vel à cauernarum magnitudine, vel à ſitu, vel à numero, vel à figura. Differentiæ à magnitudine ſunt breues, aut profundi, & alte penetrantes ſinus, vel ad carnem deſinentes, vel ad oſſa, vel ad cartilaginem, vel ad neruoſas partes peruenientes. A ſitu differentiæ ſunt ſurſum, vel deoſum, vel ad latera tendentes; A numero differentiæ ſunt, vt ſinus ſimplices, vel duplices, vel tripl ces. Differentiæ à figura ſunt vt ſinus recti, vel flexuoſi. Differt verò ſinus ab abſceſſu, vt inquit *Gal. Com. 2. de Medici Officina cap. 26.* quod in ſinu quidem aliqua apertio in exterua ſuperficie, per quam delitescens humor effluere poſſit, adeſt, in abſceſſu autem nequaquam.

De cauſis Sinuoſi Vlceris.

VLcus Sinuoſum, ſiue Cuniculoſum redditur à ſanie ſiue à pure, quod acrem ac erodendi facultatem, ob longam in affecta parte moram ac retentionem contraxit; Tale verò pus ob multas cauſas gigni poteſt, vel ab aliquo Apoſtemate, ſiue abſceſſu prorogato, & tardius affecto vel ab aliqua Vlceri ſuperueniente inflammatione, quæ variis modis ad ſuppurationem perducitur, cum modo in ipſa corporis ſuperficie, modo in profundo, modo per ipſum vlcus, modo in remotiori parte, & aliquando pus in ſinu aliquo coaduuatur, modo per varios flexus, & ſinus ad vlcus deſcendit, & ideo, quamuis vlcus exiguum videatur, multa puris copia excernitur, vel tale pus gignitur in profundis, vel contuſis Vulneribus male à Medicis curatis, & non recte ab ipſis expurgatis, vel quando ex Vlcere aliquo oſſis eſt abſceſſurum, vt *Com. 3. de Fracturis Gal. vbi eſſis deſquamationis ſigna tradens inquit*. Pus copioſum emanat, quam par ſit magnitudini Vlceris, vel gigniturtale pus, quando quid extraneum, & præter naturam intra vlcus continetur, vt inſtrumenti ferientis fruſtulum velum, vel indumenti, vel quando filamenta, vel penicilli, ſiue Turundæ ob Medici negligentiam intra vlcus fuerint relicti. Coadunatur etiam pus ex aliqua mala Vlceris, vel circumſitarum partium intemperiem, vt quarta quarti *cap. 28. Auicennas inquit*, vel ex partis imbecillitate, vel ex prauorum humorum à toto corpore ſiue parte aliqua defluxu, vel à debiliori, vel fortiori Medicamento adhibito, vt in ſuperioribus diximus.

De Sinuoſi Vlceris ſignis.

SInuoſi ſiue Cuniculoſi Vlceris ſigna ſunt; Quod vlcus deforis paruum apparet, & anguſtum habet orificium, & poſtea longe maior, quam Vlceris magnitudini, quæ in ſuperficie apparet, puris copia excernitur, & ex ſpecilli blanda intromiſſione etiam ſinus percipiuntur, ex quibus etiam ſinus differentiæ deprehendi poſſunt, ſi ex Argento, vel Plumbo fuerint fabrefacti, vel ex ceris Candelis, vel ex Petroſelini ſemen emittente, ſiue Mluæ caule, vel aliqua ſubtili Radice, vel alia flexibili, & non frangibili materia. Percipiuntur etiam ſinus differentiæ ex oricularis iniectionibus, ſicuti in capite inferiori dicemus.

Ad quam verò partem ſinus perueniant, in cognitionem deuenire poſſumus ex ſitu, & ex partis anatomis cognitione, ac etiam ex excretis, cum ſinus, qui ad neruoſas partes perueniunt, ergà iuncturas, & alias neruoſas partes tendant, & ab his ſinibus multæ humiditates efluunt, & ſi ad iuncturas perueniant, quid ouorum albumini ſimile emanat ac egreditur. Materiæ verò color à ſinibus ſua ſponte profluens, eius qualitatem manifeſte indicat; Si enim tenuis, & carnis loturæ perſimilis appareat, calida. Si verò candida, & ſeroſa egrediatur. Frigida cenſenda eſt, vt *Gal. 2. ad Glauc. cap. 8. inquit*.

Signa puris ab Apoſtemate, ſiue ſuperueniente Inflammatione orti ſunt, præcedens Apoſtema, ſiue Inflammatio, calor

Rubedo

Rubedo, Duricies, Renitentia, & pulsatilis dolor, vt 14. *Meth. Gal. inquit*, quæ omnia remittuntur, cum per vlcus pus emanare incipit.

Puris copiosæ Causa.

Signa puris à Contusione prouenientis ex ægrotantis relatione, vel ex circulari Vlceris figura, ex tumore circa vlcus existente, ex Vlceris inæqualitate, & ex dolore desumuntur, quæ signa traduntur ab *Hipp. lib. de Capitis Vulneribus dicens*, Vlcera ab orbiculato, vel plano, duro, graui, & retuso telo facta à lateribus, & in orbem caua fiunt, purulenta magis atq; humida, & longiori tempore purgantur. Si ob os, quod desquamari debeat, pus gignatur, cognoscitur, non solum ex maiori puris copia, quam sit pro Vlceris magnitudine, sed cum tali pure quid nigri excrementi est coniunctum. Cauendum tamen, ne nigredo ex appositis Medicamentis prouenerit. Si pus ex rebus præter naturam, intra vlcus contentis fuerit genitum, omnia minutim expendenda, interrogando ægrum, quomodo fuit vulneratus, & quo instrumento, & instrumentum, si haberi possit, & indumenta similiter inspicienda si frustulum desit, quibus exacte perpensis, facilitèr in morbi siue puris veram causam perducimur, vt *lib. de fracturis docuit Hipp.* Si ob Medici imperitiam ac negligentiam aliquis Penicillus, siue Pencilli filamenta aliqua fuerint derelicta, coniunctura in cognitionem deuenire possumus, omnes illas causas, quę pus efficere possunt, an adsint considerando, ac perpendendo, & nisi vlla alia adsit, ex filamentis, vel penicillis intus contentis pus fieri, imaginari possumus, & quando hac de causa pus gignitur, pus aliquando exsiccari videtur; deinde iterum pus copiosum apparet ac emanat. Si ex mala intemperie, vel partis imbecillitate, vel ex humorum defluxu, vel à validioribus, vel imbecillioribus Medicamentis adhibitis pus fuerit genitum, propria signa aderunt, in superioribus diximus.

De Sinuosi Vlceris Prognostico.

CVm in huiusmodi Vlceribus ob diu retentum pus affecta pars imbecillitatem contraxerit, & ob imbecillitatem non solum ex circumiacentibus partibus, sed ex toto corpore ad vlcus superflui humores confluant, ideo talia Vlcera ægre sanabilia redduntur. Quale verò iudicium de his Vlceribus fieri debeat, an scilicet sinus coalescat nec ne, docuit *Gal. 2. ad Glauc. cap. 8. dicens.* An verò alte sinus partes coaluerint ex manante sanie deprehendes, si ea multa, vel pauca cocta, vel cruda sit.

Præterea si neque in ipso sinu dolor sentiatur, nec tumor appareat, sed totus locus æquabilis sit, siccus, ac doloris expers.

Quod si puris probe cocti portio exigua in ore conspicitur, multo magis deglutinando sinu sperandum est. Si verò contraria his adfuerint, vt si prauum, & copiosum pus excernatur, & tumor, & dolor adsint, ac augeantur, agglutinationem aduc fieri haud indicant. *Et Com. 3. in lib. de Fracturis cap. 55. inquit. Gal.* Sinus non alte excauati sunt apti operationibus libere perficiundis.

De Sinuosi siue Cuniculosi Vlceris curationis.

IN Sinuoso Vlcere curando quatuor intentiones habere debemus; Prima in sex rebus nonnaturalibus consistit. Secunda in conuenienti totius corporis euacuatione. Tertia in prohibitione ac remotione materiei ad affectam partem confluentis ac ibi existentis. Quarta in debita partium vnione ac consolidatione consistit; Primam intentionem consequemur si vt decet, sex res nonnaturales instituantur, & præsertim cibus, & potus, ex quibus prodeus sanguis, & non superfluus ginitur cum ex his bona caro generari debeat. Secundam intentionem, & Venæ sectione, si opus fuerit, & nisi quid prohibeat, & purgantibus Medicamentis ac peccantes humores euacuantibus complebimus.

Tertiam Intentionem consequemur Reuulsionibus, Deriuationibus, intercipientibus, ac Repellentibus *Med. vt cap. superiori fuit dictum*, ne ad affectam partem humores confluant. Et remotione efficientium, ac vlcus fouentium causarum, vt si os, quod desquamari debet, sinus fuerit factus, primum desquamandum os tollendum, ac vlcus amplius hu-

midum reddatur, vt cap. de Vlcere cum oſſe corrupto diximus, vel ſi ob quid præter naturam intra vlcus contentum, omni pacto, quod præter naturam intus exiſtit, extrahendum ac euellendum, vt *Gal. 3. Meth. ac alibi inquit*. Sic aliæ cauſæ Vlcus generantes, ſi adfuerint, remouendæ, quæ quomodo remoueri debeant, in ſuperioribus cap. proprio fuit dictum; Cum nullo pacto, niſi inflammatio, vel partis intemperies, vel os deſquamandum vel quod intus præter naturam continetur, vel aliæ dictæ cauſæ tollantur ac remoueantur, vlcus carne impleri ac conglutinari non poſſit. Materia verò, quæ iam influxa eſt, cum euacuatione egeat, ideo, vt inferius dicemus, eſt euacuanda, cum ſinus ſimiliter carne repleri non poſſit, niſi ſinus omninò purus, & ab omni ſorde immunis exiſtat, & niſi laborans particula iuſto temperamento ſit prædita. Cum fieri non poſſit, vt in Vlcere, vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio recte vnquam cedat, niſi ſubiecta caro etiam pro naturali modo ſe habeat, *vt Gal. 3. Meth. inquit*.

Primo ergo ſinuoſum vlcus poſt cauſarum ablationem à contenta materia ac à ſorde expurgandus, vt purum reddatur cum Vlceris puritas ſit cauſa ſine qua non poteſt bona caro regenerari, & ſinus impleri. Deinde carne replendum, quæ eſt altera cauſa ſine qua non, ſicuti *Gal. 3. Meth. annotauit dicens*.

Niſi cautas prius fuerit impleta, Cicatrix Vlceri induci non poteſt, & ſic quartam intentionem conſequemur. Quibus verò medicamentis hæc fieri debeant, nemini eſt dubium quod exſiccantia eſſe debent, vt ſuperius plurics diximus, & inferius dicemus.

Sed antequam exſiccantia Med. apponantur, vel in ſinum injciantur, vel ſint Deterſoria, vel Sarcotica, vel Glutinantia, vt omnia praua Symptomata ſint remota, animaduertendum eſt, vt Dolor, Tumor, Inflammatio, & etiam Inflammationis ſuſpicio ac periculum, vt inquit *Gal. 3. Meth.* Et ratio eſt, quia ſi in Vlceribus iſtis, vel Inflammatio, vel Tumor vel Dolor exiſteret, & exſiccantia Med. qualia ſinui, vt primum detergatur, deinde carne repleatur, ac conglutinetur, conueniunt, admoueantur, talia Symptomata augerentur. Nullo igitur exiſtente dolore, vel Tumore, vel Inflammatione, vel alio prauo Symptomate præter cauum ipſum vlcus, & ſinum, curatio hoc pacto inſtituti debet, & hæc quo ad vniuerſalem Sinuoſorum Vlcerum curationem dicta ſufficiant. Modò ad particularem differentiarum ipſorum ſinuum curationem, quæ illam variant, deueniendum eſt.

In quolibet igitur ſinuoſo Vlcere curando, quo ad fieri poteſt, vt libere ſanies à ſinu emanare poſſit curandum eſt, vt *2. Glauc. cap. 8. Gal. inquit*. Si enim ſinus ad ſuperiorem partem tendat, & orificium deorſum ſpectet, cum facilitèr ſanies effluere poſſit, adhibitis conuenientibus ac debitis Med. facilitèr etiam ſanabitur. Quæ verò Med. conueniunt inquit *Gal. Com. 2. in lib. de Medici Officina cap. 29. dicens*. Sinus exſiccantibus, & detergentibus ſunt ſicci ac mundi reddendi. Si verò ad latus tendat, vel intra feratur, aut deorſum vergat, ſi fieri poſſit affecta pars ita locanda ac ſituanda, vt ſanies libere effluere poſſit, vt *4. Metth. Gal.* præcipit, modo Lectum ipſum eleuando, modo deprimendo, modò membrum ipſum attollendo, modò demittendo, pro vt Vlceris orificio conducet, & pro vt ſanies expurgabitur, & *2. ad Glauc. cap. 8. inquit Gal.* Etenim in Cubito cum orificia Gibbero vicina ſunt, ſummam manum elatius protendens, ſinum ad effluxionem incitabis; Sic, & in femore, ſi ſinus deuorſum vergat, & ad Genu terminetur, os autem ipſius ſublime ſupra Fæmoris medium ſit, Popliti mollem puluinum ſubiciet, quod dimiſſius Inguen, quam Genu, poſitum ſit, *Et Com. 2. in lib. de Officina Medici cap. 26. inquit*. Sinus curatio poſtulat, vt effundatur ſanies, nulluſq; humor ad ipſam particulam deffluat, interim dum conglutinatur id, quod ſanè præſtabimus, ſi compreſſerimus ipſius fundum ſinus, moxque deligationem paulatim ad os vſque laxauerimus, atque id ita apertum in ea figura, vt deorſum reſpiciat ſeruauerimus, & *cap. 27. Com. eiuſdem lib. inquit*. Sinus aliquam occupans particulam in ea figura collocandum eſſe ægrum, eamq; eſſe excogitatam deligationem, quæ ad expurgandam ſaniem quam aptiſſima exiſtat, *Et Com. 4. lib. de*

Articu-

Articulis cap. 39. *inquit*. Sinus deligatio apta debet, a superna parte inchoata, descendere, ac paulo supra orificium ipsius sinus finiri, vt commode possit pus expurgari. Si verò sinus deorsum vergat, vel ad latus declinet, vel intro feratur, & pars ita situari nequeat, vt sanies libere effluere possit, materiæ intus contentæ, ac contiguas partes erodat, exitus est dandus, vel in sinus fundo incisione facta, vel tota cauitate dissecta, idest ab orificio vsque ad fundum incisione facta, nisi quid prohibeat, & sic vlcus citius sanabitur, cum dicat *Gal. Com. 2. de Medici Offic. cap. 29. Sinibus curandis orificia conueniunt, & eodem Com. cap. 27. inquit*. Sinus fundum si vergat ad inferiora esse aperiendum; vt sanies habeat liberum exitum ad *Glauc. cap.* 8. *inquit*, Si sinus vergat ad ima, & ita pars situari non possit, vt orificium deorsum spectet, cum pus intus contineatur, partem aliquam continuam erodit. In his quidem nisi prius ad effluxum feceris sectionem, nihil proficies, neque cum carnem generare, neque cum agglutinare volueris.

Sinus sectionem prohibentia.

Prohibent verò sectionem, præcipue totius cauitatis, Neruorum, & Venarum ac Arteriarum per talem partem discursus, cum vbi hæc adsint, tota cauitas sine magno periculo secari non possit, & etiam sinus profunditas, cum in magna sinus profunditate magnam sectionem facere esset opus, quæ absque magno dolore, ac partis debilitatione fieri non potest. In his ergo casibus in imo, seu sinus fundo sectio tantum facienda.

Nisi ergo dicta prohibeant, idest quando sinus est cuti proximus, vt Vasorum ac Neruorum sectionis nullum periculum adsit, vt sinus citius sanetur, totus aperiendus, deinde primum Elechinijs ex Stuppa confectis, & Oui albumine imbibitis sectus sinus replendus, & desuper splenia ex Stuppa eodem albumine imbibita superponenda, vt dolor leniatur, sanguinis fluxus sistatur, & pars siccior reddatur. Postera die Detergentibus Med. sinus expurgandus, deinde Sarcoticis, vt carne repleto sinu, vt cicatrix inducatur curare debemus, sicuti de alijs cauis Vlceribus ac Vulneribus superius fuit dictum.

Quomodo sinus.

Si verò in sinus fundo incisio, siue apertio fieri debeat, curandum, vt magna puris copia in sinus fundo colligatur ac coadunetur, & hoc faciendum, vt puris copia distento, & ampliori facto sinu, melius specillum ingrediatur, & tutius etiam sectio fiat, cum secanda cutis magis à subiectis distet, & ex puris collectione etiam sinus parietes tenuiores reddantur.

in fundo aperiendu

Specillum verò intromittendum debet esse teaue, leue, idest non asperum, & re aliqua oleaginosa inunctum, ne dolorem inferat, & in superiori parte admodum acus perforatum esse debet, vt mollis Funiculus, Seto dictus intromitti possit, qui fit, vel ex molli, & gracili Linteo vel ex Bombice, vel ex molli acia, vel aliqua simili materia.

Intromisso, igitur vsque in fundum specillo vbi specilli cuspis persentitur, sectio facienda, & per sectionem specillum Setonem ducens extrahendum, & Seto derelinquendus, vt verò dolor leniatur, & sanguinis fluxus sistatur, Oui albumen, vel alia sanguinis profusioni dicata applicare possumus. Deinde Seto detergente aliquo Med. illiniendus, & intra sinum leniter attrahendus, & si fuerit opus, alius priori alligatus intromittendus, & in superiori ac inferiori orificio Elechinia, siue Linamenta detergente Med. illinita, incenda. Mundificato ac puro reddito sinu, seto auferendus, & Elichinys sarcoticis Med. illitis, & inferiori orificio immissis, & alijs intus inditis, & deforis applicatis, vt inferius dicemus, & debito ac conuenienti Vinculo, & carnis repletio, & sinus agglutinatio, curanda est.

Nisi verò Agrotans ob timiditatem, vel delicatam vitam in Fundo sectionem admittere velit, & magis Med. curationis procrastinationem desideret, quam sectione, citam curationem, vt 14. *Meth. Gal inquit*, Causticum aliquod Med. in fundo apponendum ei refrigerantia Med. circumponendo, vt est id, quod fit ex calce viua, & Sapone simul mixtis, vel id quod ex Saponis Aqua Magistra dicta, coctione ad Mellis crassitudinem redacta paratur, & in vitreo Vase, & sicco loco posito, seruatur, in quo postea durescit, vel aliquod simile Causticum. Quibus quando vti volumus, in Glandis calice, vel cereo sinu ponuntur, & parti admouentur, & quousq; effectum præstiterint, ibi relinquantur, deinde remoueantur, vtque

ctia a decidat, locusque abstergatur, curandum, vt in superioribus diximus.

Si verò neque in sinus fundo commode sectio fieri, neque tota cauitas dissecari possit, nisi vllum prauum Symptoma adsit, Collutionibus tale Vlcus sanandum, vt *Gal. 2. ad Glauc. cap. 8. docet*, Primum enim collutiones detersoriæ esse debent, vt, adherentem saniem detergant, sinumque totum purum reddant, deinde sarcoticæ, postea conglutinatiuæ, & Auricularijs Clysteribus, collutiones inyciantur, & animaduertendum, vt iniecto Med. os Vlceris claudatur linamento concerpto, ne materia refluat, cum nisi in cauitate diutius maneat, bonum effectum præstare non possit.

Detersoriæ collutiones.

Detersoriæ Collutiones fiunt ex Mulsa quæ adherentem saniem detergit, & expurgat, præsertim in finibus illis, quorum os deorsum spectat, per quod sanies libera effluit. Si verò cruentus, & fœtidus humor à sinu emanet, Oximel cæteris præstat, vt Aetius inquit. Si sinus maxime sit sordidus, aut Lixiuio, aut Muria, aut Marina Aqua, aut Aluminosa, quæ vt superius diximus non solum detergit, sed etiam fluxiones prohibet ac repellit, abolutiones faciendæ. Si verò in sinu cum sorde, etiam maligna ac virulenta materia adesset, vt malignitas illa corrigatur, cum Mulsa Aegiptiacum Vng. dissoluendum, vt ex hac compositione ablutio facienda, Cum Vng. Aegiptiacum corruptam carnem exedat, & bonæ non officiat, vt experientia patet, habito semper respectu, in fortiorum Med. vsu, ne Vlcus inflammatione laboret, vel aliud prauum Symptoma adsit, & temperamenti totius, & partis, vt 4. *Meth Gal. inquit.*

Si tale vlcus calidam intemperiem coniunctam habeat, & virus quod à tali Vlcere emanat, sit rubrum, & loturæ carnis recenter mactatæ similæ, Aqua Hordei cum Rosaceo Melle mixta ablutio facienda, vel refrigerantia in dicta Hordei Aqua, vel in Mulsa, qua ablutio fieri debet, incoquenda, vt est Hordeum, Rosarum rub. folia, Lenticula, Plantago, Balausthia, & similia. Si verò frigida intemperies sit coniũcta, & sanies tenuis, & aquosa excernatur calida in Mulsa incoquenda, vt intemperies emendetur, vt est Absynthium, Marubium, Calaminthum, Pimpinella, Flores Chamemoli, Symphitum, Aristolochia, Centaurium vtrumque, Aloes, Myrrha, Thus, & similia.

Post quam vlcus mundum fuerit redditum, tamen aliqua suspicio derelictæ sordis fuerit, Vino mulso sinus abluendus, quod detergit, & partem roborat, vbi verò omnino sinus mundus fuerit, solo Vino abluere debemus, vt caro regeneretur, vel in Vino sarcotica incoquere, & commiscere possumus. Quando caro mediocritèr genita fuerit, nigro, & abstergente Vino, quod in medio dulcis, & austeri consistit, vt sinus conglutinetur, eluere possumus, vel dicto Vino incoquenda sunt Myrrha, Aloes, Sarcocolla, Thus, & similia, & sic carnem regenerandi, & conglutinandi facultatem habebit, vel sequentia Med. inyciantur, quæ simul detergunt, glutinant, & carnem generat.

℞. Dececti Hordei lib. 1. Mellis Rosacei vnc. 3. Myrrhæ, Sarcocollæ an. drag. 1. 5. Thuris dragm. 1. Aloes dragm. 5. Vini optimi, & odoriferi vnc. 6. M. & omnia ad tertiæ partis consumptionem decoquantur, & vtere, vel ℞. Hordei pug. 1. Rad. Iteos, Foliorum Oliuæ, Plantaginis Agrimoniæ Aequiseti an. M. 5. M. & in Aqua coquantur, & dictæ decoctionis ℞. lib. 5. Mellis Ros. col. vnc. 2. Myrrhæ dragm. 2. 5. Thuris, Mastiches an. dragm. 1. M. & F. iniectio.

Post agglutinantis Med. impositionem Spongia noua mollissima in Vino mulso, vel infrascripto decocto imbibita, & expressa circumponenda, vel puluillis in dictis imbibitis, & fundo ipsorum sinuum appositis, & expressiua fasciatura, à sinus profunditate incipiendo, & ibi arctius, & sine dolore stringendo, & deinde sursam vsq; ad orificium tendendo, semper laxius stringendo, & in eius ore finiendo vinciendum est; Decoctum dictum est hoc.

℞. Absinthij, Rosarum rub. Florum Chamemoli, Anethi an. M. 1. Nucum Cupressi num. 30. Foliorum Oliuæ M. S. M. in Vino nigro, Vase obturato, ne subtiliores Vini partes exhalent, ad tertiæ partis consumptionem decoquantur, & si vis vt valentius agat, adde Alumen, & Nitrum, vel dicta in Thermalibus Aquis decoquantur.

Sed cum optime hanc curationẽ doceat.

Gal.

Gal. 2. ad Glauc. cap. 8. ideo propria eius verba ponemus, qui inquit. Et quidem post Med. Agglutinantis appositionem, noua Spongia ex mulso vel Vino circumijciatur quammolissima, atque alligatio quidem incipiat à fundo sinus, finiat autem ad os. Sed, & Linteorum circumuolutiones fundum sinus, sine dolore, constringant, paulatim verò laxentur vsque ad os sinus, & hoc ipsum habeat laxa Pharmaci alligatione Emplastro, quod circumponitur, vt est Diaphinicinum Gal. vel aliquod aliud validius, vel imbecillius secundum totius, & partis temperamentum vel Med. ex Metallicis confecta, vt est Epispasticum, quod humorum fluxum prohibet, Fistulas sanat, & sinus exsiccat, vt inquit *Gal. 5. de Simp. Med. Fac. vel Med. ex Squamis compositum, vt 4. de Comp. Med. S. Gen. idem docuit.*

Et ita cum Forficibus Linteum in quo Empl. fuerit distentum scindendum, vt inquit Gal. vt ex ore sinus humores vitiati, si qui excernantur, possint effluere, paruo aliquo alio ipsi impositio Emplastro, vsque ad solutionem, quam tertia quaque die faciens, auferes hoc ipsum, quod veluti operculum heret, id quod per totum sinum est Med. relinquens. Iam verò ex quantitate, & qualitate emanantis humoris, præterea ex dolore vel indolentia, tumore, vel depressione affectæ partis cognosces, num pars ipsius sinus profunda sit probe conglutinata. Si quidem si neque in ipso sinu dolor sentiatur, neq; tumor appareat, sed totus locus depressus, siccus, atque doloris expers existat, & ad oculum pus exacte concoctum appareat, & quantitate paucum, bene de sinus conglutinatione sperandum est; Si autem contra se ostendat, non dum sinus conglutinatur. Imponenda igitur rursus Spongia, & denuo, vt diximus alligandum, & secunda quaque die, vel tertia soluendum, permutans semper quod ori sinus superstat, & Linteum eodem Emplastro perunctum, quod totum os in circuitu comprehendat.

Oportet autem non esse admodum impressum ita, vt omnis vitiatus humor ex sinu per ipsum possit euacuari; Et si in prima vel in secunda dies aliquis tenuis humor à sinu excernitur, tamen de conglutinatione non est desperandum, cum sepe ex Med. vehementia affectæ parti applicati, tenuis humiditas ex ipsa cute, & subiecta carne exprimatur, præsertim quando Aegrotantis corpus ita fuerit factum, vel ex naturali temperatura, aut ex prauo victu, qua humiditate expressa, spatia mediocriter exsiccata conglutinantur.

In tertio autem, aut quarto ab initio die, si Ichor crudus ex ore se ostenderit, tunc scito sinum non esse conglutinatum. Si autem præ omnibus id, quod patienti membro circumycitur Medicamentum, vehementer quidem exsiccans, neq; mordicans verò, neq; intendens, veluti est nostrum, quod Cirrhon, idest Fuluum, siue Giluum vocatur, sine Cera confectum ex Metallicis Med. elixatis, & Oleo Cicino de Cherua etiam dicto, & Aceto, quod Vulnera sanguinolenta conglutinat, & sine molestia sinus exsiccat, cuius compositionem, & vsum lib. 2. de Comp. Med. S. Gen. docuit, vel vice huius aliquo alio conglutinante Med. easdem habente dotes ac facultates vti possumus, vt ex ijs, lib. de Vulneribus describimus.

Si autem in finibus cutis à carne forte esset separata, nec lotionibus, nec Pulueribus, nec comprimentibus cum fasciatura expressiua, nec Spongijs circumiectis, nec Ceratis, nec Emplastris, nec alijs superius dictis vllo pacto carni adherere possit, tota illa cutis secundum membri longitudinem Spatula lignea sub cute posita, *vt lib. 6. cap. de finibus Paul. inquit.* Nouacula dissecanda, vel alio aptiori instrumento incidenda; Et si Cute duo foramina ad vnum tantum sunt redigenda, & post sectionem, sanguinis fluxus Oui albumine cum Stuppa, vel alio Emplastico Med. sistendus, sequenti die, vt decet, ac vt in superioribus diximus curandũ.

Alij Autores post conglutinantis Med. compositionem iubent, vt circumfusis partibus Diapalma applicetur, vel Empl. nigrum, vel fuscum, vel Mel coctum cum puluere Thuris, Myrrhæ, & Aloes, vel horum quædam, vel omnia simul, & Vinum nigrum ac stipticum, quo Vino etiam imbibantur pululli à sinus fundo vsque ad orificium ponendi, postea expressiua fasciatura à sinus profunditate incipiendo, sicuti ex Gal. mente superius diximus vincienda pars, & in orificio non solida Turunda, vt remaneat, sed canulata, vel duplicata Turunda, vt sanies continuo effluere possit, imponenda, & super orificium noua, & mollis Spongia mulso imbibita imponenda.

De

De Fistula. *Cap.* 13.

Quid nominis.

CVm superius de Sinuoso Vlcere, quod parum à Fistula differt fuerit dictum, modo, vt de Fistula verba faciamus ordo postulat.

Quid sit Fistula.

Fistula Syringa à Græcis dicta, denominationem sumpsit à Fistulis quibus Musici vtuntur, vt *Gal. inquit, qui lib. de Tum. Prat. Nat. Fistulam definiuit*. Fistula sinus est angustus, & longus, Fistulæ in modum, ad quem humores effluunt ob eamque causam adstringitur, & rursum deducitur. *Celsus lib. 5. cap. 28. dixit*. Quod Fistula est vlcus altum angustum, & callosum. Sed cum vlcus positum à Celso loco generis, sit, valde remotum, melius dicendum esse duximus cum Gal. quod Fistula est sinus altus angustus, & callosus. Cum sinus sit cauitas partium prius vnitarum, quæ iam distant (euacuatâ parte) ob humorum affluxu.

Fistularum species ac Differentiæ.

Fistularum Differentiæ, sicuti superius de fistulis diximus, multiplices sunt, & ab eisdem desumuntur, ideſt ex magnitudine, Numero, Figura, & situ, aliæ enim sunt breues, aliæ longæ, & altius penetrantes, & etiam ad internas partes, aliæ simplices sunt, aliæ duplices, aliæ triplices; Item aliæ vno orificio oriuntur, aliæ pluribus, aliæ rectæ, aliæ flexuosæ, & tortuosæ sunt, aliæ sub cute sunt extensæ, aliæ altius penetrant, aliæ in carnem desinunt, aliæ ad ossa, vel ad cartilagines, & aliæ ad Neruos attingunt, & aliæ Venas, vel Arterias occupant, aliæ deinde facile, aliæ cum difficultate curantur, atq; etiam quædam insanabiles reperiuntur. Partes affectæ, vt ex inferioribus patebit omnes partes corporis possunt esse.

De Fistularum Causis.

CAusas Fistularum omnes illas esse dicimus, quæ superius sinum efficere posse diximus, & prauæ sinus curatione callus circa ipsum obducatur, & durus temporis progressu fiat, & sic sinus in Fistulam degenerat, vt inquit *Gal. lib. de Tum. Præt. Nat.* cum Fistula à sinu solum callositate, & duricie differat. Callus (ne per ignota procedamus) est compacta quædam caro, candida, madore priuata atque etiam indolens, neque Vena neque Neruo ad ipsum pertingente. Fit verò Calsus propter crassæ, materiæ influxum, & infarctum, quæ in ipsius partis poris est imbibita, cuius tenuiores partes à calore tum natiuo, tum extraneo resolutæ, & exsiccatæ fuere, & crassiores ita infarctæ remansere. Fit verò primum callus in externo Fistulæ orificio, ideſt in cute, quoniam Natura semper ad cutim excrementa protrudit, & quia cutis ex sua natura densa, & sicca est, & ideo citius, quam caro obdurescit, callumque contrahit, temporis postea diuturnitate etiam in subiecta carne, & per totum Fistulæ sinum ac cauitatem contrahitur.

De Fistularum signis.

FIstularum signa desumuntur, vel ab essentialiter inherentibus, vel à Symptomatibus siue Accidentibus necessario consequentibus; Essentialiter inhærentia signa in fistula existentia sunt profundum foramen, quod habet angustum orificium, & latius interius existit, tanquam Musicale illud Instrumentum Fistula dictum, & callositas, & duricies circa sinum existens, cum Fistula esse non possit, nisi has dictas conditiones habeat.

Accidentia necessario fistulam consequentia.

Accidentia necessarie Fistulam consequentia sunt exiguus dolor, nisi Neruos occuper, & copiosior sanies, quam pro apparentis sinus magnitudine, quæ sanies aliquando virulenta, & horribilis existit, vtque Albucasis inquit, per singulas decem horas humiditas emittit. Note verò Calli tantum in Fistulæ orificio, vel per totum sinum se extendentis, & eius tenuitatis, vel crassitiei ex oculis, & ex tactu apparent. Nam si tantum in Fistulæ orificio callus existat, non solum oculis in orificio tantum apparet, & internæ sinus partes rubicundæ. Sed si immittatur spacillum, siue Stylus vbi Callus non adest, Dolor ex conactù persentitur, & sanguis etiam effunditur, nullaque duricies specillo percipitur. Si verò Callus per totam Fistulæ cauitatem adsit, contraria signa aderunt, nullus, vel exiguus dolor ex Styli immissione percipitur, sanguis non emanat, & specillo manifesta duricies persentitur. Crassitie, verò, vel calli tenuuitatis ex dictorum signorum intensione, vel remissione in cognitionem deuenire possumus. Color similiter calli indicat ex quo humore fuerit factus, cum si ex pituita ortum habuerit, albus erit, si eo melan-

Melancholico humore, fuscus, vel liuidus apparebit. Notæ simplicitatis vel multiplicitatis Fistulæ sunt, quod si tantum vnus sinus adsit, tanta saniei copia excernitur, quantam simplici in spacio capi potest. Si verò plus excernatur, quam simplici sinui conueniat, plures sinus esse, iudicandum est. Si verò huiusmodi sinus in diuersas partes deducatur, dignoscitur ex partis, & corporis inclinatione, & motu cum ex diuerso decubitu, & diuerso motu, & membri situatione saniem effluere, quæ iam defierat, incipiat; & hoc signum etiam sinuum multiplicitatem indicat. Similiter si Oriculario Clystere liquorem per os vnum injecimus, ex eius transitu per alia orificia, an vna Fistula sit, quæ multa ora habeat, an multæ Fistulæ sint, deprehenditur.

Signa rectitudinis, vel obliquitatis Fistularum, & partium ad quas perueniunt desumuntur non solum ab specilli intromissione, sed etiam ab excretis; Si enim rectæ fuerint Fistulæ, vsque in fundum specillum libere ingreditur; Si flexuosæ, vel vnum, vel plures sinus habentes, specilli apex ingredi nequit, vtq; flexuosos sinus inuestigemus, flexibile specillum esse debet, vel ex Stanno, vel Plumbo, vel aliqua subtili, flexibili, & non frangibili radice, vel Cera Candela, vt ad Fistulæ figuram facile accommodetur. Si Fistula in carnem desinat, inquit *Celsus lib. 5. cap.* 28. molle est quod vltimo specillo contingitur, & pus leue, album, & copiosius egreditur. Si ad Neruosum locum terminetur, pus coloris quidem eiusdem, sed tenuius, & minus. Si ad Neruum, pus pingue, & Oleo non dissimile excernitur, & ex specilli intromissione maximus, & intensus dolor excitatur. Si Neruus verò fuerit erosus, & doloris, & stuporis, & punctionis sensus etiam adest, & motus, qui ab eo Neruo fieri solet, deterior ac debilior apparet. Si Fistula ad os peruenit, durum ac renitens, est quod specilli extremo tangitur, nec dolor vllus excitatur. Si verò specillum ibi elabitur, non dum caries adest, nisi labitur, sed æquali innititur, caries quidem, verum adhuc læuis est. Si inæquale quoque, & asperum subest, vehementèr os exæsum est.

Excrementa similiter, quæ à Fistula cum osse corrupto excernuntur sunt tenuia, citrina, & fætida, vt in superioribus diximus.

Si ad Cartilaginem perueniat, ipsa sedes docet, peruentumque ad eam esse, ex renixu seu renitentia patet. Si ad Venas, vel ad Arterias absque horum Vasorum erosione Fistula perueniat, pus coloratum & veluti Fex, excernitur, quod ex sanguine per dictorum Vasorum poros resudante, & pure simul mixtis fit. Si autem Vena fuerit erosa, sanguis multus, crassus, niger, & sine salutu profluit; Si Arteria rubicundior, clarior, & cum salutu sanguis effunditur.

De Fistularum Prognostico.

Fistulæ præsertim antiquæ, profundæ anfractuosæ, & quæ plures sinus habent, ægre curationem recipiunt, ratio est, quia antiquæ Fistulæ durum ac crassum callum habent, & nisi cum difficultate tollitur, & Natura temporis diuturnitate superuacuos humores per illas expurgare est assueta, & laborantes frequenter ab alijs morbis præseruant, vt inquit *Gal. 3. lib. de humoribus, & Com. 39. Sect. 3. lib. 6. Epid. vbi inquit.* Quod antiquæ Fistulæ in loco decliui, & à principali parte remotæ apertæ sunt relinquendæ, & si ex seipsis, vel alio pacto claudantur rursus sunt aperiendæ. Profunditas item Fistularum, & anfractuositas curationis difficultatem facit, quia vsque in fundum Med. inyci non possunt, & si multiplices sint sinus, maius in manuum operatione, quam in Med. præsidium est, vt Celsus inquit, & minus opere est, si sub cute transuerso fuerunt, quam si recte intro tendant.

Incurabiles sunt omnes illæ Fistulæ, vt *lib 2. cap.* 88. Albucasis inquit, quæ perueniunt ad magnas Venas, Arterias, vel Neruos, vel Peritoneum, vel Intestina, vel ad Vesicam, vel ad cauu Dorsi vertebras, vel ad costas, & quæ in aliqua iunctura, vt Manus ac Pedis, siue aliqua neruosa parte consistunt, cum hæ partes fortiora, & acria Med. quæ prò Fistulæ curatione conueniunt non admittant; *Et Celsus lib. 5. cap.* 28. *inquit.* Expedita curatio est in Fistula simplici recenti intra carnem, adiuatque ipsum corpus, si iuuenile, si firmum est.

Inimica

Inimica contraria his ſunt. Itemque ſi Fiſtula os, vel Cartilaginem, vel Neruum vel Muſculos leſit, ſi Articulum occupauit, ſi vel ad Veſſicam, vel ad pulmonem, vel ad Vuluam, vel ad grandes Venas, Arteriaſue, vel ad inania, vt Guttur, Stomacum, Thoracem penetrauit. Ad inteſtina quoque eam tendere, ſemper periculoſum, ſepè peſtiferum eſt. Quibus multum mali accidit, ſi corpus vel ægrum, vel ſenile, vel mali habitus eſt.

Paul. lib. 4. cap. 49. inquit. Si Fiſtula ad os vſque decumbat, curari hanc abſque manus opera impoſſibile eſt, niſi temporis ſpacio ſua ſponte ſquama, vel os abſcedat.

De Fiſtula Curatione.

IN Fiſtularum curatione quatuor præcipue intentiones hebere debemus. Prima in recta ſex rerum nonnaturalium inſtitutione conſiſtit. Secunda in peccantium humorum euacuatione ac purgatione. Tertia in internorum membrorum rectificatione ac conroboratione, ne amplius ſuperflui humores gignantur, & ad affectam partem tranſmittantur. Quarta in Topicis, ſiue localibus conſiſtit.

Prima intentio conuenienti cibo, & potu completur, & alijs ſex rebus nonnaturalibus recte inſtitutis, in quorum inſtitutione peccans humor conſiderandus, cum diuerſa ſex rerum nonnaturalium inſtitutio ſecundum peccantium humorum diuerſitatem requiratur.

Peccantes verò humores, præcipue dignoſcuntur, vt ſuperius pluries diximus, ex totius corporis habitu, & ex colore, vt inquit *Gal. Com. 2 primi Aph.* & etiam ex excretis, quæ peccanti humori aſſimilantur, & alijs accidentibus pluries dictis.

Secundam intentionem peccantium humorum euacuatione ac purgatione conſequemur, qui niſi ad expulſionem ſint parati conuenientibus Syruppis ſunt præparandi, deinde educendi, vt 22. *primi Aph. Hipp. iubet.*

Vt tertia compleatur intentio, Medicamenta affectam ac mandantem, partem emendantia, ac roborantia, & humorum fluxum prohibentia, vt Repellentia, Deriuantia, & intercipientia, vt in ſuperioribus fuit dictum, ſunt inſtituenda, & inter cætera infraſcripta à multis non parui nominis Autoribus maximis laudibus extolluntur.

℞. Agrimoniæ part. 3. Plantaginis part. 2. Foliorum Oliuæ part. 1. ſcindantur, & minutim contundantur, poſtea in vino albo coquantur, deinde colentur, & dicti decocti ieiunio ventriculo Cyatus vnus ſingulis diebus in aurora exhibeatur, & ſi vis ad ſaporis iucunditatem, ſaccarum adere potes, vel.

℞. Oſmundæ, Filix mas à Dioſcoride dicta, part. 3. Gentianæ part. 2. Centaurei part. 1. M. & in Vino albo coquantur, & ad ſaporis ſuauitatem ſaccarum ſimiliter addi poteſt, & in aurora Cyatus vnus ſingulo mane exhibeatur, vel.

℞. Agrimoniæ, Philipendulæ, Centaurei, Myſi an. part. 2. Oſmundæ, Scrophulariæ an. part. 1. Ariſtolochiæ, Gentianæ an. parti. M. in Vino albo coquantur, & Saccarum, vt ſuauior potio reddatur, addatur, & Cyatus vnus, ſicuti de alijs diximus, mane exibeatur, & in dictis decoctis lignum Guaiacum ſiue ſanctum dictum, etiam addi poteſt.

Poſt Calli à Fiſtula ablationem, Guaiaci ſiue ligni ſancti dicti, vel alterius exſiccantis Medicamentis decoctum, ſi profuturum videbitur, etiam inſtitui, & propinari poterit, & hoc faciendum, vt Fiſtulæ cauſa, & aliquod malum, quod ex Fiſtulæ curatione oriri poſſet, prohibeatur.

Factis omnibus ſuperius dictis, ideſt optima inſtituta dieta, & euacuato corpore, & internis partibus corroboratis, & dictis ab affecta parte humorum influxu prohibito, ad quartam intentionem deueniendum eſt, quæ in Topicis ac particularibus remedijs conſiſtit, & his duplex curatio fieri poteſt, ideſt vera, & legitima, & Palliata, & in legitimam. Primum ergo de vera curatione dicemus, deinde de Palliata.

Vera Fiſtulæ curatio.

In vera Fiſtulæ curatione, cum plura ſe nobis offerant, ideſt cauitas, cauitatis profunditas, & altitudo, callofitas, & orificij anguſtia, videndum à quibus horum incipiendum, cum cauitas repletione, & vnitione egeat, & cum vnitio neque carnis generatio fieri poſſit, niſi callus auferatur, & Callus auferri non poteſt, neq; in quibuſdam Medicamenta vſq; in fundum

applicari

applicari nequeunt, nisi orificium dilatetur, ideo ab orificij dilatatione incipiendum, & hæc erit prima nostra intentio; Secunda Callum auferre; Tertia erit sinum mundificare, & purum reddere; Quarta erit carne sinum replere, & conglutinare, & optime partem consolidare. Quando igitur fistulæ orificium non satis hiet ac pateat, Turundis siue Tentis dilatandum huiusmodi verò Tentiæ debent ex materia, quæ in se ipsam humiditates imbibat, & turgescat, & sic Fistulæ sinum dilatet, sicuti est contorta, & valde compressa Spongia, Radix Brioniæ, Aristolochiæ, Gentianæ, Dragunculi Maioris Serpentariæ etiam dictæ, & similium. Hæ verò Tentæ parte quâ primum infistulam infiguntur tenuiores, altera crassiores esse debent, & semper filo alligandæ sunt vt si profundum descendant, vel nimis hæreant, tuto, & probe extrahi possint; Et si volumus, vt valentius agant, Medicamentis ad callum eximendum comparatis imbibantur, & 12. horarum spacio demittantur deinde extrahantur, & si orificium satis non fuerit dilatatum, crassior Tenta semper immittenda, donec satis late pareat, & si fieri potest, totus sinus vsq; ad Fistulæ fundum, dilatandus; Animaduertendo ne ex frangibili materia Tentæ fiant, & si tali materia fiant, optime filo alligentur, ne in extractione aliqua portio intus remaneat. Dilatato quantum est satis orificio, ad secundam intentionem deueniendum, idest ad Callum eximendum ac auferendum, qui tribus modis auferri potest, vel Medicamentis vel incisione, & vstione, vel incisione tantum. Medicamentis auferetur Callus in ijs precipue qui neque vstionem, neque incisionem ferre volunt, vbi recens est Fistula, & callus non admodum crassus Huiusmodi autem Medicamenta acrta ac erodentia esse debent, & eo acriora, vel minus acria, quo Callus crassior, vel tenuior fuerit.

Callum eximentia mitiora.

Valentiora.

Inter mitiora verò, quæ tenuem, & recentem Callum eximere possunt, sunt omnia valenter Detergentia in superiori Capite dicta; Et inter valentiora est Vng. Apostolorum, Aegiptiacum, Tabacei succus, Aristolochiæ Rotundæ Radix abrasa, Melle illinita, & imposita, Spondilij etiam Radix derasa, & imposita, vt inquit *Paul. lib. 4. cap. 49.* Ellebori nigri radix similiter tribus diebus in Fistula demissa, præsertim in Callo ab humore melancholico orto, quam occulta proprietate humorem euacuare, & Callum eximere inquiunt, & Elaterium Terebenthina exceptum in pituitoso Callo laudatur.

Exedentia valentissima.

Inter valentissima sunt Calcanthum vstum, precipitatum, Cantharidarum puluis, Sapo niger, Lac Tithimali, Mysi, Chaleitis, Sory, Auri pigmentum, Lixiuium è Cinere, & viua Calce confectum Chimistarum Aqua, Arsenicum lotum, & puluerizzatum, & Trociſci omnes pluries dicti, & alia, quæ causticam vim habent, dictis verò vti possumus in Tentarum siue Turundarum forma, vt sunt illæ, quæ à Paulo describuntur, quæ fiunt ex Erugine dragm. 12. Ammoniaci dragm. 2. & Acetti q. suff. & S. A. Fiant Tentæ siue Turundæ, & illæ Turundæ, quæ Arsenico illinuntur, Callum optime tollunt, vt experientia patet, vel dictis vtimur in subtilem puluerem redactis, quæ in fistulam post ea influantur, vel aliquo accomodato liquore dissolutis, vt sunt infrascripta, quæ per Oricularium Clysterem in Fistulam inyci debent, & præcipue liquida conueniunt in profundis, cuniculosis, & anfractuosis Fistulis, & iniecto Medicamento ne refluat, Linamento concepto, vel Gossipio, vel aliqua re simili os Fistulæ claudendum, vt de sinu superius diximus, cum nisi diutius materia intus contineatur bonum effectum præstare nequeat, & circumstantibus partibus, quando acrioribus Medicamentis vtimur, refrigerantia ac adstringentia applicari debent, vt est Vng. Defensiuum, vel similæ, & hoc faciendum ne dolor, & ex dolore inflamatio excitetur; Medicamenta liquida in Fistulam inycienda, & Callum absumentia sunt infrascripta.

Fistula Callum Exedentia liquida.

℞. Lixiuii ex Cineribus Corticum Fabarum, & Brassicæ vnc. 4. Mellis Rosacei vnc. 1. 5. Aluminis vnc. 5. M. & modicum bulliant, deinde ℞. dicti decocti vnc. 3. Puluerís præcipitati vnc. 5. M. & fiat iniectio, quæ satis mitis est, vel ℞. Vng. Aegiptiaci vnc. 5. Arsenici scrup. 1. Sublimati vnc. 5. Lixiuij vnc. 3. Aquæ Rosarum vnc. 2. Aquæ Plantaginis vnc. 4. M. & ad tertiæ partis consumptionem bulliant, & tribus diebus

iniectio

iniectio fiat, vel plus, aut minus, ſecundum quod citius, vel ſerius Callum conferit. Et qui plura Medicamenta deſiderat, adeat *Actium Serm.* 14. *cap.* 55. *& Paulum lib.* 4. *cap.* 49. *& lib.* 6. *cap.* 77.

Cognoſcitur verò acre ac erodens Medicamentum ſuum effectum præſtitiſſe ex Vlceris tumefactione, quæ poſtea apparet.

Si quando verò longior, & tranſuerſa Fiſtula eſt demiſſo Specillo contra principium huius incidi commodiſſimum eſt, & Collyrium vtrinque demitti debent, inquit *Celſus loco ſuperius citato.*

Curatio Fiſtulæ per inciſionem vel reſectionem.

Ferro, & igne auferetur Callus in ijs Fiſtulis præcipue, quæ non ſub cute, ſed intro recte ſeruntur oribiculatim, & circumcirca totum callum incidendo ac auferendo, & ſi Calli portio aliqua remanſerit, cauſtico Medicamento auferenda, & niſi cauſtico Medicamento cedat, candentibus Medicamentis adurenda. In illis Fiſtulis ſimiliter, quæ rectos habent ſinus, & intro tenduot, tantum candentibus ferramentis totus callus auferri poteſt. Ferro, & igne etiam vtimur in illis Fiſtulis præcipue, quæ ſunt in ſummo, ideſt ſub cute, & flexuoſos ſinus habent; Primum igitur Ligneo ſpecillo aliquantiſper plano intromiſſo, ſinum totum Nouicula ſiue Scalpello ſuper ſpecillum incidimus, & ſi plures flexus reperiantur, hi quoq; & ſpecillo, & Scalpello perquirendi ſunt, & ſic ſinus omnes aperiendi, & incidendi. Apertis omnibus ſinibus, ac Fiſtulæ ſine adiuuento, ſinus penicillis, ex Stuppa Oui albumine imbibitis replendi, & deſuper ſplenia ex Stuppa eodem Oui albumine imbibita ſuperponenda, vt dolor leniatur, ſanguis ſiſtatur, & in poſterum diem abſciſſi ſinus dilati ac aperti ſeruentur. Die ſequenti ignito ferramento locus adurendus, vel cauſtica Medicamenta applicari poſſunt, vt callofitas auferatur. Poſt Fiſtulæ vſtionem, vel ferro, vel cauſtico Medicamento factam, aliquod Anodinum applicandum, vt eſt Oleum Roſaceum cum Oui Vitello mixtum, vel quid ſimile, deinde, quæ Cruſtam, ſiue Eſcaram remouent ſunt applicanda, vt eſt Butyrum vel alia vnctuoſa pluries ſuperius dicta, quibus vſque ad Eſcare remotionem, & in puris conuerſionem vti debemus. Et ablatæ Callofitatis, & mortificatæ Fiſtulæ euidens indicium erit pus optimum, & in pauca quantitate ab Vlcere excretum, & locus ſine Tumore, & dolore, & ad vnguem ſiccus, vt inquit *Gal.* 2. *ad Glauc. cap.* 8. Ferro tantum auferetur callofitas, & Fiſtula curatur, inciſis omnibus cauitatibus ac ſinibus, vſque ad Fiſtulæ fundum vt ſuperius diximus, & callus totus, vel Vnguibus, vel ſpecilli acie, vel Nouacula detrahatur, ita vt ſinus à callo, & à ſorde omnino immunis appareat, quod vt *Auic. inquit*, viuæ, & probæ carnis præſentia percipitur.

Ablati Galli Signum.

Tota ablata callofitate, ſinus detergendus ac purus reddendus, vt bona caro regenerari, & ſinus optime conglutinari poſſit, & ſic tertiam intentionem conſequemur. Hoc verò fit, vel Mullo, vel Melicrato, vel Muria, vel decocto Eruicum Melle vel Aluminoſa Aqua, vel alijs in ſuperiori cap. dictis, vel infraſcripto Medicamento, quod maxime ad Fiſtulas detergendas laudatur, filamenta ex eo illinienda.

℞. Reſinæ Tereb. Aquæ Vitæ lotæ vnc. ℥. Succi Apij, Succi Cynogloſſi an. drag. 6. Mellis Roſ. Coll. vnc. 1. ſ. Ariſtolochiæ Rot. dragm. 2. Farinæ Lupinorum vnc. ſ. coquantur Succi, & Terebenthina cum Melle Roſaceo vſque ad conſumptionem medietatis Succorum, deinde reliqua commiſceantur, & ſi dicto Medicamento Sarcotica adiungantur vt eſt Myrrha Sarcocolla, Iridis, & Peucedani, radix, & ſimilia, prò carne regeneranda optimum erit. Infraſcriptum etiam pro Fiſtula maximè exſiccanda, conglutinanda, & parte affecta roboranda maximè à multis Autoribus laudatur.

Deterſiuum.

℞. Aquæ Vitis vnc. 2. Vini Maluatici vnc. 1. Mellis Roſ. dragm. 2. Myrrhæ Rad. Peucedani tritæ an. dragm. 2. Sarcocollæ, Aloes hep. an. dragm. 1. ſ. M. & omnia moderate vnico tantum feruore bulliant, & hoc Medicamentum Oricalio Clyſtere in Fiſtulam inyciatur, & his, vel ſimilibus quartam Intentionem conſequemur, vtque ſummatim dicam, & breuitatis gratia, pro tertia, & quarta intentione conſequenda, eadem Medicamenta, & eadem pulmaria, ac vincula, ſiue faſciaturæ, & tandem omnia conueniunt, quæ in ſinuoſo vlcere ſuperius dixi-

Med. Glutinans ac Sarcoticum.

mus

ximus, cum ablato Callo, non amplius sit Fistula, sed sinuosum vlcus; Si verò cum Fistula corruptum adsit, vt Cap. de Vlcere cum osse corrupto complicato diximus, vitiatum os curandum ac auferendum; Et hæc quo ad veram, & legitimam Fistularum curationem. Modo ad palliatam siue fucatam curationem deueniendum est, quam insinuauit *Gal. lib. de Tum. Præt. Nat. cap. 4. & Auic. 4. 4. Tractatu 4. cap. 11.*

De Fucata, & illegitimæ Fistulæ Curatione.

Vbi conueniat ista Curatio.

NOn vera, & inlegitima curatio in Fistulis fieri debet in ijs, qui ob virium, vel animi imbecillitatem, vel ob quid aliud dolores, qui ex acribus Med. vel ex vstione, vel incisione excitantur, ferre non possunt, vel in ijs Fistulis, in quarum curatione, ne maius malum sequatur, dubitamus; Vel quando est in aliquo nobili membro, & propè Venas, vel Arterias, vel Neruos, vel Neruosas partes attingat.

Prò hac igitur curatione facienda tenuis Dieta instituenda, & optime à superuacaneis humoribus corpus euacuandum, & humorum qui continuo gignuntur, ad aliquas partes minus nobiles diuersio facienda, cum dixerit Auic. Innaturalis meatus, qui diu emanauit, vt in antiquis Fistulis, obturari nequit absque grauiori timore, & commotione, nisi manatio consueta ad proxima deriuetur.

Quod ad localia, sinus quo ad fieri potest à fraudolenta carne, & sorditie expurgandus, deinde Medicamentis in superiori cap. dictis exsiccandi vim habentibus sinus exsiccandus, & Turundæ auferendæ, & desuper noua, & mollis Spongia, vel in Lixiuio, vel in Thermali Aqua, vel Calcis imbibita, & expressa alliganda, & his Fistula exterius consolidatur, & sana apparet, & sic per aliquod temporis spacium permaneat; Interius adhuc sinu existente, in quo temporis diuturnitate, vt plurimum, noua humiditas coadunatur, ex qua rursus fit abscessus, & Fistula renouatur. Et licet potius infirmi solatio, quam vt bene de hac curatione sit sperandum, hæc curatio fiat, tamen non est omnino spernenda, quoniam interdum ex hac curatione aliqui optime fuerunt sanati, & hoc aliquando in ijs euenit, qui optimo sunt corporis habitu, & sanam cutem habent.

Clauso enim Fistulæ orificio, cum calor transpirare non possit, probe naturales illius partis actiones exercet, ideò bene concoquit, digerit, & excrementa resoluit, & ideo etiam aliquando sinus coalescere facit, quod aperto Fistulæ orificio fieri non potest, cum naturalis calor per orificium transpiret, & hæc de inlegitima Fistulæ curatione dicta sint satis.

De Exulcerato Cancro nihil dicemus, cum abunde lib. de Tum. Præt. Naturam Cap. 30. fuerit à nobis dictum, ideo vide locum.

De Particularium Vlcerum Curatione.

LIcet particularium Vlcerum curatio à proposita Methodo non differat, ideò quod vbi Corrosio vel Virulentia, vel corruptio, vel sordicies, vel quid aliud adest, & Medicamenta corrosioni, Virulentiæ, Putredini, & Sordicici dicata ac conferentia competunt, & sic de alijs.

Tamen cum propter cuiusque particularis partis temperiem diuersa in quibusdam curatio instituì debeat; ideo post curationem Vlcerum in Vniuersali, ad particularium Vlcerum curationem deueniendum esse iudicauimus, à capite incipiendo, & deinde ad omnes inferiores partes ordinatim descendendo.

De Manantibus Capitis Vlceribus.

Cap. 14.

Qui nominis.

IN Capite præcipue manantia Vlcera fiunt, quæ à Grecis Achores, & Cerion nominantur, à Latinis Vlcera manantia, siuè Achores, & Faui dicuntur, & Auic. Saphatum, & alia Abas, & Recentiores Tineam appellant, à similitudine Vermiculorum illorum, qui in vestibus oriuntur, Tineæ, dicti, quia sicuti Vermiculi illi Pannum perforant, sic Tinea in Capitis

cute foramina efficit, & sub hoc nomine omnia manantia Capitis Vlcera comprehendi possunt.

Quidsit. Achores igitur, vulgo Tinea dicta, secundum *Gal. lib. de Tum. Prater Naturam, & Paul. lib. 3. cap. 3.* sunt Vlcera Capitis foraminulenta, cum al quo tumore, à quibus sanies tenaxem anat, vel Melli similis.

Differentiæ. Differentiæ horum Vlcerum à pluribus desumi possunt, vt ab excretis, & foraminum magnitudine; Nam si Melli similis materia emanet, & foramina maiora sint, Cerion siue Faui appellantur. Si verò minora sint foramina, & materia tenuior, sed glutinosa, à tenuibus foraminibus eructet, Achores appellantur. Vel differentiæ sumuntur à Magnitudine, vel à Tempore, vel ab ætate, siuè bono vel malo more, vel à coniunctis, cum huiusmodi Vlcera sint, vel magna, vel parua, recentia, vel antiqua, in viro, vel in muliere, in puero vel in adulto, & benigna, vel maligna, cum dolore, vel inflammatione, vel sine his. Possunt etiam à causis differentiæ sumi, vt inferius dicemus. Ex

Species. superioribus igitur dicere possumus quod, Vlcerum Capitis manantium species duæ sunt, vt Achores, quæ sunt Vlcera angustis foraminibus, & glutinosam ac viscolam humiditatem eructantia, & Cerion siuè Fauus dicta, quæ sunt Vlcera amplis, & satis patentibus foraminibus, & saniem Mellis crassitie emittentia.

De Causis Manantium Vlcerum Curatione.

CApitis manantia Vlcera, vt inquit *Gal. lib. primo de Com. Med. S.* Loca, generantur ex humore mixto, qui partim tenuem, & serosum ac mordacem, partim crassum succum in se habet; Tenuis itaque humor, vt potè mordax, primum quidem ad scalpendum ipsos impellit, progressu verò temporis ad scalpturam, tum tumor augescit, tùm foramina circa ipsam abrumpunt, & *lib. de Tum. Prat. Nat. dixit Gal.* Achor Vlcus est in Capite, quod facile corrigias, Pituitæ salsæ, & nitrosæ esse lobolem, vt à quo sanies quædam, nec Aquosa simpliciter, nec rursus, vt Mel, crassa, defluit, eiusmodi est in Ceria siuè Fauo; *Paul. etiam lib. 3. cap. 3.* ex nitrosa sallaque pituita hæc Vlcera creari credit, alij ex melancholia, alij ex sanguine sub cute malignè putrescentibus; Dicendum tamen, quod ex singulis humoribus, si ex putrefactione, & adustione tantam acredinem acquirant, vt erodendi vim habeant, hæc Vlcera fieri possunt. Oriuntur etiam aliquando talia Vlcera ex praua partis intemperie, quæ quicquid pro illius partis nutrimento venit, totum corrumpit, & ideo quando ex tali causa fiunt, & si omnia vniuersalia Medicamenta recte instituantur, ac in executionem ponantur, Vlcera tamen non sanantur, nisi particularibus partis temperies tollatur. Ex contagio similiter in pueruli, & alijs teneram carnem habentibus hæc Vlcera oriuntur, cum sit contagiosus morbus.

De signis Manantium Vlcerum Capitis.

TAlium Vlcerum notæ sunt manifestæ, quoniam in cute Capitis scabies cum crustis, & squamis apparet, quæ sunt albæ siuè Cinericeæ, Fetidæ, & aspectu horribiles, Fiunt verò crustæ huiusmodi coloris, ob adustorum humosum incinerationem, cum Cinis ad album colorem trahat, nam color in adurendo primum denigratur, & incinerando dealbatur; Pruritus etiam adest, & capilli ob materiam malignæ putrescentem, & eorum radicibus adherentem, easque erodentem, decidunt, & euulsi capilli radix crassa, & cum lento, & crasso humore obsita est, & si crustæ auferantur, tenuia foramina apparent, & Gal. primo de Com. Med. S. Loca, horum Vlcerum signa tradens inquit,

Inter affectus inuadentes Capitis, cutem Achores annumerantur, ex Tumorum præter naturam genere existentes, quo affecta particula foraminibus quibusdam tenuibus eroditur, tenuique humore, & modicè viscido redundantibus, & Faui signa tradens inquit. His proxime accedit cutis illa affectio, quæ Cerion Græcis, Latinis Fauus dicitur, foraminibus in eo maioribus, in quibus humor Hymettio Melli similis continetur.

Humorum talia Vlcera facientium signa ex excretis desumuntur, nam si admodum tenues consistentia humores excernantur,

cernantur, ex biliosis fieri indicant, si crassi, & glutinosi, ex pituitosis, vel melancholicis, si mediocri consistentia sint, & alia prædominantis sanguinis signa adsint ex sanguine ortum habuisse, iudicare possumus.

De Manantium Capitis Vlcerum Prognostico.

CVm nitrosa, & salsa pituita, vel melancholicus humor, vel humores alij sub cute maligne putrescunt, & quia Capillorum radicibus multa adherent, & quia cutis in capite densior cæteris partibus adest, & vix tota materia detergi, & elui potest. Ideo huiusmodi Vlcera ægre sanescunt.

Antiqua Capitis manantia Vlcera, aut curationem non recipiunt, aut difficillime ob habituatam iam partis intemperiem, & ideo dicere possumus. Quanto capitis Vlcera, & aliæ cutis infectiones recentiores sunt, tanto facilioris sunt curationis, & è conuerso. Sic quanto Achores, & aliæ cutis infectiones profundiores, & magis cuti sunt affixæ, eo difficilioris curationis sunt; Hæc manantia capitis Vlcera ex humorum pernicie orta infantibus, & adolescentibus, vt plurimum eueniunt, & ob sanguinis abundantiam, & ob inglauiem, ob quam ij multis superfluitatibus replentur, & ratione mollitiei facilius per contagium ab hac infectione inficiuntur. Iuuenes autem, cum calorem fortiorem, & magis ad superfluitates absumendas aptum habeant, ideo minus Achoribus tentantur.

Si pauca item fricatione cutis rubeat, signum est quod Achores facilius curari poterunt. Si tardius, & maiori fricatione vix rubicunda euadat, difficilius curantur, & fortioribus Medicamentis egent; Si nullo pacto rubicunda euadat, vel curationem non admittit, vel fortissimis præsidijs, vt scarificatione, & alijs valentissimis Med. vt inferius dicemus.

De Manantium Capitis Vlcerum Curatione.

IN horum Vlcerum Curatione instituenda, imprimis animaduertendum, vtrum affectio sit magna, vel parua, recens, vel antiqua, benigna, vel maligna, cum in parua affectione, recenti, & benigna, tantum vnam intentionem, quæ in localibus consistit habere debeamus, vt inquit *Gal. 1. de Comp. Med. S. Loca*. Localibus ergo leuioribus tunc vti debemus, & purgationes, & fortia Medicamenta opus non sunt. Recordandum tamen, quod externa cutis capitis, ob sui naturalem temperiem valenter siccantia desiderat.

Si verò affectio sit magna, antiqua, & malimoris, cum ab humorum vitio fouetur; Tres intentiones habere debemus. Prima in sex rebus nonnaturalibus, & præcipue in victu consistit; Secunda in peccantium humorum euacuatione; Tertia in localibus, & topicis Medicamentis. Victus ergo ratio ex cibis boni succi instituatur, & omnia acria, salsa, glutinosa, & crassa, vitanda, vt loco superius citato inquit Paul. & ea omnia, quæ generationis prauorum humorum, & eorum adustionis causa esse possunt, vt est satietas, & ciborum copia, & exercitia post cibum.

Pro secunda intentione consequenda vt loco superius citato Gal. inquit, totum corpus à peccantibus humoribus, & hunc morbum generantibus expurgandum, ac euacuandum, & hoc conuenientibus Medicamentis, & Venæ sectione, nisi quid obstet, faciendum, deinde, & per os, & per nares idest Gargarismis, & Herrinijs, & his similibus caput purgandum, & sic humorum influxus prohibebitur.

Vt tertiam intentionem consequamur, inquit loco superius citato Gal. Et pharmaca idonea erunt, quæ crassum humorem incidant, & quæ facultate necessario discutiant, & repellant, & inter cætera Acetum exquisitissime acidum, idest optimum, laudat, cum ex incidentium ordine existat, discutiat, & reprimat, ac quod influit, repellat, & dictum Acetum Metallicis Pharmacis miscendum, semper ab imbecillioribus incipiendo, præsertim si dolor infestet, & inquit, quod apta ad hanc rem sunt Terra Cimolia, Cretica, Lemnia, & Samia, præterea Pompholix, Spodium, Litargyros, & Cadmia tenella, & si his remedijs alum non cedat, Pharmacum ex Charta siccum, & Aceto dilutum illinito, prius semper Capillos abradendo.

Si verò huiuſmodi Vlcera inflammata, & dolore affecta fuerint, conſiderandum, an Dolor, & inflammatio magna, vel parua ſit, & ſi leuis dolor adſit, & parua inflammatio, liniatur caput Oleo Roſaceo cum ſæuo Caprino mixto, & Oui Vitello, vel Fœnugreci farina cum Roſaceo mixta, vel Fabarum Farina cum Vino, & Roſaceo mixta, & his parua Inflammatio, & dolor lenietur; Si verò dolor, & inflammatio magis vrgeant, Medicamentum, quod humidum ſit, & molliat, & ſine acrimonia concoquat, vt Gal. inquit, eſt applicandum, vt eſt infraſcriptum Parygon à Græcis dictum.

℞. Adipis Suilli recentis, & purgati vnc. 8. Ceræ vnc. 4. Ceruſæ, Argenti ſpumæ an. vn. 1. M. & S. A. fiat in Vnguenti forma.

Imprimis ergo ante localium applicationem caput radendum, & hoc faciendum bis in hebdomada, deinde, vt cruſtæ decidant, & cutis munda reddatur, per tres dies mane, & ſero abluatur caput aliqua ex infraſcriptis lotionibus, deinde calidis Linteis optime exſiccetur, & inungatur caput Oleo nucum calido, vel Chamomelino, vel Violaceo, vel de Cherua, ſiue de Miraſole vulgo dicto, vel ſeparatis, vel ſimul mixtis, poſt tertiam diem iterum radatur, & fricetur caput cum Tartaro diſſoluto in aliqua ex infraſcriptis lotionibus, vel cum ſquilla, vel cum alijs, & poſt dictam fricationem iterum abluatur, & cum panno Lineo exſiccetur, & deinde dictis Oleis inungatur mane, & ſero vt dixímus, & ſic trium, vel quatuor dierum ſpacio faciendum poſtea iterum abradendum, & vna ex infraſcriptis, inunctionibus inungatur, ex quibus aliquæ ſunt mitiores, aliæ valentiores, cum huiuſmodi Topica remedia ſint diſtinguenda pro vt morbus eſt magnus, vel paruus recens, vel confirmatus, ſuperficialis vel profundus, benignus, vel malignus, nec non pro vt Aegerratione Ætatis, Sexus Habitus corporis, vel aliter aut molliorem aut duriorem naturam obtineat.

Lotiones

Lotiones ſunt infraſcriptæ, ℞. Lixiuij facti cum cineribus Lignorum Ficus, in quo incoquantur, Malua, Lapatium acutum, Beta, & amari Lupini, vel abluatur cum Decocto ex Myrti Baccis, Foliis Rubi, Bryoniæ, Lenticulæ, amaris Lupinis, & Aſparagum Radicibus; Vel ablutio fiat cum decocto Fumariæ. Lapatij acuti, Foliorum Hederæ, Oleaſtri, Salicis, Acetoſæ, & ſcillæ, vel fiat Lixiuium, ex Cineribus ſarmentorum vitis, Fraxini, & Braſſicæ, in quo incoquantur Chalamentum, Lauri folia, Chamemolum Melilotum, & Stechados, vel ablutio fiat cum decocto fumariæ, Lapatij acuti, Chamemoli, & Foliorum ſalicum.

Inunctiones, ſiue Vnguenta ſunt infraſcripta. *Vnguenta.*

℞. Tutiæ preparatæ vnc. 5. Spodij, Thuris, Litargirij an. dragm. 2. Aceti acerrimi q. ſuff. M. & pro Linimento, & hoc mitius eſt, vel.

℞. Sulphuris viui, Ellebori albi, nigri an. dragm. 3. Fœcis vini vſtæ, Chalcis Aceto maceratæ an. dragm. 1. 5. Olei antiqui q. ſuff. M. & fiat Linimentum, quod valentius eſt.

Gal. maxime laudat Medicamentum factum ex Papiro, ſiue Charta, quod ab eo deſcribitur 5. de Comp. Medicamentorum S. Gen. cap. 14. & valentiſſime agit. Quamuis Papirum, ſiue Charta noſtra, non ſit eadem Antiquorum, tamen ferre eaſdem habet facultates, ideſt exſiccandi, ſed bene verum eſt, quod debilius agit vel.

℞. Argenti Spumæ, Thuris an. dragm. 3. Sulphuris viui dragm. 2. Olei Roſacei vnc. 3. Aceti vnc. 6. M. & quouſque dicta ad ſordium conſiſtentiam incraſſentur, coquantur, vel.

℞. Pulueris foliorum Myrti vnc. 5. Sulphuris viui, Litargirij an. dragm. 1. Olei Myrtini vnc. 6. Aceti acerrimi vnc. 2. M. & aliquantiſper coquantur, & fiat Linimentum, vel.

℞. Succi foliorum Myrti, Acaciæ, Thuris an. dragm 2. Olei Laurini, Aceti an. vnc. 2. M. & caput liniatur, vel.

℞. Aluminis vſti, Calchanthi an. vnc. 1. Ariſtolochiæ, Aeruginis raſilis an. vnc. 5. Picis nauallis vnc. 2. Axungiæ Equi vnc. 1. veteris Butyri lib. 1. M. & Fiat Vnguentum, vel.

℞. Ellebori albi, nigri, Sulphuris viui Atramenti, Litargirij Chalcis viuæ, Aluminis, Gallarum, Fuliginis æris Furni Cineris corticum Auellanarum, an. vnc. 5. Argenti viui extincti, viride Aeris an. drag. 2. ex his omnibus puluis tenuiſſimus

fiat

fiat, postea ℞. Succi Borraginis, Scabiosæ, Fumariæ, & Lapatij acuti an vnc. 2. M. & lento igne bulliant cum fece Olei antiqui, & Aceto acerrimo an. q. suff. Deinde addantur supradictarum rerum puluueres, & in fine addatur picis liquidæ vnc. 1. Ceræ nouæ q. suff. M. & S. A. Fiat Vnguentum, quod in optime purgato corpore, & debitis modis adhibitum optimum est, & nunquam me decepit.

Si verò ex fortibus Medicamentis aliqua læsio in cute appareat, à fortioribus, & acribus abstinendum, & caput Adipe Anseris, vel Gallinæ, vel ad dolorem læniendum, superius institutis Vng. vel Linimentis inungatur.

Aliqui volunt, quod fiant nouem Pileoli de Panno Laneo, vel Lineo, qui pice nigra, & Resina simul mixtis illiniantur, & calidus super caput rasum vnus ponatur, & nouem dierum spacio sic teneatur, post violenter remoueatur, & capilli, qui remanent vellellis auellantur; Deinde caput vna ex suprascriptis lotionibus albuatur, & post perfectam capitis exsiccationem, denuo ponatur secundus Pileolus calidus, & nouem diebus maneat, & fiat, vt superius fuit dictum, quousque nouem pileolis vsi fuerimus; Deinde caput mane, & sero aliqua ex suprascriptis lotionibus abluatur, & aliqua ex suprascriptis inunctionibus postea inungatur, & hac curatione pluries vsi fuimus, & in affectu inueterato optima est.

Infrascriptam Lotionem etiam cum inunctione infrascripta valde vtilem in Achoribus non valde antiquis adinuenimus.

℞. Lixiuij dulcis q. suff. pro vnica vice in quo decoquantur Aristolochiæ Rot. Panis Porcini an. vnc. 5. Gentianæ Rheupontici an. dragm. 3. Centaurij Maioris dragm. 2. decoquantur omnia ad consumptionem tertiæ partis Lixiuij, & cum eo lauetur caput semel, vel bis in die, deinde exsiccetur, & infrascripto Oleo Mag. caput inungatur.

℞. Ireos vnc. 5. Squillæ vnc. 1. Centauri Min. vnc. 5. Myrtillorum vnc. 1. Garyophillorum vnc. 1. 5. Olei Amigdalarum Amararum lib. 1. ponantur omnia simul in Balneo Mariæ lento igne per sex horas, postea seruetur Oleum in sole, remouendo eum nocte, & tempore nubiloso, & hoc Oleo calido illiniatur caput, sicuti diximus.

De Oculorum Vlceribus. Cap. 15.

Vlcus vere, & proprie dicatur, vbi in carnosa parte continuitas soluitur, & cum sanie est, vt à Vulnere distinguatur, vt 4. *Meth. cap.* 1. *Gal inquit*, Tamen si in membranosa partæ ac spermatica cum sanie continuitatis solutio accidat, vlcus etiam dici poterit, vt inquit *Paul. lib. 3. cap. 22.*

Oculorum ergo tunicæ, sicuti carnosæ partes, Vlceribus affici possunt. Sed cum oculus pluribus, & diuersis partibus sit compositus, plures, & diuersæ partes Vlcere affici possunt, cum interdum coniunctiuam, siue Adnatam tunicam, interdum Corneam, aliquando Angulorum aliquem & quandoque palpebram Vlcere laborare videamus, *Gal.* 1. *de Sympt. causis inquit*.

Ne Christallinus humor est à continuitatis solutione immunis.

Differentiæ horum Vlcerum desumi possunt, vel à parte affecta, vel ab eorum qualitatibus, vel à moribus, vel à causis, vel differant Corneæ Vlcera ab illis, quæ sunt in coniunctiua, & alia sunt magna, alia parua, alia munda, alia sordida, alia boni moris, alia exedentia, & mali moris, aliaque ab externa causa orta, alia ab interna, vt post Ophtalmiam, vel vgulam, aut Pterigium, aut post Lachrymas aut post calidam, & acrem fluxionem, & similia. Gal. tamen lib. de Medicis Definitionibus in Cornea quatuor Vlcerum differentias, siue species posuit, & prima nominatur caligo; Secunda Nebula; Tertia Albor, & Quarta Lanosa; *Auic. verò lib. 3. Fen. 3. Tract. 2. cap. 3.* tres species adiungit, quarum prima illæ Aulumnum, Latini fossulam nominant; Secunda Luluma, & vngula dicitur; Tertia ab Auic. Alficume, & à nobis Adustiua nominatur.

De Vlcerum Oculorum cauſis.

CAuſæ Vlcerum Occulorum, vel Externæ, vel Internæ eſſe poſſunt, Externæ, vt *Aetius Sermc. 7 cap. 15. inquit* ſunt aliquid in oculum illabens, Caſus percuſſio, ſiue contuſio. Internæ ſunt acrium humorum influxus, ex quibus in oculi tunicis eroſio fit, aut tales ibi fiunt humores propter Apoſtema, aut puſtulas, ſiue Veſſicas illi aduenientes.

De Vlcerum Oculorum ſignis.

HOrum Vlcerum ſigna manifeſta ſunt, cum viſus ſenſui pateant, & ſi Vlcera ſint in coniunctiua Tunica, rubicundi coloris apparent ob multas Venas, quæ per hanc tunicam diſperguntur ſi ſint in Cornea alba ſunt, & ita reddunt ob ſaniem ibi retentam, vel ob aerem intra diſtruptas tunicas ingredientem, & quo Vlcus profundius fuerit, magis ad albedinem tendit, & ideo in Caligine cum parua, & ſuperficialia Corneæ Vlcera ſint albedo quaſi atomoſa, & diſperſa appareat, & laborantes tanquam puluerem ſuper oculum aſperſum ſentiunt, & in Nebula macula magis alba, ſed minoris dilationis apparet, in Albore verò, cum Corneæ tunicæ circumferentiam occupet quæ coniunctiuæ adnectitur, ex parte quà coniunctiuam tangit, rubicundi coloris eſt, & ex parte erga pupillam albi coloris apparet; In Lanoſa verò, circa pupillam quaſi Lanæ flocci hinc inde diſperſi apparent; In foſſula vlcus eſt anguſtum ac mundum, & ſubmerſam habet profunditatem, vngula minoris eſt profunditatis ſupra dicta, ſed magis dilatatur, Auſtiua ſordem, & cruſtas habet. Cauſarum Externarum ſigna ex Aegrotantis, & aſſiſtentium relatione deſumuntur; Internarum verò ex præcedenti acrium humorum defluxu, & ex vehementi aliqua inflammatione, ſiue Apoſtemate, vel puſtulis, vel Veſſicis præcedentibus in cognitionem deuenire poſſumus, & hæc præciſe indicant, vehemens dolor, punctio, Lachrymarum fluentium copia, acrimonia acutics ac mordicatio, & propria inflammationis aut Tuberculi ſigna. Ex his Symptomatibus ſimiliter, ideſt ex doloris qualitate, ideſt an ſit punctorius, vel alterius qualitatis, redundantis humoris qualitas inueſtigari poterit, conſiderato ſimul ægri temperamento, ætate victu, Sexu, Regione, Aeris conſtitutione, anni tempore, & alijs requiſitis.

De Vlcerum Oculorum Prognoſtico.

VBi in oculo ingens adfuerit dolor, cum multitudine ac tenuium lachrymarum acredine, ac mordacitate, vna cum rubedine, & ſi luminis ſplendorem patiens ferre non poſſit, & aliqua ſordities, ſiue ſanies ab oculo effluit, ac emanat, in tali ægrotante ipſos oculos exulceratos eſſe prænunciari poteſt.

Corniformis Tunicæ Vlcera periculoſiora, quam reliquarum partium oculi, & ſi profunda ſint, vel alicuius humoris effuſionis, vel Vueæ procidentiæ periculum adeſt; Et quo magis ad pupillam talia Vlcera accedunt, eo periculoſiora ſunt, & ſi ea pars, quæ pupillæ eſt obiecta fuerit Vlcerata, & vlcus ad interiora deſcendit, vt plurimum aliquid aquoſi humoris foras effunditur, & de omnimoda cecitate periculum adeſt, vt inquit *Gal. primo de Cauſis Sympt. cap. 2. & Rhaſis inquit*, Vlcera, quæ in ingreditur pupillæ oriuntur omnibus deteriora.

Illa verò Vlcera, quæ in Coniunctiua tunica ſunt oborta prædictis minus ſunt periculoſa, ſed hæc etiam, quo magis ad pupillam accedunt, eo magis ſunt periculoſa. Profundiora Oculi Vlcera, Caua, Sordida, & Cruſtuoſa, magis ſunt periculoſa, & curatu difficiliora, cum in eorum mundificatione, ne oculus corrumpatur periculum adſit, vel ne omnino Cornea diſrumpatur, & poſtea, vel Vueæ; vel Albuginei humoris exitus fiat.

In omnibus Corneæ Vlceribus, poſt eorum curationem, vt alba Cicatrix remaneat, eſt neceſſe, quoniam cum tunica hæc ſpermatica pars ſit per primam intentionem nullo pacto vniri poteſt, ſed per aliquod intermedium, quod eterogeneum erit.

De Vlcerum Oculorum curatione.

IN hac curatione quatuor intentiones habere debemus. Prima in sex rebus nonnaturalibus consistit; Secunda in Antecedentis, & coniunctæ materiæ euacuatione, & in debitis Reuulsionibus, & Deriuationibus; Tertia in localibus, & quarta in Symptomatum correctione.

Prima intentionem complebimus, si victum tenuem, boni succi, & pro potu Aquam instituemus, vtque in obscuro ac temperato Aere viuat, ac à validis motibus præsertim superiorum partium, se abstineat, & à Tussi, sternutatione, & vomitu se caueat, & si quid istorum adfuerit, remoueatur, cum ista caput, & oculos vaporibus repleant, iaceat æger supinus vel super latus oculi sani, vt humores ad oculum lesum non fluant. Somnus sit moderatus, & nocturnus. Deuitet animi curas, & passiones, & iram præsertim, & Venerem, & aluus lubrica seruetur.

Vt secundam intentionem consequamur, inquit *Aetius Serm. 7. cap. 15.* Si sanguinis plenitudo adsit, vel in toto corpore, aut in capite tantum, Vena cubiti externa, aut media secanda, & si Cacochymia adfuerit, peccantes humores conuenientibus Medicamentis purgandi, & à Venæ sectione abstinendum; Si verò, & pletora, & Cacochymia simul adsint, & Venæ sectio, & purgatio facienda, fluentium humorum Reuulsiones, & Deriuationes faciendæ, Clisteribus, & inferiorum partium ac Brachiorum Frictionibus, Vinculis, & Cucurbitulis inferioribus partibus applicatis, & his similibus.

Quo ad particularia præsidia, *Gal primo de Causis Sympt. cap. 2. & 4. de Comp. Medicamentorum S. Loca cap. 3. inquit*, Oculorum Vlcera eandem secundum genus requirunt curationem, quam alia Vlcera; Nisi quod ob partis naturam ac præstantiam in Oculorum Vlceribus quam leuissima adhibenda Medicamenta, & si dolor, vel inflammatio cum Vlcere sit coniuncta, fluxio Reuulsionibus cohibenda, & fronti Repellentia applicanda, & Dolor inprimis leniendus, & inflammatio debitis præsidijs curanda, non neglecto tamen Vlcere, vt inquit *Paul. lib. 3. cap. 22. & Tralianus lib. 2. cap. 5.* & huiusmodi est Collyryum album muliebri Lacte dissolutum, cum tale Lac refrigeret, leniat, detergat, & dolorem tollat, vel Oui albumen optime concussum, & cum muliebri Lacte, vel Rosacea Aqua commixtum, Aetius loco superius citato in tali casu laudat Empl. factum ex integro Ouo, Oleo Rosaceo, & Vino, quod repefactum, & molli Lana exceptum superponatur. Diebus sequentibus foueatur locus decocto Rosarum, aut Meliloti, & infundatur Lac muliebræ tepidum cum Ouo. Deinde si sordida fuerint Vlcera, pro eius mundificatione, vel Hordei non decorticati decocto, vel Plantaginis Aqua in qua fenum græcum optime lotum sit incoctum, vt *Gal. & Aetio placuit*, Vel puluere saccati canditi, vel Aloë lota, vel Myrrha vtere; Si que maiori mundificatione fuerit opus, mulsa mediocriter diluta, vel Fænugreci decocto, vel Fenugreci succo cum pauca Mellis portione, quod valentius est, vt *Paulus inquit, vti possumus.*

Optime detersо, & mundo reddito Vlcere exsiccantibus vti debemus, sicuti est Tutia præparata, quæ glutinandi vim habet, vel Sieph album sine Opio, quæ tenuissime trita dissoluenda in Aqua Rosarum Plantaginis, Aequiseti, & Lacte Caprino, vel muliebri, & pro Vlcere superficiei Corneæ, infrascriptum est optimum.

℞. Sarcocollæ nutritæ cum Lacte Asinæ dragm. 2. Cerussæ lotæ dragm. 1. 5. M. & fiat pulvis tenuissimus, vel vti possumus Sieph de Thure, quod glutinandi, & incarnandi vim habet, & compositio est Rhasis, & ita fit. ℞. Armoniaci, Sarcocollæ nutritæ an. dragm. 5. Thuris dragm. 10. Croci dragm. 2. M. & cum Mucilagine Fænugreci S. A. fiat Collyryum, quod etiam detergit, vel vti possumus Tutia præparata, & lota cum Aqua Euphragiæ, & cum Aqua Rosarum albarum, cui admisceatur parum Thuris, Aloes lotæ, & præparatæ, Mastiches, & Myrrhæ subtiliter omnibus pulverizzatis. Nisi his vlcus optime fuerit exsiccatum, & inducta cicatrix, Sieph ex plumbo institutione Rhasis vti possumus. *Sieph de Thure.*

Quod ita fit; ℞. Plumbi adusti, Antimonij, Tutiæ præparatæ, Aeris vsti Gummi Arabici *Sieph de Plumbo.*

Arabici, Dragaganthi an. vnc. 1. Opij dragm. 1. Alij dragm. 5. apponunt, M. & omnia pulueriz zentur, & cum ſerico Panno cribellentur, & cum pluuiali Aqua fiat Sieph.

Poſt Medicamenti ſuper oculum impoſitionem, duplicatus linteus apponatur, qui aliquam compreſſionem, ſine dolore, faciat, & Binda leuiter ligetur. Hoc enim faciendum, vt Medicamenta ſupra oculum retineantur, & ne oculus moueatur, & ſi quis imperuoſus motus, vt in ſtarnutatione, vel Tuſſi, fiat, etiam, ne Cornea abrumpatur, impedit.

Poſt quam vlcus conſolidatum ac ſanatum fuerit, alba cicatrix, quæ remanet quantum fieri poteſt Medicamentis ad hoc aptis, ſicuti lib. de Vulneribus, cap. de oculi Vulnere, diximus remouenda.

Vlcera verò maligna, ſordida, cicatricem non recipientia, & maximè dolorosa, *Aetius, ſanari non poſſe, inquit.* Sed in his dolores, oui albumine, vel muliebri Lacte ræpido, & his ſimilibus leniendi ac mitigandi, & hæc de oculorum Vlceribus ſatis; Et ſi quis plura deſiderat, videat curationem Vulnerum oculorum, vbi multa pro 3. & 4. Intentione conſequenda adinuenies.

De Fiſtula Lacrymali.
Cap. 16.

Quid ſit

LAchrymalis Fiſtula eſt Vlcus concauum, profundum, calloſum, cum anguſto orificio, in maiori oculi angulo, à quo ſanies emanat, Dicitur verò Fiſtula, quia omnes conditiones habet, quas aliarum partium Fiſtulæ; Dicitur verò Lachrymalis, ab affecta parte, cum oriatur, vbi Lacrymæ effluere ſolent, & hæ Fiſtulæ quandoque ad carnem terminantur.

Species.

De Lacrymalium.

HViuſmodi Fiſtulæ, vt plurimum, exiguum quoddam Tuberculum inter Vaſi os, & magnum oculi angulum ortum, Aegilope dictum, conſequuntur, quod ſuppum, ſi negligatur, in Fiſtulam abit, vſque ad os ipſum progrediens, vel quando huius Tuberculi apertio retardatur, ex mora enim ſanies nitroſitatem, & acredinem acquirit, & pars vſque ad os exulceratur, & fit Fiſtula. Harum ergo Fiſtuiarum cauſa eſt materia relicta ex male curata oculi Phlegmone, vel abſceſſu alio, vel ea nitroſa pituita, vel alio humore illich congeſto, qui temporis ſucceſſu erodendi vim acquirit.

De Lachrymalium Fiſtularum ſignis.

FIſtularum Lachrymalium notæ ſunt quod in tali parte Apoſtema ſiue Tuberculum dictum præceſſit, cum dolore, tumore, & ſanie, quæ quandoque per exterius, & aliquando per vtrumque latus, & aliquando per Nares effluit, & in parte illa adeſt duricies, & calloſitas cum profunditate, & aliquando à Fiſtula quædam materia virulenta, & tenuis egreditur, & quandoque craſſa, & tenax, & aliquando tam praua eſt egrediens materia, quod Naſi Arumculas corrodit, & quandoque Palpebrarum Chartilagines, & loca per quæ tranſit, & etiam illa denigrat, & quando digiti ſummitate affecta pars comprimitur, in maiori copia ſanies emanat, & iſtorum oculi ſemper ſerre rubicundi apparent.

Ad quam verò partem Fiſtula terminetur, ex ſpecilli immiſſione cognoſcitur nam ſi ad carnem lenitas, & mollicies ſpecillo perſentitur; Si ad os, duricies, & aſperitas.

De Lachrymalium Fiſtularum Prognoſtico.

PLuribus de cauſis huiuſmodi Fiſtulæ difficilis ſunt curationis; Primo propter affectarum partium tenuitatem, ideſt cutis, & oſſis, cum ſubtiliſſimum ſit illius partis os, & ſuperpoſita cutis ſimiliter; Secundo ob oculi propinquitatem, cum multa Med. ad Fiſtulam vtilia, ob periculum, quod adeſt, ne in oculum

influant

influant, applicari non possint; Tertio ob partis sensibilitatem quæ fortia Medicamenta non tollerat; Quarto quia nullo pacto adhærere huiusmodi Medicamenta possunt, nisi deligatura totum oculum complectatur, quam impossibilæ tot diebus aliquem perferre posse, quot ad mali curationem requiruntur.

Quinto ob Fistulæ profunditatem ac cauernositatem; Sexto ob multas humiditas ac superfluitates ad illam partem confluentes, quæ difficillime euacuantur.

Antiqua Lachrymalis Fistula curari non potest, nisi Cauterio. Recens verò infrascriptis Medicamentis sæpe curatur, & quæ ad carnem terminatur facilius, quam, quæ ad os peruenit, sanatur Si verò Palpebræ Area ex humorum acredine, vel Medicamentis, vel quocumque modo rumpatur, semper Lachrymæ effluunt, & pars deformis remanet. In Lachrymali item Fistula, si in eius curatione vel quocumque alio modo maioris anguli caro fuerit absumpta, semper ab oculo Lachrymas effluere est necesse.

De Lachrymalium Fistularum Curatione.

IN huiusmodi Fistulis curandis, præmissis vniuersalibus, ideſt purgatione, & optima institutis dicta, & alijs superius pluries dictis, imprimis considerandum, si Fistula sit antiqua, vel recens, & non confirmata, & ad quam partem peruenitat, ideſt, an ad os, vel in carnem terminetur. Si ergo recens, & non confirmata, sit Lachrymalis Fistula, & ad carnem terminetur.

Intentio nostra erit partem mundificare, & genitum iam callum exturpare. Sed vt Medicamenta ad hoc apta applicari possint, imprimis orificium dilatandum, & post calli remotionem, pars carne replenda ac conglutinanda, & tandem Fistula consolidanda. Si verò Fistula sit antiqua, & confirmata, & ad os vsque perueniat, & eius corruptio adsit, cum nisi Cheirurgia, & adustione curari possit ad hoc, vt inferius dicemus, deueniendum.

Vt ergo orificium dilatetur; Turunda siue Tenta ex Gentiana, vel de molli Spongia, vel ex stuppa siue Linamentis confecta, & aliquo valido detergente, vt Vnguentum Aegiptiaco, vel alio simili oblinita intromittenda. Aperto, quo ad est satis, orificio, quando nulla subest ossis caries, sed tantum callosa caro, absumatur Vnguento Aegiptiaco, vel Mercurij puluere, vel Asphodelorum, vel infrascriptis Medicamentis.

℞ Aquæ Vitæ, seu Vini optimi, Mellis Rosacei col. an. dragm. 1. Myrrhæ dragm. 2. M. & fiat Lenimentum, quo bis in die, ideſt mane, & sero, locus illiniatur, vel infrascriptæ Aquæ gutta imponatur, quæ multum valet.

℞ Vetrioli, Salis Armoniaci, Salis Nitri an vnc. 1. Albuminum Ouorum igne induratorum num. 2. M. & incorporentur, & per distillationem Aqua extrahatur, quæ in Vitreo vase ad vsum seruetur.

Vel imponatur infrascriptum Colliryum Rhasis, quod vel Fistulam omnino sanat, vel temporis spacio illam occultat.

℞. Thuris, Sarcocollæ, Aloes, Sang. Dragonis, Balaustiorum, Antimonij, Aluminis an. scrop. 3. Floris Aeris scrup. 1. & cum pluuiali Aqua S. A. fiat Sieph, siue Colliryum, & hoc Colliyrio vti possumus dissoluto in Vino, in quo Gallæ, & Balaustia sint incocta, & quousque nihil a Fistula, vel ex se, vel expressione effluat, hoc Colliryo vti debemus. Ammoniacum etiam Aceto dissolutum cum Aerugine rasili mixtum Lachrymalem Fistulam absumit, inquit etiam Auicennas; Quod si Fistulæ cauitas Lanugine sicca, quæ in Arundinum radice reperitur, repleatur, vel tali Lanugine Melle commixta, & vsque ad integram detersionem maneat, illas curat, si non dum confirmatæ sint, & si huiusmodi Fistulas aliquando albuere volumus, læniter ablundæ, decocto, vel Aquis Cælidoniæ, & Rulæ pauco Melle commixto aut decocto Agrimoniæ facto in Vino albo cum Melle, deinde mundissimis, & mollissimis Linteis exsiccetur. Absumpto Callo, Sarcoticis, & Glutinantibus Med. sicuti de aliarum partium Fistulis fuit dictum, vti debemus.

Quando verò Fistula antiqua est, & cum ossis carie, siue corruptione, talis corruptio, vel ossis abrasione, vel causticoMed. *Curatio per Chirurgiã.*

Med. vel actuali Cauterio hæc actio fit, cum Med. cauſtica oculis vt plurimum, obſint. In facienda verò hac Cheirurgica actione, commodè patiens eſt ſituandus, & ab aſſiſtentibus tùm caput, tùm cætera membra firmiter, & valide, ne moueri poſſit, continenda, & Cutis ſecundum longitudinem, & diſtantius, quam poſſit, à Lachrimali Caruncula, nouacula, vel Scalpello, Phlebotomo dicto, vel alio apto inſtrumento incidenda, & ſicuti in Capitis inciſionibus, quando, an cranium ſit læſum, videre volumus, Cutis à ſubiecto oſſe ſeparanda, deinde Stuppis, Oui albumine imbibitis locus impleatur, vt ſequenti die oſſi noxa videri poſſit, & apparente ſecunda die oſſis corruptione, inurenda cauterijs ignitis rotundis, vel eius formæ, & magnitudinis, cuius erit caries, & oſſis corruptio, Cauteria eſſe debent, & ſint ex Auro, vel Aere, & minimè ex Ferro, cum ex ignito Ferro maior aduſtio fiat, & profundior cicatrix, vtque ne oculus lædatur per cannulam tale Cauterium immitti poteſt, & oculo tunc temporis eſt prouidendum Goſſipio in Oui albumine imbibito ſuper oculum impoſito, vel ſubtili Linteo in Aqua Roſacea madito, & deſuper Argenteum Cochleare apponendum, vel quid ſimile.

Oſſe cauterizzato, vt dolor læniatur, & Eſcara ſeparetur, Oui albumen modico Butyro mixtum applicandũ, & foramen apertum ſeruandum, quouſq; os corruptum, & eius ſquamulæ ſeparentur; Deinde Sarcoticis quouſq; ſinus carne repleatur, vti debemus, & tandẽ Epuloticis, & vt ſuperius pluries diximus, vt optimè pars conſolidetur.

Niſi verò vel ob morbi diuturnitatem vel malignitatem, vel ob infirmi timiditatem, vel quid aliud, neque Medicamentis neque vſtione vera curatio fieri poſſit, Medicamentis maximè exſiccantibus minimè verò acribus, palliatam ſiue fucatam curationem facere debemus, ſicuti de aliarum partium Fiſtulis ſuperius diximus.

De Narium Vlceribus, & Ozenis dictis. *Cap.* 17.

OZenæ, vt inquit *Celſus lib.* 6. *cap.* 8. ſunt Vlcera circa Nares plures cruſtas, & fœtidum odorem habentia, & *Paul. lib.* 3. *cap.* 24. *inquit*, Ozenas eſſe Vlcus carioſum ac putridum ex acrium humorum alluuie progenitum. Poſſumus ergo nos dicere, quod Ozenæ ſunt Narium Vlcera profunda ac putrida, & vt plurimum, cruſtoſa, & fœdum odorem expirantia, & huiuſmodi Vlcera aliquando ſunt apparentia, aliquando non, ineſt aliquando ſunt in loco, quo videri poſſunt, & aliquando in profundo loco, quo videri non poſſunt, ſunt recondita, & à fœdo maloq; odore, quem habent, huiuſmodi nomen ſunt ſortitæ.

De cauſis Vlcerum Narium.

IN Naribus Vlcera excitari poſſunt, vel à cruſta ibi facta, vel à paruo abſceſſu, vel à Vulnere, vel ab acrium humorum influxu, quibus erodendi facultas ineſt, quibus iam verò propter acredinem putredo, accedit, vel oriuntur ab acutis vaporibus qui paulatim erodunt, vel ab omnibus ijs fiunt, quæ hæc omnia irritare poſſunt.

Gal. 3. *lib. de Comp Med. S. Loc. cap.* 3. *inquit*. Ozenæ ex humorum acrium, & putriginoſorum influxu gignuntur nam, & ſi ij duntaxat ſint acres, ægre curabilia Vlcera inducunt, grauiolentia verò non item; Idem inquit *Tralianus lib.* 3. *cap.* 11. *& Aetius Serm.* 6. *cap.* 90. *Auic.* 4. 4. *cap.* 3. *de Naſi Vlceribus inquit*; Quandoque generantur Vlcera in Naſo ex vaporibus acutis, aut malis, aut Catarrhis acutis.

Fernelius lib. 6. *cap.* 7. *inquit*. Nares expurgando Cerebro deſtinatæ, eorum, quæ præterlabuntur acrimonia ſæpe exulcerantur, deinde etiam abiectu, à caſu, à Vulnere, & ab alijs cauſis euidentibus.

De ſignis Vlcerum Narium.

HOrum Vlcerum ſigna ſunt manifeſta, præſertim ſi in parte ſint, quà videri poſſint, quoniam manifeſta illius partis excoriatio, vel cruſtoſum vlcus apparet, præſertim ſi in ſolatu Aegrotantes inſpiciantur; Niſi poſſint videri, cognoſcuntur ex dolore, qui in interiori Narium parte perſentitur, & à grauiodore, qui à parte illa expirat ac à materia à naribus emanante, ex Aegri narratione

ac

ac interrogatione non solum an Vlcus adsit, dignoscere possumus, sed etiam à qua causa ortum habuerit, interrogando eum vtrum in parte illa paruum Apostema, vel Vulnus fuerit passus, & si prius acris, & mordicantis materiei per Nares descensus persenserit, vel sine his vlcus fuerit factum; At cum recens est, sanguis nonnihil aliquando emanat, maximè cum attingitur, vel irritatur, & Nares hoc sepè madens, atque si ibi sinitur, crusta sicca, & nigra obducitur, quæ emunctionis impetu aliquando procidit.

De Prognostico Vlcerum Narium.

C. *Celsus loco superius citato*, de Ozenis verba faciens inquit; Sciri quidem debet, vix ei malo succurri, nihilominus tamen quędam tentanda sunt, quamquam curatu sit difficile.

Omnia igitur Narium Vlcera curatu difficilia sunt, & quia vt plurimum fiant Cacoethæ, & ob humiditates continuo ad partem illam defluentes, & quo magis, vel minus inueterata fuerint, eo magis, vel minus curatu difficilia erunt. Narium Vlcera à principio sepe incomprehensa manent, cum neque dolorem inferant neque exedant, Inueterata verò tenella ossa aliquando exedunt, vel Narium Alas, & earum interstitium, ac magna deformitate putrefaciunt, & exesum palatum sepe perforant, maxime si carcinomatis, naturam sapiant, vel à Venerea Lue fuerint orta, quod vt plurimum euenit.

De Vlcerum Narium Curatione.

IN Vlceribus curandis tres Intentiones habere debemus; Prima in conuenienti Dieta consistit; Secunda in peccantium humorum Euacuatione, Reuulsione, Derivatione, & male affectarum partium roboratione, & ad naturalem temperiem reductione; Tertia in Localibus consistit.

Pro prima intentione consequenda, victus talis instituendus, vt peccantium humorum generationi resistat, & si humores Vlcus excitantes sint calidi, & acres, & putridi, victus frigidus instituatur, & omnia acria, accida, salsa, & quæ facile putrescunt, deuitentur, & si ex acribus vaporibus fuerint orta, quæ huiusmodi vapporum causa esse possunt, fugienda, & post cibum semper sumat Diacotoneon, vel Saccarum Rosaceum verus, vel quid aliud, quod vapores ad caput ascendentes reprimat. Sit igitur victus ex carnibus optimi succi recentibus Ouis, ex Ptisana Hordacea, & frigidis Holeribus, vt Cicoria, Endiuia, Borragine, & his similibus, & pro potu albo vino optime diluto vtatur.

Hac instituta dieta, ad secundam intentionem deueniendum, & si pletora adsit, neque quidquam obstet, primum Venæ sectio facienda, vel purgatio, si sola Cacochimia adfuerit, vt *loco citato Paul. inquit*, & si pletora, & Cacochimia simul adsit, vtrumque præsidium, nisi quid prohibeat, experiri possumus, & ab affecta parte Reuulsiones, & humorum derivationes, vt Frictionibus, Vinculis, Cucurbitulis, & alijs, sicuti in superioribus fuit dictum, fieri possunt, & his caput emacuabitur ac exsiccabitur.

His factis, caput ipsum roborandum, ne aliunde ascendentia excrementa recipiat, quem vsum præstabit Oxyrhodinum, cui Myrti pulueris, vel Gallarum, & Myrtinum Oleum, & Acerum Rosaceum miscere possumus, vt valentius adstringat atque repellat, & si Rosarum, & Acaciæ puluerem etiam addimus, valentius aget, & his plurium dierum spacio vti debemus. Vel Caput totum tondendum, vel radendum, deinde confertim astringendi facultatem habentia inungenda ac imponenda, vt est Oleum Rosaceum, vel Myrtinum, & pulueres Corallorum rub. Santalorum Citrinorum, Mannæ Thuris, Mastiches, Aluminis, Gallæ immaturæ, Foliorum Salicis, Rosarum rub. Myrtillorum, & similium, cum aliqua Aceti portione, vel infrascriptum Medicamentum cum Linteo nouem diebus continuis apponendum, vt *Aetio & Tralliano placuit.*

℞. Myrrhæ, Thuris an. vnc. 1. Cochlearum integrarum num. 5. Albuminum Ouorum num. 11. Ceræ q. suff. M. & S. A. Fiat Vng.

Et hoc Gal. præcepto faciendum, qui loco superius citato dixit.

Ozenarum curatio in hoc potissimum consistit, vt primo caput exsiccetur, eique robur addatur, quod nimirum constet

has ob malignorum humorum redundantiam, qui ex capite Naribus influunt, peruenire, & niſi dictis caput ſatis exſiccari ac roborari poſſit, Guaiaci vel ſaſſæ parillæ decoctum, aliquot dierum ſpacio inſtiſtuendum ac propinandum, & purgantia Medicamenta, interpoſitis vicibus, ſimilitèr inſtituenda, vt caput, & corpus totum ab excrementis vacuum reddatur. Capite roborato, inquit loco ſuperius citato Gil. Naribus adhibenda curatio, ſcopo in Ozenis propoſito, vt affecta pars per mixtæ facultatis pharmaca tùm repellentia, tùm diſcutientia exſiccetur. Repellunt itaque tùm auſtera, tùm acerba, quæ communem adſtringentium appellationem ſortiuntur, diſcutiunt calidam, & ſiccam vim habentia, & *Gal. Archigenis autoritate inquit*. Ad Ozenas ſanandas Calaminthæ ſuccum inſtillare oportet, aut ipſam Calamintham aridam per Fiſtulam inſufflia, & ſi cruſtæ adſint, Mel in Nares inſtillandum, vel Mel cum Reſina Terebenthina mixtum, vt Celſus voluit, Specillo, cui Lana ſit inuoluta, imponendum.

His enim Cruſtæ reſoluuntur, & poſt trium, vel quatuor dierum ſpacio adhibito ſternutamento foras excutiuntur. Vbi Cruſtæ deciderint, vel Calaminthæ ſucco, vel eius puluere vti poſſumus, vel aliquo ex infraſcriptis Med. huiuſmodi Vlcera curanda.

℞. Succi mali punici q. vis, & in Aereo vaſe ad dimidij conſumptionem coque & dicto ſucco nares perliniendæ Goſſipio vel Lana in Specillo inuolura, vel Turunda ex filamentis facta, & dicto ſucco imbibita immittenda, & hoc in exedentibus Vlceribus maximè competit; Aut.

℞. Malum Punicum integrum, & in Vino coque, deinde optime contunde, & exterius in Cataplaſmatis forma appone vel.

℞. Ceruſæ, Argenti ſpumæ an. q. vis, & ſimul tere, & dum conteruntur, addatur paulatim Vini, & Olei Roſacei an q. ſuff. & Medicamentum ad Mellis craſſitudinem reducatur, quo nares illiniantur *vt Celſus inquit*. Si verò dolor cum his Vlceribus adfuerit, infraſcripto Vnguento illiniatur.

℞ Olei Roſacei, Myrtini, an. vnc. 1. Plumbi vſti, Litargirij an. ſcrup. 2. Ceruſæ, Boli armeni, Pulueris Balauſtiorum an. ſcrop. 1. Ceræ albæ q. ſuff. M. & S. A. F. Vng. & in maximo dolore aliquid Opij poteſt, addi, vel.

℞. Tutiæ præp. vnc. 5. Olei Roſacei, Succi Solani an. vnc. 1. M. & in Mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo diu agitentur, donec conſiſtentiam acquirant, deinde adde Ceræ liquefactæ q. ſuff. & Fiat Vng. molle.

Ad Dolorem verò, & Feruorem remittendum infraſcriptum maximè confert.

℞. Butyri Bubulini loti, Succi Semperuiui an. part. æqu. M. donec in Vng. formam reducantur in plumbeo Mortario cum plumbeo piſtillo agitentur. Infraſcriptum in talibus Vlceribus maxime ab Aetio laudatur, & eſt ex mente Oribaſij.

℞ Argenti ſpumæ, Ceruſæ an. dragm. 6. Plumbi vſti, & loti vnc. 5. Mirrhæ, Aloes an. dragm. 2. Gallarum dragm. 1. Vini, & Olei Myrtini paulatim additi an. q. ſuff. M. & in Plumbeo Mortario cum piſtillo plumbeo in Vnguenti ſiue Linimenti formam S. A. reducatur, & prodeſt etiam ad ſedis Vlcera, & Rimas vt inquit idem Autor, vel.

℞ Pulueris Thuris, Corallorum rub. Myrrhæ, Maſtiches, Aloes, Sang. Drag. Sandalorum rub. an. dragm. 5. Plumbi vſti ſcrup. 1. Olei Roſacei, Myrtini, Maſtichini an. vnc. 5. Ceræ q. ſuff. M. & S. A. Fiat Vng. molle, vel infraſcripti pulueres inſufflentur.

℞. Pulueris ſubtiliſſimi Myrrhæ ſcrup. 2. Balauſthiorum, Rhois, Croci, Thuris Salis foſſilis an. ſcrop. 1. Aluminis ſciſſilis dragm. 1. M. vel.

℞. Pulueris ſub. Aluminis vſti, Galla Myrrhæ an. q. vis, & inſufflentur, valet etiam Vng. de Litargirio, cum puluere ſubt. Gallarum, vel Boli Armeny mixtum, & Vng. de Ceruſa, & in virulento Vlcere, ac putrido cum dictis Vng. aliquid præcipitati addi poteſt, vel cum Vng. de Lithargirio plumbum vſtum commiſceatur, vel Vng. de plumbo vti poſſumus.

In mollibus corporibus, quæ alia Medicamenta ferre non poſſunt, puluis Roſarum rub. inſuffletur, qui abſque dolore illas ſanat.

Et ſi plura deſideras ad citatos Autores recurre.

De

De Oris, & Partium intra os contentarum Vlceribus. Cap. 18.

VLcera, quæ in internis oris partibus oriuntur, illarumque superficiem depascunt, Græcis Aphtæ, & Arabibus Alcola vocantur.

Aphtæ quid sint.

Sunt autem Aphtæ, vt *Gal. 6. de Comp. Medicamentorum S. Loc. cap. 4. inquit*, Vlcera in oris superficie obortæ, quippiam Igneæ caliditatis habentia, & *Com. 24. lib. 3. Aph. inquit*; Aphtæ dicuntur Vlcera, quæ summam oris occupant partem, ob molliciem potissimum instrumentorum obortæ, & *Auic. lib. 3. Fen. 6. cap. 23. inquit* Alcocola est vlcus existens in cute oris, & linguæ cum expansione.

Partes Affectæ.

Affectæ partes esse possunt omnes illæ quæ intra os continentur vt Palatum, Lingua, Gengiuæ, Vula, & Tonsillæ, quæ sunt Glandularum natura, & iuxta Linguæ radicem continentur; *Et Celsus lib. 6. cap. 10. inquit*; Hæc Vlcera a Gengiuis incipiunt, deinde Palatum, totumque os occupant, tum ad Vuam, faucesque descendunt.

Differentiæ.

Horum Vlcerum Differentiæ à pluribus desumi possunt, vt de alijs Vlceribus diximus, sed à tribus præcipue desumemus, idest vel ab ætate, vel à causis, vel à qualitate siue Vlceris natura.

Differentiæ ab ætate sunt, vt si huiusmodi Vlceribus Infantes, ac Lactentes laborent, vel adultiores, vel adulti iam facti.

Differentiæ à causis sunt, vt Aphtæ ortæ ob malam nutrimenti qualitatem, vt in pueruli fit, vel ob humorum prauitatem, vt adultis, & proiectioribus fiunt, & ex his aliæ sunt sanguineæ, aliæ biliosæ, aliæ pituitosæ, & aliæ melancholicæ cum à quolibet defluente humore, dummodo calidam, acrem, & erodentem vim habeat, excitari possint, & sic ab alijs causis differentiæ desumi possunt.

Differentiæ, à qualitate, & Vlcerum natura sunt, vt recentes aphtæ, vel diuturnæ, benignæ, vel malignæ, quæ à Gal. loco superius citato Cacoethe, & Depascentia nominantur.

De Oris Vlcerum Causis.

Gal. 6. de Comp. Med. S. Loc. cap. 4. inquit. Fiunt autem plurimum pueris lactentibus Aphtæ, quum aut vitiosum fuerit Lac nutricis, aut non probe ipsum concoxerit infans.

Vitiosum verò Lac est, vt inquit *Gal. primo de Sanitate Tuenda cap. 9. & Paul. lib. 1. cap. 2.* quando est nimis serosum, vel nimis crassum, vel in aliqua alia mala qualitate peccauerit. Ex seroso Lacte Vlcera in pueruli ore excitantur ob magnam detergendi vim quam habet, vt inquit *Gal. Com. 24. lib. 3. Aph. & ob earum partium molliciem* Non bene verò Lac infantes concoquunt, vel ob Ventriculi imbecillitatem, vel quia propter ingluuiem plus Lactis assumunt, quam Ventriculi vires ferre possint. Et ideo crudi tates gignuntur, ex quibus eleuati vapores in molli oris substantia talia Vlcera excitant, Fiunt etiam in Lactentibus huiusmodi Vlcera ex Nutrice Gallica Lue infecta.

In Adultis, vel à causis primitiuis, siue procatarcticis dictis huiusmodi Vlcera excitari possunt, vt ab acribus, & salsis, vel nimis calidis alimentis, vt inquit *Aetius Serm 8. cap. 39.* Vel à validorum Medicamentorum vsu, vel ex Contagionis labe, vt incipienti venerea Lue sæpe fieri solet, vel à Causis antecedentibus, vt humorum acrium, & adustorum copia, à quibus in qualibet corporis parte existentibus, & præcipue in Ventriculo, putridi, & fuliginosi, & mala qualitate præditi vapores eleuari possunt, & internas oris partes exulcerare, & partes, quæ molliores sunt, magis Vlceribus sunt obnoxiæ. Coniecta causa est prauus, & male qualitatis humor, vel vapor, actu oris partes exulcerans ac corrodens, vel sit prauus sanguis, vel salsa pituita, vel vtraque bilis cum à quolibet humore ad os confluxo, modo acredinem ac erodendi facultatem acquisierit, aphtæ ori possunt vt in superioribus diximus.

De ſignis Vlcerum Oris.

FAcilitèr Oris Vlcera dignoſcuntur, cum ſenſibus ſint ſubiecta.

Tactu enim exulceratæ partes calidiores, quam eſſe debent, perſentiuntur, & tumidæ aliquantiſper fiunt, & excoriatio oculis patet; Quæ oculis videri non poſſunt, veluti illæ, quæ oriuntur in partibus intimioribus, dolore, & vorandi difficultate ſe produnt. In Lactentibus, vt in cauſæ cognitionem veniamus ipſum Nutricis Lac inſpiciendum, & ponendo id ſuper ſpeculum, vel ſuper Vnguem conſiderandæ ſunt eius qualitates, & ſi Lac optimum apparet, inſpicienda pueri excrementa ac fluentem Aluum, cum ex his eius Ventriculi imbecillitas dignoſci poſſit, & niſi in coctione vllus error appareat, ipſa nutrix contemplanda, num aliquod Gallicæ Luis veſtigium appareat, quod etiam ex ipſo puerulo in cognitionem deuenire poſſumus, cum non ſolum intra os Vlcera oriantur, ſed etiam puſtulæ circa Anum fiant, cum hæ partes humidæ ſint, & totius corporis Cloacha, ad quam Natura prauos humores detrudere ſolet.

In Adultis talium Vlcerum cauſas ex colore, & alijs cognoſcere poſſumus, nam ſi rubicunda appareant, nec adeo maligna & calida perſentiantur, & faciei, & Oculorum rubedo, & alia pletoræ notæ adſint, à ſanguine genita eſſe indicare poſſumus.

Si verò Vlcerum color ad citrinitatem vel flauitiem tendat, & ſitis, oris amaritudo, & bilioſus Vomitus adfuerit, & maxime calida Vlcera perſentiantur, ex flaua bile talia Vlcera ortum duxiſſe, dicere poſſumus. Si autem Vlcera ſint albi coloris, & magnus pruritus ac Titillatio adſit, & præcedens victus, & Aegrotantis habitus pituitoſus fuerit, ex Salſa pituita ortum duxerint.

Si verò liuidi coloris, vel ad nigredinem tendentis, & non nimis calida Vlcera fuerint, & Languentis ætas ac temperamentum fuerit Melancholicum, & præcedens victus ex rebus ad atram bilem generandam aptis fuerit, ex atra bile Vlcera genita fuiſſe tenendum eſt. Sed ex acrimonia eorum, quæ comeduntur ac bibuntur, vel ex Medicamentis nimis acribus aſſumptis Vlcera orta fuerint, ex Aegrotantis, & aſſiſtentium interrogatione, & reſponſione in cognitionem deueniemus. Si ex Gallica Lue orta fuerint, ex proprijs Luis incidijs in cognitionem deuenire poſſumus. Cacoethæ, & malignorum Vlcerum ſigna ſunt, quod Vlcera nigricantis coloris apparent, Medicamentis non cedunt, & maximè erodunt, & continuo dilatantur, fetidæ ſunt, & profundæ, ac dolorem inferunt.

De Prognoſtico Vlcerum Oris.

HAEC Vlcera ſepe puerulis, & nuper natis eueniunt, vt inquit *Hip. 3. Aph. 24. Et Gal. Com. 3. in lib. 3. Epid. cap. 12. inquit*, Aphtæ frequentiſſimè infeſtant puerorum ora, quæ exulcerationes ſuperficiariæ exiſtunt, potiſſimum à Lactis acrimonia ortæ, atque hæ facilè propulſantur, ſi infanti os modicè adſtringas. Si verò humor effluat malus, ſemper Aphtæ Cacoethæ prodeunt; *Et lib. 6. de Comp. Medicamentorum S. Loc. cap. 4. inquit*; Facile in puerulis Aphtæ curantur, vt potè, quæ vel à moderatis adſtringentibus compeſcuntur. Quæ verò diuturnæ fiunt, & progreſſu temporis nonnihil putrilaginoſum acquirunt, & malignæ euadunt, ægre ſolubiles ſunt, & à Medicis Nome appellantur, hoc eſt depaſcentia Vlcera, malo nimirum ſemper vlterius ſerpente, nec Medicamentis cedente, atque hæ ſane fortiora Medicamenta poſtulant.

Colligitur ergo ex Gal. dictis, quod hæc Vlcera in Lactentibus puerulis facilitèr curantur, quæ verò adultis accidunt non ita facile, potiſſimum vbi à vitioſorum humorum defluxu excitantur. *C. Celſus lib. 6. cap. 11. contrarium dixit, & eius verba ſunt hæc.* Verùm ea longe periculoſiſſima Vlcera ſunt, quas Aphtas Græci appellant, ſed in pueris, hoc enim ſepe conſumunt, in viris, & in mulieribus idem periculum non eſt, & inferius inquit; Quibus Vua vel fauces his Vlceribus ſunt obſeſſæ, non facile eſt, vt puer conualeſcat, ac miſerius etiam eſt, ſi lactens aduch infans eſt, quominus imperari remedium aliquod poteſt. *Contradictio inter. Gal. C. Celſus.*

Vt verò hi Auctores ſimul concilientur dicen- *Conciliatio.*

dicendum Gal. de benignis ac mitioribus Aphtis fuisse locutum, quæ facilitèr in pueris moderate adstringentibus sedantur, quod in adultis raro accidit. Celsum verò de malignis Aphtis intellexisse, quæ cum in pueris generosa Medicamenta non admittant, ideo periculosiores in pueris, quam in adultis esse dicuntur. Vel dicere possumus; Quod Aphtæ in pueris mitiores esse dicuntur, quia ex mitiori causa quam in adultis fiunt, tamen ætatis ratione ab eisdem facilius quam adulti consumuntur, vt Celsus inquit.

Aphtæ à fluente vitioso humore ortæ quod vt plurimum adultis accidit, semper fere prodeunt Cacoethes, vt inquit *Gal. 3. de morbis Vulgaribus Com. 2.* Et quæ ab Atrabile originem ducunt, idest, quæ nigricantes, duræ, & callosæ sunt, propter humoris malignitatem periculosissime existunt; Sic Antiquæ, & Cacoethes iam factæ, ac tales quidem existimande etiam si à Gallica Lue proueniant, & quæ similitèr malignis, & pestilentibus febribus succedere solent, vt *Hipp. & Gal. 3. Epid. 3. 12. testantur, pessima sunt*, Et quo magis profundæ ac ad tauces accedunt, eo magis sunt periculosæ, & curatu difficiliores.

Auic. inquit; Nisi Oris Vlceribus cito conuenientibus Medicamentis succurratur, facilitèr expanduntur ac dilatantur, & hoc tum propter curis oris humiditatem ac molliciem, tùm propter loci ac partis caliditatem euenit, & ideo cito ac facilitèr vbi putrefactio, & corrosio fit, difficultèr etiam in his partibus Vlcera curantur, cum Medicamenta supra affectam partem diu contineri nequeant, & quoniam saliua cum eis commiscetur eorumque vim refrangit, periculum etiam est, nisi palam Vlceribus cito ac diligentèr occuratur, non solum propter illius partis humiditatem ac caliditatem, sed etiam ob ossis raritatem, ne fiat Caries, & ossis corruptio.

Aphtæ, quæ ab externis causis fiunt, fere omnes sunt salutares, sicuti illæ, quæ sunt albæ, vel flauæ, & superficiales, & è contra, quæ sunt nigræ, fetidæ, profundæ, & maxime dolorosæ omnes sunt valde periculosæ.

Aretus lib. 2. de acutis cap. 9. inquit, miserrimam, & horrendam mortem eorum esse, qui ab hoc morbo consumuntur, eo quod Vlcera hæc internas oris partes depascuntur, atque sic ingenti turpedine, & insigni cruciatu infantes, & pueros perimunt.

De Vlcerum Oris Curatione.

ET si qualibet Vlceris curatione exsiccantia requirantur, vt Hipp. in principio libri de Vlceribus scriptum reliquit, tamen cum pro ætatis ratione, sexus Corporis habitus, & multarum aliarum rerum varianda sint exsiccantia Medicamenta, vt pluries in superioribus diximus; Ideò primum, Vlcerum quæ pueris lactentibus accidunt, curationem describemus, deinde natu maioribus.

In pueris Aphtarum curatio.

In curandis igitur puerorum Aphtis, imprimis causa consideranda, & si Lactis vitio fuerint ortæ, vel statim mutanda est nutrix, vel lac corrigendum. Si enim nimia serositate peccauerit, incrassandum victus ratione præsertim, & Medicamentis, victus ergo nutricis sit ex pane optimo in iure pulli macerato, vel carnis vitulinæ, vel veruicis, ex Cucurbitis, Lactucis, Portulaca, Hordacea Ptissana, Oriza, Similagine, & cibis item Cydonea Mala Pira quædam, Mespia, Sorba, & alij adstringentes fructus admitteri possunt, & si infans, quid mandere possit, eadem, vt mandantur, tribuenda sunt, & pro potu, si puer febricitet, Aqua danda est, nisi febricitet, optime dilutum Vinum nutrici concedendum. Quo ad Medicamenta, instituendi Syruppi lac crassefacientes, vt sunt Syruppi de Endiuia, de Portulaca, de Succo Borraginis, Violaceus, Rosaceus, de Omphacio, & similes, cum conuenienti decocto, deinde lenitèr purgans Medicamentum instituendum, vt ex Manna, & Syruppo Rosaceo, vel Violaceo sol. & his similibus, & Cassia in nutricibus purgandis semper est fugienda, cum Lactis defectum efficiat, & hoc facit, quia menses proritandi vim habet. Si verò ob Lac nimis crassum talia Vlcera fuerint orta, Lac victus ratione, & Medicamentis subtilius reddendum, & corpus leuitèr ijs, quæ crassos humores educunt, purgandum. Si autem malæ coctionis vitio Aphtæ fuerint ortæ, pueri

Ventriculus corroborandus fomentis, vel ſolamentis factis ex Abſinthio, vtraque Mentha, Foliis Roſarum rub. Perſicorum cum generoſo Vino, & his ſimilibus vel inungendus Ventriculus Oleo Maſtichino, Abſinthite, de Mentha, Cydoniorum, Nucis Miriſticæ, & his ſimilibus.

Si verò Nutrix Gallica Lue fuerit infecta, & hac de cauſa puero Aphtæ ſint ortæ, vel mutanda, vel debitis præſidijs, & dictæ infectioni conuenientibus ipſa curanda; Pueri verò Vlcera moderate adſtringentibus compeſcenda; Si ergo rubicunda fuerint, à principio moderate adſtringentibus ac refrigerantibus vt debemus, deindè verò ijs, quæ moderate diſcutiunt. Competunt ergo Succi vel Aqua Plantaginis Solani Roſarum rub. & Acetoſæ, quibus Diamoron, vel Syruppus de Ribes; vel de Plantagine, vel de Omphacio, vel de Portulaca, vel ex ſucco malorum punicorum, vel Myrtinus, vel de Roſis ſiccis admiſceri poteſt vel his admiſceatur decoctum Santalorum rub. Gallarum, Balauſthiorum, Acaciæ, & ſimilium.

Si ſubflaua fuerint Vlcera, ijſdem quidem, ſed magis refrigerantibus vti debemus, vt eſt ſolani ſuccus, vel eius decoctum, cum aliquo ex dictis Syruppis mixto, ſicuti eſt Syruppus de ſucco Plantaginis, vel de portulaca, vel infraſcripto vtere, quod ita pueris maxime competit. ℞. Seminis portulacæ, Sem. Roſarum, Amili, Dragaganthi, pul. Balauſthiorum, Saccari fiſſimi an. dragm. 2. Spodij, Croci an. dragm. 1, M. cum Syruppo Roſaceo, vel Violaceo ſimpl. q. ſuff. & illine. Vel vlcus illine Diamoron cum puluere Aluminis vſti mixto, cum hic puluis ſerpiginem corrigat, nec inſignem dolorem inferat. Et ſi diſcutere volumus, Mel Roſaceum ſimp. vel Syruppus Roſaceus recens, vel dulce Vinum dictis commiſcendum.

Si Vlcera ſubalbida appareant, adſtringentibus, & lenitèr detergentibus vti debemus, ſicuti eſt Glicirizzæ Succus, Maſtiches Myrrha, Thuris Manna, & Cupreſſi Nuces, quæ ſupradictis Medicamentis commiſcenda ſunt. Si liuida, vel nigricantia Vlcera appareant, adſtringentibus valentius diſcutientia commiſcenda, ſicuti ſunt Flores Chamemoli, Meliloti Fenum græcum, Anethum, ſertula campana, & ſimilia, quorum puluis cum Diamoron, vel Diarhodon, vel Syruppo Myrtino, vel aliquo ex ſupradictis miſcendus, & vlcus illiniendum, & ſi vis, vt valentius agat, dictorum puluis Melle Roſaceo commiſceatur.

Aphtarum Curatio in Adultis.

In curandis huiuſmodi Vlceribus pueris adultioribus, vel adultis, tria præcipue ſunt conſideranda ac animaduertenda. Imprimis à quo humore Vlcera fuerint orta; Secundo Vlcerum qualitas, id eſt vtrum illa ſint Recentia, vel Antiqua, benigna, vel maligna; Tertio corporis natura conſideranda, an ſit mollis, & humida, an dura, & ſicca. Humor conſiderandus, cum pro noxij humoris varietate, varia quoque curatio inſtitui debeat, Vlceris qualitas animaduertenda, cum vt inquit Gal. Quæ Vlcera leuiora, & minime maligna ſunt, moderata Medicamenta requirunt, quæ verò ſunt maligna, ſerpentia, & depaſcentia, vehementiſſima exigunt Medicamenta. Corporis natura conſideranda, quia imbecillioribus ac mollioribus corporibus, vt ſunt puerorum, mulierum, & Enuchorum mitiora Medicamenta conueniunt, & durioribus ac robuſtioribus, vt ſunt corpora Ruſticorum Piſcatorum, Venatorum, & Remigum, ac ſimilium, validiora Medicamenta ſunt adhibenda. His conſideratis tres Intentiones in curatione habere debemus; Prima in victu conſiſtit; Secunda in corporis euacuatione; Tertia in localibus. Victus ergo ſit ex rebus boni ſucci, & facilis concoctionis, & ſit ex rebus liquidis, cum ſolidi cibi Vlcera exacerbare poſſint, ſicuti ex Ptiſana Hordeacea Panis in bonæ carnis iure maceratus, Oua cum aliquo bono iure, & Omphacio mixta, & ſimilia, & ſi ex ſanguine orta fuerint Vlcera tenuis victus eſſe debet, abſtineat ſcilicet à Vino, Aromatibus, ab acribus, acutis & ſalſis, ac dulcibus, & ab ijs etiam, quæ prauum ſuccum generare poſſunt, & omnia, quæ caput excalefacere quæunt, vt eſt Aer, & corporis exercitationes, & omnes externæ cauſæ tollendæ, & ſic primam intentionem habebimus.

Vt ſecundam intentionem conſequamur, in Aphtis à ſanguine ortis, & vbi pletora adſit, niſi quid obſtet, Vena media, vel externa ſecanda, & niſi ſatis ſit

Venæ

Venæ ſub lingua incidendæ ſunt, & in pueris infra 14. annum, Venæ ſectionis vice Cucurbitulæ Spatulis, vel Naribus, aut in fine Dorſi apponendæ ac ſcarificandæ, vel Hyrudines dictis partibus, vel cubito applicandæ, & id etiam in adultis, quando Venæ ſectio fieri non poteſt faciendum. Niſi verò pletora adſit, & ex alijs humoribus Aphthæ fuerint ortæ, ſecundum peccantem humorem purgans Medicamentum inſtituendum, conuenientibus Syruppis prius præparatis humoribus; Et vbi neque pletora, neque Cacochimia adſit, & Aphtæ benignæ, & recentes ſint, tantum localibus curari poſſunt.

Corpore à redundantibus humoribus euacuato, ad Tertiam Intentionem deueniendum eſt, quam conſequemur talibus Medicamentis, qualia ſuperius de infantibus diximus, ſed auctis eorum viribus, quæ ſecundum ætatem ſint accomodata.

In teniginis ergo ac ſuperficialibus Aphtis, Oris Collutionibus ſiuè Gargariſmatibus vti poſſumus factis ex Aqua Hordei, & Plantaginis, in quibus ſint incorta Balauſthia, Folia Rubi, Olearum viridium, & Cortices Pinearum, poſtea illiniantur Vlcera, vel Diamoron, vel Syruppo Myrtino, vel de Portulaca, vel di Roſis ſiccis, vel de Miua Cydoneorum vel aliquo ex ſuperius dictis, vel colluatur Os Vino auſtero cum Omphacio mixto, vel in dicto Vino adſtringentia incoquantur ſicuti eſt Plantago; Sumachi folia Rubi, Oleæ, & Myrti, & ſi vis vt valentius agat, adde immaturas Gallas, & ſi cum prædicto decocto Mellis parem menſuram miſceas, & ad Mellis craſſitudinem iterum decoquas, optimum remedium erit, præſertim pueris, & inueteratis Vlceribus, vt Aetius inquit. Confert etiam iſtis Vlceribus portulaca Melle intincta, ſi manducetur, & in durioribus corporibus, Oliuæ murta conditæ, & manſæ proſunt, cum adſtringendi ac diſcutiendi vim habeant. Niſi his cedat, colluciones fiant ex decocto Guaiaci, in quo incocta ſint folia Rubi, Lentiſci, Olearum viridum, Plantaginis, Myrti, Ariſtolochiæ, Gallæ immaturæ, & parum Aloes, & ſarcocollæ, vel.

℞. Calicum Glandium, Nucum Cupreſſi, Foliorum Myrti, Oliuæ, Sumach Rubi, Plantaginis, Poligoni, Saluiæ, Roris Marini, & Lentium an. q. vis M. & S. A. fiat decoctum, & adde parum Aluminis vſti Saccari, & Mellis Roſacei q. vis, & frequenter vtere, & hoc in Vlceribus à quocumque humore prouenientibus prodeſt.

Deinceps. Diſcutientibus vti debemus, vt eſt melilotum, Fenum græcum, Liquiritiæ Radix, Aniſorum Sem. Myrta, & alia ſuperius dicta, & ſi Vlcera ſint in faucibus, & iuxta Linguæ radicem, ex eiſdem Gargariſmata fiant. Ad Vlcera detergenda Erui Farina mixta cum Melle cum puluere Gallarum mixto, Gal. loco ſuperius citato Myſi, Alumen, & Sumach cum Melle maxime laudat, & in durioribus corporibus Myſeos cum adſtringenti Vino, & huius medicamentis vis remittitur, vel augetur, pro vt Vinum magis, vel minus adſtringens fuerit, prò vt craſſius, vel liquidius Myſios, & Vino mixtio fiat, vt Gal. inquit.

Animaduertendum verò vt ab initio minus detergentibus vtamur, deinde adſtringentioribus, à mitioribus ad valentiora procedendo.

In Vlceribus corroſiuis à calido humore ortis infraſcriptum prodeſt.

℞. Mel Roſ. col. vnc. 1. Succi mali punici vnc. 2. vel Cydoniorum, vel Omphacij, Aquarum Plantaginis, Roſarum Acetoſæ an. vnc. 2. M. & fiat collutio.

In profundioribus Vlceribus Melle Roſaceo cum Alumine vſto mixto vti poſſumus, vel infraſcriptis.

℞. Foliorum Myrti, Balauſthiorum, Roſarum rub. an. pug. 1. Aluminis, Cumini vſti an. vnc. 5. m. & bulliant in lib. 3. Aquæ ad tertiæ partes conſumptionem, & dicto decocto adde Mellis Roſ. vnc. 3. & vtere vel ℞. Gallarum viridium, Malicorij, Galicum Glandium, Corticum Radicum Rubi, Nucum Cupreſſi an. q. vis M. & bulliant in Aqua Plantaginis q. ſuff. & dicto decocto Os colluc.

Camphura ſimiliter illinita, vel Aqua Roſacea, vel Plantaginis mixta maxime calidis oris Vlceribus prodeſt.

In Vlceribus ab humore pituitoſo excitatis infraſcripta maxime proſunt, Vlcera Aqua forti tangantur, animaduertendo ne deglutiatur, deinde os colluatur Vino albo com modico Aluminis vſti. Infraſcripta in Vlceribus à qualibet cauſa ortis proſunt.

℞. Roſ. Col. vnc. 3. Siruppi Myrtini, Cydoniorum an. vnc. 1. Succi mali Punici vnc. 2. M. & fiat Collutio, vel ℞. Foliorum Oliuæ Myrti, Sumach, Plantaginis, Agrimonię, Citrac, piloſellæ an. M. 1. Hordei integri pug. 1. Malicorij vnc. 5. Balauſthiorum, Roſarum rub. an. pug. 1. Berberis dragm. 2. M. & fiat decoctum S. A. ex qui ℞. lib. 2. & adde Mellis Roſacei col. vnc. 4. Succi mali punici vnc. 2. Dianucum vnc. 2. 5. Miuæ Cydoniorum vnc. 1. M. & fiat colluuio, vel Gargariſma.

Si verò huiuſmodi Vlcera inſignem putredinem ac malignitatem acquirant, non amplius Aphtæ, ſed nomæ dici debent, vt inquit Gal. In hoc caſu cæteris non conferentibus, ad fortiora Medicamenta confugiendum, ſicuti eſt Mel cum Gallarum decocto mixtum, & coctione ad mellis conſiſtentiam redactum, vel Centaureæ Cinis Melle mixtus, & illinitus, vel puluis Cornu Cerui vſti, & Chalcanthi vſti cum Melle, vel puluis Roſarum rub. Sumach, Coſti, & Croci cum Melle mixtus, vel Cinis Radicis Feniculi per ſe, vel Melle mixtus, & hoc corroſiuis Vlceribus maxime prodeſt, vel ℞ Pulueris Gallarum, Aluminis, Balauſthiorum an. part. æqu. per ſe, & cum Melle mixti.

Niſi verò dictis cedat, ad fortiora Medicamenta confugiendum eſt, ſicuti eſt precipitati puluis ſucco plantaginis, vel Melle mixtus, vel Vlcera pars Stylo Goſſipioinuoluto, & madido Aqua forti vel Oleo Chalcanthi, vel Sulphuris, contingenda, animaduertendo ne dicta deglutiantur; Deinde os prædictarum rerum decocto colluendum, & ſi dicta inſignem dolorem inferant, Lacte Chalibeato mitigetur dolor.

De Linguæ Sciſſuris. *Cap.* 19.

LInguæ verò ſciſſuræ, Vniuerſalibus ſicuti in ſuperioribus dictum fuit, vbi eſt opus, inſtitutis, huiuſmodi Localibus curantur, ideſt maſticatione portulacæ cum Aceto, vel mucilagine pſillij cum ſaccaro mixta, & in ore retenta, vel Oui albumine conquaſſato, & colato, vt Meſues inquit, vel infraſcripto Medicamento ſepe illinatur.

℞. Aquæ Plantaginis lib. 5. Mellis Roſ. Dragaganthi, Mucilaginis Seminis Pſilly, Gummi Arabici an. dragm. 2. Syruppi Violacei ſimp. vnc. 5. Tamarindorum vnc. 1. Sem. Portulacæ aſſi dragm. 2. Spodij ſcrup. 5. terantur terenda, & omnia commiſceantur, & vtere ſicut dixi, Ore prius colluto Aqua Roſacea cum Aceto, vel Citri acetoſitate mixta.

De Laborium Sciſſuris. *Cap.* 20.

VM Labiorum ſciſſuræ, ſiuè dictæ, morbus notiſſimus ſit, ideo de illis quambreuiſſime verba faciemus, imprimis cauſas enarrando, deinde ſigna, & tandem curationem inſtituendo.

De cauſis Labiorum ſciſſurarum.

IN his partibus ſciſſuræ aliquando ab externis cauſis, aliquando ab internis fiunt, externæ cauſæ eſſe poſſunt, vt caſus percuſſio, & ſimilia, vel nimia caliditas, vel frigiditas, vt flantibus Aquilonaribus ventis ſepe fieri ſolet, & hoc prouenit, quia calor humidum abſumendo ſcindit; Frigus verò ſciſſuras facit comprimendo, & repellendo. Internæ cauſæ vel ſunt antecedentes, vel coniunctæ; Antecedentes cauſæ eſſe poſſunt prauorum ſuccorum, & præcipue calidorum, & ſalſorum ac aduſtorum copia, in corpore exiſtens; Cauſæ coniunctæ ſunt idem humores ad Labia iam influxi, qui etiam aliquando, per viam criſis ad talem partem tranſmittantur, vt in febrium fine ſepe fieri ſolet.

De Labiorum ſciſſurarum Signis.

SIgna quæ ad morbi dignotionem conducunt, non ponam, cum per ſe pateat morbus, ſed illa tantum, quæ in cauſarum dignotionem conducunt. Si ergo à cauſis primitiuis huiuſmodi ſciſſuræ fuerint ortæ, ex Aegri querimonia in cognitionem facilitèr deuenire poſſumus. Si ab humoribus calidis, & ſalſis fuerint ortæ, & tales humores à capite defluxerint, in labijs manifeſta caliditas, & ſiccitas perſentitur, & patiens calidam materiam per anteriorem capitis partem ad Nares, & ad Labia deſcendere manifeſtè perſentit, & ſi iſta non adſint, tunc ab in-

ferioribus

ferioribus partibus materiam aſcendere iudicare poſſumus.

Si verò critico motu tales humores ad labia fuerint tranſmiſſi, ex præcedentibus Febribus, & ægrotantis allcuiatione in cognitionem deueniemus.

De ſciſſurarum Labiorum Prognoſtico.

IN Mulieribus, vt aliqui Autores volunt, inferioris Labij ſciſſuræ Matricis ſiccitatem indicant, quæ frequentèr irrorari appetit, & huiuſmodi Mulieres, vt plurimum, ſunt petulantèr coitum appetentes.

De ſciſſurarum Labiorum Curatione.

IN huius morbi curatione tres Intentiones habere debemus. Prima in victu conſiſtit. Secunda in totius corporis euacuatione. Tertia in localibus. Quo ad primam intentionem victus talis inſtituendus, vt peccantibus humoribus aduerſetur, qui ſunt ſalſa pituita, & vtraque bilis, talis igitur inſtituendus, qualis in ſuperiori cap. fuit inſtitutus, & eadem fugienda ac deuitanda, ſic omnes externæ, cauſæ remouendæ. Secundam intentionem Medicamentis peccantes humores præparantibus, & poſtea euacuantibus, vt pluries in ſuperioribus diximus conſequemur.

Optime purgato corpore ad Localia deueniendum eſt, quæ ſunt infraſcripta. ℞. Pul. ſub. Roſarum rub. dragm. 3. Gummi Dragaganti, Cæruſet Gallarom an. dragm. 5. Pinguedinis Gallinæ vnc. 2. M. & S. A. fiat Vng. quo Sciſſuræ liniantur, vel cum Linteo ſuperponatur, vel ℞. Pul. Maſtiches Gallæ 1. an. dragm. 15. Tereb. & Mellis an. q. ſuff. M. & fiat in Vng. forma, vel ℞. Pul. Gallarum, Cadmiæ an. dragm. 1. Ceruſæ dragm. 3. & cum Oleo Roſ. q. ſuff. S. A. fiat Linimentum, vel.

℞. Amili, Penidiorum an. dragm. 2. Aqua Roſ. vnc. 2. M. & vtere, vel.

℞. Pul. Gallarum, Cæruſæ dragm. 2. Amili, Dragaganthi, Mucilaginis Sem. Cydoniorum an. dragm. 1. Olei Roſ. vnc. 5. Adipis Anatis Oeſipi, Ceræ nouæ an. dragm. 2. M. & S. A. fiat Vng. quo Sciſſuræ illiniantur, poſt earum ablutionem cum Aqua calida cum Dragagantho mixta.

Vel ℞. Pulueris Myrræ, Zinziberis an. ſcrup. 2. Litargirij ſcrup. 4. Mellis Roſ. Col. Olei Roſ. an. vnc. 1. Ceræ nouæ vnc. 5. M. & fiat Vng. ante cuius applicationem fiſſura Saliua ægrotantis madefiat, vel pars foueatur decorto Rad. Altheæ, & Sem. Lini facto in Vino, vel Aqua, vel ℞. Reſ. Tereb. Mellis, Adipis Anſerini aqvis M. & vtere vel ℞. Lithargirij Argenti, Myrrhæ, Zinziberis an. partes equales M. & ſubtilitèr pulueriZZentur, & cum Oleo Roſ. & Cera noua, & parum Mellis fiat Vnguentum, & ante dicti Vng. appoſitionem ſaliua madefiat Sciſſura, & poſt remotionem dicti Vng. quod mane, & ſero fieri debet, pars calida Aqua abluatur. Niſi dictis Medicamentis huiuſmodi Sciſſuræ ſanentur, aliqui ad illius partis cauterizzationem factam Lamina Argenti, vel Auri recurrunt, & ſic tutiſſime has rimulas ſanari inquiunt. Et qui plura localia Medicamenta deſiderat, videat *Aetium Serm.* 8. *cap.* 18. *vbi multa adinuenies.*

Ad Aurium Vlceribus. *Cap.* 21.

ALiquando Vlcera in Auribus ſicuti in partibus alijs excitantur, quæ vel ſunt apparentia, & viſui expoſita, vel occulta, & in profundiori Auris parte ſita, taliaque Vlcera, vel ſunt recentia, vel antiqua, vel cum pauca vel cum multa ſanie.

De cauſis Vlcerum Aurium.

FIunt in Auribus Vlcera, vel ab externis, cauſis, vel ab internis, cauſæ externæ eſse poſſunt caſus, percuſſio, Vulnus, vel quid præter naturam intra Auris foramen retentum, & putrefactum, & aliquando etiam à diu retentis copioſis ſordibus, & putrefactis excitari poſſunt, ex quibus cutis, & illius partis ſuperficies corrumpitur, internæ cauſæ ſunt humores acres, pungentes, ac mordicantes, & partes interiores Auris exulcerantes, ſicuti in externis partibus ſepe accidere videmus, qui humores, vel à Capite, vel ab alijs inferioribus partibus ad Aures confluunt, & poſt exulcerationem, & propter dolorẽ qui ibi aliquando eſt, & propter partis imbecillitatem, humores magis cofluũt. Quo-

Species.

tics

ties nero humor influens, vel Pus ſumma pollet acrimonia, ſordidum vlcus excitatur ac fit.

Aliquando fiunt Vlcera ex præcedente illius partis inflammatione ſiue Apoſtemate, vel puſtulis.

De ſignis Vlcerum Aurium.

HOrum Vlcerum ſigna ſunt ſatis manifeſta, cum ex dolore ardore, punctione, pruritu, ſanie, vel pure, ab illa parte emanante, in cognitionem deuenire poſſimus, & ſi ſanies copioſa effluat, ſordidum vlcus, ſi tenuis, virulentum, ſi fœtens, putridum indicat, & ſi quandoq; poſt ſaniem aliquid ſanguinis emanet corroſiuum vlcus arguit. Quamuis ſanies aliquando abſque hoc, quod in aure vlcus adſit, ab aure effluere poſſit, cum aliquando natura per aures à ſuperfluis humiditatibus Cerebrum purget, & quia per longam, & tortuoſam viam pertranſeunt, & ibi morantur. Ideo in cenulentam, & virulentem ſaniem conuertuntur, & aliquando à Natura per viam mundificationis ſanies per aures excernitur, vt poſt antiquum Capitis dolorem, vel poſt ictum ſiue Vulnere in capite acceptum. Si vlcus ab externis cauſis fuerit excitatum, ex ægrotantis, & aſſiſtentium querimonia innoteſcet. Si ex præcedente Apoſtemate, ſiue inflammatione, vel puſtulis Vlcera excitata fuerint. Apoſtematis, & puſtulatum ſigna præceſſerint, vt Dolor Febris, pulſatio, & ſimilia, & poſt apertionem, ſaniei fluxus cum dolore, & Febris alleuiatione, & niſi vllum ex dictis adfuerit, ex acribus poſſumus iudicare.

De Prognoſtico Vlcerum Aurium.

VLcera in parte Auri extrinſeca facilius curantur; In parte autem intrinſeca, & abſcondita difficulter, præſertim ſi Neruum Auditorium ſerpendo attigerit, Vlcera ſimiliter recentia, facilius, antiqua difficilius curantur; Aurium Vlcera ad os peruenientia, nunquam vel raro curantur, profunda corroſiua, & putrida certam perniciem ſecum afferre ſolent.

Saniei exitus ab Aure per multum tempus abſque Vlcere, ſed per reſudationem ab orificijs Narum Cerebri emanans, compeſcendus non eſt, cum ex eius retentione patiens Vertigini, & multis alijs prauis morbis obnoxius reddatur.

Diuturna ſordis ac ſaniei ſuppreſſio, & impurum, ſordidumque vlcus Vermes ſæpe progignit.

De curatione Vlcerum Aurium.

IN huius partis Vlceribus curandis, tres intentiones habere debemus; Prima in victu, & alijs nonnaturalibus rebus conſiſtit; Secunda in peccantis humoris Euacuatione, Diuerſione, ac Reuulſione; Tertia in Topicis ac localibus Medicamentis.

Sex rerum nonnaturalium regimen, in actiuis ad temperatum tendat, & in paſſiuis, ad ſiccum; victus à principio ſit tenuis, deinde ex bonis alimentis ex quibus laudabiles humores gignantur, & qui peccantibus humoribus aduerſetur, ſicuti in ſuperioribus, diximus. Niſi quid obſtet, ſi pletora adſit, Venæ ſectio facienda, mox peccantes humores conuenientibus Syruppis, & caput conroborantibus præparandi, deinde, vel pilulis, vel conuenientibus electuarijs educendi Diuerſiones Cucurbitulis ſparulis appoſitis, & ad os, & ad Nares Herrinijs, Sternutatorijs Maſticatorys, & Gargariſmatibus faciendæ, ſic Reuulſiones, Cliſteribus Cucurbitulis, Frictionibus longinquioribus partibus factis.

Poſt hæc ſanies detergenda, & Vlcus exiccandum, à leuioribus ſemper incipiendo, & quanto recentius fuerit Vlcus tanto tutius, abſterſione, & exiccatione curatur, & hæc pas ob ſiccam naturalem temperiem, detergentia, & abunde exſiccantia experit.

Læuia abſtergentia ſunt Aqua Mulſa, Vinum mulſum, Oximel ſimp. Comp. vel Scyllinum, vel puerorum vrina, quæ temperate calida, per Auricularem cliſterem in aurem inyci debent, deinde poſt partis exſiccationem, aliquod ex Medicamentis infraſcriptis inſtilletur. Et ſemper huiuſmodi Vlcera, vel ſint recentia

centia, vel sint antiquæ; ante Medicamenti impositionem ablui debent, Medicamenta sunt infrascripta, quæ temperate calida semper sunt applicanda siuè infundenda.

℞. Croci, Glaucij an q. vis M. & cum Aceto terantur, & vtere.

Vel Tutia cum Aceto mixta immittatur, vel.

℞. Resinæ Terebenthinæ, Sarcocollæ an. vnc. 5. Olei Chamomelini dragm. 2. M. & fiat Linimentum, vel.

℞. Fellis sulli castrati, vel Bubulini vnc. 5. Mellis optimi dragm. 2. M. & in vitreo vase imponantur, & in feruido cinere vsque ad dimidij consumptionem coquantur.

℞. Aluminis scissilis vsti, Myrrhæ an. q. vis, Mellis q. suff. M. & vtere, vel ℞. Aluminis dragm. 2. Succi Poligoni vnc. 3. M. vel.

℞. Aluminis dragm. 1. Croci, Myrrhæ an. scrup. 1. M. cum Vino, aut mulso q. suff. Confert etiam Vnguentum Basilicon cum Oleo Rosaceo liquefactum, & in Aurem instillatum. Conferunt similitèr post auris ablutionem aliquo detergente factam, Succi Parietariæ, Plantaginis, Poligoni, Buriæ Pastoris, Millefolij, Absinthij, Anagallidis, & Sanniculæ cum Melle cocti, & in aurem instillati; Sic Syruppus de Absinthio instillatus confert.

Ad Dolorem verò leniendum confert passum cum Omphacio mixtum, & in aurem instillatum, vel Oleum de Ouorum vitellis simplex, & quando maximus adest dolor, Oleum de Ouorum Vitellis in Mortario plumbeo diu agitatum maximè prodest. Ad dolorem mitigandum, & detergendum simul, valet Oleum de Ouorum vitellis cum Melle mixtum, & parum Sarcocollæ. Ad idem etiam conferunt omnia Anodina, cum exsiccantibus mixta, vt est Oleum Amigdalarum dulcium, & Amararum cum Myrrha, Aloè, & Croco, & in maximo dolore, cæteris non iuuantibus, aliquid opij addi potest, & vbi cum dolore multa effluat sanies infrascriptum prodest.

℞. Vinum cum Oleo Rosaceo, & porri Succo, vel piscis saliti decocto agitatum. Vbi putredo, vel putredinis suspicio adest, maximè confert Apij succus cum pauca portione Aloes, Myrrhæ, Centaureæ minoris, Gentianæ, & Sarcocollæ mixtus, vel Aegiptiacum Vng. Vino Oenemelite dissolutum.

Si sordidum fuerit vlcus, & multa excernatur sanies, abluatur vlcus Succo Mercurialis, aut Lupulorum, aut Vino, in quo decocta fuerit Betonica, aut mulsa in qua bullierit Ellebori albi Radix aut Oximelite, aut decocto Foliorum Oleastri cum Alumine, & Melle, aut Aceto mulso, postea pars exsiccetur, & aliquod ex infrascriptis Med. instilletur.

℞. Scoriæ Ferri contritæ, & acerrimo Aceto septies lotæ, & exsiccatæ, deinde in optimo aceto ac Mellis consistentiam decoctæ, & auri indatur, & hoc Med. à Gal. ab Anic. & ferè ab omnibus Autoribus laudatur, vel.

℞. Scoriæ Ferri quinques in Vino Austero extinctæ, & exsiccate, & tento, & cum recenti Butyro ad ignem mixtæ fac in Linimenti formam, & vtere.

Vel ℞. Mellis dragm. 10. Aceti vnc. M. & ad ignem coquantur ac despumentur, deinde adde viride Aeris dragm. 2. & cum Lichinio auri impone, & hoc antiquis his Vlceribus maximè prodest, vel.

℞. Succorum Poligoni, Hederæ an. vnc. 1. Pompholigis in Aqua Rosarum, & Plantaginis lotæ q. vis M. & in aurem instilletur, vel.

℞. Decocti Agrimoniæ, & Absinthij lib. 5. Vini albi, Mellis Rosacei an. vnc. 1. M. & in aurem tepide instilletur, vel.

℞. Thuris Myrrhæ an. dragm. 1. Croci, Glaucij an. dragm. 5. Atramenti sutorij scrup. 1. M. cum Vino, in quo Myrti folia fuerint incocta q. suff. & vtere, hoc etiam cum infrascripto putridis ac sordis Vlceribus prodest.

℞. Aluminis vnc. 5. Vini albi vnc. 3. M. & bulliant ad sordium crassitudinem, deinde cum Aceto liquentur, & tepida in aurem instillentur *Gal. 5. Meth. inquit*. Quamobrem aurium Vlcera, cum eæ partes siccissimæ sint, Glaucio ex Aceto curantur, nec non (si valentiore sit opus) Medicamine Andronio, Scoriaque Ferri in pollinem tenuissimum leuigata, & cum acerrimo Aceto quousque ad lubrici Mellis consistentiam deueniat, cocta; *Et 3. de Comp. Medicamentorum S. Loca inquit*, Vlcera aurium recentia, tum Glaucium solum cum Aceto tantum curat,

tum

ſum Collyria ex eo omnia, ſicut, & quæ ex Croco, & ex Roſis fiunt; Item demo cuius Collyrium ex Myrrha. Quæ verò pure manant, citra dolorem atque id moderatè patiuntur, iiſdem Medicamentis curantur, at quæ fortiter affligunt, per eiuſmodi, qualis eſt paſtillus Andronis, & qui ad Muſum refertur Sapa, modicoq; Aceto diſſolutus. Quod ſi hæc ab ipſo morbo vincantur, Scoria Ferri ad plurimos dies in Sole ex Acerrimo Aceto contrita leuigataque eſt, intrepide vrendum. Huiuſmodi etiam Vlcera paſtillo meo ex Charta combuſta ipſe aliquando curaui, Hæc Gal.

De Axilarum, & Inguinum Vlceribus. *Cap.* 22.

IN his partibus aliquando Vlcera excitantur ab humoribus prauis, acribus, ac erodendi vim habentibus, qui vel à toto corpore, vel ab aliqua determinata parte, vel Inguina, vel ad Axillas tranſmittuntur. Hæ verò partes excrementa facilitèr recipiunt, quia propter hoc à Natura debiles factæ fuere, & ideo Emunctoria dicuntur, & ſepe præcedentes Bubones ſequuntur. Hi verò humores in corpore gignuntur, vel ex prauo victus ratione, & aliis erroribus in ſex rebus nonnaturalibus commiſſis, vel ex alicuius partis mala temperie, & aliquando etiam Vulnus, vel caſum, vel percuſſionem ſequi poſſunt, vel aliam ſimilem externam cauſam. Et horum Vlcerum differentiæ ſunt, vti de aliarum partium Vlceribus diximus, ideſt alia ſunt magna, alia parua, alia benigna alia maligna, alia recentia, alia antiqua &c.

De ſignis Vlcerum Azillarum, & Inguinum.

CVm harum partium Vlcera per ſe oculis pateant, nihil de ſignis dicemus, tantum opus eſt inueſtigare, an profunda, & cauernoſa ſint, quod ſpecilli immiſſione cognoſcitur, & an eius Labia dura ſint, & callosa, quod viſu, & tactu cognoſcitur.

De Vlcerum Axillarum, & Inguinum Prognoſtico.

VLcera in Axillis, & Inguinibus, niſi cito ac recte curentur facilitèr in Fiſtulas degenerant, & ſepe profunda, & ſinuoſa fiunt, ob cauitatem, & muſculorum diuiſionem, quæ in partibus illis reperitur.

De Vlcerum Axillarum, & Inguinum Curatione.

IN his Vlceribus curandis victus ratio, & certa vniuerſalia ſecundum Vlceris diſpoſitionem, & humorum qualitatem, ac copiam, & corporis naturam ſunt inſtituenda, ſicuti de aliarum partium Vlceribus pluries ſuperius diximus.

Quo ad localia ac Topica Medicamenta, ſi dicta Vlcera ſint profunda, ac ſinuoſa, vt frequentèr eſſe ſolent, detergentibus ac ſiccantibus Medicamentis curari debent, vt ſuperius de Sinuoſis Vlceribus diximus, & ſi orificium fuerit anguſtum vel contorta Spongia, vel Gentianæ Radice, vel quid ſimili dilatandum. Si verò Vlceris labia dura ac callosa fuerint, vel candent ferro cauſtico, vel quolibet alio Medicamento, ſicuti ſuperius cap. de Vlceribus cum labiorum duricie diximus, duricies ac callositas tollenda.

Detergentia igitur, & exſiccantia in his Vlceribus conuenientia ſunt infraſcripta; *Detergentia.*

℞. Melicrati vnc. 6. Pulueris Myrrhæ, Maſtiches an. ſcrup. 2. vnguenti Apoſtolorum vnc. 5. M. & Auriculario Clyſtere intra Vlcus injciatur, & duodecim horarum ſpacio retineatur, vel.

℞. Decocti Hordei, Lenticulæ Roſarum rub. & Balauſtiorum vnc. 6. Mellis Roſacei vnc. 1. 5. Pulueris Myrræ, & Sarcocollæ an. dragm. 5. M. & in vlcus injice.

Vel ℞. Lixiuij Barbitonſoris vnc. 6. Mellis Roſ. vnc. 1. pulueris præcipitati dragm. 2. M. & fiat injectio.

Si vlcus profundum non fuerit, Vnguiviridi, vel Apoſtolorum, vel Aegyptiaco, vel ſimplicibus, vel ſimul mixtis, vel mundificatiuo ex Apio detergi poteſt, & ſemper, vt pars roboretur, Splenia ex ſtuppa,

ſtuppa, vel Spongia, vel duplicatum linteum, auſtero Vino imbibuum ſuperponi debent.

Deterſo ac mundificato Vlcere, Sarcotica in Vino diſſoluta, vel ex ſe immittenda, quouſque vlcus carne repleatur, Carne Vlcere repleto, cicatrix, ſicuti in partibus alijs inducenda.

De Pectoris Vlceribus.

Cap. 23.

IN pectore Vlcera alia ſunt penetrantia, alia minime, & ex his alia ſunt maiora, alia minora, & aliqua profundiora, & alia minus profunda. Hæc Vlcera ex eiſdem cauſis fieri poſſunt, ex quibus aliarum partium Vlcera excitari ac oriri pluries diximus, ideſt ex præcedente Apoſtemate, vel Vulnere, vel Contuſione vel ex acrium ac prauorum humorum confluxu, & alijs ſimilibus cauſis.

De Signis Vlcerum Pectoris.

PArtis huius Vlcera oculis manifeſtiſſima ſunt, & eorum penetrationis ſigna ſunt, quod multa Candelæ ſeu Styli portio ingreditur, & Aer cum ſtrepitu ab Vlcere egreditur, & non penetrantis contraria ſigna adſunt.

De Vlcerum Pectoris Prognoſtico.

PEnetrantia Thoracis Vlcera ſepiſſime in Fiſtulas terminantur, & quando pus non recte expurgatur, & in Thoracis cauitate retinetur, Empiematicus fit patiens, & Thoracis internæ partes ſemper in penetrante Vlcere, ob aerem non præparatum per vlcus ingredientem, debilitantur, & Vlcera, quæ ſunt in Dorſo curatu difficiliora, & periculoſiora ſunt, ob maiorem Neruorum copiam, qui per illam partem diſperguntur, & ob Spinalem Medullam. Et in penetrantibus Thoracis Vlceribus, quæ in Fiſtulas degenerantur, potius fucata, quam vera curatione vti debemus, cum harum partium Fiſtulæ aut nunquam, aut rarò ſanari quæant. Non penetrantia Thoracis Vlcera, niſi maligna ſint, & abſque oſſis corruptione, facilitèr curantur.

De Vlcerum Thoracis Curatione.

NOn penetrantia Thoracis Vlcera, ſicuti aliarum partium Vlcera curantur, & ſi putrida, ſint, ad putridi Vlceris curationem recurre; Sic ſi ſint coroſiua, vel virulenta, vel ſordida, vel alterius generis, & vbi eſt opus, & Venæ ſectio, & purgatio, & victus ratio ſecundum Vlceris, & affectæ partis diſpoſitionem, & corporis, & humorum naturam inſtruenda.

Penetrantia Thoracis Vlcera, & Medicamentis internis, ideſt per os aſſumptis, & externis curari debent; Imprimis enim niſi orificium ſatis hiet, aperiendum, Turunda facta ex compreſſa ſpongia, vel ex Gentianæ Radice, vel aliquo ſimili, quæ filo appendenda ne in Thoracis cauitatem ingredi poſſit. Deinde curandum, vt pus libere effluat, vtque vlcus, ac internæ partes deterg antur, fiant iniectiones ex Aqua Mulſa, vel Vino Mulſo, vel ex decocto Radicum Ireos, Ariſtolochiæ, Gentianæ, Aſari, Hordei, Roſarum rub. & ſimilium, cui addatur Mel Roſaceum, vel Syruppus Roſaceus ſimplex, Saccarum, & ſimilia, vel injciatur infraſcriptum Medicamentum, quod eſt optimum.

℞ Foliorum Agrimoniæ, Pentaphili, Cetrach, Pedis Columbini, Centaurij minoris, Hyperici, Caudæ æquinæ an M. 1. Rad. Ariſtolochiæ, Ireos an. vnc. 1. Lentium pug. 1. Roſarum rub. pug. 5. Thuris, Myrrhæ an. dragm. 2. M. & in Vino albo, & Aquæ pari portione fiat decoctum, & dicti decocti colati, ℞. lib. 1. & a ide Mellis Roſacei, vel Syruppi Roſ. vnc. 3. M. & fiat iniectio, vel injciatur Vinum album, in quo incocta fuerint Thus, Myrrha, Sarcocolla, Hyſopus, & Lupinorum Farina. Vt verò Vlceris labia detergantur, penicillum infraſcripto Vnguento illiniri poteſt.

℞ Reſinæ Terebenthinæ in Aqua Plantaginis lotæ vnc. 1. Succi Apij vnc. 2. Succi Agrimonæ, Plantaginis an. vnc. 1. Succi Cinogloſſæ vnc. 5. Farinæ Hordei, Fabarum an. vnc. 1. Mellis vnc. 1. 5. pulueris Myrræ dragm. 3. Thuris dragm. 2. Ceræ albe q. ſuff. M. & S. A. fiat vnguentum.

Mundificato optimè Vlcere, iniectiones & Vl-

& Vlceris ablutiones fieri debent ex rebus adſtringentibus in Vino decoctis, vt ſunt Balauſtia, Malicorium, Roſæ, Conſolidæ radix Gallæ immaturæ, Sumach, Folia, & Fructus Myrti, & his ſimilia, vtque vlcus carne repleatur, Sarcoticis Vng. vti debemus, quæ ex Sarcoticis pulueribus fiant, ſicuti eſt Thuris, Myrrhæ, Maſtiches, Ireos, Ariſtolochiæ, Conſolidæ, Aloes, Sarcocollæ, & ſimilium, qui commiſceri poſſunt cum Reſina Terebenthina, vel Abietina, vel Vnguento Regis, vel alio ſimili. *Pulueres Sarcotici.*

Repleto Vlcere carne, Cicatrix Epuloticis pluries dictis inducenda. Per os verò quotidie ſummo mane Cyatum Aquæ Agrimoniæ, vel Conſolidæ maioris, vel Plantaginis, quibus commiſceri poteſt Syruppus Myrtinus cum Melle Roſaceo mixtus propinare debemus, & poſt Vlceris abſterſionem, offerri poteſt infraſcriptum ℞. Aquæ Conſolidæ maioris vnc. 6. Rhabarbari acerbi, Mumiæ aa. drag. 5. Boli Armeni Orientalis ſcrup. 1. M. & præbe ſingulo mane per dies aliquot.

De Abdominis ſiue inferioris Ventris Vlceribus. *Cap.* 24.

Species.

VLcera, quæ in inferiori ventre excitantur, alia ſunt penetrantia, alia minime, non penetrantia ſunt illa, quæ membranam illam peritoneum dictam non pertranſeunt. Penetrantia verò ſunt, quæ vſque ad partes intra peritoneum contentas perueniunt.

De Abdominis Vlcerum Cauſis.

IN hac parte Vlcera fiunt ex eiſdem cauſis, ex quibus in partibus alijs excitari pluries in ſuperioribus diximus ideſt ex caſu, percuſſione, inueterato Vulnere, poſt ſuppuratum Apoſtema, & ex acris ac erodentis materiæ confluxu, & ex acribus Medicamentis appoſitis, & his ſimilibus.

De Abdominis Vlcerum ſignis.

PEnetrantia hæc Vlcera dignoſcuntur, ex Styli, vel Candelæ immiſſione, cum multa horum portio ingrediatur, & ex Vini iniectione Auriculario Cliſtere facta, quæ in penetrantibus Vlceribus intra peritoneum ingreditur; In non penetrantibus verò refluit, & Styli ſiue Candelæ pauca portio intra vlcus ingreditur.

De Abdominis Vlcerum Prognoſtico.

PEnetrantia Abdominis Vlcera frequenter in Fiſtulas abeunt, & difficulter ſanantur; Quæ verò non ſunt penetrantia, facilioris ſunt curationis.

De Abdominis Vlcerum Curatione.

NOn penetrantia Abdominis Vlcera, ſicuti aliarum partium Vlcera, curari debent, cum nihil peculiare habeant, & ſi iſtius partis Vlcera ſint magna, putrida, virulenta, vel ſordida, vel cuiuſcumque alterius generis, ad caput proprium ſpeciei Vlceris recurrendum; Si verò penetrantia, & Fiſtuloſa fuerint talia Vlcera, fucata curatione, ſicuti de penetrantibus pectoris Vlceribus diximus, vti debemus, inſtituta optima Dieta, & victus ratione, vtque decet deterſo ac mundificato Vlcere, ſicuti in ſuperiori capite diximus.

De Penis ſiuè Pudendi Vlceribus. *Cap.* 25.

IN Pudendo Vlcera excitantur, ſicuti in partibus alijs, & alia fiunt in præputio, alia in Glande, alia circa Glandem, & alia per reliquum membrum; Ex his enim Vlceribus, alia ſunt puſtulis ſimilia, alia ſicuti excoriatio, alia ſunt corroſiua ac virulenta, alia ſunt Recentia, alia Antiqua, Putrida, & Cauernoſa, & alia ſunt ita maligna, vt locus denigretur, & hæ, & plures aliæ huius partis Vlcerum Differentiæ eſſe poſſunt. *Species ac Differentia*

De Penis Vlcerum Cauſis.

CAuſæ talis partis Vlcerum, vel ſunt Primitiuæ, vel Antecedentes, vel Coniunctæ, primitiuæ Cauſæ, eſſe poſſunt, vt vulnus male curatum, vel illius partis attritio, aut inordinata fricatio, aut tactus, vel ex contagio excitari poſſunt, vt ſepè ijs accidit, qui rem cum infecta muliere habent, vel ex ſpermatica materia corrupta, & retenta inter Glandem

& præ-

& præputium, vel ex prauis humoribus ibidem retentis, qui cum putridi sint, locum siue partem, quam tangunt, corrumpunt ac exulcerant.

Antecedentes causæ sunt male curata Apostemata, vel prauorum humorum in corpore, vel in proximis partibus existentium repletio. Coniunctæ causæ sunt praui humores acres ac erodentes, qui non solum malam qualitatem in membro inducunt, sed etiam partem exulcerant.

De Pudendi Vlcerum signis.

SAtis manifesta sunt huius partis Vlcera, cum Glans à preputio denudari potest, & ideo alijs signis non est opus. Nisi verò propter tumorem preputium deorsum trahi possit, & Vlcera oculis non appareant, tunc dolore, tumore, & saniei iectione dignoscuntur; Et primitiuarum causarum ex relatis à patiente in cognitionem deuenire possumus, antecedentes causæ, idest quando ob corruptos humores in toto corpore, vel in parte aliqua genitos Vlcera fiunt, dignoscuntur, quoniam nulla primitiua causa præcessit, & paulatim fiunt, sic quando ex præcedente Apostemate fuerint excitata ex patientis relatione hoc scimus.

Causarum coniunctarum ex Symptomatibus in cognitionem deuenire possumus, vt ex Dolore, Calore, Corrosione, & alijs, quæ Vlceribus accidere solent, & ex excretis, vt pluries superius diximus.

De Pudendi Vlcerum Prognostico.

PLuribus de causis huius partis Vlcera difficulter curantur.

Primum propter partis maximam sensibilitatem, quam ita fecit Natura propter delectationem in venerea copulatione, vt 14. de vsu partium scripsit Gal. & hac de causa maligna pudendi ac sedis Vlcera, neque acria, neque ignis vim habentia Medicamenta sustinere possunt, quæ præsidia alijs malignis Vlceribus prosunt. Secundo quia multæ superfluitates ad hanc partem confluunt; Tertio quia Medicamenta huic parti difficulter applicantur, ac retinetur. Illa verò Vlcera, quæ in his partibus ob Luis venereæ infectionem fiunt, raro sanantur, nisi debitis ac conuenientibus Medicamentis talis morbus curetur, cum continuo ab internis partibus fomitem habeat,

Gal. Com. 3. in lib. 3. Epid. cap. 26. inquit, Pudenda si inflammatio obtederit, aut Erysipellas, facillime computrescunt, vnaque sibi adiacentes partes afficiunt. Quare sepe cogimur, vbi putrida præciderimus, radicem ipsam exurere.

De Pudendi Vlcerum Curatione.

IN Penis seu Pudendi Vlceribus, præsertim quando sunt magna ac maligna ac quatuor intentiones habere debemus.

Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus consistit. Secunda in peccantium humorum euacuatione; Tertia in localibus; Quarta in accidentium correctione. Quando verò Vlcera parua, & benigna sunt, tantum localibus sanantur.

Pro prima intentione consequenda, tenuis Dieta instituenda ex optimis cibis, vt bonus sanguis gigni possit, & in quiete maneat patiens, cum ex motu nouæ humorum fluxiones excitentur.

Pro secunda intentione consequenda, & Venæ sectio, & purgatio iuxta corporis, & humorum naturam instituenda.

Tertia intentio localibus complebitur vtque inquit *Gal. Com. 2. in lib. de Medici Officina cap. 13.* Pudibundæ partes si affectæ sint, non palam curandæ sunt.

In huius ergo partis excoriatione ac supercalefactione, vt à leuioribus incipiamus, tantum sufficit partem Aqua Rosarum, vel Plantaginis, vel stiptico Vino abluere, & si maiori exsiccatione sit opus, abluatur Aqua Aluminosa, vel apponatur Vng. album Camph. vel de plumbo, vel quid simile.

Gal. 5. Meth. illa probat Medicamenta in his Vlceribus, quæ insignem siccandi vim habent, & hoc non solum Vlceris ratione, sed etiam affectæ partis, sicut est Charta combusta, Anethum vstum, Cadmia, & alia, vt ex te ipso videre potes.

Nostris temporibus maxime sunt in vsu Tuthia, Aeris squama, vel ferri, vel Lithargirium, ex quibus puluercs, Linimenta, & Vnguenta parari possunt, alij

præcipitati puluere, vel Aegiptiaco Vnguento vel cauſticis Medicamentis vtuntur.

In Vlceribus ergo recentibus, ſed virulentis ſerpentibus ac erodentibus puluis Aloes, & corticis Pini maxime eſt vtilis, ſic mineralia vſta ac lota maxime conducunt, vt eſt Plumbum vſtum, & lotum Lithargirium, Tuthia, Ceruſa, & Cadmia cum Vino abluta, & ſi vtaris Aere vſto, vel cortice Pini, vel Lapide Hematite valentius aget, vel ex dictis Vng. formetur, ſicuti ſunt infraſcripta.

℞. Lithargirij vnc. 5. Plumbi vſti, & loti dragm. 3. Tutiæ præp. drag. 2. Aloes drag. 1. 5. Corticis Pini ſicci ſcrup. 4. Lapidis Hematicis dragm. 1. Seminis Anethi combuſti, Cucurbitæ ſiccæ, & vſtæ an. ſcrup. 2. Olei Roſacei Omphacini vnc. 3. Ceræ q. ſuff. M. & S. A. fiat Vng. vel.

℞. Tuthiæ, Aloes, Sarcocollæ an. dragm. 1. Thuris, Lapidis Hematitis an. ſcrup. 2. Corticis Arundinis vſtæ, Gallarum, Balauſthiorum, Acaciæ an. drag. 5. Olei Myrtini, ſiue Roſacei Omphacini vnc. 1. 5. Ceræ q. ſuff. M. & fiat Vng. vel ℞. Cineris Chartæ combuſtæ, Aluminis vſti, Cucurbitæ ſiccæ, & aduſtæ an. part. æquales, & his fiat puluis tenuiſſimus, qui Vlceri ſuperponatur, & ſi dictis pulueribus addatur Reſina Terebenthina, vel Oleum Myrtinum Vng. parari poteſt.

Si verò Vlcera fuerint Antiqua, Sordida, Putrida, Sanioſa, Callola, Virulenta ac Serpentia, imprimis fouenda ac abluenda aliqua ex infraſcriptis lotionibus, deinde parte exſiccata infraſcripti puluere ſuper Vlcera aſpergi poſſunt.

Abluatur ergo pars Lixiuio Melle commixto, poſtea Lixiuio cum Alumine vſto deinde pauca portio Aquæ Vitis addi poteſt, vel infraſcriptis compoſitionibus abluatur.

℞. Aquæ Plantaginis, Roſarum an. vnc. 4. Aceti albi vnc. 5. Aluminis crudi, Calcanthi vſti an. dragm. 3. M. & ſimul parum bulliant, vel ℞. Aquæ Plantaginis vnc. 3. Vini albi vnc. 2. Tuthiæ præp. Aeruginis raſilis vſtæ an. dragm. 2. M. & ſimul parum bulliant, vel ℞ Vini albi vnc. 6. Aquæ Plantaginis, Roſarum an. vnc. 2. Floris Aeris dragm. 5. Aluminis vſti dragm. 1. M. & parum bulliant, & vtere partem fouendo, vel abluendo.

Inter puluere maxime valet præcipitati puluis, qui ad duriciem ac Vlceris callofitatem tollendam cum Butyro, vel Anatis pinguedine miſceri debet, & in Vlceribus à venerea Lue excitatis maxime eſt vtilis, ſed in eius vſu non ſemper permanere debemus, ſed quouſque callola ſubſtantia ac virulentia extincta fuerit poſtea fouenda pars decocto Maluæ, Altheæ, & Sem. Lini, deinde aliquod Digeſtiuum Medicamentum Vlceri ſuperponendum, quouſque ſeparetur, & talia Vlcera aliquantiſper aperta ſeruari debent ne virulenta materia reprimatur, ſed extrahatur, & ſi prima, vel ſecunda vice callola ſubſtantia vi precipitati non fuerit extincta, ac rubra caro, & bona non remaneat per tres, vel quatuor dies iterum præcipitati puluis ſuperponendus. Infraſcriptus etiam puluis pudendi Vlceribus maxime confert.

℞. Aloes, lotæ, Myrrhæ, Sarcocollæ, Corticis Thuris, Gummi Elemi an. drag. 2. Anethi vſti ſcrup. 5. Corticis Pini ſcrup. 1. Tutiæ præp. plumbi vſti, Antimonij, Ceruſæ an. dragm. 5. Sang. Drag. ſcrup. 1. M. & fiat pul. ten.

Si Vlcus ſordidum fuerit, virulentum ac putridum poſt dictas Lotiones ac fomentationes Vnguentum Aegiptiacum applicari poteſt.

Si verò Vlcera ſint circumcirca Glandem, vel inter præputium, & Glandem, & propter partis tumiditatem, vt ſepe fit videri non poſſit, tunc, ſi poſſibile eſt, Auriculario Cliſtere ſupradictæ lotiones injiciendæ, vt munda Vlcera reddantur, ac exſiccentur. Vel injiciendum Vinum ſtipticum, vel mulſum, vel Vinum Melle Roſacco mixtum, vel ſupradicti puluere cum lotionibus miſceri poſſunt, vt magis Vlcera exſiccentur, vel injicienda Aqua viridis Aeris, quæ maxime exſiccat vel infraſcriptum Collyrium, quod eſt optimum.

℞. Vini albi optimi lib. 2. Aluminis vſti dragm. 2. 5. viridis Aeris drag. 1. 5. puluerizanda puluerizentur, & cum dicto Vino miſceantur, & intus tepide injiciantur.

Si verò ita penis ſit tumidus, vt nihil intus injici poſſit, tunc Catapl. factum

ex

ex decocta Malua, & Sem. Lini, cui addatur Butyrum, & Ouum integrum maxime est vtile. Vel fiat Cataplasma ex Floribus Chamemolini, Meliloto Fœnu græco, & Foljs Rosarum an. M. 1. M. & coquantur in Aqua, vel in Lixiuio Barbitonsoris, & S. A. Formetur Catapl. & nisi dictorum Cataplasmatum applicatione detumescat, & continuo vlcus serpat ac corrodat, quod dolore percipitur, & nullo pacto vlcus videri neque Medicamenta inijce possint, tunc preputium per longitudinem Forficibus, vel alio instrumento est inciendum, vt vlcus in conspectum veniat, ac curari possit, quod, sicuti superius diximus, est curandum.

In antiquis Vlceribus putridis, & cauernosis infrascriptum Collyrium maxime competit, quod corruptionem ac corrosionem sistit, & maxime exiccat, ac sanat.

℞. Vini albi lb. 5. Aquarum Plantaginis, Rosarum an. vnc. 1. 5. Auri pigmenti dragm. 1. Floris Aeris dragm. 5. terenda subtilissime terantur, & cum dictis misceantur, & fiat Collyrium, & si vis, vt valentius agat, addatur pulvis Aloes, & Myrrhæ. Et si valentioribus sit opus, & nullo pacto virulentia ac corrosio sisti possit ad actuale cauterium, vel caustica Medicamenta deuenendum est vt sunt Asphodelorum Trociſci, & alij pluries dicti, & Oleum Calcanthi, vel Sulphuris, vel Chimistarum Aqua, & in hoc casu etiam valet præcipitati pulvis, & Aegyptiacum Vng.

Si verò Gangrenæ periculum immineat, cum circa vlcus, & penem Vnguentum Defensiuum applicandum, & affecta pars profunde scarificanda, & cauterium, vel caustica Medicamenta applicanda, & tandem sicuti lib. de Tumoribus Præt. Nat. Cap. de Gangrena diximus, curandum. Si verò Cancrosum fuerit vlcus, ad eundem lib. cap. de Cancro recurre, vbi multa adinuenies.

Si autem aliquod Sympтoma his Vlceribus superueniat, est remouendum, & sic quartam intentionem consequemur.

Si ergo ex corrosione sanguinis hemorragia sequatur, vt sæpè fieri solet, pulueres Thuris, & Aloes cum Ouj albumine ad Mellis consistentiam mixto, & mollissimo Leporino pilo applicato sistenda, vel alijs adstringentibus pulueribus cum Ouj albumine mixtis, vel alijs præsidijs in lib. de Vulneribus cap. proprio de vasorum Vulneribus descriptis.

Si verò Dolor maxime vrgeat, eius causa consideranda, & si ex calidis confluxis humoribus fuerit ortus, Vnguentum Populeum cum succo Solani, vel Plantaginis, vel semperuiui, & Hordei Farina, Oleo Violaceo, & Ouj albumine simul mixtis, maxime conferunt. Si autem doloris causa sit copiosa materia in parte illa maximam tensionem faciens, foueatur pars decocto Maluarum, Altheæ, Sem. Lini, Fenugreci, Florum Chamemoli, & similium. Si ratione Vlceris, Betonica in Vino cocta, & apposita maxime prodest. Si dolor ratione frigidæ materiæ fiat, calidis Oleis inungatur, vt est de Cherua, Vulpino, Anethino, & his similibus. Si verò ex alijs causis fiat, curetur sicuti cap. 19. lib. de Vulneribus diximus, vbi diffuse de sedando Dolore agitur. Hoc tamen semper est animaduertendum in huius partis Vlceribus curandis, ne pendens pudendum teneatur, ne continuo noua materia fluat, sed superioribus partibus alligari debet, ita tamen ne dolore citetur. *Notandum.*

De Vlceribus in Vrethere, siue Vrinæ Canali. *Cap.* 26.

Accidit aliquando, quod Vlcera oriantur in virga, idest, in Canali vrinæ, vrethera dicto, & in tali parte Vlcera excitari possunt, vel ex Tuberculo, siue paruo Apostemate in tali parte orto, vel ex acredine seminis per talem partem effluentis, vt sepè in seda, & diuturna Gonorrea fieri solet, vel ex Vrinæ acredine, quæ talis redditur ex vsu calidorum ciborum, & sallarum rerum, & aromatum, & meracioris ac potentis vini potu, quæ acredinem ac vrinæ ardorem efficere possunt. Aliquando etiam in tali parte Vlcera fiunt ab angulosis calculis, per talem partem excretis, qui in transitu Vulnerant, vel excoriant, vel ab acribus humoribus ad talem partem delatis, qui sua acuitate, & acredine illam abradunt, ac excoriant, & huiusmodi

humores aliquando etiam cum Vrina miſcentur, & Vrinæ acredinem augent, ex cuius tranſitu primum partes illæ abluuntur, deinde mordicantur, poſtea excoriantur, & tandem exulcerantur, & in illis, qui talem aerem Vrinam excernunt, veriſſima eſt eius nominis Etimologia, ideſt quod Vrina, ab vrendo, ſit dicta, vt Iſidorus voluit, & ideo vrit loca, per quæ tranſit, aut dicitur Vrina, quod vſta ſit.

De Vlcerum Vretheri ſignis.

VLlceris Vretheri ſigna ſunt, quod penis tenſus, & aliquantiſper tumidus eſt, & dolet, & ad inferiora curuatur, nec niſi inter femora indolenter teneri poteſt, & in mingendo pus coadunatum ac compactum Vrinam præcedit, & inter meiendum, ideſt in Vrinæ tranſitu, ingens ac acerbus dolor, præſertim vbi eſt vlcus, perſentitur, & tactu ac compreſſione etiam exulcerata pars adinuenitur, cum in exulcerata parte ex compreſſione dolor excitetur. Diſtinguuntur verò hæc Vlcera ab Vlceribus Veſſicæ, quoniam in Veſſicæ Vlceribus pus cum Vrina mixtum excernitur, huiuſmodi lotium fetet, & ſquamulæ quædam cum tali vrina excernuntur, quod non accidit in Canalis vrinæ Vlceribus.

De Vlcerum Vretheri Prognoſtico.

MEatus Vrinæ antiqua Vlcera, & in ſenibus, vel difficulter, vel nunquam, curationem admittuntur, & hoc euenit, tum ob virtutis imbecillitatem, ob quam caro ad Vlceris repletionem gigni non poteſt, tum ob frequentem Vrinæ tranſitum, quę ſua acrimonia curationem impedit. In Iuuenibus verò, niſi talia Vlcera cito curentur, in is Caruncula quędam prętęr naturam gignitur, quę vrinę meatum obſtruit, & Vrinę exitum prohibet, & ideo citiſſime huius partis Vlcera curari debent, cum tali genita caruncula ratione loci, difficulter poſtea exterminari poſſit.

De Vlcerum Vretheri Curatione.

PRo his Vlceribus curandis, victus ratio mediocris ſit, & ex alimentis optimi ſucci, qui humectant, refrigerant, humorumque acrimoniam obtundant, & pro potu vtatur Aqua Hordei, vel Vinum dicta Aqua optime dilutum; Comperit etiam Piſſana Hordeacea cum Amigdalis dulcibus, & communibus frigidis ſeminibus, & ſaccaro parata, vitanda verò Diuretica, Acria, Salſa, Acetoſa, & dulcia, cum facillime in bilem in iuuenibus præcipue, conuertantur; Et ſi pletora adſit, & nihil Venæ ſectionem impediat, Clyſtere prius Aluo lenita, baſilica Vena ſecanda, & ſanguinis quantitas ſit ſecundum vires, & alia requiſita, & ſi acres humores, hactenus in corpore redundantes, & Vrinæ acrimonia adſuerit, dicti humores præparandi, & Vrinæ acrimonia obtundenda, & hoc fieri poteſt Syruppo Violaceo Simpde Papauere, de Nenuphare, qui tenues humores craſſefaciunt, vel Syruppo de Endiuia de Cicoria, & his ſimilibus, cum decocto, vel Aquis Endiuiæ, Lactucæ, Portulacæ, Hordei, & ſimilium; Præparari poſtea tenues, & acres humores, conuenienti Pharmaco educendi, vt Caſſia nuper tracta pulpa Tamarindorum, Rhabarbaro, Manna, Syruppo Roſacco ſolutiuo, Violaceo ſolutiuo, & his ſimilibus, & hæc vniuerſalia Medicamenta etiam pro Gonorrea curanda conueniunt ac deſeruiunt, & quando hæc affectio adſit, poſt purgationem, & alia vniuerſalia præſidia refrigerantibus ac adſtringentibus Vnguentis Renes inungendi, vel Lamina Plumbea mediocris craſſitudinis, vt relaxari meatus comprimantur, Lumbis admouenda, cum pro huius Vlceris curatione, Gonorreæ ſanatio ſit neceſſaria.

Sed cum in meatus vrinarij Vlceribus magis poſſint, quæ per Syphonem injiciuntur, quam quæ per os aſſumuntur, ideo ad particularia præſidia deueniemus, quibus vlcus detergendum, ac conglutinandum, pro detergendo ergo ac abluendo Vlcere Aqua Hordei cum Roſacco Melle mixta competit, vel Lac cum Saccaro aut pauca Mellis portione mixtum. Pro conglutinando ac huiuſmodi Vlcere cica-

cicatrizzando infrascripta Medicamenta competunt. ℞. Tuthiæ præp. dragm. 1. 5. Acaciæ dragm. 5. Ceruſæ dragm. 1. Camphoræ G. 8. Aquæ Plantaginis, vnc. 5. M. & injce, vel.

℞. Argenti Spumæ, Ceruſæ, Tuthiæ præp. an. drag. 1. 5. Saccari canditi vnc. 5. Camphoræ G. 10. Aquarum Roſarum, Plantaginis an. vnc. 4. M. & fiat iniectio, & ſi vis vt valentius exſiccet adde Aluminis Rocchæ dragm. 1. vel Vnguenti Aegyptiaci dragm. 2.

Dictorum etiam ſubtiliſſimus puluis cum lacte miſceri poteſt, & iniſtio fieri, quà non ſolum Vlcus conſolidabitur, ſed, & dolor ſedabitur; *Aetius Serm. 14. cap. 19.* in huiuſmodi Vlceribus infraſcriptum Med. proponit.

℞. Lucij, Myrrhæ an dragm. 2. Atramenti Sutorij, Calcitidis an. dragm. 1. M. & in ſubtiliſſimum puluerem reducantur, & coquantur cum vnc. 9. paſſi, & vnc. 6. veteris, & odorati Vini, ſimul mixtis, donec optime vniantur, & dictum Medicamentum, in plumbeo vaſe ad vſum ſeruetur. Vſus verò tempore Roſacea Aqua diluatur, vel Plantaginis, & injciatur.

Ad cicatricem verò inducendam in infraſcriptum eſt optimum.

℞. Aquarum Plantaginis, Roſarum an. vnc. 4. Trociſcorum alborum Rhaſis vnc. 5. Boli Armenij dragm. 5. M. & fiat iniectio.

De Caruncula ſiue Callo in Collo Veſicæ. *Cap.* 27.

Qui morbus ſit.

Aruncula, quæ Ceruici Veſicæ aliquando innaſcitur, etiam ab aliquibus Callus dictus, eſt morbus in compoſitione, & multiplex eſſe poteſt, vt dura vel mollis, vel ſpongioſa, vel calloſa, vel ſincera caro, vel maior, vel minor, vel rotunda, vel alterius figuræ, & cuiuſcumque generis ſit, & hoc vnum eſt cum ſit quid præter naturam, & vrinæ meatum anguſtiorem reddat, vel ſi omnino Vrinam ſupprimat, quod ſui diminutionem ac remotionem indicat.

Species.

De Cauſis Carunculæ in Veſicæ Collo ortæ.

GIgnitur in tali parte Caruncula vel ex cauſis externis, vel internis externæ cauſæ eſſe poſſunt caſus, vel attritio, vel contuſio, vel Vulnus in tali parte, vel in adiacentibus partibus factum, vt in Herniarum curatione, quæ per inciſionem fit.

Internæ cauſæ ſunt præcipuæ Vlcera in tali parte orta, quæ excitantur, vel ex acrium humorum affluxu, vel ex ſaniei effluxione, vel ex vrinæ acrimonia, vel ſeminis, vt in Gonnorrhea fieri ſolet, vel ex præcedentis abſceſſus ſuppuratione ac eruptione fit etiam Caruncula ſiue callus ex confluentibus humoribus ad talem partem, & præcipue ex pituitoſis, vel melancholicis ex quibus ſua ſponte à Natura in tali parte Caruncula ſiue callus, quemadmodum in corporis partibus alijs gignitur.

De ſignis Carunculæ in Veſicæ Collo exiſtentis.

CAuſarum in cognitionem deuenire poſſumus ex ægri querimonia, interrogando eum, ſi aliqua ex externis cauſis ſuperius narratis præceſſerit, vel ex internis, ideſt, vtrum ſaniei mictus vel Gonorrea, vel Vrinæ acrimonia, vel quid ſimile adfuerit.

Talis verò ortæ Carunculæ ſigna ſunt, quod Vrina longè tenuior redditur, & non recto tramite, ſed tortuoſe, & interdum diuaricatur, & hoc fit ex caruncula, quæ aliquando partem meatus occupat, aliquando medium, & vtrimque egreditur Vrina, aliquando etiam omnino ſupprimitur, & hoc fit quando caruncula totum meatum occupauerit, ac repleuerit, & tunc aliquando per alias partes erumpit, vt per Serotum, Perinæum, Sedem, vel per inguina. In concubitu verò Semen non cum voluptate eiaculatur, ſed frigidum, & languide, ſine delectatione paulatim ſtillat. Et certius poſtea ſignum deſſumimus ex ſpecilli ſiue Candelæ ſiue alterius inſtrumenti immiſſione, quibus ad veſſicam vſq; penetrare non poſſumus, ſed in caruncula ſiue callum impingimus.

Sed cum ex his signis multa etiam Calculo in Vessica laborantibus adsint, ita distinguenda, quoniam calculo laborantibus diuersimode vrina supprimitur, cum aliquando libere, & copiosæ mingant, Lapide ab vrinæ canale remoto, vt dum supinus situatur, Aeger, & Crura sursum eleuantur, & concutitur patiens, & aliquando in libere mingendo repente supprimitur, Lapillo in vessicæ collum incidente, & vrinæ viam optime obstruente. In Caruncula laborantibus fere vniformiter profluit vrina. Distinguitur etiam ex speculli tactu, & ex prurigine iuxta pœnis radicem, qua laborant, quibus calculo vrinæ difficultas sit, & non qui Caruncula laborant.

De Caruncula Colli Vessicæ Prognostico.

OMnis Caruncula, in tali parte orta difficulter absumitur, tùm ob loci angustiam, & tractandi difficultatem, tum etiam ob affectæ partis compositionem ac nobilitatem, ac cum alijs principalibus membris connexionem, cum hæc pars ex acribus Medicamentis irritetur, ac vehementes dolores excitentur, ac inflammationes, & aliquando etiam mors succedat. Caruncula verò ex Gallica Gonorrea orta, vel ex Renum antiquo affectu, vel Hepatis, vel Cerebri, vel alicuius præcipue partis Symptomatico affectu, vel ex veteri interni membri Fistula, vel ex curatione Herniæ, vel ex suppurato, & male curato abscessu, difficilius curationem admittit, cum ex morbis procedat, qui ob eius seuitiam ac malignitatem vix Med. cedunt. Et quanto antiquior est innata Caruncula, eo difficilius curatur.

De Carunculæ Colli Vessicæ Curatione.

CArunculæ curatio duobus modis fit, vel vrgente necessitate, vel tali morbo inducias dante. Vrgente necessitate, idest quando Vrina omnino supprimitur, & æger periclitatur, cum tunc differre periculosum sit, illa curatio quamprimum adhibenda, cuius meminit *Gal. lib. de Locis aff.* idest, quod Aenea Fistula Caruncula deterenda, quamuis hæc actio violenta sit, ac periculosa; Melius enim est anceps remedium, quam nullum, vt Aetius inquit; Ita ergo faciendum, sumendus est Catheter conuenientis longitudinis, & pro musculis maximus sit 15. digitorum, medius 12. minimus 9. & pro masculis magis sit curuatus, cum magis Vrinæ collum viris intortum sit, in mulieribus maior sit 9. digitorum, & minor 6. & sit minus curuatus.

Situetur ergo patiens supinus super Sellam, & Chirurgus ab illius dextera assistat, & sinistra penem teneat, & Dextera iniunctum Catheterem immittat, & vbi ad Carunculam, & Vessicæ Collum peruenerit, illam penetrare quærat, qua penetrata, simul cum Cole Catheterum inclinatum sensim in Vessicam compellat, & per totam diem intus relinquat, & sic patiens lotium reddere conetur, & interim à tali instrumento ductus dilatabitur; Educto Catheterе, Cerea candela immittatur, & ibi maneat quousq; ipsius Carunculæ signum imprimatur, vbi verò in Candela Carunculæ signum apparebit, excauanda, & aliquo ex infrascriptis Medicamentis Carunculam absumendi vim habentibus, dicta Candelæ cauitas replenda, & iterum immittenda. Quando verò Caruncula nullo pacto abrumpi ac perforari possit, & æger ob omnimodam Vrinæ suppressionem maxime de vita periclitetur, ad cruicis Vessicæ incisionem deuenire sumus coacti.

In Carunculæ ablatione, vbi morbus dat inducias, non violenta ac periculosa curatione vti debemus, sed miti, facili, ac tuta, pro qua facienda, & vniuersalia præsidia, & particularia conueniunt. Vniuersalia sunt opus, ne dum particularibus vtimur, quæ in Caruncula absumenda ac eradicanda aliquem dolorem inferunt, aliquem alium morbum excitaremus, humores ad illam partem fluendo. Conueniunt etiam ratione contuncti morbi quando adest, vt Venereæ Luis, vel Hepatis,

vel

vel Renum male affectorum. Secundum ergo patientis habitudinem peccantes humores, & veteris vel recentis coniuncti morbi, & affectorum membrorum rationem, & victus ratio, & Venæ sectio, Syruppi, & Pharmaca sunt instituenda, quibus ita corpus est præparandum, vt de noua humorum fluxione nullum periculum adsit, & hac de causa post optimam corporis purgationem, Decoctum Ligni Sancti, vel Salsæ parillæ, vel Radicis Chinarum maxime est vtilis, quæ secundum corporis habitum, Aeratem, Anni tempus, & cætera requisita sunt instituenda. Victus ratio tenuis sit, & ex rebus optimi alimenti; Sed quando Caruncula absumentia intromittuntur, tenuior victus competit, & aluus lubrica seruetur, & nisi sit natura, fiat arte, vt suppositorijs, vel Clysteribus.

Mundo ac puro, vniuersalibus superius dictis, reddito corpore, ad particularia præsidia deueniendum est, ac imprimis diutiusculus Cauliculus 13. digitorum longitudinis, vt Petroselini semen emittentis, vel Maluæ, vel Feniculi, vel alterius consimilis Herbæ, Oleo Amigdalarum dul. vel Butyro inunctus molliter in vrinę canalem, vsque in Vesicæ Collum immittendus, & animaduertendum, an facilitèr penetret, vel impingatur, ac reflectatur, & si facilitèr penetrat, signum est Caruncul m molliem esse, vel non valde magnam, & tunc curatio facilior redditur, nisi verò penetrare possit, & Cauliculus flectatur, signum est, quod Caruncula magna ac dura est.

Quando ergo dura ac magna Caruncula fuerit, ac antiqua, partes Vrinæ famulantes, Fomentis, Emplastris, Insessionibus, inunctionibus, & relaxantibus Vnguentis ampliandæ, & Caruncula similitèr emolliendæ, vt tractabilior euadat, & facilius postea detergi ac minui possit. Fomenta, Insessiones, & Catapl. sit huiusmodi, vel his similia.

℞ Maluarum M. 2. Branchæ vrsinæ, Anethi an. M. 1. Rad. Altheæ vnc. 5. Apij, Feniculi, Petroselini an. M. 5. Florum Chamemoli, Melilloti, Sem. Lini an. pug. 1. M. & coque in Aqua q. suff. ad radicum dissolutionem, & dicto Decocto calido spongia imbibita mane, & sero fiant fotus, vel insessiones, vel ℞. Foliorum Maluæ M. 2. Radicum Altheæ, Apij, Feniculi an. vnc. 4. Sem. Lini, Fenugreci, Florum Chamemoli, Stechados, Melilloti, Origani, Pulegy an. pug. 2. M. & coque, vt supra, & eodem pacto vtere, & dum hæc fiunt, patiens Vrinam reddere querat.

Possunt etiam fomenta, & insessiones fieri ex pingui iure Capitis, vel pinguis carnis Arietinæ vel Vitulinæ, vel ex Oleo, vel alia re simili, postea molli Linteo partibus absterfis, infrascriptum Catapl. applicari potest.

℞. Farinæ Sem. Lini Fenugreci an. vnc. 5. Vini dulcis, & Olei an. q. suff. M. & simul coquantur, deinde adde Butyri vnc. 3. Pinguedinis Gallinæ, & Anatis liquefactæ an. vnc. 1. M. & S. A. Fiat Catapl. Et si æger hæc Med. fastidiat infrascriptum apponatur.

℞. Ammoniaci Bdellij in Aceto dissolutorum an. vnc. 5. Pinguedinis Anatis, dragm. 3. M. & applica, vel infrascripto Vnguento dictæ partes inungantur, & deinde succida lana integantur.

℞. Olei Amigd. dul. Liliorum Alborum Chamemolini an. vnc. 1. Vnguenti Daltheæ, Oesepi, Butyri Bubulini an. dragm. 5. Succi Apij, Chamecistes, siue Iuæ an. vnc. 1. 5. Ammoniaci dragm. 6. Mucilaginum Altheæ, Fenugreci an. vnc. 1. M. & ad succorum consumptionem coque, & cum cera q. suff. fiat Vng.

His factis, Auriculario clistere, siue Siphone infrascriptum Medicamentum injiciatur.

℞ Rad. Altheæ, Maluarum an. vnc. 5. Seminis Lini, Fenugreci an. dragm. 2. M. & coque in lib. 1. 5. fluuiatilis Aquæ ad tertiæ partis consumptionem, deinde cola, & adde Olei Amigd. dul. vnc. 3. & injice.

Caruncule his emollita, & vrinæ ductibus dilatatis iterum dictis cauliculis Oleo Amigdalarum dul. vel Butyro inunctis, caruncula. præterire tentandum est, si renitatur, tenuis candela, ex cera, & pauca Terebenthinæ portione, & forti filo fabrefacta, & dictis inuncta lenitèr immittenda, quæ si caruncula. pertransibit, bonum, & digitis comprimenda, vt affectum locum denotet, & vbi signum

ade-

aderit; Candela per ſpacium latitudinis Digiti excauanda, & Medicamento carnem diminuendi vim habente dicta cauitas replenda, & ſi in pluribus partibus læſio appareat, omnibus illis in locis candela excauanda, & dicto Medicamento replenda.

Niſi verò Cera Candela Caruncula prętiriri ac ſuperari poſſit, ſubtili plumbeo ſpecillo inuncto, & immiſſo Caruunculam præterire tentabimus, & hoc inſtrumentum optimum eſt, cum plumbum Vlcera exſiccandi vim habeat, anodinum ſit, & excreſcentem carnem conſtringat, ac ſupprimat, & deſidere faciat. Et ſi huic etiam reſiſtat, Cathetere Aureo, vel Argenteo vti poſſumus, ſicuti ſuperius diximus, cuius inſtrumenti vſus non eſt ita tutus, ſicuti ſuperius dictorum, cum vt plurimum ex vſu dicti inſtramenti, ſanguinis hemorragia excitetur, cui Symptomati, vt inferius dicemus, ſuccurrendum eſt. His ergo factis ad Caruncułæ abſumptionem ac extirpationem deuenicndum eſt, quod fit imponendo aliquod ex infraſcriptis Medicamentis Candelæ, vbi Carunculam contingit, per tranſuerſum digiti ſpacium, animaduertendo vt Medicamentum Caruncułæ adhæreat, ac illam tángat, & Medicamentum quotidie renouandum, & talia Medicamenta duriuſcula eſſe debent, ne in Fiſtułæ tranſitu partem aliquam afficiant, quod facerent, ſi liquida eſſent, cum vrinarius meatus tenella carne ſit præditus, & maxime ſenſibilis, & ideo acria Medicamenta ferre non poteſt.

Medicamenta ergo Ērodentia, alia ſunt mitiora, alia valentiora, ob varia corporum temperamenta, & Caruncułæ vetuſtatem ac duriciem, cum humidioribus corporibus, & antiquioribus Caruncułis valentiora Ērodentia conueniant, & valentius eſt infraſcriptum, quod ſpacio 6. vel 8. dierum Carunculam abſumit.

Erodens valentius.

℞. Viride Aeris, Auri pigmenti, Calcanthi, Aluminis Rocchæ an. vnc. 2. M. & hæc omnia acerrimo Aceto perfundantur, & inter duos Marmores lapidos optime atterantur, & in tenuiſſimum lentorem reddantur, & deinde æſtiuo ſoli exponantur, & hoc 8. dierum ſpacio faciendum, vt dictorum acrimonia profuſus auferatur, & ex ijs, tenuiſſimus Pulvis fiat facto hoc puluere.

℞. Olei Roſacei vnc. 4. Litharg. j Argenti vnc. 2. M. & ſimul coquantur quouſque Emplaſtri duriuſculi conſiſtentiam acquirat, deinde ab igne remoto, adde prædictę puluerıs vnc. 2. & optime ſpatula M. & ad ignem appone, ſpatula continuo agitando, quouſque Medicamentum duriuſculum euadat, ita vt cereæ candelæ hereat, non defluat, et non ſi digitis tractetur, quod Medicamentum optimum etiam eſt ad alias excreſcentes Caruncułas abſumendas, vt ad Polypum, & caruncułas in aure ortas, & compoſitio eſt Alexandri Græci lib. primo cap. 131. Mitius Medicamentum erit ſi minor quantitas prædicti puluerıs commiſceatur, vel.

Ērodens mitius.

℞. Puluerıs Sauinæ in vmbra exſiccatæ dragm. 1. 5. Cerati de Mucilaginibus dragm. 1. 5. M. & candelæ applica; Hoc enim Medicamentum tutiſſimum eſt, & tractu temporis Carunculam ſine dolore minuit, & deinde radicitus tollit, ac exſiccat, vel.

℞. Puluerıs Radicis, & ſeminis ſerpentariæ dragm. 1. Cerati ex mucilaginibus vnc. 5. M. & vtere, vt dixi, & hæc mitiora ſunt.

Infraſcripta verò ſunt valentiora.

Ērodentia valentiora.

℞. Puluerıs Hellebori nigri, Stercoris Muris, Salis parum aduſti an. dragm. 1. 5. Tragiganthæ, aduſtæ, Oſtreorum, calcis viuæ an. dragm. 1. Succi porri, vel vmbilici veneris dragm. 2. Cerati de Mucilaginibus Vnguenti Ceruſæ an. vnc. 5. M. S. A. fiat duriuſculum Ceratum, vel.

℞. Puluerıs præcipitati dragm. 2. Vnguenti Ceruſæ vnc. 2. M. & vtere, vel.

℞. Viride Aeris vſti, Calcanthi vſti, Aluminis vſti an. dragm. 5. Cerati de mucilaginibus vnc. 5. M. & ad vſum ſeruetur, vel.

℞. Aquæ Fortis Chimiſtarum dragm. 2. Vnguenti, Ceruſæ vnc. 1. M. & lento igne duriuſculum Ceratum fiat, quo, vt de alijs fuit dictum, vti poſſumus, & ex dictis ad libitum, & mitiora, & Valentiora Medicamenta componi poſſunt. Cognoſcitur verò Carunculam dictis

Signa quando Caruncula absumitur. Signa absumptæ Caruncula.

dictis Medicamentis absumi ac extirpari ex mordicatione, quæ in parte illa persentitur, & ex puris copia, quæm effluit.

Notæ absumptæ, & ex toto extirpatæ carunculæ sunt, quia candela facile penetrat, & ex multitudine putridarum caruncularum extramissarum, & ex vrina quæ recto tramite, facilitèr, & expedite ac copiosè eiaculatur. Sic in veneteo congressu genitale semen facile emittitur.

Post caruncuiæ omnimodam extirpationem, aliqui grauissimi Autores nolunt, vt statim detergentes iniectiones fiant, sed vt crassiusculam candelam, vel plumbeam virgulam crassitudinis candelæ absque vlla inunctione. continuo spacio 7. vel 8. dierum æger intro insertam ferat, cui sententiæ maximè assentimus. Et hoc faciendum, ne pars illa ex continuis Medicamentis exasperetur, vtque dicto temporis spacio caruncularum ramenta aliqua commodata, sed non ex toto à Medicamento exesa excernantur, & crassioris puris effluxus fiat, quorum exitus iniectionibus impediretur, immò ad vesicæ fundum maximo patientis detrimento, compelleretur. Hoc tempore elapso, & non amplius effluentibus carunculis, neque crassiori pure, liquidis detergentibus Siphone iniectiones fieri possunt, vt sunt infrascriptæ, vel similes.

℞. Decocti Hordei non decorticati, Plantaginis, & Aristoloch æ Ror. lib. 1. Mellis Ros. Col. vnc. 2. M. & Siphone bis, vel ter in die in Vrinarium canalem injce, & deinde ceream candelam, vel Plumbeam Virgulam iterum remitte, quæ, vt detersionem adiuuent. Vng. Viridi, vel Apostolorum inungi possunt, vel Vnguento Pompholigos, vel Chalcitidis Emplastro cum Rosaceo ad Vnguenti formam redacto, quod detergit, ac conglutinat, vel.

℞. Centaurei min. Aequiseti, Apij an. M. 5. Hordei confracti vnc. 1. M. & coque ad dimidij consumptionem in lib. 2. Aquæ fontis, & colaturæ adde Mellis Rosacei col. vnc. 2. M. & vtere, vt superius diximus, & si magna sordium copia excernantur, adde parum Vnguenti Aegyptiaci, & fac iniectiones. Optime detersо Vlcere, cicatrix inducenda, & hoc fit infrascriptis iniectionibus.

Epulotica.

℞. Ceruſæ vnc. 1. Aluminis Rocchæ Lithargirij an. dragm. 2. M. & coque in Aqua Aequiseti q. suff. ad dimidij consumptionem, deinde cola, & injce. Vel ℞. Tutiæ præp. dragm. 3. viride Aeris vsti dragm. 1. 5. Camphuræ Aquæ Plantaginis, Rosarum an. vnc. 4. M. & aliquantisper bulliant, deinde coletur, & huiusmodi colatura fiat iniectio.

Vel ℞. Aquæ Plantaginis, Rosarum, Aequiseti an. vnc. 3. Seri Caprini vnc. 2. Ceruſæ vnc. 5. Aluminis Rocchæ, Tutiæ præp. an. dragm. 2. Camphuræ scrup. 1. terenda terantur, & omnia M. & ex hac Comp. fiat iniectio.

Vel ℞. Aquarum Rosarum, Plantaginis an. vnc. 4 Seri Lactis Caprini vnc. 2. Ceruſæ dragm. 6. Aluminis Rocchæ, Marmoris candidissimi, Spodij, Christalli an. dragm. 1. 5. Camphuræ scrup. 1. terenda tenuissime terantur, postea dictis Aquis, & sero misceantur, deinde colentur, & dicta colatura iniectio fiat, candela verò, siue Plumbeum specillum, quod in vrinæ meatu continuo fertur, inungatur aliquo Vnguento, quod glutinandi, & cicatricem inducendi vim habeat, vt est Vnguento de Minio de Tutia, de Calce, de Plumbo, vel aliud simile, & Cerea Candela, vel plumbeum specillum intro ferendum quousque perfecte ac optime Vlcus fuerit cicatrizzatum, & augumenti Caruncuiæ nulla adsit suspicio. A quo, vt Aeger præseruetur, omnia ea deuitare debet, quæ humorum acrimoniam ac adustionem efficere possunt, & à Venere potissimum se abstineant.

Sed cum in hac curatione aliquando praua Symptomata eueniant, modo, quibus illis sit occurendum, scribere est opus.

Praua ergo Symptomata, quibus tentari solent, sunt Dolor, & Ardor, quibus maximè in Lotio emittendo cruciantur, & Dolor aliquando ita est intensus, vt ad eum insolitus Rigor, & febris insequuntur, & aliquando sanguinis Hemorragia.

Dolorem ac Ardorem tollendus.

Dolori ergo ac Ardori ita succurrendum est, ablata candela Siphone intra vrinarium Canalem Lac cuiuscumque Animalis injciendum, vel Aqua Rosacea Camphura admixta, vel Lac Amigdalarum vel emulsio quatuor seminum frigidorum maior, vel Aqua Rosarum, Plantaginis,

Viola-

Violarum, & Nenupharis, aut decoctum Foliorum Maluarum Violarum, Solani, Sem. Pſillij, & ſimilium, quibus decoctis vel Aquis, ſi ouorum albumina optime concuſſa admiſceantur, & injciantur, magis dolorem ac ardorem lenient, & dictis etiam deforis, ideſt Pecten, Perineum, & circumſitæ partes foueri poſſunt, & poſt fomentum, aliquo refrigerante Vnguento illiniantur, vt Vnguento Roſaceo, vel refrigerante Gal. vel Sandalino, vel alio ſimili, vel dictis partibus Anodinum Catapl. applicetur, vt id quod ſit ex Lacte, Panis mica, Roſaceo, & Ouorum vitellis, vel aliud ſimile. Hſque tandiu vti debemus, quouſque dolor fuerit ſedatus, & in maximis Doloribus, aliquando Narcoticis ſiue ſtupefacientibus dictis vti ſumus coacti, ſicuti eſt alterci decoctum autcum ſupradictis liquidis Opij G. 1. vel alterum commiſcendum, vel Trociſci de Cynogloſſo, & ex his injectiones faciendæ, & deforis etiam fomentationes.

Quoad victus rationem tunc temporis valde tenuis conuenit, & ex ijs ſit, quæ humorum ebullitionem, & feruorem prohibent, & Reuulſiones, Deriuationes ac conuenientes Euacuationes; quæ humorum ad talem partem fluxum prohibent, non ſunt prætereundæ.

Sanguinis fluxum ſiſtentia.

Si verò ſanguinis hemorragia ſuperuenerit, ijs, quæ ſanguinem compeſcunt, ac Venarum oſcula conſtringunt, vti debemus, vt eſt Aqua Roſacea cum Ouorum albuminibus optime ſimul concuſſis vel decoctum Balauſtiorum, Malichorij Acqueſeti, Poligoni, Plantaginis, & ſimilium ſanguinem conſtringentium; Et deforis aliquod adſtringens Catapl. applicandum, ſicuti eſt infraſcriptum, vel ſimile.

℞. Succi, vel Aquæ Plantaginis, Roſ. ũ an. vnc. 2. Aceti Roſacei vnc. 1. Albuminum Ouorum num. pul. Boli Arm. Sang. Drag. an. dragm. 2 Corallorum rub. Maſtiches an. dragm. 1. 5. Myrtillorum, Roſarũ rub. an. dragm. 5. M. & fiat Catapl. S. A.

De Vlceribus vteri ſiue Matricis *Cap.* 28.

Differentiæ ac ſpecies.

ON verò vterum exulcerari contingit, ſicuti partes aliæ, quorum Vlcerum Differentiæ à pluribus deſumi poſſunt, vt à cauſis, à Sympromatibus, à parte affecta, a tempore, & his ſimilibus.

Ratione cauſæ differentiæ ſumuntur, cum ratione cauſæ Vlcera fiant virulenta vel ſordida, vel Corroſiua, vel Cauernoſa, vel Fiſtuloſa, vel Cancroſa, ex ſuppurato abſceſſu orta, & ſimilia.

Differentiæ, quæ à Sympromatibus, ſiue ab accidentibus ſumuntur ſunt, vt Vlcus intemperatum, doloroſum, cum tumore aliquo Præt. Nat. vel cum contuſione, vel ſupercreſcente carne, & his ſimilibus.

Differentiæ ab affecta parte ſumi poſſunt, cum aliquando vlcus os vteri occupet, aliquando ceruicem, interdum eius fundum, aliquando latera, modo anteriorem partem, modo poſteriorem.

Differentiæ à tempore ſunt, vt recens, vel incipiens Vlcus, vel antiquum, & inueteratum, & tandem horum Vlcerum multæ differentiæ adinueniri poſſunt, ſicuti de aliarum partium Vlceribus pluries diximus. Sed his omiſſis ad cauſas explicandas deueniamus.

De Vteri Vlcerum cauſis.

CAuſæ, quæ Vlcera in Vtero excitare ac efficere poſſunt plures ſunt, vel enim ſunt Primitiuæ, vel antecedentes, vel coniunctæ, primitiuæ cauſæ ſunt, vt Vulnus, percuſſio, caſus, adque continui ſolutio ſequitur, vel violentus, & efficax concubitus, vel acria Medicamenta, vel extractio fetus ab imperita Obſtetrice, vel ignaro Cheirurgo facta. Antecedentis cauſæ ſunt præcedens ruptus abſceſſus, & non rectè curatus, aut fluxio acrium menſtruorum, aut partus difficultas, aut fœtus corruptio, aut calidi acres, & praui humores in toto corpore, vel in parte aliqua geniti. Coniunctæ cauſæ ſunt calidi, acres, vel ſalſi, & mordaces humores, qui continuo ad vterum confluunt, & ibi vel Vteri ſubſtantiam corrodendo, vel putrefaciendo, & corrumpendo, vlcus excitant, quæ ferè omnes cauſæ recenſentur ab *Hip lib. 1. de Morbus mulierum, & lib de ſterilibus, & à Gal lib de Humorib. & Paulo lib 3. cap. 66 & ab Aetio Serm. 16. cap. 88.* In his etiam partibus Vlcera ex Venerea Lue haud

haud raro originem trahunt, vel ob retenta excrementa, & putrefacta circa vteri locellos, & Rugas.

De Vteri Vlcerum Signis.

SIgna, vt citati Autores inquiunt, si Vlcera in patentiori vteri parte fuerint, speculo vuluæ orificio dilatato manifeste oculis apparebunt, & si in vuluæ ceruice Vlcera fuerint, ex digiti etiam immissione ac contractu, vel immissione pessarij maximus dolor, mordicatio in parte illa persentitur.

Si verò in profundo vteri fuerint recondita Vlcera, ex defluentibus excrementis, & alijs signis vlceris, & eius qualitatis in cognitionem deueniemus; Tali ergo vlcere laborantes in affecta parte punctorium dolorem percipiunt, & maxime ex partium sub vmbilico positarum compressione, atque ex interuallis fetida saniosaque excrementa ab Vlcere sordido excreantur, quæ exteriores ipsas partes exulcerant ac erodunt, & cætera vteri affecti peculiaria signa consequuntur, veluti est capitis, & præcipue sincipitis dolor item Ligamentorum, & radicis oculorum, qui ad Manuum ac pedum digitos se extendit; In cute punctiones persentiuntur, & subitæ totius corporis frigoris, & caloris mutationes, & discurrentes humores. Excrementa Vlcus, & Vlceris qualitatem indicant; Si enim inflammatum sit Vlcus excrementa sunt in pauca copia, sanguinolenta, aut feculenta, cum ingenti dolore.

Si sordidum fuerit Vlcus, copiosior etiam serosa sanies cum maiori cruciatu profluit. Si depascendo serpat, teterrimi odoris fluxum emittit, atrum, & maximis cum doloribus, & cum alijs inflammationum indicijs, irritatur ex relaxantibus Medicamentis adhibitis, & leuatur ex contrarijs, ex mundo autem Vlcere, humor exiguus, æqualis sine odore, craſſus albicans, & cum facilitate excernitur.

Si exulceratio ex sanguine, vel flaua bile proueniat, dolor erit acerbissimus, pungens cum ardore, & febre.

Si ex Salsa pituita prodeat, maximus pruritus in affecta parte adest, paucum vel nullum excrementum excernitur, idquæ fetidum, acre, & cum pauco sanguine mixtum.

Si ex redundante humiditate Icori simile vlcus fuerit factum, excrementa copiosiora, tenuiora ac fætida profluunt.

Si quæ excernuntur Vini fæci similia sint Cancrosum vlcus ineſſe indicant. Si profluat sanies, sicuti carnis recenter mactatæ lotura, ob menstruorum suppurationem vlcus fieri conyciendum est. Si verò quid liuidum, aut virida, aut nigrum excernitur, & cum dolore, Vlcera Cacoethæ, Corrosiua ac Fistulosa esse indicat.

Si Vlcera ex primitiuis causis fuerint facta, ex Aegrotantis relatione in cognitionem deuenire possumus, sic si ex difficili partu, vel abortu, vel ex venerea Lue, & alia dictæ Luis signa adsunt, vel adfuerunt.

De Vteri Vlcerum Prognostico.

VTeri Vlcera ob excrementa in tali parte redundantia ac confluentia orta, sepe in depascentia ac efferata Vlcera, vel in Carcinomata degenerant, & hac de causa nullum vteri vlcus contemnendum est, sed quamprimum curandum. Huius item partis Vlcera, non solum ob recrementorum copiam, quam à toto corpore recipit, & partem humidam reddit, difficulter curantur; Sed etiam quia vterus est neruosæ substantiæ, etiam ex locis incommoditate, & recondita Vlceris sede; Et quo diuturniora, & antiquiora fuerint huiusmodi Vlcera, eo difficiliora curatu redduntur, sic ea, quæ in profundiori parte sunt recondita difficilius, quam quæ in conspectu veniunt, & impura, virulenta ac erodentia, puris, & mundis difficilius Med. cedunt, & in iuuenibus facilius sanantur, quam in senibus.

Vlcera verò profunda, Depascentia, maligna, & ex Gallica Lue contracta fere incurabilia existimantur.

De Vteri Vlcerum Curatione.

IN Vteri ac Vuluæ Vlceribus, quatuor intentiones habere debemus; Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus consistit; Secunda in peccantium humorum euacuatione ac male affectarum partium roboratione; Tertia in localibus; Quarta in accidentium siue Symptomatum correctione consistit.

Victus

Victus ergo ſit tenuis, & ex optimis carnibus, & Ouis, & alijs, quæ facillime concoquantur, vt ſunt optimi ſucci, quæ potius ſint aſſa quam elixa, & peccantibus humoribus contraria.

Potus ſit Aqua Hordei, vel Aqua in qua Liquiditiæ radix ſit incocta, aut mulſa; Quies ſimilitèr conducit, & aluus lubrica ſeruetur, & his prima intentio conſequatur.

Peccantes humores, ſecundum humorum, & corporis naturam, & Vlceris diſpoſitionem prius præparati, ſunt euacuandi, & hoc non ſolum per aluum, ſed etiam per vomitum vt Reuulſio fiat, faciendum, vel per ſudorem, & vrinam educendi, & frictiones, & vincula ſuperioribus partibus facienda; Et ſi inflammatio Vlceri iungatur, niſi quid prohibeat Venæ ſectio, ex Baſilica dextera facienda. Si ex Gallica Lue Vlcera orta fuerint, vt frequentiſſime noſtris temporibus euenit, præparatis, & craſſis, atris, & aduſtis humoribus optime euacuatis, Ligni Guaiaci decoctum, ſecundum ætatem temperamentum, & alia requiſita, inſtituendum quod huius Luis eſt Antidotum, & ſic primaria affecta pars, & mandans Membrum contemperabitur, ac ad naturalem temperiem reducetur, & hoc Hipp. præcepto faciendum, primo de morbis mulieribus dicentis; Quæcumque exulcerationes in vteris fiunt ex aborſu, aut aliqua quauis cauſa, eas omnes, reſpectu ad totum corpus habito curare oportet, quacumque curatione opus habere viſum fuerit, ſiuè ex vniuerſo corpore hominem curandum eſſe putaueris, ſiue ex ipſis vteris. Ex qua ſententia conſtat ab vniuerſali corporis prouidentia principium curationis eſſe auſpicandum, & ſic ſecundam conſequemur intentionem.

Poſt hæc, vt tertia compleatur intentio, ad ipſa Vlcera deueniendum eſt, eis particularibus præſidijs opem ferendo.

Si Vlcus igitur ſit ſordidum, abſtergendum, ac mundum reddendum, & hoc ſit mulſa, in qua incoctum ſit fœnum græcum Plantago, Marrubium, Eruum, Centaurium, aut Malua, aut Furfures, aut Lenticula, cui cortex ſit detractus, vel Hordeacea Piſſana cum Melle mixta, vel Hydromelli ex Hordei decoctione, vel decocto paſſularum, & Hordei cum Melle Roſaceo; Et niſi dictis Vlcus detergatur, ad valentiora eſt confugiendum, veluti eſt Aqua Marina, vel Aluminoſa cum pauca portione Aegiptiaci Vnguenti, & omnia acria ac mordacia, quæ cruſtam inducunt vtero ſunt inimica, & ideo fugienda, vt Actius inquit.

Valet etiam ad hæc Vlcera decoctum Aſtriſtolochiæ, & Iridis illiricæ cum Melle, donec vlcus purum fiat, & hæc, quæ liquida ſunt, præcipue in Vlceribus, quæ in interiori ac profundiori vteri parte conſiſtunt, Metrenchyta injicienda.

In Vlceribus verò oris, & Colli vteri, & aliarum partium infra poſitarum, peſſarijs, & Turundis ex Linteis, vel filamentis, vel alia ſimili materia factis Medicamenta applicari poſſunt. Ad detergenda ergo hæc Vlcera, Peſſaria illini debent Farina Lupinorum, vel Erui Melle Roſaceo mixta, & niſi his cedat, puluis Iridis, vel Alumiais ſuperaſpergi debet; Poteſt etiam fieri Medicamentum ex Melle, Reſina Terebenthina, Oleo Roſaceo, & Butyro, & his aliquid Croci addi poteſt, vel infraſcriptum, quod eſt Auicennæ, Re. Lithargirij, Ceruſæ, Sarcocollæ aa. drag. 1. Cerę, & Olei Roſacei q. ſuff. & fiat Vnguentum, & dicta Medicamenta Vino diſſoluta intus injicienda, ac etiam profundarum partium Vlceribus proſunt, ſic deforis applicata, ideſt partibus ſub Vmbilico poſitis.

Si verò vlcus Erodens ac Depaſcens fuerit, præmiſſis vniuerſalibus, vt ſuperius diximus, frigida, & ſtiptica, & exſiccantia Medicamenta, injicienda ac applicanda, vt repellere, partem contemperare, abſtergere, & corroſionem ſiſtere poſſint, & huiuſmodi eſt Aqua Aluminis, Plantaginis, vel Roſarum, vel Chalibeata tepida, Piſſanæ etiam cremor Melle, & Roſaceo ſimul mixtis etiam conducit, vt Actius inquit, vel fiat decoctum ex Lentibus excorticatis, Alumine, Folijs Roſarum rub. Oleæ rubi, Malorum Cytoniorum, Sumach, Agrimonię, Balauſthiorum, Baccarum Myrti, plantaginis, Malicorij, Cyperi, Myrabulanorum Glandium Cupreſſi, & ſimilium, quo tepido iniectiones, & ablutiones fieri poſſunt, vel injiciatur ſerum cum Aqua plantaginis, & ſaccaro mixtum, & niſi his cedat, ſequens inyciatur.

Re. La-

℞. Lactis Asinini, vel Caprini vnc. 6. vel lib. 1. Mellis Rosacei, vel Syruppi Rosacei vnc. 2. Pulueris Iridis dragm. 5. M. Vel injciatur Mulsa, in qua incoctum sit Absinthium, Lentiscum, & Calamum Aromaticum, vel cum Lacte Asinino Vnguentum de Tuthia dissoluatur, ac inyciatur, aut Alumen, Thus, & Myrrha, aut ℞. Succi Plantaginis dragm. 10. Mellis Ros. vnc. 11. M.

Insessiones item, & somenta prosunt ex Mulsa, in qua excorticatæ Lentes fuerint incoctæ, vel Eruum, & Marrubium, & Absinthium Pessarijs, quando Vlcera in Vteri profunda parte adsunt, cum ad locum affectum non pertingant, & cum sordidius Vteri osculum reddant, vti non debemus, & ideo, quæ extrinsecus apponantur, magis prosunt, sicuti est infrascriptum quod humorum acrimoniam mitigat, & partis calorem restinguit.

℞. Olei Rosacei vnc. 4. Ceræ albæ vnc. 1. 5. liquefacito ac refrigerato, in Mortarium conycito, & Lacte muliebri, vel Asinino, vel Caprine affuso, cum pistillo subigito, donec totum albescat, deinde diffuso priori Lacte, aliud denuo conicito, idque ter, vel quater faciendum, & vltimo addendum Croci drag. 1. 5.

℞. Tutiæ lotæ vnc. 1. Lythargirij, sarcocollæ, Ceruse an. vnc. 5. cum Rosaceo Oleo, & Cera q. suff. S. A. fiat Vng. Et ex his aliquid cum supradictis decoctis etiam injici potest, & si Vlcera in inferiori parte fuerint, pessarijs applicari queunt, sique Vlcera sint conspicua, fortiora Medicamenta applicari possunt, quæ in pœnis Vlceribus superius diximus.

Si Vlcus absque corrosione ac sordicie adfueris, leuiter abstergentia ac exsiccantia conueniunt, vt est decoctum Rosarum & Leontium, vel poligoni decoctum cum saccaro, vel Rosaceo Syruppo, vel Plantaginis succus, vtque citius talia Vlcera sanentur dictis decoctis, vel succis admisceri possunt, pulueres Tuthæ, Aloes, Lapidis Hematitis, Chartæ combustæ, cucurbitæ siccæ, & adustæ, & similia, sicuti de Penis Vlceribus diximus, cum eadem Medicamenta in matricis Vlceribus competant, quæ in Vlceribus, cum vtraque hæc membra valenter siccantia, absque morsu desiderent.

Si dicta Vlcera à Venerea luce fuerint orta, in iniectionibus Lignum Guaiacum siue Sanctum dictum incoqui debet, & aliquid præcipitati etiam addi potest, & similiter præcipitatum dictis Vnguentis commisceri potest.

Si Vlcus Cancrosum fuerit factum, palliata curatione vti debemus, & ideo injciendum decoctum, vel succus Taffi Barbassi, vel Plantaginis, vel solani, vel quid simile, sicuti de Exulcerato Cancro in lib. de Tum. Præt. Nat. diximus, vel fiat Vnguentum ex succo Solani in plumbeo Mortario cum pistillo plumbeo diu agitando, donec ad mellis crassitudinem deueniat, vel alijs Vng. vti possumus in dicto loco descriptis, quæ exsiccant, & humorum acrimoniam obtundunt.

Vt quartam intentionem consequamur, si aliquod Symptoma Vlceri sit coniunctum, quod sit magnum, & sine quo vlcus curari non possit, huic primo succurrendum, 12. & 14. *Meth. Cal inquit*, deinde ad Vlceris curationem deuenendum est.

De Curãda sicca Intemperie cum Vlcere Vteri.

Si ergo Vteri Vlceribus sicca intemperies sit coniuncta, quod ex nulla, vel pauca excrementorum excretione cognoscitur, bis in die metrenchita in vterum injcienda Aqua tæpida, cum saccari pauca portione mixta, vel Hordei cremor, vel Aqua Hordei cum saccaro, vel portulacæ Aqua, vel eius succis.

De humida intemperie.

Si verò humida Intemperies cum Vlcere adsit, ea, quæ siccandi vim habeant, sunt injcienda, sicuti est vinum, in quo austera fuerint incocta, vt est Alumen Malicorium, Balaustia, & Myrti, & Rosarum rub. folia, vel Ligni Guaiaci decoctum, vel inyciendum Enema, quod fiat ex pulueribus Hordei vsti, Amyli, & Turis an. vnc. 1. Lactis Asinini q. suff. M. & in vterum inyciatur.

De calida & frigida Intemperie.

Si verò calida, vel frigida Intemperies Vlceri sit coniuncta, ea inycienda, quæ tantum calefaciunt, vel refrigerant, quantum pars à naturali habitu recesserit.

Ad vteri autem Inflammationem cum Vlcere coniunctam prodest fotus factus ex decocto Hordei cum mucilagine Seminis Psillij, Cydoniorum, Iuiubarum, & Sebesten, cum succo Plantaginis, Portulacæ, Lacte Bubulino, Aqua Rosacea, Oui albumine, & Saccaro, vel ℥. Hordei integri, Lentium an. Pug. 2. Portulacæ

Plantaginis, Virgæ Pastoris an. M. 1. Capitum Papaverum num. 3. Rosarum rub. Pug. 2. M. & fiat decoctum in æquis partibus Aquæ Rosaceæ, & Fabrorum, & in lib. 2. dissolue Syruppi de Rosis siccis vnc. 4. Trociscorum Alborum Rhasis sine Opio, vel cum Opio si vehemens adsit dolor, & calor vnc. 5. Croci scrup. 2. Passi vnc. 3. M. & fiat iniectio, cui etiam addi potest aliquid mucilaginis Sem. Psilly vel Ouorum Vitellis num. 2.

De Duricie curanda.

Si cum vteri Vlcere Duricies sit coniuncta, quæ duriciem emolliendi vim habent, in vterum sunt inijcienda cuiusmodi est infrascriptum, ℞. Radicum Altheæ Liliorum alborum an. vnc. 5. Pulegy, Origani an. M. 5. & omnia in pari mensura Aquæ, & Vini simul mixti coquantur. Deinde ℞. dictæ decoctionis ℥. suff. & adde Adipis Anserini, vel Anatini, vel Gallinacei vnc. 1. & in vterum in ijciatur. Potest etiam vterus ablui cum Lacte Bubulino, cum dictis Adipibus mixto, aut Oleo Liliorum alborum, vel alio simili. Si verò dolor Vlceri sit coniunctus, vel ablat. eius causa, auferendus, vel quo ad potest, leniendus ac mitigandus, cum dolor vires prosternat, & maiores fluxiones concitet, & ideò quamprimum dolori succurrendum; & si aliqua Anodina Vlceribus vtilia non sint, cum eo quod magis vrget, primum sit occurrendum. Competunt igitur pro dolore mitigando iniectiones factæ ex Hordei Ptissana, ex Succo Plantaginis, Portulacæ, & coriandri, vel Aqua tepida cum Amylo mixta. Adeps similitèr Anserinus liquatus cum pari mensura Rosacei iniectus dolores maximè mitigandi vim habet, vel fiant insessiones ex decocto Absinthij, Maluarum, violarum, Rosarum, & capitum Papaueris, vel fiant ex vino, in quo inferbuerint Chamemolum, Melilotum Rosæ, & alia Anodina.

De Rhagadis Vteri Ani, & omnium aliarum partium. *Cap. 29.*

Affectæ partes.

RHagades à Græcis dictæ, à Latinis Rimæ, Fissuræ siue Scissuræ, in omnibus corporis partibus fieri possunt, seù præcipue in vteri ostiolo & in Ano, idest extrema recti Intestini parte aut in musculo Anum claudente Sphinctir dicto, ac etiam in labijs fiunt, in manibus ac in pedibus nonnunquam.

Quid sit Rhagades.

Sunt enim Rhagades, siue Rimæ vlcuscula oblonga, siue quedam oblongæ scissuræ absque tumore, quæ in dictis partibus oriuntur, vel potius dicendum, quod Rhagades sunt Vlcuscula quædam in fissuras deducta, quæ ferè ijs similia sunt, quæ in manibus, & labijs ex vehementi frigore & importuno flatu Boreæ excitantur.

Hæc Vlcera, vt plurimum sunt parua in longum, & angustum protracta, & aliqua sunt profunda, & alia superficialia, alia dura, callosa labia habentia, alia sine duricie, & callo, alia sunt humida, & saniosa, alia cancrosa, & feruida ac sicca.

De Rhagadum Causis.

DIuersis ex causis in partibus diuersis Rimæ generari possunt; In vtero enim oriri possunt, ex violento coitu, & grandiori pudendo facto, quod os vteri ita distendat, vt multis partibus scindi sit necesse, vel ex laborioso Partu, vt *Paul. lib. 3. cap. 75. inquit*, ob capitis infantis magnitudinem, & ex tali causa Rimæ sordidæ fiunt, ob excrementorum continuum fluxum, qui vitari nullo pacto potest. Fiunt etiam Rhagades tàm in vtero, quàm in Ano ex acrium ac erodentium humorum affluxu, maximè si quid lentoris obtineant, ob quem partibus adherent, ob tenuitatem, & acredinem exulcerant ac erodunt, sicuti est vtraque Bilis, vel Salsa Pituita, vel fiunt ob talium partium caliditatem, ac siccitatem, aut ob solam immodicam siccitatem, quæ partibus illis accidit, quæ illarum partium distractionem efficit, & aliquando cum dicta intemperie, dicti acres humores sunt coniuncti, vel ob inflammatum condyloma, aut circumiacentes Tumores, qui cutim distendendo ac diuellendo disrumpunt. In Ano similitèr talia Vlcera fiunt ob fecum nimiam crassitiem, duriciem, ac siccitatem, quæ in exitu, nimis Anum distendendo cutim, & carnem musculi Anum claudentem Sphinctir dicti scindunt. Ex quibus verò causis in Labijs Rimæ fiant, capite proprio superius fuit dictum, in manibus verò àc pedibus, vt pluri-

plorimum ex frigore, & flante Borea fiunt & aliquando etiam ex dictis acribus humoribus oriuntur.

De Rhagum signis.

PAulus *loco superius citato inquit*; Quod Rhagades ex grandiori partu orræ, cum recentes ex partu aduch sunt dolores, latent, postea paulatim percipiuntur, & in cognitionem præcipue deuenimus ex digiti contractu, vel quando feminæ viro accedunt, cum plurimum à pudendo viri doleant, & exacerbentur, ac etiam propter confricationem cruor emanat, aperto etiam Vuluæ sinu, in Vteri ostiolo, idest in circuitu scifluræ oculis apparent. Nisi verò partus præcessit, nec virilis pudendi magnitudo, optime perpendendum, an ex præcedentis Condylomatis, aut inflammationis magnitudine Rimæ fuerint factæ; Quod aperto Vuluæ ostiolo facile intueri potest. Et nisi hoc etiam adfuerit, ex acribus mordacibus, ac erodentibus humoribus Rimas esse ortas conycere possumus, qui si bilioſi fuerint, ex calore deprehenduntur alij verò sine calore mordicantes sunt, & si pituita salsa, ingentem pruritum facere solet. Cognoscuntur etiam humores Rimas facientes ex ijs excrementis, quæ ab Vtero emanant.

Rhagades in Ano statim ipsis oculis patent, & expresso Ano Vlceris extremum apparet, quæ si recentes fuerint citrà callum, si inueteratæ callosæ apparebunt, & si ab acribus, & erodentibus humoribus fuerint factæ, pruritus, mordacitas, & acrimonia sedem infestat, & aliquando acerrimus dolor cum ardore citrà Phlegmonem. Si ex præcedentibus Condylomatibus, vel alijs rumoribus præter naturam circa Anum ortis fuerint Rimæ excitatæ ex patientis relatione, & ex intuitu patebunt.

De Pharmacum Prognostico.

IMportunissima sunt hæc Vlceris genera, *vt lib. 6. cap. 18. inquit Celsus*, cum in partibus fiant, quæ alicui necessario muneri sunt dicate, in quo officio fungendo, & maximi dolore ingentes molestiæ, & nouæ disruptiones, extensiones ac lacerationes fiunt; *Aetius loco superius citato inquit*, Recentes Rimæ confestim eas curare tentandum est, vt pote quæ Med. cedant, nam cum procrastinarur, eorum cura, indurantur, & eorum labia callosa fiunt, quo tempore non amplius Medicamenta, sed Cheirurgiam adhibere oportet, *Gal. 9. de Comp. Med. S. Loc. cap. 6. inquit*; Quod sedis vitia ob multas causas difficulter sanantur. Primo quia hæc est pars maxime sensibilis. Secundo quia ab acribus Medicamentis facile irritatur; Tertio quia excrementorum transitus per se mordax, & in excernendo pars semper aliquam recipit læsionem. Quarto quia statutum tempus Medicus obseruare non potest in Medicamentis imponendis, cum sepe intempestiue patiens ad feces excernendas concitetur. Quinto, quia humiditas, & caliditas ipsius loci siccantibus, & refrigerantibus simul opus haberet; Sed ex subtili partis sensu huiusmodi Medicamenta applicari non debent cum adstringentia mordeant, & acrimoniam ferre non possint, & ideo ægro curabilia Ani affectiones existunt.

De Rhagadum Curatione.

PRo Rhagadys curandis, tres præcipue intentiones habere debemus. Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus consistit. Secunda in peccantium humorum attemperatione, præparatione ac euacuatione, & etiam in eorum Reuulsione. Tertia in localibus consistit. Victus ergo ratio, vt inquit *Celsus lib. 6. cap. 18.* ad humidum declinare debet, neque acribus cibis, salsis, aut asperis, aut aluum comprimentibus, aut acidi quicquam habentibus vti debus, ac omnia etiam aromata fugienda sed liquida, lenia, pinguia, glutinosa, & bonum succum generantia meliora, ac vtiliora sunt, veluti pinguia iura, & Carnes Gallinaceæ hedinæ, arietinæ, & vitulinæ, & recentia sorbilia, Oua, Lac Amigdalarum dul. & Pissana, & inter holera laudantur Spinachia, Malua, Beta, Intubus, Borrago, Bogloſſum, Endiuia, Lactuca, Cucurbita, & similia, quæ etiam indictarum carnium iure coqui possunt. Pro potu autem competit Vinum album optimè dilutum, ac pauciferum, talisque victus

inſtituendus, non affectus ratione, cum ratione affectus potius contrarius requiratur; Sed quia arida adſtringentia, ſicca, acria, & aſpera mordaces ſucco, & duras ac ſiccas feces generant, ex quibus Rimæ, & earum dolor magis irritatur, Aluus, vt mollis ſit, lenibus ac pinguibus Cliſteribus, ſemper curandum, ne in aridarum fæcum excretione, iterum pars dilaceretur, & hac de cauſa ante cibum Prunæ Damaſcenæ in dictarum carnium iure elixatæ, ſaccaroque aſperſæ aſſumi poſſunt, vel tertio quoque die ieiunio ventriculo, Vuarum paſſularum præparatarum Cochlear, vel fiſtularis Caſſiæ nouiter tractæ vnc. 5. aſſumat. Ab omni violento motu, & præcipue vociferatione, & ſaltu cauendum, & Rimæ, ſi vteri Oſtiolo fuerint, à viri conſortio abſtinendum, cum ex coitu hæc affectio exacerbetur, ſomnus concitetur, & animi perturbationes vitentur, & ſic prima Intentio complebitur.

Pro ſecunda Intentione conſequenda quando cum Rimis Inflammatio ſit coniuncta, vel Pletora adſit, vel nimia Hepatis caliditas, vel hæc omnia ſimul, niſi quid obſtet, Cliſtere prius Aluo lenita Vena Baſilica ſecanda eſt, & ſic Reuulſio fit pletora minuitur, & hæpatis calor euentatur, & ſi opus fuerit, prò derıuatione, & ſanguinis inflammata parte contento euacuatione, etiam Vena in Talo incidi poteſt, & ſanguinis quantitas ſit ſecundum Virium robur, ætatem, & Patientis temperamentum, & niſi quid horum adſit, à Venæ ſectione abſtinendum, & peccantes humores contemperandi, præparandi, ac euacuandi. Si ergo Rimæ ex acribus ac mordacibus ſuccis excitatæ fuerint ſicuti ſunt bilioſi, & Salſi, ex quibus frequenter orriri ſolent, hi contemperentur, & præparentur Syruppo Violaceo, de Endiuia, de Cicoria de Succo Borraginis, & his ſimilibus, cum decoctis, & Aquis conuenientibus mixtis; Preparati peccantes humores poſtea euacuandi, ſed in hoc faciendo, acria, mordacia, & vehementèr purgantia vitanda, & cum humores plurimum perturbent, Conuenientia ergo Medicamenta erunt Caſſia nouitèr tracta, Manna, Diacatollicon Nic. Confectio Hamec ſine Scammonio, Syruppus Roſ. & Violaceus ſol. Rhabarbarum, & ſimilia. Corpore purgato, frictionibus, & Balneis, quæ plurimum Rimis proſunt, humores reuellendi; Et ſi Hepatis temperamentum ſit nimis calidum, internis, & externis præſidijs contemperandum; Internis contemperabimus, ſi per plures dies ſingulo mane ieiuno Ventriculo vnc. 6. Caprini Seri præbeantur, in quo incocti ſint Flores cordiales recentes, vel Fumitere pug. 1. cum dragm. 2. Senæ Orientalis, & parum Cinamomi. Hoc enim Medicamento non ſolum hepar refrigeratur, ac contemperatur, ſed ſanguis purificatur, aluus lubrica redditur, & peccantium humorum portio euacuatur, externis hepar refrigerabitur conuenientibus Epithematibus, ac inunctionibus.

Factis vniuerſalibus, vbi fuerit opus, ad particularia præſidia deueniendum eſt & ſic tertiam intentionem conſequemur, & huiuſmodi particularia præſidia abſque morſu, & aſpredine adſtringere debent, vt inquit *Gal. 9. de Comp. Med. S. Loc. cap. 6. & Atius loco ſuperius citato inquit.* In Rimarum curatione omnia mordentia Pharmaca reprobare oportet, talia enim Inflammationes, & Conuulſiones inducunt,

Si ergo ex Condylomate, vel quolibet alio præter naturam Tumore Rimæ prodeant, euacuato corpore, & Venæ ſectione, & purgantibus, Pharmacis, talis tumor ſicuti lib. de Tum. Præt. Nat. diximus, curandus, deinde Rimæ, niſi ſint Calloſæ, ſicuti inferius dicemus curari debent. Si verò ex laborioſo partu, vel virilis pudendi magnitudine in vtero Rimæ fuerint factæ, ſtatim in vterum infraſcripta Compoſitio Metrenchita injicienda. ℞. Aquæ Roſaceæ, Plantaginis an. vnc. 6. pulueris Boli Arm. Sang. Drag. an. dragm. 2. Myrrhæ, Thuris, Ariſtolochiæ an. dragm. 5. M. fiat iniectio tæpida, vel ex dictis pulueribus Oui albumine, & Lana fiat peſſarium, & in vterum immittatur.

Si Rimæ cum ſiccitate, calore, purituque complicatæ fuerint, vel ab his cauſis ortum duxerint, ſepè pars fouenda Lacte Vaccino aut Decocto hordei decorticati, Sem. Lini, Maluæ, Althææ, Lenticulæ paluſtris, & ſimilium, & poſt partis exſiccationem inungendæ Rimæ Mucilaginibus Sem. Pſilly Cydoniorum, & Sem. Maluarum, vel Vng. Albo Camph. & aliquan-

Ad Siccitatem calorem, & pruritum tollendũ

aliquando recreandae hae partes Butyro Vacino Rosacea Aqua sepius loto. Si in parte maximus Ardor ac Dolor adsit, infrascripto Vng. partes leniendae, ℞. Vng. Populei vnc. 1. Camphurae drag. 1. Cerussae Aquarum Rosarum lotae dragm. 1. Albuminum Ouorum num. 2. M. & vtere.

Anodina Ad leniendos maximos dolores confert etiam Vnguentum factum ex Oui Vitello assato, & albo Vino dissoluto, & Vng. Rosaceo excepto, quod est *Gal. loco superius citato*. Conferunt etiam ad dolorem leniendum, simplicesque Rimas curandas, Oleum Seminis Lini in Plumbeo Mortario vsque ad coloris mutationem agitatum; Aut id Vng. quod fit ex Butyro Oui Vitello, & dicto Oleo in eodem Mortario confectum, vel fiat Vng. ex mucilaginibus, & plumbo vsto, vel ex Oleo Rosaceo Omphacino, oui Vitellis, & plumbo vsto, & his similibus, & dictis Vng. si Rimae in vteri ostiolo fuerint, pessarij illiniendi, & Vuluam intromittendi.

In siccis verò Rimis maximè infrascriptum Vng. prodest.

℞. Apidis Anatis, Gallinae, Medullae Ceruinae, Vitulinae Oesepi, Butyri Vaccini recentis an. dragm. 2. Lithargyrij, Aloes lotae an. dragm. 5. Olei Amigdalarum dul. Olei Nucleorum Persicorum an. vnc. 1. 5. Cerae q. suff. M. & S. A. fiat Vng. In Humidis, Saniosis, ac Virulentis Rimis lotessiones ex infrascripto decocto competunt.

Ad humidas Rimas. ℞. Maluae, Plantaginis, Foliorum Rosarum rub. siccarum, Olearum viridium Rubi, Lentisci, Hordei decorticati an. M. 1. Aluminis crudi vnc. 1. M. & omnia bulliant in Aqua pluuiali, vel Muria q. suff. addendo Vini albi aromatici tertiam partem, & hoc colato fiat insessio. Post insessionem, & partis exsiccationem infrascripto Vng. illiniatur, ℞. Aloes lotae, Cerussae lotae, Lithargirij, Masticches, Thuris Satcocollae, Boli Arm. an. scrup. 2. M. & omnia subtiliter pulueriz zentur, deinde in Plumbeo Mortario, & pistillo Plumbeo Oleo Rosaceo Omphacino q. suff. incorporentur, & addito parum Cerae fiat Vnguentum, vel.

℞. Plumbi vsti, Lithargyrij an. dragm. 1. Olei Rosacei vnc. 2. Albuminis ouorum vnc. 1. Camphurae scrup. 1. M. & omnia in Mortario plumbeo cum pistillo plumbeo diu agitentur donec mollis Vng. formam acquirant, vel.

℞. Cerussae, plumbi vsti, Lithargyrij, Aluminis vsti, Thuris an. dragm. 1. Pinguedinis Anatis, Gallinae, Axungiae suis non salitae, Olei Amigdalarum dul. Olei de Papauere an. vnc. 5. lento igne misceantur, & cum Cera q. suff. fiat Vng. S. A. vel.

℞. Tutiae lotae, plumbi vsti ac loti an. dragm. 2. Cerussae, Spume Argenti an. dragm. 1. Gummi Tragaganthi scrup. 4. Thuris, Radicis Symphiti an. dragm. 2. omnia in subtilissimum puluerem redigantur, & Rosaceo Vng. q. suff. misceantur, quo affecta pars illiniatur, & si caliditas in parte persentiatur addatur succus Plantaginis, Portulacae, & Centaureę minoris dragm. 1.

Quammaximè verò vt loco superius citato à Gal. Apollonij autoritate infrascriptum Med. laudatur, quod competit malignis Rimis, & Vlceribus omnibus, etiam serpentibus, ac Canaxosis Sedis, & Rugis intumescentibus, & est Anodinum. Abluatur ergo primum pars infrascripto decocto temperate calido.

℞. Aquae pluuialis part. 2. Vini albi dulcis, & odoriferi part. 1. M. & in his incoquantur folia Rosarum rub. Plantaginis, Radicis Symphiti, & Gallae, Albuta optime parte, exsiccetur, & infrascripto Vng. inungatur.

℞. Olei Ros. aut Myrtini vnc. 4. 5. quod in plumbeum Mortarium cum pistillo plumbeo tam diu agitetur, donec nigredinem, & crassitiem acquirat, deinde adde Spumae Argenti, & Cerussae optimè contritae an. lib. 5. & simul optime M. & vtere.

Si dictis Med. Rimae in bonum statum fuerint redactae, & tantum consolidatione ac vnitione egeant, pars affecta abluenda, & fouenda Vino rubro, in quo incocta sint Myrrha, Thus, Aloes, Tutia, Mumia, Folia Rosarum rub. Myrti, & similia.

Si verò Rimarum labia sint indurata, & callosa reddita, compositione ex Charta combusta cum Rosaceo facta vtendum, vt duricies, & callositas tollatur. Si verò huius Med. vehementiam patiens sustinere non possit, Iridem Illiricam Resina Tereb. exceptam imponito, *vt Paul. lib.*

3. cap. 78. inquit; Et ſi nihil Med. proſiciant inquit Aetius Serm. 14. cap. 14. Confert cutem abducere, & calloſa Rimarum labijs ſupino Scalpro, quantum eius fieri poteſt ſuperficiaria ſectione deducere. Reſupinatæ enim, & recentes factæ Rimæ ne fiſſuræ, celerrime ſanantur; Et qui plura Med. pro Rhagadys ſanandis exoptat, adeat omnes citatos Autores, in quibus multa, locis dictis, adinueniet, & hæc de Rhagadys ſufficiant.

De Hæmorrhoidibus. Cap. 30.

Quid nominis.

Licet hæc vox Hæmorroidis communiter omnem ſanguinis fluxum ſecundum eius vim ac proprietatem ſignificet, tamen ab aliquibus Medicis particularius, per Hæmorroides, tantum intelliguntur, Narium, vteri, & podicis tumentes, & ſanguinem fundentes Venæ, & ab aliquibus tantum ſpeciatim, & proprie per Hæmorrhoides, Venæ illæ intelliguntur, quæ ad recti Inteſtini extremum terminantur, & hæc eſt communis, & vulgaris huius vocis ſignificatio, quam nos etiam ſequemur, per Hæmorrhoides venas illa intelligendo, quæ in extremo podice reperiuntur.

Quid ſit Hæmorrhoidis.

Hæmorrhoidis ergo eſt Tumor, & Venarum extuberatio, quæ ſunt in podice cum fluxu ſanguinis, vel in ijs ſanguis congeſtio abſque eius profuſione.

Quot ſint Venæ hæmorrhoidales.

Quot verò ſint Venæ Hæmorroidales, Omnes ferè Anatomici concordes inquiunt, quod quinque ſunt; Cuius verò Venæ propagines ſint, ideſt, an Venæ Cauæ, vel portæ, & ſi hoc nihil ad curationem faciat, tamen dicere poſſumus, quod ex vtriſque dictis Venis oriuntur, & ab vtriſque ſanguis ac illas tranſmittitur, ſicuti voluit *Veſſalius lib 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 15. & Curtius in ſua Anatome, & etiam alij Anatomici.*

Et ſi quis diceret, Natura fabrefecit Venam portam, attrahendi cauſa, & non expellendi, vt ſunt Hæmorrhoidales Venæ.

Reſpondendum à Natura per eandem viam ac meatum diuerſo tempore, tum attractionem, tum expulſionem fieri, vt *Gal. 3. de naturalibus facultatibus cap. 3.* Ventriculi, & alienarum partium exemplo nos docet.

Affectæ partes.

Partes ergo affectæ, ſiue Hæmorrhoides ſint interne, ſiue externe, erunt ſedis ſiue podicis Venæ.

Sub quo ſint affectu.

Sub quo affectu contineantur, inquit *Gal. lib. de Sympt. Diff. dicens.* Si Hæmorrhoides fuerint apertæ, & ſanguinem funderint, eas inter Sympromata exeuntia mutata eſſe ponendas; Quod Symptoma, vt idem *Gal. 3. de Sympt. cauſis cap. 6. inquit*, eſt in genere excretorum toto genere præter naturam, vt quælibet ſanguinis effuſio, præter eam, quæ ab vtero fit, niſi quantitatem exuberauerit, & cum omne Symptoma ſuum morbum ſequatur, veluti vmbra corpus, vt inquit *Gal. 2. Meth. 1.* Inſequitur ergo hoc Symptoma morbum in compoſitione, ideſt inſtrumentalium partium in cauitate dilatata, cum hæc ſanguinis profuſio fieri non poſſit, niſi ipſarum Venarum ſedis oſcula aperta ac dilatata ſint. Si verò Hæmorrhoides nihil ſanguinis profundat, & apertæ non ſint, non erunt Symptoma, ſed morbus partium inſtrumentalium in cauitate quæ nimis aperta ac dilatata fuerit, & ideo Aetius Hæmorroides definiens inquit, eas eſſe Venarum ſedis dilatationem.

Species.

Hæmorrhoidum ſpecies ac Differentiæ plures ſunt, aliæ enim ſunt Cecæ, aliæ apertæ, Cecæ ſunt, quæ tantum ſunt tumide, & nihil excernunt, apertæ verò ſunt, quæ pro tempore ſanguinem effundunt, vt inquit *Paul. lib 3. cap. 59. & Aetius Serm 14. cap. 5.* & ex his aliæ periodiace ſunt, alie ſtatutum tempus, in ſanguine effundendo non ſeruat; Similiter quædam ſunt Criticæ, ob criſim alicuius præcedentis Morbi ortæ, alia nullo modo ſuccedunt, ſed per eueniunt, ex Hæmorrhoidibus item, aliæ ſunt magnæ, aliæ paruæ, aliæ mediæ, & aliquando ſunt plures, aliquando pauciores, & ex his aliæ anguſtam baſim habent, alię latam, & Auic. à ſimilitudine Differentias ſumpſit dicens, Hęmorrhoides aliæ ſunt Verrucales, aliæ Vuę, alię morales, alię Veſſicales, & aliæ alijs nominibus inſignitæ, pro vt tales Venæ, vel paruas verrucas, vel Acinum Vuæ, vel moram, vel Veſſicam, quæ in Ventribus piſcium reperitur, vel quid ſimile repræſentat, ex Hæmorrhoidibus ſimiliter aliæ ſunt externæ, ideſt extra podicem apparentes, aliæ internæ ideſt intra Anum, & ex his, aliæ ſunt benignæ a

aliæ

aliæ malignæ, aliæ sunt dolorosæ, aliæ sine vllo dolore.

De Hæmorrhoidum Causis.

HAemorrhoidum causæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ; Causæ externæ esse possunt cibus, & potus melancholicum succum generantes, vel consuetiexercitij intermissio, vel alicuius, consuetæ euacuationis suppressio, & præcipue sanguinis, vt per Nares, vel per Vterum, aut consuetæ Venæ sectionis interrnissio, aut multa corporis exercitatio, aut longa, & violenta æquitatio, aut sessio super rem duram, aut Glandis, vel acris Clisteris iniectio, aut maximi conatus, qui in fecibus excernendis, vel in partu fieri solent, aut fortium Pharmacorum assumptio, vt est Coloquintis, vel Aloes, vel Scammonium, quæ Medicamenta, vt mesues inquit, Venas, & Hæmorrhoidas aperiendi vim habent, & ideo *Gal. Com.* 47. *Aph. lib.* 6. *inquit*, Hæmorrhoides aperiri acrimonia humorum, qui purgantur à Medicamine Melancholicis propinato.

Contradictio Gal.

De internis causis Gal. sibi ipsi, ac alijs Autoribus contradicere videtur, cum dixerit 11. & 12. *Com. lib.* 6. *Aph.* Hæmorrhoides aliter fieri non posse, quam ob sanguinis melancholici copiam ac crassitiem, cum quædam Venarum ora aperiantur, lecore in ipsas sanguinem melancholicum eiciente, vbi Hæmorrhoidum vnam tantum causam statuit, idest copiam & crassitiem humoris melancholici, *lib.* 6. *Epid.* 65. *Com.* 67. *idem inquit*. Hæmorrhoidas non ob vnam tantum causam fieri, modo ipsa natura melancholicum succum purgante, modo multitudinem euacuante. Hipp. similiter ab alijs humoribus, quam à melancholico sanguine Hæmorrhoidas fieri inquit 6. *Epid.* 63. 36. vbi enumerans quosdam Morbos, idest Lateris dolorem, Pulmonum inflammationem, & alios, à quibus non corripiuntur, qui Hæmorrhoides moderate, & commode fluentes habent qui Morbi non semper à melancholico sanguine fiunt, sed etiam ab alijs humoribus. Auic. item inquit; Quod Hæmorrhoides non solum ex melancholico sanguine fiunt, sed etiam ex sanguine pituitoso, quanqoque ex sanguine bono ac optimo, & huius sententiæ multi alij Autores sunt, & Medicorum maior pars.

Cõciliatio.

Pro hac contradictione soluenda dicendum *Gal. in Com. dictorum Aph.* de veris, & legitimis Hæmorrhoidibus fuisse locutum, cum he Venę à natura propter humorem melancholicum purgandum fuerint factæ, & secundum naturę institutum ac intentionem melancholicus sanguis per tales Venas, & maxima cum homines vtilitate expurgetur. In 6. Epid. de non veris Hæmorroidibus, per quę, præter Naturæ institutum aliquando cæteri humores expurgantur, & non solum ab hepate, sed etiam à Liene, ac à toto corpore, & ideo sepe multa pericula hominibus afferunt, & de his etiam intellexisse *Hip. Auic. ac Autores alios, est dicendum.*

Quomodo verò melancholicus sanguis gignatur inquit *Gal.* 4. *de vsu partium cap.* 3. *& quando magna copia coacernatur inquit* 2. *ad Glauc. cap.* 10. *quod ex se ipso quisque videre potest.*

Auic. inquit, Quod Hæmorroides Verrucales magis à melancholia fiunt, Vuales partim ex sanguine, partim ex melancholia fiunt, Morales sanguine, Vesicales à Phlegmate, licet raro accidant, vel dicere possumus, quod tribus de causis Hæmorrhoidales Venæ sanguinem fundunt, vel supprimantur, vt quælibet alia sanguinis hæmorrhaggia, vt ex *Gal.* 5. *Meth.* ac ex alijs locis elicitur, vel sanguinis vitio, vel Vasorum, vel ob facultatis imbecillitatem. Sanguis vitio, vbi copia, vel mala qualitate peccat, ob que vasa disrumpit ac referat, vel exedit ac rarefacit, Vasorum vitio fiant, vbi vasorum ora laxiora ac imbecilliora erunt, & sanguinem continere non possunt, aut vbi ab aliquo Vlcere fuerint corrosa, facultis vitio fiunt, vbi ita imbecillis est, vt sanguinem retinere non possit. Supprimuntur similiter, ratione sanguinis crassioris redditi, vel ratione vasorum, cum ex vsu exiccantium, vel adstringentium angustiora sint facta, constirpata, & occlusa, Ratione facultatis, si hæc imbecillior sit facta, & expellere nequeat.

De

De Hæmorroidum ſignis.

VT in Hæmorrhoidum cognitionem deueniamus, non multa ſigna opus erunt, cum per ſe oculis pateant, Cecæ enim tumidæ apparent, cum in exteriori ſunt parte, & interna ſedis parte fuerint in Ani expreſſione, vel Ani ſpeculo tumidæ videbuntur, & dolorem ingentem, Ardorem, Punctionem, & pondus patientes in parte illa perſentiunt, & præſertim in duris ſecibus excernendis, & nihil ſanguinis ab illis emanat, & ſi quid excernitur, potius erit ſanies, & tenuis humor, quam ſanguis, & ſi ſint Verrucales erunt ſimiles paruis Verrucis, & duræ, ſi ſint Vuales, erunt latæ, & rotundæ, ad modum acini Vuæ, ad purpureum colorem tendentes. Si fuerint Morales, mori aſſimilabuntur, & morales, & tractabiles erunt; Si ſint Veſicales, Veſicis quæ in piſcium ventre reperiuntur, ſimiles erunt, *Auic. lib. 3. Fen. 17. cap. 2. inquit*. Si accidat, quod Hæmorrhoides magis interius fiant ſi vehementèr exprimat Aeger, & ſedes prius Aqua calida foueatur, conſpicuæ fiunt, tàm ſi Cecæ, quàm ſi Apertæ ſint.

Apertæ Hæmorrhoides manifeſtæ ſunt cum ſanguinem effundant, ac plurimum ſint abſque dolore, & punctione. Hæmorrhoidum magnitudo, & numerus ex ipſa inſpectione patet; Earum verò mos, ideſt benignitas, ſiue malignitas ex Symptomatibus, & adhibitis præſidijs dignoſcitur, cum benignæ ſint abſque prauis Symptomatibus, & facile Med. cedunt, malignæ verò, & ſeuæ contra.

Hæmorrhoidum cauſę, ſi externę fuerint, dignoſcuntur ex patientis, & aſſiſtentium relatione; Si internę ex ſingulorum humorum colore, cum ſi ex melancholico humore fuerint ortæ, ſanguis, qui excernitur, modo ad nigrum, modo ad liuidum tendit, & totius corporis habitus ad melancholicum vergit, & victus, & cætera, quę præceſſerunt ad melancholicum humorem generandum apta fuere. Si vitio ſanguinis in copia exuberantis fuerint ortę, pletoræ ſigna aderunt, & fluentis ſanguinis color, & ſubſtantia bona erit. Si ex ſanguine in qualitate peccante, ſimiliter ex ipſo colore, & ſanguinis ſubſtantia dignoſcitur. Si facultatis vitio, & imbecillitate, Hęmorrhoides ortæ fuerint, ex alicuius partis intęperie, & ex ipſo corporis habitu in cognitionem deuenire poſſumus.

Si Vaſorum, & Venarum iſtarum vitio Hæmorroides fuerint factæ, ſanguis purus, tenuis, & veluti tranſcolatus excernitur, & aliqua præceſſit cauſa, quæ huiuſmodi Venas rarefaciendi vim habuit, vel præceſſit ſedis erodens vlcus. *Gal. Com. 5. in lib. 6. Epid. C. 25. inquit*. Hæmorrhoides fluunt interdum quidem à Naturæ expurgante melancholicum ſuccum, quandoque etiam plenitudinem ſanguinis euacuante, nonnumquam ore ipſius Venæ adaperto ab impetu ſanguinis in eam delabentis abſque aliqua prouidentia, vel conatu Naturæ.

De Hæmorroidum Prognoſtico.

HAemorrhoides moderate, & debito tempore melancholicum ſanguinem expurgantes, à multis imminentibus morbis pręſeruare, & à præſentibus liberare poſſunt, & ideo *Hipp. 6. Aph. 10. inquit*. Melancholicis, & Nephriticis Haemorrhoides ſuperucinentes bono ſunt 21. *Aph. eiuſdem lib. inquit*, Inſanis ſi varices, vel haemorrhoides ſuperuenerint, Inſanie ſolutio, *Et 6. Epid. 3. Cont. 37. inquit*, Sanguifluis Venis laborantes neque morbo Laterali, neque Pulmonorio, neque Phagedena, neque Inflammatiunculis, quę Dothiens vocantur, neque ijs, quę Thermothi, ideſt Cicera, fortaſſe verò neque Lepris, fortaſſe neque alijs morbis tentantur, *Et 12. Aph. lib. 6. idem inquit*, Diuturnas curanti haemorrhoidas, niſi vna quaepiam ſeruetur aperta periculum Aquę intercutem, vel Tabis impendent, & non ſolum dictorum morborum, ſed etiam Pleuritidis, Peripneumogniae, Lepræ Quartanae Febris, Melancholiae, Phtiſis, & omnium morborum, à quibus ſuperius fluentes Haemorrhoides praeſeruare ac ſanare *Hipp. dixit*, cum talia inutilia excrementa per has Venas vacuari ſolita ad Iecur praecordia, & alias ſupernas partes regurgitare ſoleant, vt ex *Hipp. & Gal. pluribus ex locis elicitur*

Gal. item Com. 3. de coacis prænotionibus cap. 39. inquit, Haemorrhoides ſuppreſſae alunt, vel Melancholiam vel Phtiſim, vel Hydreum, vel Scirrhos, vel Cancrum, vel Elephantum. *Et Com. 5. in lib. 6. Epid. cap. 25.* Haemorrhoidibus ſuppreſſis multos fuiſſe correptos Inſania,

& ideò, si claudantur, in melancholicis esse aperiendas. Et eodem loco inquit. Hæmorrhoidibus profluentibus post pranum sanguinem, contigit bonum vacuari, nisi vas occludatur. *Et 3. de Naturalibus facultatibus cap 8. inquit*; Ex Hæmorrhoidibus diuturnis suppressis, vel immodice profluentibus ad extremam frigiditatem deuenientes ægros, sepe in Aquam inter cutem incidere; Et lib. de sectione Venæ aduersus æresistratum cap. 5. inquit Hæmorrhoidibus pro consuetudine superflua purgantibus, homines vitam agere morbis minimè impeditam. Contra verò talibus superfluis purgantibus, illos in periculosissima mala incidere; *Et primo ad Glauc. cap. 14. & 2. de Præsag. ex pulsibus vtrobique cap. 2. & 8. de Naturalibus facultatibus inquit*.

Si Hæmorrhoides immoderatè, & præter modum fluant, animi deliquia, & Pulsus vermiculares fieri. Preterea autem malum habitum Hydropem, Apoplexiam, & mortem etiam consueuisse consequi, *Et 4. Aph. Com. 25. erga finem inquit*; Euacuationi per Hæmorrhoidas non esse Naturam assuefaciendam, quoniam periculosus est excessus, siue supra modum sanguis excernatur, siue ex toto supprimatur.

Aetius serm. 14. cap. 5. inquit. Hæc affectio malorum plurimorum causa hominibus existit. Nam, & deformitatem, & miseram vitam Hæmorrhoides inducunt multos verò etiam vita priuant, & deformitatem quidem, propter colorem totius corporis vitiationem ex euacuatione succedentem; Miseram verò vitam, propter corporis debilitatem. Quandoq; autem de vita periclitantur sic affecti, quam ob excedentem euacuationem perfrigeratum hepar, Aquam inter cutem operatur; *Et Paul. lib. 3. cap. 59. inquit*. Si Venulæ, quæ in Ani corona extant, plus quam par sit euacuent, habitus in Aquam inter cutem resoluitur, affectique, praue cibi beneficium sentientes, contabescunt. Periculum verò est superabundantis sanguinis profluuij, quemadmodum, & eiusdem suppressionis in totum, vnde perdifficilis redditur curatio.

Concludere ergo ex dictis Autoribus possumus, non leuiora pericula ex Hæmorrhoidum intempestiua suppressione, quam ex nimia profusione euenire, vt inquit etiam *Gal. com. 25. lib. 4. Aph. Anic. in 4. 3. cap. proprio inquit*; Verrucales Hæmorrhoides inter cæteras sunt deteriores, Vuales cum generentur partim à sanguine, partim à melancholia, secundum Rhas. 9. Almansoris, leuiores existunt, morales mediocres sunt, vt idem Autor inquit.

Cęcæ Hęmorrhoides internæ, maxime, quę virgam versus tendunt, deteriores sunt, quia Inflammatę, vt plurimum, Vrinæ viam constringunt, & Stranguriam efficiunt.

In maxime dolorosis Hæmorrhoidibus nisi cito succurratur, ratione magnæ attractionis, & humorum confluxus periculum est, ne in parte illa, vel Apostema, vel fistula, vel Vlcus, vel aliquod aliud graue malum gignatur.

Cæcæ Hæmorrhoides, nisi maxime tumeant, & maximum dolorem inferant, potius Naturæ permittere, quam aperire præstat. Hæmorrhoides fluere consuetæ, præter Naturam, retineantur, dorsi dolorem faciunt, Femorum, Tibiarum, Renum, Pectoris, & Ani, aperte, & sanguinem modice, & per interualla fundentes minime supprimende, cum à multis morbis hominem liberent, *vt Hipp. 6. Epid. ac alijs in locis inquit*.

De Hæmorrhoidum Curatione.

QVamuis Intentio nostra nunc sit Hæmorrohidum Ani. curationem instituere, tamen sciendum quod eadem præsidia, etiam in vteti Hæmorrhoidibus conueniunt, tàm si Cæcæ, quàm si apertæ fuerint, & eadem Med. pro dolore leniendo conueniunt. In Hęmorrhoidibus igitur curandis, tres præcipue intentiones habere debemus; Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus consistit; Secunda in peccantium humorum præparatione, Reuulsione, Deriuatione, & partium male affectarum attemperatione consistit; Tertia in Localibus.

Sed cum multum differat Cæcarum Hæmorrhoidum cura, ab apertarum curatione ac sanguinem fundentium, Ideo vtrarumque distinctam curationem describemus.

In

Curatio cæcarum Hæmorrhoidum.

In Cæcis ergo Hæmorrhoidibus curandis victus ratio ſit ſatis tenuis, & ad humidum declinet, & aluum laxam reddendi vim habeat, ne in fæcum exeretione, dolor excitetur. Comedat iura Carnis Vitulinæ, Vitulinæ, Hedinæ, & Pullorum, ac ſimilium, & carnes ſimiles, ſed in pauca quantitate, & in huiuſmodi iuribus Holera quædam incoqui poſſunt, vt ſunt Borrago, Blitum, Endiuia, Malua, Spinachia, & ſimilia.

Pro potu vtatur Aqua Hordei, vel vino albo dicta Aqua optime diluto, Fugiat generoſa Vina, omnia Aromata ac dulcia, Salſa, Acria, Craſſa, & Viſcida; Intenſas cogitationes, violentos corporis motus, aſſiduas vigilias, & immoderatum coitum, Aluus lubrica reddatur, mane ieiuno ventriculo Caſſiam fiſtularem aſſumendo, vel Vuas paſſulas præparatas, vel Damaſcenas prunas, vel quid ſimile, vel iuitis mollibus ac lenibus Clyſteribus, vt ex aliquo pingui iure, vel ex ſolo Oleo vel ex communi decocto cum pinguedinibus, & Oleis, & his ſimilibus, & hoc faciendum, ne ex ſtercore ſicco exeunte magni, & vehementes circa ſedem dolores excitentur, & inflammationis ſint cauſa vt Celſus inquit; Etſi Hæmorrhoides ſint in parte interna, iuuant ſuppoſitoria de Butyro, quæ partes illas emolliant, ac dolorem demulceant.

Quando dictæ Hæmorrhoides tument ac dolent, & Patiens plethora laborat, & multis humoribus ſcatet, qui ad partem affectam aduchi fluunt, tunc humores ad contrarias partes reuellendi, & ſic humorum fluxus impeditur, & hoc optime fecit, vt inquit *Gal. lib. de Sang. Miſſ. cap.* 19. ſuperiorum Venarum ſectio, niſi quod obſtet, cum hoc præſidio non ſolum fluentes humores reuellantur, ſed totum corpus euacuetur, & Hepar, a quo ſuccus Melancholicus generatur, contemperatur; Niſi verò hæc Venæ ſectio ſatis fuerit, & pro Deriuatione, & ſanguinis ibi influxi euacuatione; ac doloris ſedatione, popliteis, vel Malleolorum Venæ ſecandæ, & interim ſuperiorum partium Frictiones, Reuulſionis gratia, non ſunt relinquendæ, Cauteria etiam in Brachijs conuenientia ſunt, & niſi his euacuationibus Hæmorrhoides detumeſcant, ac dolor mitigetur; Cum in Cæcis Hæmorrhoidibus excitetur dolor ex ſanguine copioſo, & calido maximè diſtendente, & continuum ſoluente, & exitum non habente, & ideo Hyrudinibus applicatis, vel quid ſimili, aperiri poſſunt, vt contento ſanguini exitus detur, & hoc præcipue faciendum, quando Hæmorrhoides fluere ſunt conſuetæ, aut patientes grauiori aliquo alio morbo laborant, aut oportuni ſunt, pro quibus prouocandis Gal. lib. de Sang. Miſſ. laudat ſanguinis miſſionem ex Malleolis.

Sed ante dictas euacuationes, nunquam Hyrudines ſunt applicandæ, præſertim in corpore plethorico, & multis ſuccis repleto, & quando Hæmorrhoides ſanguinem effundere non ſolent, cum tunc temporis Reuulſionibus, Deriuationibus, & fluxum intercipientibus ſit opus, & Hyrudines applicatæ magis tunc trahunt, quam euacuent, & in hoc errant Medici illi, qui ſtatim tumentibus Cæcis Hæmorrhoidibus, abſque vlla præcedente euacuatione, & abſque vlla conſideratione Hyrudines applicari iubent, & quod errorem committant, probari poteſt non ſolum rationibus dictis, ſed etiam, quia nemo ex Antiquis Autoribus, de Hyrudinum applicatione in tali caſu verbum vllum fecit. Poſſunt etiam Hæmorrhoides aperiri, in fluere conſueris, poſt dicta vniuerſalia præſidia, ſi nulla inflammatio, neque dolor vrgeat, neque humorum fluxus periculum adſit, ſed tantùm contente materiæ euacuandi gratia, vel aliquem alium morbum curandi, vel præcauendi, vel ſola rerum aſperarum frictione, vt Linteis aſperis Mercurialis, Parietariæ, Borraginis & Ficus, & ſi valentioribus ſit opus, vti poſſumus Stercore Columbino, Staphiſagria, Felle Bubulino, Colocynthide, Succo Beræ, vel Ceparum, vel Ciclaminis, vel Centauri min. & his ſimilibus, quibus, ne dolor excitetur, Anodina commiſceri poſſunt, & in Vng. formam reduci, & ſi Hæmorrhoides lateant, ex his Glandes, vel ſuppoſitoria fieri poſſunt.

Quo ad Localia ac Topica Medicamenta pro doloris varietate, ac doloris cauſa, varia ac diuerſa Medicamenta applicari debent.

Quando ergo Inflammatio, aut maxima caliditas adeſt, quod frequenter euenit,

Anodina Med.

nit, Refrigerantia, & Anodina Medicamenta sunt applicanda, sicuti sunt Lac. Recens Butyrum, vel illud Catapl. quod fit ex Lacte, Pane, Oleo Rosaceo, & Oui vitellis, vel id Medicamentum, quod fit ex recenti Butyro Croco, & Oui albumine. Competunt etiam refrigerantia Vng. vt est Vlig. Rosaceum, Refrigerans Gil. Populeum, & similia; vel pro dolore sedando.

℞. Mucilaginis Sem. Psilly vnc. 1. Olei Violacei vnc. 2. M. & Vnge, vel ℞. Cerussæ lotæ vnc. 5. Olei Viol. vnc. 2. Ceræ albæ q. suff. vel ℞. Butyri recentis Vng. Rosan. dragm. 6. M. & diu in Plumbeo mortario agitentur, & vtere. Maximè etiam competunt mucilagines Seminis Citoniorum Aqua Rosarum, & Plantaginis extractæ, & dicto mortario agitatæ. Confert etiam Panis mica cum Oleo Violaceo, ad Catapl. formam redacta, & applicata, vtiles etiam sunt mucilagines Portulacæ, & Lactucæ.

Si maior fuerit dolor, foueatur anus infrascripto decocto.

℞. Foliorum Maluæ, Violarum, Parietariæ, Tussi Barbassi, Lactucæ an. M. 1. Foliorum Mandragoræ, Florum Chamemoli an. M. 5. Sem. Lini vnc. 2. Hordei mundi vnc. 1. M. & S. A. fiat decoctum pro fomento.

Post Fomentum inungantur Hæmorrhoides aliquo ex infrascriptis Vng. & ex dictis Herbis coctis Catapl. cum Butyro vaccino, & Oui vitello composita etiam prosunt, Vnguenta sunt infrascripta.

℞. Butyri recentis vnc. 5. Olei Papaueris vnc. 1. Succi Solani sensim mixti drag. 2. M. & in plumbeo mortario agitentur. vel.

℞ Olei Rosacei vnc. 1. Cerussæ vnc. 5. Dragaganti scrup. 1. Liquoris albi Oui, & Ceræ an. dragm. 2. M. & maximè dolorem, ac calorem mitigat. vel.

℞ Foliorum Maluarum M. 2. Psilly M. 1. coquantur in Lacte Vaccino q. suff. deindè adde Farinæ Triticeæ, & Hordei an. dragm. 3. Vitellorum Ouorum num. 1. Olei Viol. & Ros. an. q. suff. M. & S. A. fiat Catapl. & si vis, vt valentius agat, dicto Catapl. M. 1. Solani addatur.

In maximis doloribus mitigandis competit Camphura modico Opij, & Oui Vitellum simul mixtis, neque in tali casu, & in hac ingnobilissima parte Opium timendum est. Conferunt etiam infrascripta Vnguenta, ℞. Vnguen. Populei vnc. 5. Olei Viol. vnc. 1. 5. M. cum Ouo integro, & applica, & si magis res vrgeat, scrup. 1. Opij, & scrup. 5. Croci, addi potest, vel ℞. Butyri recentis vnc. 1. Vng. populei, Olei Ros. an. vnc. 5. Vitellum vnum recentis Oui M. Et si maximus dolor vrgeat, addatur Croci scrup. 5. Opij G. 10. M. & vtere, vel ℞. Ouum integrum, Olei Lumbricorum vnc. 1. Opij G. 10. Croci G. 5. M. & vtere.

Vel ℞. Vng. Populei vnc. 1. Olei Seminis Lini vnc. 5. Vitellorum Ouorum num. 1. Opij scrup. 5. Croci scrup. 1. M. & fiat Vng.

Si dolor in Hæmorrhoidibus ex frigida materia in flatum versa, & illas partes distendendo, excitatus fuerit, quæ moderatè calefaciunt, digerunt, ac flatus resoluunt, sunt applicanda, sicuti sunt, Anethum, Chamemolum, Folia, Flores, & Semina verbasci, Fænum græcum, Lini semen, Fæniculi, Anisorum, Hypericon, de Ruta, de Nucleis Persicorum, & Chrysomelitis, & his similibus, quibus decocta, Insessiones, Lotiones, fomenta, Cataplasmata, Sacculi, & Inunctiones parari possunt.

Dolore sedato, ac partis feruore, vel his remissis, corpus purgandum. Non faciendum verò hoc, dum dolor, ac feruor magnus adest, ne calidi humores dum per partes illas ferantur, illas exasperent, & in summo Hepatis feruore, dulcia, & cali Med. cum alterantia, tum purgantia fugienda, & frigida, ac diuretica conueniunt, vt humorum diuersio fiat. Post calidorum humorum purgationem, pro Hepatis refrigeratione, ac alteratione maximè competit Serum Caprinum cum pauca portione, Succi Cicoriæ, vel fumariæ per 15. vel 20. dies assumptum ita institutum ℞. Seri Caprini lib. 3. Succi Cicoriæ, vel fumariæ deputati vnc. 2. M. & calidum singulis diebus in Aurora per horas 6. vel 7. ante prandium sumatur, & placide interim patiens deambulet, vel sumat plus, aut minus secundum, quod sine molestia aeger sustinere possit. Competunt etiam pro Hepatis refrigeratione Balneum Aquæ dulcis, refrigerantia Epitemata, & Inunctiones.

Siccæ

Hæmorrhoides Med. exſiccantia

Siccæ Hemorrhoides, & nunquam fluere conſuetæ Medicamentis infraſcriptis etiam exſiccari poſſunt, nec iterum poſtea patientem affligant, & huiuſmodi eſt Acacia Vino auſtero trita, aut Terra lemnia cum Aceto mixta, & illita, Pulvis Rhabarbari Vino nigro diſſolutus. Puluis ſimiliter ſubtiliſſimus Saliæ, parillæ, vel Ligni Guaiaci cum Melle. Vel inungatur Hæmorrhoides cum Oleo de Fructibus Mandragoræ, Balſaminæ etiam dictæ; Confert etiam Theriaca Vino diſſoluta, vt Gal. lib. de Theriaca ad Piſonem inquit, vel frequens Vini ablutio, efficacius verò agit infraſcriptus Pulvis.

℞. Corticum Nucis, aut Quercus Spongiæ, Ariſtolochiæ maioris an. part. æquales, quæ omnia exſiccentur, & in ſubtiliſſimum puluerem redigantur, qui loco prius Melle illito inſpergatur, & infraſcriptus etiam efficacius, & valentius ager.

℞. Foliorum Vitis, Ficus an. M. 1. Viridis Aeris vnc. 1. omnia in vaſe terreo in calidum Furnum ponantur, & quouſque in puluerem reduci poſſint, ibi detineantur, & talis puluis parte prius Oleo Sem. Lini illinita, aſpergatur. Iuuant etiam inſeſſiones, & Balnea Aquarum Aluminoſarum, & Sulphurearum, & aliarum ſimilium rerum, quæ reſoluendi, & exſiccandi facultatem habent.

Apertarum Hæmorrhoidum curatio.

Aperte Hemorrhoides quando ſanguinem nigrum, & feculentum fundunt, & patientes facilitèr hanc euacuationem fuerunt, cohibendæ non ſunt, ſed tunc temporis ſi Hæmorroides paucum ſanguinem fundunt, & cum dolore ac moleſtia huiuſmodi ſanguinis fluxus iuuandus ac proritandus. *Hipp. præcepto* 21. *Aph lib.* 1. *dicentis*. Quæ educere oportet, quò maximè vrgere videbuntur, ducito vijs ac locis vtiliter eo ferentibus. Facienda ergo fomenta, vel ſuffumigia, vt ſanguinis fluxus proritetur, vt ſunt infraſcripta.

℞. Foliorum Maluarum, Althææ, Chamemoli, Melilori, Sem. Lini, Fœnu recian. M. 1. M. & bulliant in Aqua q. ſuff. & S. A. fiat decoctum, quo calido fiat ſuffumigatio, vel fotus, & deinde pars Oleo Amigd. dul. illiniatur.

Si apertæ Hæmorrhoides dolore infeſtentur, quod raro accidit, hoc fit, vel ob nimiam ſanguinis copiam, vel malæ qualitatis, ad illam partem tranſmiſſi, qui continuum ſoluit, & dolorem excitat. Si à nimia ſanguinis copia dolor fiat, is reuellendus, & ius fluxus remorandus, ſicuti ſuperius fuit dictum. Si mala qualitate fuerit infeſtus, victus ratione, & congruis Medicamentis, tam internis, quàm externis eius malitia corrigenda. Niſi verò vllo pacto dolor leniri poſſit, & in dies magis ſeuiat, ſtupefacientibus Vnguentis ſuperius dictis ſedandus, vel leniendus.

Quando verò magna ſanguinis profuſio adeſt, & niger ſanguis non excernitur ſed floridus, & rubicundus, vel alterius coloris, & cum virium iactura, & mala ægrotantis tollerantia, tunc Hæmorrhoides cohibendæ, & ſanguis ſupprimendus. Hoc verò fieri debet victus ratione, Medicamentis, Reuulſionibus, ac Deriuationibus.

Sanguinem ſupprimentia.

In tali caſu, victus ratio adſtringens ſit, incraſſans, & ſanguinem ſupprimendi vim habens, vt ſunt ſorbitiones ex pullo aſſo confectæ, & aſſi Pulli caro, Oriza, Similago, Alica, Priſſana, & ſimilia in Aqua Chalibeata cocta, Vitulini, Arietini, & Hedini pedes, quibus etiam aliquid, quod adſtringendi vim habeat, ſemper eſt commiſcendum, ſicuti eſt puluis Terræ ſig. vel Boli Arm. Orient. Competunt etiam Mala Cytonia, Mala Punica, & alij adſtringentes fructus, qui cum dictis carnibus etiam coqui poſſunt.

Pro potu competit vinum nigrum auſterum, & ſtipticum pluuiali Aqua, vel Chalibeata dilutum, competit quies, & omnis motus tàm corporis, quàm animi vitandus, vt Ira, intenſæ cogitationes, Curæ, & ſimilia. Somnus longus conuenit, cum omnem immodicam euacuationem, præter ſudorem, compeſcat, & tamquam infeſtiſſimum inimicum venerem deuitet. Vt verò retractio, & Reuulſio fiat ſanguinis immodice ad Hæmorrhoidas fluentis, cubiti vena, quam primum, ſecanda ex illo latere, in quo Hæmorrhoides adſunt, vt *Gal. lib. de Sang. Miſſ. cap. 19. inquit*, & tantum vena pungi debet, lataque Phlebotomia vitanda, & ſanguis paulatim, & per plures vices in pauca quantitate educendus, & tantùm Reuulſionis gratia, & non Euacuationis, & ideo pro ſingula vice non excedat pondus vnc. 1.

Si verò Vires Venæ ſectionem non ſe-

rant, Hypocondrys, Lumbis, ac Scapulis Cucurbitulæ affigendæ sunt, similiter superiorum partium validæ ac asperæ Frictiones, Vincula, & fotus non sunt prætereundi.

Medicamentis ineraſſandus est Sanguis, & eius acrimonia obtundenda, vt Syruppo de Miua Cydoniorum, de Portulaca, de Succo Acetosæ, de Succo Plantaginis de Rosis siccis completis, de Rybes, Myrtino, & his similibus, cum Plantaginis, Acetosæ, & portulacæ Aquis siue decoctis mixtis; Et si vires ferant, aliquod purgans Medicamentum, quod peccantes humores, & tenuiores, calidiores, & acriores succos educat, qui sunt sanguinis vehiculum, & sunt in causa, vt promptius sanguis per totum corpus, & tandem ad Hæmorrhoidas permeet, & his etiam per accidens totum corpus refrigeratur, & aliqua deriuatio fiat; Talia verò purgantia Med. sint lenia, & adstringendi facultatem habentia, sicuti sunt Myrabulano tùm tria genera, Thamarindy Rhabarbarum, Agaricum, Syruppus Violaceus solutiuus Ros. sol. Syrup. Dom. Augustini, Lactis Serum, & similia, ex quibus, secundum virium robur, & peccantium humorum qualitatem, ac quantitatem Pharmacum instituendum, & à grauioribus, & validioribus Medicamentis abstinendum, quæ calefaciendo, & humores exagitando magnam excrementorum copiam ad affectam partem deducunt. Post purgationem, adstringentia Medicamenta per os propinari debent, sicuti sunt Trociſci de Terra lemnia, de Spodio, de Charabe, aut de Succino, in calidioribus corporibus quorum dragm. 1. exibeatur cum vnc. 2. vel 3. Aquæ Plantaginis, aut Acetosæ vel ℞. Coaguli Leporini dragm. 1. Syruppi Myrtini vnc. 1. M. vel ℞. Pul. Lapidis Hematitis scrup. 2. Poschæ vnc. 3. vel 4. vel ℞. Boli Arm. orient. scrup. 1. Lapidis Hematitis scrup. 5. Radicis Symphiti dragm. 2. Chiæ, Mastiches an. G. 4. M. & fiat puluis tenuissimus, & præbeatur cum vnc. 2. adstringentis Vini, aut vnc. 4. Aquæ Plantaginis, vel Sanguinariæ; Et frigidioribus corporibus dragm. 1. Theriacæ cum vnc. 2. vel 3. adstringentis Vini propinari potest, vel tantundem Trifere Saracenicæ, aut Fenonis dictæ, cum dicto Vino; Ac tandem, si ferat occasio, aliquando ad frigidiora ac stupefacientia Medicamenta est deueniendum, cum non solum totum corpus refrigerandi ac fluentem sanguinem supprimendi vim habeant, sed principalium membrorum caliditatem corrigendi, ob quam causam, vt plurimum hæ sanguinis profusiones fiunt, vt superius diximus, & huiusmodi sunt Syruppus de Papauere, Requies Nicc. Philonium Rom. Trociſci Diaspermaton, Theriaca, & Mithridatum, quæ sint recentia, & similia.

Quo ad Topica ad Localia præsidia ijs vti debemus, quæ partes vniendi, coalescendi, & obstruendi vim habent, & huiusmodi sunt adstringentia, & refrigerantia Medicamenta, Vincula, Med. Caustica, & demum ignitum ferrum, semper à leuioribus incipiendo.

Animaduertendo semper quod si Hæmorrhoides sint in circulo, vbi Sphinctir musculus est, ne acria ac mordacia Medicamenta apponantur, quoniam cum hæc pars neruosa sit, dicta Medicamenta ferre non potest, neque vstionem, neque inciſionem, sine conuulsionis periculo. Si verò sint in exteriori musculo. Rectiterminus, qui carnosus, & ignobilis est, & podex dicitur, ea remedia ferre potest. Fiant ergo primum fomenta, vel insessiones ex decocto in Aqua pluuiali, vel Chalibeata facto, & in corporibus frigidioribus in vino nigro adstringenti, vt Foliorum Plantaginis, Poligoni, Myrti, Rosarum rub. Malicorij, & si vis, vt valentius agat, addi possunt Balaustia, Gallæ immaturæ, Cyrni, Acacia, Hippocistidis, Bolus Arm. Sang. Drag. Lapis hematitis, & similia; Et magna imminente necessitate, addi possunt Folia, & flores Verbasci, Papauer album, & nigrum, Hypocistis, & alumen & ex prædictis non solum insessiones, & fomenta fieri possunt, sed etiam sacculi, qui prius adstringenti Vino irrorati parti applicentur.

Aspersio similiter infrascriptorum pul. maxime est vtilis.

℞. Balaustiorum, Boli Arm. Sang. Drag. Terræ Lemniæ an. scrup. 1. Corticis Thuris, Gallarum, Seminis Rosarum an. dragm. 1. Aloes dragm. 1. 5. M. & fiat puluis tenuissimus, qui etiam Oui albumine ad Mellis consistentiam mixtus

Splenijs ex ſtuppa factis applicari poteſt, vel Gal. Medicamentum, quod conſtat ex pul. Thuris, & Aloes, & Oui albumine ad Mellis conſiſtentiam ſimul mixtis, & molliſſimis Leporinis pilis applicetur, & qui pro ſanguine ſupprimendo plura Medicamenta deſiderat, recurrat, ad Caput 43. Libri noſtri de Vulneribus, vbi multa, & optima Medicamenta adinuenier, & poſt dictorum Medicamentorum appoſitionem extrinſecus tenui faſcia pars eſt vincienda. Niſi adſtringentibus Medicamentis hæc ſanguinis hæmorrhagia ſiſti poſſit ad Cauſtica Medicamenta confugiendum eſt, ſicuti eſt Aes vſtum, Sandraca, Calchanthum, Myſi, Sery Auripigmentum, & ſimilia, quæ aliquo Vng. admiſceri debent, vt Vnguento de Ceruſa, de Tuthia, de Lyta rigirio, & his ſimilibus, & Glandium Calicæ, vel alio ſimili Hæmorrhoidibus applicari debent, vt poſtremam hæmorrhoidum partem comburant, deinde Eſcaræ caſus curandus, & ablata Eſcara, ſicuti alia Vlcera curari ac ſanari debent. Si verò tam pertinaciter ſanguis ab Hæmorrhoidibus profluat, vt neque his Medicamentis cedat, & ad manualem operationem veniendum eſt, ideſt ad ligandas, conſuendas, abſcindendas, ac vrendas Hæmorrhoides, & quamuis hæc actio noſtris temporibus raro fiat, & dolorosa ſit, antiquis tamen erat familiaris, & ita fieri debet,

Primum patiens accomodate vinciendus, & nullo pacto dimoueri poſſit, deinde Hæmorrhoidum radices, Nouacula, vel aliquo ſimili Inſtrumento circumſcalpendæ, & leuiter ab Inteſtino ſeparandæ, Deinde ſicuti Caſtratores Inteſtinorum hernias ſanant, acu validum filum trahente omnes Hæmorrhoides perforandæ, & deinde arcte vinciendæ, poſt hoc, Hæmorrhoidum capita, aliquantiſper remotea Vinculo, Forfice abſcindenda, deinde ignito ferro comburenda; Poſtea Eſcaræ caſus procurandus, & tandem ſicuti alia Vlcera curari ac ſanari debent; & hanc actionem ſemel tantum à Nutrino factam vidi, & bene ſucceſſit.

Vel hæc actio ita facienda, primum Hæmorrhides ſotti filo vinciendæ, deinde eorum Radices circùm ſcalpendæ, & poſtea Linteus in Aqua Roſacea, & cum Oui albumine ſimul mixtis madefactus, qui tot foramina, quot Hæmorroides ſunt, & eiuſdem magnitudinis ſecundum Hæmorrhoidum craſſitudinem, ſuper anum ponendus, & Hæmorrhoides ſorti filo ligatæ, per illa foramina, ad extra trahendæ, deinde candentibus ac ignitis forficibus radicitus abſcindendæ, poſtea, vt dolor leniatur, Butyrum cum oui albumine mixtum ſuperponendum, vel Oui albumen, & Vitellum ſimul, cum ſucco Semperuiui in Mortario incorporentur, deinde ſicuti cætera ambuſta Vlcera curari debet, & qui plura circa hanc Cheirurgicam actionem deſiderat. *Videat Hipp. lib. de Hæmorroidibus, & Aetium Serm. 14. cap. 6.*

Et in hac curatione facienda, ſemper ſeruanda illa Hipp. ſententia dicens, Diuturnos curanti Hæmorroides, vt ſemper vna aperta ſeruetur, cum niſi hoc fiat, Aquæ inter cutis, aut Tabis periculum impendeat. *Paul. lib. 3. cap. 59. inquit.*

Proinde cum plures in orbe ſedis venulæ pareant, vnam purgationis gratia relinquere expedit, cui ſententiæ omnes arabes, & Greci aſſentiunt, *Aetio excepto, qui Serm. 14. cap. 5. inquit.* Omnes Hæmorrhoidas eſſe ſanandas, nullam apertam eſſe ſeruandam, & nullum periculum ægro imminere inquit, dummodo conuenienti victu vtatur, & opportuno tempore illi Vena ſecetur, & Hipp. ſententiam in ſuam protrahere conatur, vt quiſque ex ſeipſo videre poteſt. Sed rutius iudicamus tot grauiſſimorum virorum autoritate vnam apertam ſeruari debere, quam omnes ſanare, & occludere, vt Aetius voluit.

De Ani Fiſtulis. *Cap.* 31.

INter corporis particulas Fiſtulis magis obnoxias ſunt partes Ani, & hoc euenit, tùm ob humiditatum copiam quà anus naturaliter redundat, cum hæc pars totius corporis ſit Cloaca, tùm propter harum partium molliciem ac laxitatem, ob quam facillime humiditates recipiunt, & a quauis cauſa ſinuantur ac eroduntur, & poſtea difficulter coaleſcunt, quod calli eſt potiſſima cauſa.

Fiſtularum differentiæ plurimæ ſunt, vt ſuperius diximus, ſed nunc tantum illas enarrabimus quæ ad curationem faciunt.

Ex

Ex his enim fistulis aliæ vnum tantum sinum habent, aliæ plures, & ex his aliæ sunt penetrantes intra substantiam recti intestini, aliæ intra substantiam Vessicæ, & aliæ in nulla harum partium penetrant. Et quæ minime penetrantes sunt, aliæ sunt in Carne, aliæ in Musculis.

De Ani Fistularum Causis.

HArum Fistularum Causæ, aliæ sunt Primitiuæ, aliæ Antecedentes, aliæ Coniunctæ. Primitiuæ causæ sunt, vt Vulnus in Ano, vel in partibus ei proximis male curatum, vel Collisio ex ictu, vel ex æquitatione, vel remigatione in Ano, vel in partibus circa Anum facta, cum ex his omnibus, partes ani proximæ atterrantur, & perruptis Venis sanguis ad Nates, & circa Anum cogitur, qui postea, cum sit extra proprium locum, putrefieri est necesse, & putrescendo acrimoniam acquirit, & molles illas partes exedit, sinuat, & fistulam efficit, *vt Hipp. lib. de fistulis inquit.*

Antecedentes causæ esse possunt, Hæmorrhoides, quæ ex prauo regimine, & mala curatione Vlcerantur, & corroduntur, quibus Vlceribus postea fistula succedit, vel ex sinuosis Vlceribus in tali parte ex qualibet alia causa ortis, & non recte curatis, vel ex Phijmate siue Apostemate in partibus illis orto, & serius aperto, idest expectata eius maturatione, cum tunc temporis sanies illa intus contenta corrodat, sinum efficiat, & tandem fistulam; Et ideo in tali parte Phimata, & alia Apostemata cruda, & ante quam ad maturationem veniant, sunt incidenda, vt inquit Hipp. loco citato; Coniunctæ causæ sunt putridus Sanguis, vel corrupta sanies siue in Apostemate, siue in Hæmorroidibus, vel in Vlceribus genita vel praui humores, & corrupti ad hanc partem delari, & errodendo sinum, & tandem callum gignentes.

De Ani Fistularum signis.

HIc affectus primo ex fistulæ figura dignoscitur, cum orificim angustum habeant, & sinus, & cauitas in interiori latior sit; Secundo ex duricie, & Callo fistulari forma obducto, quæ fistulæ essentialis forma existit, & ex exretis etiam cognoscitur, cum aliquando aquosa sanies excernatur, quæ ita esse est necesse, tùm quia per calosam ac solidam substantiam permeat, tùm quia ob partis imbecillitatem coqui, & crassesieri non potest, & aliquando talis fistula clauditur, nihil ab ea excernitur, & tunc proximæ partes tumidæ fiunt, intenduntur, & dolent, & iterum deinde aperitur fistula, & aquosa sanies effunditur, & aliquando virulenta, & horribilis materia, & talis fit quia in cauitatibus illis fuit retenta, & difflari non potuit. Causarum præcipue ex patientis relatione in cognitionem deuenire possumus, interrogando eum, vtrum aliqua ex primitiuis causis dictis præcessit vtrum prius Hæmorrhoides fuerit passus vel Vlcus, vel Tuberculum, siue Apostema, vel quid simile, & non fuerit recte curatus, eius verò profunditatem ex immisso stylo cognoscere possumus. Num verò vnus sit sinus, vel plures, ex immisso Plumbeo stylo, vel Caprelo vitis, vel ex quolibet non frangibili causæ, & ex excretis in maiori copia, quam simplici cauitati conueniat, in cognitionem deuenimus.

Et si in Intestinum penetret, cognoscimus similitèr ex styli immissione, qui digito, in Anum indito, nudus occurrit, & nisi ob fistulæ tortuositatem stylus digito tangi ac persentiri possit, ex exeuntibus in fistulæ penetrationis cognitionem deuenimus, cum fæces, aliquando per fistulam excernantur, vel flatus, & fetor, & aliquando etiam Lumbrici, & per Anum sanies emanat, quæ indusia, vel Femoralia inficit, & Liquor per Fistulam iniectus per Anum exit, sic & è contra per Anum iniectus, per fistulam egreditur. Si in Vessicæ substantiam penetrauerit fistula, cognoscitur ex Vrinæ exitu per fistulam.

Si fuerit in parte musculi Ani Sphinctir dicti, cognoscitur quia patiens non recte Anum constringere, & feces retinere poterit. Si verò sit in toto musculo, inuoluntariæ feces ad hanc partem deuenientes exeunt.

De Ani Fiſtularum Prognoſtico.

ANi non penetrantes Fiſtulæ, ſicuti ex *Paulo lib. 6. cap. 68. & ex Auic. 3. tertij cap proprio elicitur, penetrantibus incolumiores, & minoris laboris ac periculi ſunt.* Difficillime ergo penetrantes Fiſtulæ curantur, & eas non curare melius, & honorabilius eſt, vt ex Albucaſi elicitur, qui inquit. Quod ſi fiſtula penetret ad Veſſicam, vel ad oſſa Ancharum, vel Caudæ, non curetur, quoniam curatio earum, non eſt niſi labor infirmorum, & fatuitas ſtultorum Medicorum, & ideo tantum ſufficit eis palliare, *Et Paul. loco citato inquit*; Quæ porrò Veſſicæ ceruicem perforauerit fiſtula, vel ad femoris Articulum, vel ad Rectum Inteſtinum tendit, nulla Medicina periculo ſubtrahit. Quæ verò orificio caret, & quæ abdita eſt & in os terminans, & multifariam fiſſa, ægre, Reliquæ in vniuerſum facile Manus opera curationem recipiunt.

Fiſtulæ ſimiliter, quæ ſupra Anum per quatuor digitos penetrant, & per Ani muſculum progrediuntur curari non debent quoniam curatione inuoluntarij fæcum exitus cauſa eſſemus. Non penetrantes verò fiſtulæ, & per carnem iuxta Anum procedentes, & non valde profundæ ſine timore curari poſſunt, vt voluit Rhaſis.

Auic. item, & eius ſequaces dixerunt. Si penetrantes fiſtulæ ſtollerabiles, & non multi nocumenti, tùm propter multum fluxum viros, & ſaniei, tùm propter fetorem patientibus fuerint, & non erit malum eos totaliter demittere, dummodo interim teneantur mundæ conuenientibus lotionibus fomentis, & nitidis ac tenuibus Linteis, & cauſa eſt, quia corporis ſuperfluitates per illas expurgantur ac expelluntur, & Hæmorrhoidum vice deſeruiunt, & huiuſmodi expulſio ac expurgatio longioris vitæ eſt cauſa.

De Ani Fiſtularum Curatione.

IN Ani Fiſtulis curandis, quatuor intentiones habere debemus, ſicuti in aliarum partium fiſtulis ſuperius diximus. Prima in victu ac alijs nonnaturalibus rebus conſiſtit; Secunda in præparatione ac peccantium humorum euacuatione; Tertia in membrorum male affectorum roboratione; Quarta in localibus ac particularibus præſidijs conſiſtit.

Pro Prima, Secunda, & Tertia intentione conſequenda, eadem Methodus obſeruanda, quæ pro aliarum partium fiſtulis curandis ſuperius obſeruari diximus. Præſcripta ergo tenui ac laudabili Dieta, frequenter à peccantibus humoribus corpus purgandum, & potius per ſuperiora, quàm per inferiora, & hoc non ſolum faciendum peccantes humores euacuandi gratia, ſed vt ab affecta parte reuellantur, & derivationis cauſa. Illa Medicamenta quæ per Vrinæ ductus humores ducunt, Diuretica dicta, loco citato ab Hipp. quam maxime laudantur, dicens, tùm ſeleſis Radix diligenter contrita quatriduum in Aqua iaceat, cuius Aquæ adiecto Melle ieiuno ternos Cyatos potui preſtato. Sic totum corpus exſiccandi gratia, vtque humores etiam per ſudorem euacuentur, competit decoctum Saliæ Parillæ, vel Guaiaci, Cauteria item, ſeu Fonticuli dicti, in Cruribus conuenientiſſimi ſunt, cum per tales Fonticulos materia diuertatur, & euacuetur.

Quo ad particularia præſidia applicanda; Imprimis fiſtulæ ſpecies ac differentia conſideranda, ideſt an penetrans ſit, nec ne, & niſi penetret, conſiderandum, an ſcalpello vti liceat, & ſi vel quia fiſtula altius penetrat, ideſt per ſpacium quatuor digitorum, & multum ſit, quod incidi debet, vel ſi fiſtula ſit in parte, quæ ſcalpello tuto attingi non poſſit, vt ſi verſetur inter Inteſtinum, & Veſſicę ceruicem tunc Medicamentis Callus abſumendus, ac exedendus, cum ea, quæ diſiuncta ſunt vniri minime poſſint, Callo in medio exiſtente, & Hipp. proponit Med. factum ex Flore Aeris, Myrrha, & Litio ſiue Lycio, quæ Vrina ſunt diluenda, quod Med. (poſt orifici dilatationem factam cum Radice Gentianæ, vel Brioniæ, vel Ariſtolochię;

lochiæ, vel contorta Spongia, quæ si vis, vt valentius agant, Melle sunt illinienda, & puluere Aluminis adusti superaspergenda) Auriculario Clystere in Fistulam conijciendum, vel acris iniectio fiat ex Vnguento Aegiptiaco cum Vino mixto, vel ex Trocisci Asphodelorum, Calce, & Sapone cum Lixiuio, vel Vino mixtis, & his similibus superius in fistulæ curatione descriptis.

Ablato Callo Med. maxime exsiccantibus, ratione temperiei partis, vnitio ac conglutinatio curanda.

Nisi verò Medicamentis Callus exedi ac absumi possit, nec incisio administrari Aegris iubendum, vt apertas seruent, & tanquam incurabiles relinquendæ, vel palliata curatione curandæ.

Nisi verò tàm alte penetret, & Scalpello ac sectione vti liceat, ad hoc opus accingere nos possumus, quod ita fit.

Curatio per Chirurgiam

Resupinato homine cruribus sursum porrectis, vt fæmora ad Ventrem in clinet, ita vinciendum, vt dimoueri non possit, deinde immisso intra fistulam specillo, angustissimo Gladiolo ac longa acie donato, & circa cuspidem aliquantisper retorto, quatenus penetrat, rectè incidenda, vtque Callus exedatur, & Medicamentum, quod inhærebat, resoluatur, sinendum, quod fit quinque vel septem dierum spacio.

Tanquam notum verò reliquimus, quod prima die, & statim post incisionem, vt Turunda Oui albumine imbibita apponatur, ad sanguinem sistendum, dolorem leniendum, & fistulam apertam seruandam.

Sed cum propter incisionem ac impositi Medicamenti acrimoniam Inflammationis periculum instet, Hipp. iubet, vt abstinentia vtamur, ac Med. lenientia ac relaxantia apponamus, sicuti est calidæ Aquæ fotus, Betæ folia, quæ siccant, & discutiunt, & Catapl. factum ex polenta, & Aqua, Resoluto Med. & fistulæ callo ablato, sicuti superius fuit dictum partium conglutinatio curanda.

Fistulæ sim lit. Ani Antiquæ, quæ non sunt penetrantes, & Medicamentis non cedunt, neque sunt proxime Intestino recto, neque Vessicæ, neque neruosis partibus, actuali cauterio curari possunt. Primum fistolæ orificium dilatando, deinde accommodatis ignitis feramentis fistulæ superficiem ac callositatem dextere cauterizzando, postea, quæ Escaram remouendi ac dolorem leniendi vim habent, sunt imponenda, & isto actuali cauterio non solum callositas absumitur, sed pars corroboratur, eius intemperies tollitur, humorum fluxus prohibetur, & citissime ac facillime opus completur.

Sed hæc curatio tantum competit in fistulis partium carnosarum si fistula in rectum Intestinum penetret, inquit Hipp. quod duobus modis curari potest, vel Medicamentis, vel Incisione. Medicamentis curari inquit, si Linteum molissimum intortum, & in Turundæ, siue teretis Elichini formam ex altera parte tenuuius, altera crassius, quod fistulæ altitudinem æquet, paretur, cui forte silum sit alligatum, vt extrahi possit, quod succo Tithymali imbibendum est, & flore Aeris vsto respergendum, & in fistulam iudendum, vt Callus exedatur; Vtitur verò Tithymali succo, quoniam callum à fistulis adimendi vim habet, sed cum acræ nimis sit talæ Medicamentum, ideo flore Aeris vsto respergit, cum vstione vis floris Aeri frangantur, & Tithymali acrimoniam remittendi vim habet. Ne verò rectum Intestinum, ad quod fistula penetrat, his acribus Med. inflammetur, inquit, quod in Anum Corona Glans Creta detergente illita indatur, atque ibi sinatur, & quum desidendi cupiditas fuerit, eiciatur, postea rursus immittatur, & detineatur vsque in quintum diem, vel quousque Callus exedatur, postea subtrahitur, & Linteum ex Carne euellitur. Hoc facto inquit quod Glans plena contriti Aluminis, in Anum cunyciatur, & contineatur, donec Alumen madeat, & hoc fieri vult, vt si quid ab Inflammatione influat, reprimatur, & quod exulceratum est, siccetur ac glutinetur, & post Alumen Myrrham apponi inquit, vt magis, Vlcus exsiccetur ac conglutinetur, & sic perseuerandum, quousque Vlcus abunde siccum esse arbitremur.

Incisione curantur penetrantes fistulæ, vt Hipp. inquit, duobus modis, vel silo, vel ferro, sed in his actionibus faciendis, inquit Auic. & Rhases, quod considerandum quantum foramen ab Ano distet, cum in alijs multum distet, in alijs sit iuxta

Ani marginem, In quibus multum ab Ano diſtat, propter periculum quod inſtat, ne feces inuoluntarie egrediantur, propter inciſionem muſculi Anum claudentis ac conſtringentis, ideo inciſionem curari non debent, quibus parum diſtat, incidi poſſunt.

Inciſio ergo filo ita fit, ſumitur ſericinum filum, quod ob eius tenuitatem facilitèr incidit, vel filum ex alia materia æquina ſeta conuolutum, ne facilitèr putreſcat, quod ab orificio fiſtulæ ad Anum traicicendum, immittendo tale filium in extremum perforati Specilli Stanei, vel Plumbei, taleque ſpecillum in fiſtulam immittendum, & eodem momento ſiniſtræ manus Index digitus Oleo Roſ. vel Butyro ſine ſale inunctus in Anum indatur, & Specillum quam occurrit extrema parte inclinando ac recurua do educatur, & cum Specillo item extrahatur fili caput quod in id coniectura erat, & cum altero capite bis, aut ter vinciatur, quod verò fili dependet, admodum alligetur; Poſt hæc Patienti præcipiendum, vt ſe ipſum ſecet, & quatenus filum, exeſa fiſtula, relaxatur, hactenus quotidie coarctari, & paruo quodam Ligno tranſuerſo conuoluendo, arctius ſubinde ſtringendo, donec tota caro, & Inteſtini particula incidatur; Et ſi filum, ante quam fiſtulam exederit, putreſcat, alterum ſimile apponendum, ac, vt diximus, adſtringendum. Poſtea, vt Callus abſumatur, curare debemus, vt inferius dicemus; Et aliquid, quod inflammationem prohibeat, vt ſuperius diximus, dum callum exedentia apponuntur, ſuperponendum, & hæc curatio diuturna eſt, & diebus aliquot dolorosa, & moleſta.

Inciſio, quæ ferro fit, expedita ac celeris eſt actio, & non valde dolorosa, & ita fieri debet. Locato homine, vt ſuperius diximus. Primum per fiſtulæ orificium Specillum Plumbeum immittendum, & digito inuncto intra Anum immiſſo, ſpecilli caput inueſtigandum, & in orificio eius caput intorquendum, vt facilius orificium adinueniatur, vel filum, vt ſuperius diximus immittendum, deinde Index dexteræ manus Roſaceo inunctus in Anum immittendus, & ſimul Inſtrumentum, quo ſectio fieri debet, quod aliquatis per falcatum eſſe debet, eoq; digito in Anum immiſſo recte ducendum ſecans Inſtrumentum, vt non erret, ne calloſam ſubſtantiam incidendo Hæmorrhoidales venas ſimul incidat. Poſt inciſionem, vt ſanguis ſupprimatur confectus, & Oui albumine, & adſtringentibus pulueribus imbibitus indendus. Die ſequenti Hipp. vult vt Fiſtulæ Aeris Flore vſto copioſe reſpergatur, ac molli Spongia fruſtulum Melle inunctum in fiſtulam immittatur ac intro compellatur, & hoc faciendum, vt aperta ſeruetur, & rurſus comitti non poſſit, & ne ab vna parte curetur, ab altera iterum in fiſtulam vertatur, ſed vt ſaneſcat vniuerſa.

Compulſa moli Spongia intra fiſtulam, alia ſuperponenda. Spongia Vino nigro auſtero imbibita, & expreſſa, vt humores reprimat, & Vinculum, vt contineat, ſuperponendum, & hoc ſeptem dierum ſpacio faciendum, ideſt quouſque Callus abſumatur; Ablato Callo, Vlcus, Carne repleudum ac conglutinandum. Aliqui poſt ſectionem, & Penicilli Oui albumine imbibiti remotionem, aliquot diebus ſequentibus Terebenthina Aqua Plantaginis, vel Roſarum lota curant; deinde Labia indurant, & cicatricem inducunt, & hoc ſufficere inquit, & interim ſemper Spongiam, vel duplicatum Linteum Vino ſtiptico imbibitum, vt humores reprimat, ſuperponi inquiunt.

De Fæmorum Tibiarum, Articulorum, ac Pedum Vlceribus.

Cap. 32.

VLcera, quæ in fæmoribus, Tibijs, Articulis, ac Pedibus fiunt, cum nihil proprij ab alijs Vlceribus habeant, qualiacumque, & cuiuſcumque ſpeciei fuerint, ideſt ſi intemperata, vel Putrida, vel Concaua, vel ſordida, & ſic de alijs; Methodo vniuerſali, ſicuti ſuperius diximus, curanda, & quo ad Preſidia Vniuerſalia, & victus ratio, & Venæ ſectio, & purgatio ſecundum corporis habitum, peccantes humores, & Vlceris ſpeciem, & alia requiſita, vt in ſuperioribus fuit dictum, inſtituenda.

In Topicis ac localibus præſidij ſemper partium natura eſt conſideranda, cum diuerſa Med. ſiccioribus partibus competant, quam humidioribus. Et ſi Vlcera

in

in Articulis fuerint, ratione ficcitatis partis ficciora ac aridiora Medicamenta sunt applicanda, vt inquit *Paul. lib. 4. cap. 51.* qui in his Vlceribus laudat Polidæ Pastillam cum Vino contritum, & ad sordium crassitiem redactum, & frequentem irrigationem Aqua Maris, vel Muria factam, & hæc Medicamenta, non solum ratione temperiei partis, in Articulorum Vlceribus conueniunt, sed quia talia Vlcera quam primum exsiccanda ac sananda sunt, cum in his partibus sæpe Vlcera caua, & Cacoetæ gignantur, tùm propter ossium articulationem, tùm quia pauco calore sunt præditæ, tùm quia crasso, & viscoso humore nutriuntur, multeque neruosæ partes adsunt. Nos verò in Articulorum Vlceribus exsiccantibus Med. Aquam Vitis seu Ardentem miscendam iudicamus quæ partes illas roborat, exsiccat, & maxime putredini resistit.

Sed cum dictæ partes decliues sint, & ideo ad recipiendos humores aptæ, plano loco sunt situandæ, & motus, ac de ambulationes, vitandæ, & ea Med. in superiori parte applicanda, quæ humorum fluxum prohibendi ac reprimendi vim ac facultatem habeant. Atque hæc de Vlceribus ad laudem Dei Deipareque semper Viginis dicta sufficiant.

FINIS.



CHE-

CHEIRVRGIÆ FRANCISCI PECCETTI

COELESTINI CORTONENSIS,

PHYSICI, ATQVE CHEIRVRGI.

LIBER QVARTVS.

De Fracturis, & Luxationibus tàm in Vniuersali, quàm in Particulari, & de Sanguine Mitigando.

De Fracturis in Vniuersali. *Cap.* 1.

Ordo.

VM in superioribus Libris de Morbis, qui carnosis ac molliorib⁹ partibus accidere possunt, & Cheirurgia curatione egentibus, abunde fuerit pertractatum, modo supereſt, vt de ijs vitijs agamus, quæ Ossibus accidere possunt, & pro eorum curatione Manus ministerio opus habent. Sed, cum vt plurimum Ossa, vel frangantur, vel Luxentur. Imprimis, Hipp. & aliorum exemplo, de fracturis, postea de Luxationibus verba faciemus. Et in hoc tractatu more nostro imprimis de fracturis in Vniuersali, postea in Particulari dicemus. Imprimis explicando quid Nominis; Secundo quid Rei, ideſt fracturæ definitionem assignando; Tertio fracturarum species ac differentias in medium adducendus; Quarto Causas; Quinto signa; Sexto Prognostica, Septimo Curationem in Vniuersali, deinde cuiusque fracturæ speciei Curationem docebimus, & tandem ad fracturarum cuiusque partis curationem deueniemus.

Quid nominis.

Quo ad quid Nominis, Greci, quod Latini fracturam nominant, Catagma dixerunt, sicuti apud *Gal. pluribus in locis & præcipue 6. Meth. Cap 5. & apud Paul. lib. 6. cap. 89. videre quisque potest.*

Quid Rei.

In fracturæ definitione omnes Autores sunt concordes, quod fit continui solutio in Osse facta, in hoc verò differunt, quod *Gal. & Paul. & alij Greci Autores.* Per fracturam, intelligunt quamcumque vnitatis siue continuitatis solutionem in Osse à rè extrinseca violentà factam, tàm ab Instrumento incidente, quàm contundente, vel rumpente Nos verò cum de fracturis tantum simus dicturi, quæ à rè contundente, vel rumpente fiunt (cum de illis quæ ab Instrumento Incidene fuerint causatæ

in

Quid propriè sit fractura

in lib. de Vulneribus fuerit per tractatum) Ideò vnà cum Guidone à Gaulico sic Fracturam definimus, dicendo Fracturam esse Ossis continui solutionem absque incisione, violentèr extrinsecus à tè rumpendi, vel contundendi vim habente factam.

De Fracturarum Differentijs.

FRacturarum differentiæ aliæ sunt veræ, & propriæ, aliæ non veræ, & impropriæ; Propriæ differentiæ, vt elicitur à *Gal. 6. Meth. cap. 5.* à tribus sumuntur, ideſt à magnitudine, à figura, & à subiectis Ossibus fractis, à magnitudine fractura magna, vel parua dicitur, à figura, vt lib. 8. cap. 7. inquit Celsus, fractura dicitur Recta, vel Tortuosa, vel obliqua, Recta fractura est illa, quæ per Ossis longitudinem tendit, in quâ sanè non omnino separantur à se partes sic affecti Ossis, sed veluti per rectitudinem findantur, & hoc fracturæ genus, Schidacedon Greci nominant; Transuersa fractura, ideſt in qua os per transuersus diuiditur, Cauledon, Raphanidon, & Sicyedon Greci nominant, à similitudinem Caulium, Raphanorum, & Cucumerum fractorum; Obliqua fractura est, quæ ex prædictis ferè componitur: ideſt quod neque recta est, neq; transuersa & hæc à quibusdam Grecis Calamicon, & Harundinatim dicitur; Sunt verò aliæ fracturæ, quæ à Græcis Alphitidon nominantur, in quibus instar farinæ, vel Pollinis confracta sunt ossa, alię Carapothrausio dicuntur, ideſt in quibus ossa refracta sunt, & iuxta superficiem, & per Ossis summitatem recesserunt, & sicuti squamulę à reliquo Osse recedunt quarum differentias recensere nimis ambitiosum est, vt Gal. inquit.

Differentię ab affecta parte, ideſt à subiectis Ossibus fractis sunt, vt fractura Humeri, Cubiti, Femoris, Tibię, Costę, Clauiculę, & similes.

Diferentiæ Impropriæ.

Non verè, & impropriè fracturarum Differentię sunt, vt fractura cum Vulnere, cum Phlegmone, cum Apostemate, & his similibus, quæ ab aliquibus Compositæ, siue complicatæ fracturæ dicuntur. Sunt verò impropriæ differentiæ, quoniam non à fracturæ substantiâ desumuntur, sed ab affectu aliquo, qui per se consistere potest; Et quæ per se consistere possunt, alterius differentiæ esse non possunt, cum differentia sit rei forma, quæ à re separari, nisi per interitum nunquam potest, vt inquit *Gal. 3. Meth. cap. vltimo* Hæ verò differentiæ à Symptomatibus etiam sumi possunt, vt à Dolore, Punctione, Pruritu, & his similibus, quæ ad sensum pertinent, à quibus fracturæ, dolorosæ; Pungentes, & Prurientes dicuntur.

De Fracturarum Causis.

FRacturarum causæ, inquit *Gal. & Paul locis superius citatis*, ac omnes ferè Autores, semper sunt externæ, & sunt ea omnia, quæ contundendi, vel ossa rumpendi, ac diuidendi vim habent, vel sit casus, vel ictus, vel distorsio, vel quodlibet aliud.

De Fracturarum signis.

SImplicium fracturarum per transuersum, vel oblique existentium signa plura sunt; Primum Membri inequalitas; Secundo, si pars super fracturam tangatu, manifesta cauitas tactu percipitur, & alibi eminentia, sic disiunctæ ossis partes ac separatæ persentiuntur; Tertio si pars Manibus pertractetur ac variè dimoueatur, crępitus ac fragor in affecto loco, ob ossium mutuam collisionem, ac affrictionem, auditur; Quarto dolor sępe vehemens adest, & præcipue cum pars pertractatur, qui ob neruosarum partium distorsionem, vel diuulsionem, vel punctionem, quæ ab aliqua fracti ossis eminentia fit, excitari potest; Quinto tale Membrum intumescit, ac plerumque calet; Sexto Corpus Fracto Membro sustineri ac inniti minimè potest, & semper aliqua præcessit causa, quæ fracturam efficere potuit; Adesse etiam potest Membri tortuositas, vel eius partis breuitas, sed hæc duo non sunt signa necessaria, sicuti supradicta.

Si verò fracturæ Vulnus sit coniunctum, non solum dictis signis fractura cognoscitur, sed etiam tactu, Digitu, vel Speculo intra Vulnus immisso, quibus fractura, vel ossis asperitas persentitur. Dictis ergo Transuersæ, & Obliquæ Fracturæ dignoscuntur. Fracturæ per Ossis longitudinem existentes tantum cognoscuntur ex præternaturali substantiæ ossis, ac membri crassitie, Dolore, & Membri inequalitate, non existentibus alijs supradictis signis.

De Fracturarum Prognostico.

OSsa fracta tantum Callo, siue Poro sarcoide dicto, circa oras ipsius orto ob Ossium genuinam siccitatem ac duritiem consolidantur, & non verè riuniuntur, ac sicut Caro coalescunt secundum intimas partes, sed dumtaxat secundum exteriorem superficiem, præter quam in mollissimis ossibus, vt paruulorum, vt inquit *Gal. in Com P. lib. de Fracturis, & Com P. in lib. de Articulis, & 3. Meth.*

Fracturæ in magnis ossibus magis sunt periculosæ ac difficilius curantur, quam in paruis, & multiplices, quam simplices.

Fracturæ similiter alicuius insignis ossis, curatio conueniens si vltra septimum diem, differatur, periculum est ne ex ossibus aliquod syderetur vt inquit *Gal. Com. 3. lib. de fracturis Com. 37.* Illæ Fracturæ in quibus capita fractorum ossium sunt retusa, minus sunt periculosæ, in quibus verò sunt acuta, pessimæ sunt, quia neque facile committuntur, & nullo retuso inniuntur, & carnem vulnerant, interdum Neruum quoque aut Musculum, vt inquit *Celsus lib. 8. cap. 7.*

Arabum Princeps Auic. inquit; Quanto serius fracturæ restaurantur, tanto pæiores sunt, cum spacium aliud aliena substantia repleatur, & in restauratione maiori extensione egeant, & magnæ extensioni sepe spasmus siue conuulsio accidit.

Celsus lib. 8. cap. 10. Ossa minus periculose in medio franguntur, & facilius curantur, & quò proprior fractura Capiti, vel superiori, vel inferiori ossis est eo peior est. Nam, & maiores dolores adfert ob neruosarum partium lesionem, & difficilius curatur. Ea maxime tollerabilis est simplex transuersa peior, vbi fragmenta, atque vbi obliqua; pessimum vbi eadem acuta.

Illæ ergo Fracturæ, quæ Articulis spacio trium, vel quatuor digitorum proximæ sunt, non solum sunt periculosę sed curatu difficiles, cum commode ligari non possint, ac vt plurimum, tales iuncturæ difficilem motum relinquunt.

In illis partibus vbi sunt bina ossa, vt in Brachio, & Crure, si alterum tantum frangantur, facilius curantur, quam si ambo sint fracta, cum minus Nerui ac tendines contrahantur, sed ab altero integro osse tensi seruantur, & Os integrum fracto est velut substentaculum.

Fracta item ossa, quæ suis sedibus mota non fuerint, facilius curantur, & minus inflammationis, ac prauorum Symptomatum periclitantur, cum circumsitas partes non leserint.

Fistulosa Ossa, & Spongiosa, & quæ plus humoris in se continent, celerius coalescunt, & Callum contrahunt.

Hipp. 3. de fracturis inquit; Membra in quibus vtraque ossa comminuta sunt, dum inter sè cedentia curantur, & ea quibus fragmentum à toto ossis ambitu recessit, necesse est breuiora fiant.

Compositæ fracturæ, vt cum Dolore, vel Inflammatione, vel Carnis Contusione prauæ sunt, cum instaurare, donec curentur ac tollantur nequeant.

Illæ similiter fracturæ, quæ cum Vulnere sunt coniunctæ, prauæ sunt, & eo deteriores, quo maiora fuerint Vulnera, ac sensibiliores partes terigerint, cum in huiusmodi fracturis Dolores, Inflammationes, ac Gangrenæ superuenire soleant, & feruilis ac alijs substentaculis vti non possimus.

Hipp. lib. superius citato inquit; Quibus femoris os, vel humeri excessit, ferè non euadunt, sunt enim Ossa hæc grandia, & medullosa; Adde quod multa, & magna simul lacerantur, Nerui scilicet, Musculi, & Venæ. Quod si reponantur, solet Neruorum Distensio superuenire; Nisi reponantur, Acutæ Bilioseque febres cum singultu, & nigritie, non minus euadunt, quibus nec reponimus, nec reponere tentamus: magis aduch euadunt; quibus inferior pars ossis, quam quibus superior, excessit:

Eua-

Euadere etiam possunt, quibus reponuntur, raro tamen; Multum enim curatio, multumq; natura corporis alia ab alia distat, quo ad facile ferendum attinet: multum quoque refert an ab exteriori Humeri, Femorisue parte ossa excesserint, vel interiori, multæ enim, & grandes Venæ per interiorem partem feruntur, quarum nonnullæ vulneratæ hominem iugulant, per exteriorem verò pauciores intendunt. In huiusmodi igitur casibus periculi meminisse oportet, quod proprie circumstat, idque in tempore prædicere; Hæc sapientissimus ille senex.

Quo temporis interstitio singula fracta ossa confirmentur, ac firmo callo obducantur, nihil certi affirmare possumus cum secundum ætatem Corporis habitum, anni tempus, & victus rationem in alijs citius, in alijs serius confirmentur.

In Iuuenibus ergo bono corporis habitu prædictis, validis, & bonam ac conuenientem victus rationem seruantibus, & temperato Cœli statu citius consolidantur ac confirmantur. Contra in primo senio existentibus, in Conualescentibus, in biliosis, prauam victus rationem seruantibus, & intemperato Cœli statu, difficultèr in Decrepitis verò ac valde senibus ossium consolidatio impossibilis est, vt inquit Auic. Aliquando verò in his etiam consolidari vidimus. Vt plurimum verò Nasi ossa, Maxillæ, Malæ, Iuguli, Pectoris, Scapularum, Costæ Spinæ, Tali, Calcis, Manus, & Plantæ intra vigesimum, vel vigesimum quartum diem ferruminantur ac sanescunt: Crura, & Brachia triginta quatuor diebus, vel potius quadraginta, sic humeri ossa quadraginta diebus consolidantur, & femoris quinquaginta vt elicitur ex *C. Celso lib. 8. cap. 7. & ex Paulo lib. 6. & ab alijs bonis Autoribus*.

Signa ossium optime coaptatorũ.

Notæ optimæ ossis coaptationis sunt Membri naturalis figura, quæ vt recte animaduertatur, suo compari membro comparari, & in omnibus illi respondere debet, & in fracto osse tactu nulla cauitas, neq; eminentia, neq; asperitas, vel inequalitas persentiri debet, Dolor similitèr mitescit, ac sedatur, Tumor mediocris absq; magno dolore primis diebus in fracto membro apparet, qui cum cito euanescit, certam salutis spem sperare possumus.

De Curatione Fracturæ absque Vulnere.

CVm Fractura sit ossis continui solutio, prò eius curatione, finis ac prima intentio, erit vnitio, quæ, vt superius diximus, cum ob ossium siccitatem ac duriciem in adultis per primam intentionem, sicuti in puerulis, fieri nequeat, ideo alterius interuentu, & per secundam intentionem, idest per quoddam Glutinum talis vnitio, siue potius colligatio, siue ferruminatio fit, & talis Glutini materia, quod à Græcis poros, à Latinis Callus dicitur, est idoneum ac proprium fracti ossis alimentum, quod redundat, ac in Fracturæ labijs concrescit. *Notandũ*

Callus ex qua fiat.

Quomodo verò talem finem ac Intentionem consequi possimus, modo est dicendum, à transuersa fractura, quæ est sine Vulnere incipiendo; In huiusmodi igitur fractura curanda, vt plurimum, quinque intentiones siue Scopi proponuntur. Primus erit ossis fracti partes recte committere ac in naturalem situm reducere ac coaptare. Secundus extrema fracti ossis adamussim coniuncta, & immota seruare. Tertius adiacentium partium propriam ac naturalem temperiem seruare. Quartus Calli generationem studere ac adiuuare. Quintus superuenientia Symptomata corrigere, & corrigere. Diximus vt plurimum, quoniam non omnes transuersæ fracturæ his omnibus intentionibus pro earum curatione indigent, vt sunt illæ, in quibus fracta ossa proprio loco mota non sunt. *Ideo inquit Celsus lib. superius dicto*; Animaduertendum ac considerandum, vtrum fracta ossa proprio loco exciderint, nec ne, cum non semper vbi transuersim franguntur ossa, sua sede naturali moueantur, vtque superius diximus, ossa fracta proprio loco non esse mota, dignoscuntur, quia in membro fracto nulla inequalitas, neque cauitas percipitur, nec vllus punctionis sensus persentitur neque membrum breuius apparet, quando propria sede mota sunt ossa. *Quinque intentiones.*

Notandũ

In his ergo fracturis, in quibus ossa proprio loco non sunt mota, statim ad Secundam intentionem deuenire debemus, id est ad vinciendam partem fasciis, vt inferius

ferius dicemus, vt fracti ossis capita in naturalem situm reuertantur, & pars non est extendenda, vt ignari Barbitonsores faciunt, qui etiam fracta ossa, & non proprio loco mota extendunt, & sepe suis extensionibus ac contorsionibus ossium capita propria sede dimouent, ac simul confricant, & sunt in causa, vt ossium eminentiæ frangantur, ac inflammationes aliaque prauæ Symptomata superueniant.

Notandū

In Fracturis ergo illis, in quibus ossa propria sede excidérint, ita vt alterum super alterum efferatur, omnes, dictæ intentiones sunt necessariæ, vt *Gal. lib. de motu Musculorum, ac Com. primi lib. de Fracturis inquit*. Vt igitur primam consequamur intentionem, cum ossium capita propria sede mota, ob musculorum in se ipsos contractionem rite coaptari non possint, nisi membri extensio fiat; Ideò prius membrum in diuersa extendendum, vt iubet Hipp. in principio primi lib. de Fracturis, & hoc non solum faciendum, vt fracti ossis capita in directum agantur, sed vt ossium eminentiæ in proprias cauitates recondantur, quod fieri non posset, absque membri extensione, immo si ossium capita absque extensione committere vellemus, ossium eminentæ frangerentur, quæ si inter ossium capita remanerent, coaptationem impedirent, cum non sinant ea, quæ adaptantur, se contingere, & si extra ossa excíderent, dolorem, punctionem, distensionem ac inflammationem excitarent, nec exacta coniunctio sic fieret, vt pristinam vnionem imitentur, quippe, quæ solum tum demum erit, cum ossis extantiæ in suas cauitates fuerint reconditæ.

Exitus

Quod si semel comminutæ perierint, necessarium est spacia inter applicata simul ossa inania remanere, in quibus sanies collecta, & temporis tractu putrescens etiam secum totum membrum corrumperet. Sed in extensione plura sunt, animaduertenda; Primum, vt extendatur membrum in debita figura, ideſt, quæ minimum dolorem excitet, & hoc consequimur quando musculorum fibræ in rectum distenduntur, & musculi non distorquentur, neque peruertuntur, & Arteriæ, Venæ, Nerui, & musculi rectissimi ponuntur ac conseruantur, & ideò *Hipp. in primo de Fracturis inquit*. Quæ suo loco mota sunt, & fracta, & recto admodum statu intendenda. Secundo, vt extensio non fiat, neq; validior, neque debilior, quam sit opus, sed moderata, quoniam ex validiori extensione insignis oritur dolor, ex quo postea febres. Conuulsiones, & Resolutiones consequuntur, & aliquando etiam musculi diuelluntur, vt *Gal. Com. 1. lib. 1. de Fracturis scriptum reliquit*.

Animaduersione in extensione facienda.

Accidit etiam hoc, quod si alligetur pars, quando ossium capita inter se ex validiori extensione sunt deducta, inane spacium relinquitur, in quo contracta sanies periculum est, ne os corrumpat, cum ex vinculo musculi immobiles reddantur, & contrahi non possint, & ossa deducta seruantur, præter quam in femore, in quo ob musculorum magnitudinem Vincula musculis cedunt, & ideo in Femore validior extensio non metuenda, sicuti in partibus alijs.

In debiliori verò extensione ossium capita committi non possunt, quin ossium eminentiæ simul confricentur, vel frangantur, vel in proprias cauitates recondi ac reponi nequeunt.

Quæ fracturæ validiorem, & quæ debiliorē desiderēt extensionem.

Sciendum etiam, quæ validiorem, & quæ debiliorem extensionem requirant; Magna enim ossa magnisque musculis circundata, qui validissime suum principium versus trahunt, validissimam extensionem postulant, sicuti sunt femur, deinde Humerus ac Tibia, tertio cubitus, præsertim quando in his ambo ossa sunt fracta, post quę in summa Manu, ac in Pede summo consistunt. Qui molli sunt corpore, vt Nobiles, Mulieres, & pueri validiorem extensionem similitèr ferunt; Sic Fracturæ in principio, ideſt prima die validius extendi possunt, Contra, qui duro sunt corporis habitu minus debent extendi, sic si fractura non fuerit in principio propter influxos humores, & propter Inflammationis metum, aut extendi non debet, aùt mitius, *vt lib. 8. cap. 10. Celsus inquit*.

Instrumenta quibus fit extensio,

Instrumenta, quibus extensio fit, triplicia sunt; Primo sunt Cheirurgi Manus, vt in partibus, quæ debili egent extensione.

Secundo sunt Habenæ ex firmissimo Linteo paratæ, siue funes, quibus fractum membrum circumdandum, altera parte superiorem fracturæ regionem, altera inferio-

seriorem firmiter ligantes, qui ministri in contrarias partes trahere conantur, & his vtimur, vbi validiori extensione est opus: Tertio sunt Instrumenta, siue Machinamenta ab Hipp. lib. de Fracturis proposita, quibus vtimur, vbi validissima extensio, est necessaria.

Primum ergo Membrum, quantum est opus (dest paulo longius, quam naturaliter esse debet, & secundum debitam figuram extendendum, resupinato, vel sedente infirmo in loco maximè illustri, vt vitiata pars conspectui magis pareat.

Deinde Medicus ambabus Manibus vtrimque membrum prehendens, quod in priorem partem erupit, retro cogere, quod in posteriorem, in priorem compellere debet, & quod in sinistrum excidit, in dexterum trudere, & quod in dexteram est prolapsum, in sinistram repellere. In contrarias ergo partes fracti ossis capita prominentioribus palmarum partibus Medicus vrgere ac compellere debet, & sic fracti ossis capita minimo, quam fieri potest, dolore, paulatim instrumentis extendentibus laxatis componi ac simul coaptari debent, inquit. *Hipp lib. primo de fracturis, & Gal. 6. Meth. cap. 8.*

Ossis verò optime coaptati signa sunt, vt inquit *Celsus lib. 8. cap. 10.* dolor sublatus, & quod tale membrum alteri corpori ac sanæ parti in debita figura ac longitudine correspondeat.

Signa ossis optime coaptati.

Optime coaptatis simul partibus, ad secundam Intentionem deueniendum, id est ad vnitas iam partes immobiles conseruendas, quod fit conuenienti ligatura siue fasciatura, quæ fieri debet in ea figura situato membro, in qua manere debet. Quoniam si alia figura vinciretur, alia postea situaretur, non solum dolor excitari posset, sed etiam ossa intorqueri, Membrum ergo ea figura situandum, quæ consueta, & naturalis sit, & à dolore maxime aliena, quo nec Phlegmonem particula contrahat, & æget persistere in vna ea, immotus diutissime possit. Sub eadem ergo figura membrum deligandum, & ad quietem reponendum ac conseruandum.

Membri situatio.

Fasciarũ conditiones.

Fasciæ verò, vt Hipp. 2. de Medici Officina inquit parari debent leues, tenues, molles, mundæ conuenientis latitudinis ac longitudinis, sine futuris, sine eminentijs, ita valentes, ne extentæ rumpantur, & paulo amplius, non sicce, sed eo humore madentes, qui singulis sit idoneus.

Debent ergo fasciæ esse leues, ne affecta pars oneretur, tenues, vt leuiores sint ac molliores, molles ne premant, vtque facile per eas, si quid infunditur, transire possit, Mundæ ne ob sordes sensum mordentium excitent, ne ve humor, qui superinfunditur, vim penetrandi vsque ad cutem prohibeant, debent esse conuenientis latitudinis ac Longitudinis, affectarum partium latitudine ac crassitie inspecta, sine futuris ac Eminentijs esse debent, ne dolorem excitent, ac ne magis in vna parte, quam in alia membrum comprimant. Debent esse validæ, vt contineant, & ne in opere frangantur, & non debent siccæ adhiberi, quoniam ea ope carent, quam afferunt madefactæ comprimendo ipsas partes, quibus superdantur, earumque calorem augent, atque ea de causa proximorum locorum humores euocant ad affectam sedem, quod cum Tumores excitet cuius constat, maximo esse detrimento, vt inquit Gal. in eius textus Com. Præparatis ergo conuenientibus fascijs, ita pars vincienda, vt ossium capita optime commissa seruentur, & humorum confluxus ac Inflammatio prohibeatur, & quomodo fieri debeat. *Hipp. lib. 1. de Fracturis nos docet, dicens.*

Quomodo pars vinciendа.

Post hæc fascia alligare, capite, quà fractura est, iniecto, sic, vt insideat, non tamen vehementer adstringat. Vbi super fracturam iterum, aut tertio circumierit, sursum feratur, vt fluens sanguis retineatur, atque ibi subsistat, & prior Fascia longa ne sit hæc sapientissimus senex. Primæ igitur tres circumuolutiones super fracturam sunt faciendæ, ad ossium capita stabilienda, & sanguinem ab affecta parte exprimendum ac ad inflammationem arcendam, non tamen ita arctari, vt dolorem laboranti afferant, cum quilibet dolor, cum perseuerat, præsertim cum ex compressione fit, Inflammationem concitet; Maxima igitur diligentia est opus in fascijs arctandis, & cum Vincula injicimus, patientem interrogare debemus, qualem circumdatam fasciam sentiat, & si premi se dixerit, laxare oportet, & si vinculum ita laxum affirmet, vt iniectum minime sustineat, adstringere est opus. Moderatè ergo fasciæ adstringi debent,

Notandū & magis in parte fracta ſtringi ac coarctari, quam alibi, vt fracta pars ab humorum defluxu magis defendatur. Notandum etiam, *vt Gal. in Com. inquit*, quod quæcumque corpora robuſtiora ſunt ac duriora, vinculum ſubſtinet arctius adſtrictum, quæ verò infirmiora ſunt, & molliora, lenius adſtringi debent, vbi prima faſcia ſupra fracturam tres circumuolutiones fuerint factæ, ſurſum circumuoluenda, vt bonam membri partem comprehendat, atque ibi deſinat, & hoc, vt Hipp. inquit, faciendum, vt ſanguis prohibeatur, quo minus à ſuperioribus membri partibus deſcendat, & non ſolum hac vinciendi ratione ſanguis, qui fluit, coerceatur ſed qui iam fluxit, & circa fracturam coit exprimatur. Deinde inquit Hipp. quod ſecunda faſcia primum ſuper fracturam inyciatur ac ſemel ſuper ipſam circumeat, tùm deorſum demittatur, & lenius aſtringatur, atque ex maiori interuallo circumdetur, vt poſſit relata ad eam partem quæ prior deſinit peruenire. Vult etiam vt ſecunda faſcia primum ſuper fracturam inyciatur, ac deorſum tendat, vt etiam à fractura ſanguis deorſum exprimatur: Debet minus ſecunda faſcia adſtringi, & ex maiori interuallo circumdari, quoniam ab inferiori parte minus eſt periculum influxus humorum ad affectam partem, & ne in membri extremitate inflammatio excretur, quod accideret, ſi ſecunda Faſcia magis adſtringeretur. Poſt quam membrum in inferiori parte fuerit circumuolutum ſurſum circumuoluenda Faſcia, vt finem habeat, vbi prior finitur, & hoc fieri debet, vt maior expreſſio ad ſuperiores partes fiat, cum maior ſit timor de humorum deſcenſu, quam de aſcenſu, & ideo, vt duplo longior ſecunda faſcia, eſt opus, & hæduæ primæ Faſciæ præcipue ad humores ab affecta parte exprimendos, & ad Inflammationem arcendam deſeruiunt, de qua maxime dubitare debemus tùm ex illa in diuerſum vulſione, quam, vt oſſa in proprium locum reponantur, adminiſtrauimus, tùm magis etiam ex eo, quod cauſæ, quæ Fracturam faciunt, plerumque circundatam oſſibus carnem conſtirpando contundendoque prius leduut, vt *Gal. 6. Meth. cap. 5. inquit*. Ad quam verò partem dictæ Faſciæ attrahi debeant idem Hipp. inquit, dicens, Attrahere vero faſcias in hoc caſu, vel à dextera debemus, vel à ſiniſtra, pro vt ab hac, vel illa parte ad fracturæ habitum atque inclinationem in hanc, vel illam regionem confert; Priores ergò duæ faſciæ à contraria parte attrahi ac circumuolui debent, in quam membrum inclinat ac conuertitur vt in debita figura partem ſeruet. Niſi verò in vllam partem inclinet membrum, contrario modo obuolui primæ faſciæ debent, vt ſi prior verſus dexteram, altera verſus ſiniſtram obuoluatur, & hoc faciendum, vt ſi quis muſculus per primam Faſciam ad partem aliquam ſit attractus, per ſecundam in contrariam partem ductum reſtituatur.

Poſt hæc inquit Hipp. Panni ſuperaddantur modico cerato inuncti, ſi quidem leniores ſunt ac ſtabiliores; Dicti panni debent eſſe duplicati, vel triplicati, & anguſti, & plures parari debent, qui ab aliquibus Splenia, & Plagulæ etiam dicuntur. Apponi ergo debent dicti panni tot, quot requiruntur ad Fracturam ſtabiliendam, vtque glutinantis Medicamentis vim ſuppleant, & contraria ratione ac Faſciæ applicantur. *Splenia ſiue Plagulæ cur & quomodo apponi debeant.*

Illæ enim ſerpunt circa membrum tranſuerſæ, Panni verò in longitudinem dandi, & eius longitudinis ſint, vt vniuerſum Vinculum ex ambabus prioribus Faſcijs excipiant, & inter ſe diſtent per ſpacium vnius, vel duorum digitorum. Debent verò modico Cerato inungi, quia fluerent ſi copioſo cerato inungerentur, & non continerent, ac ſtabiles non eſſent, & ſi paruum inungerentur, ſubiectis Faſcijs minime coirent.

Cum Ceratum muneris Glutine ſungatur, ac etiam Phlegmonem prohibeat. Non debent verò dicti panni ſicci apponi, quia comprimerent, & Cerati modica inunctione leniores fiunt, & ſtabiliores; Leniunt etiam dicti Panni dolorem dum Faſciarum ſupra poſitarum compreſſionem prohibent.

Quomodo dicti Panni apponi, ſiue ſplenia firmari ac vinciri debeant, poſtea nos docet Hipp. dicens: Hi Faſcijs alligandi ſunt inter ſe aduerſis, alijs à dextera parte, alijs à ſiniſtra, plurimum ab inferiori parte ſurſum ductis, aliquatenus à ſuperiori deorſum. Aduerſæ ergo ſemper ſecundæ Faſcię inter ſe procedere debent, ideſt

ideſt vt vna quidem à dextera parte, altera à ſiniſtra circumagatur, ſimiliter, vt inquit Gal. in com. altera à ſuperiori, altera ab inferiori ſic enim, quia inter ſe aduerſæ ſunt, vinculum, qualæ acceperint potiſſimum ſeruabunt. Quare quatenus à dextera parte, vel ſiniſtra procedunt, iunctura ex toto fit æqualis. Quatenus verò à ſuperiori vel inferiori feruntur, altera non longe alteram excedit, ſepius tamen circuit, quæ ab inferiori parte ſurſum tendit; Hoc ſiquidem tutius eſt, vt ab affecta parte humores ad ſummum Membrum exprimantur.

Illa verò membra, quæ in extremitate tenuia ſunt, pannis in orbem ductis, & pluribus faſciæ circuitibus paulatim, & proportionatim implenda ac æquanda. Et ſemper memoria tenendum, quod faſciæ magis ſupra affectam partem, quam alibi adſtringi debent, vt ab humorum defluxu affecta pars illa ſeruetur. Et præcipue non debent adſtringi faſciæ, immo laxæ eſſe debent in membrorum extremitatibus in Articulis, ne dolorem inferant, & ne copioſam materiam ad illas partes exprimant, ac confluere faciant, quæ poſtea confluxa ob partium illarum imbecillitatem, difficulter reſoluitur. Pars fracta deinde molliter ac æqualiter locetur, ac contineatur, & altius excitata, quæcumque extant in corpore, cuiuſmodi eſt Calx & Coxa, ita vt neque curuentur, neque peruertantur, vt inquit *Hipp. lib. 3. de Medici Officina.*

Pars affecta quo modo ſituanda.

Quomodo affecta pars ſituari debeat, *Gal. 6. Meth. cap. 5.* optime explicauit, dicens, expedit enim, vt in rectiſſima atque à dolore alieniſſima forma membrum, tùm retrorſum trahas, tùm in naturalem habitum coaptes multoque etiam magis, vt ſub eadem figura tùm deligas, tùm ad quietem reponas. Si quidem ſub alia deligare, in aliam verò mutare, non dolorem modo incitare poteſt, verùm etiam oſſa intorquere, cum vbi alia figura membrum ligatur, alia poſtea ſituetur, ex muſculis aliqui tenduntur, ac veluti contracti retunduntur, ali ſoluuntur ac remittuntur. Vbi ergo muſculi tenduntur, tùm premios à deligatura eſt neceſſe, & ex compreſſione, vt dolor oriatur; Vbi verò tenſio remittitur, ea in parte deligaturam eſſe laxam, Fracturamque fulcimento deſtitui oportet.

His ergo de cauſis præcipue ſtudendum eſt, vt in rectiſſima cuiuſque partis figura membrum extendatur, oſſa componantur, deligetur, & affecta pars ſituetur, & rectiſſima cuiuſque partis figura eſt, quæ maxime à dolore eſt aliena, & æger in vna ea diutiſſime immotus perſiſtere poſſit, & Arteriæ, Venæ, & Muſculi rectiſſimi ſint poſiti.

Rectiſſima partis figura qua ſit.

Celſus, vt apparet lib. 8. cap. 10. ad fracturas ſtabiliendas ſex faſcijs vtitur, & ante duas primas faſcias iubet, vt membrũ duobus vel tribus pannis Oleo Roſaceo, & Vino madefactis inuoluantur, deinde duæ primæ faſciæ, ſicuti Hipp. inquit, circundentur, & ſuper ambas faſcias vult, vt vice Plagularum ab Hipp. inſtituarum, circundetur Membrum latiore Linteo Cerato inuncto, vt faſcias contineat, & ſi qua parte os emineat, triplicatus, vel multiplicatus pannus eodem Vino, & Oleo madens obiciendus, & deſuper aliæ faſciæ vſque ad ley circumdandæ ſic, vt inſequens ſemper priori aduerſa ſit, & tertia tantùm in parte inferiori, & reliquæ omnes in ſuperiori ſiniant, quia, vt inquit idem Autor, ſatius eſt ſepius circuire, quam adſtringere, cum ex validiori adſtrictione pars alienetur, ac ſepe Gangrena afficiatur. Vt verùm fatear, vtrique hi deligandi modi optimi ſunt; Sed Hipp Deligatura, vbi nullus, vel exiguus dolor adeſt, magis præſtat; Vbi verò alicuius momenti dolor partem infeſtat, Celſi deligatio magis prodeſt. Aliqui Linteorum vice, ſubtili ac bene pexa Stuppa Vino nigro auſtero madefacta vtuntur ad partem roborandam, & inflammationem arcendam, vel ſi pars dolore vacet, quando tantum partem ſtabilire volunt, Oui albumine ſtuppam madefaciunt.

Quomodo Celſus oſſa fracta ſtabiliat.

Bonæ verò Deligationis indicia ac ſigna ex pluribus, vt Hipp. primo Libro de Fracturis inquit, deſumi poſſunt; Primum ex ægri querimonia vbi, num præmatur rogauerit, atque is reſpondeat, ſe premi quidem, ſed leuiter, tòque præſertim, qua Fractura eſt. Hæc itaque ſic habere, neceſſe eſt fateatur, qui recte eſt alligatus. Si verò patiens abunde ſub Faſcijs vrgeatur, celerrime ſoluendæ ac aptius

Signa bonæ deligationis

deligandæ, ne ex arctiori vinculo superius dicta Symptomata eueniant. Sin Fasciarum circuitus iuxta laxiores fuerint, & nihil se premi respondeat patiens, arctius vinciendæ, cum laxa vincula non prohibeant membrum, quo minus, à qua fractura est, deprauetur.

Alia moderatæ deligaturæ signa sunt. Si eadem die ac nocte, quâ deligatus fuerit, ipse sibi videatur, non leuius sed valentius adstringi; Postridie verò tumor mollis ac paruus in membri extremitate oriatur; Paruitas enim tumoris ac mollicies aliquid sub vinculo ab affecta parte ad membri extremum esse expressum indicat. Si verò nullus tumor appareat, non satis fuisse adstrictum, indicat, & si tumor magnus ac durus, idest qui tactui non cedat, in membri extremitate adsit, valentius arctatum fuisse indicium præbet.

Labente iam die, quando moderatum fuerit vinculum, minus adstrictas fascias sentiunt. Sed tertia die penè resolutas, & hoc euenit, quoniam, vbi membrum fuerit recte alligatum, contrahitur, quod manifestè in omni fractura perpetuum conspicitur, vt ipse *Hipp. & Galenus testantur*.

Fascia quando resoluendæ.

Tertia die à prima deligatione facta, ex Hipp. mente Fasciæ resolui debent, & hoc faciendum, tùm quia fasciæ laxiores sunt redditæ, cum ad pruritum deuitandum, qui ob humores ac vapores, ob deligationem exalare prohibitos, & acriores redditos, ita intollerabilis excitatur, vt in dolorosam excoriationem ac Inflammationem terminetur. His ergo de causis tertia die fasciæ resoluendæ, & pars pruritu infestata sepe, si æstas fuerit, Aqua calida persundenda, & si Hyemps, Hydreleo, & hoc faciendum ad educendos succos in affecta parte existentes, qui tenues sunt, serique naturam habent, ac digestionem requirunt, & simul etiam ad dolorem læniendum ac pruriginem sedandam. Vbi verò nec dolor, nec prurigo ægrum affligat, ac omnia signa adsint, ex quibus Fracturam recte se habere comprehendere possimus, etiam quarta quoque die ac quinta; Hyeme præsertim, soluere possumus, potissimum in Rusticis, qui lauari non consueuerunt, in mollioribus corporibus, & lauari assuetis, sepius soluēdi.

Postea rursus, vt superius fuit dictum, membrum deligandum, & super fracturam semper magis adstringendum, & alibi pro ratione, & quò longius vinculum à fractura procedit, eo lenius arctari, nunquam verò ex toto laxari, sed adherere debet, ac si primis diebus moderatè deuinxeris, paulo magis postea fascias adstringes, inquit Hipp. & sic bene, & commode deuincto membro, nisi pruritus, vel Vlcus, vel Dolor, vel quid aliud infestet, vsque ad septimam diem detinendum. Septima die rursus membrum soluendum, & calida Aqua perfundendum, & tunc temporis, quando debito modo fuerit deuinctum, tenuior, & gracilior conspicitur, & perrupta ossa facilius tractantur, magisque ducuntur, vt dirigantur. Cum ergo hæc ita se habeant, nisi fractorum ossium capita recte fuerint commissa, sunt dirigenda, & iterum, vt superius fuit dictum, duabus fascijs primum pars vinciendæ, & paulo amplius, quam ante fasciæ adstringendæ, nisi tumor, qui in extremitate est, maiorem afferat dolorem. Et tunc temporis supra dictas ambas Fascias plagularum, siue pannorum triplicatorum, vice, ferulæ sunt imponendæ, quæ vt *Hipp. inquit lib. 3.* de Medici Officina, leues sint, idest non asperæ ac distortæ, ne partem comprimant ac Vinculum peruertant, ab extremitatibus etiam sint resimæ idest leniter derasæ ac retusæ, & ab vtraque parte vinculo paulo breuiores ne vltra ipsum vlla in parte cutem tangant, quæ sepius intumescit, cum humorem admittat sub fascijs depulsum, & debent esse crassiores, qua fractura extat, cum hic locus maior compressione egeat. Fieri ergo debent ex leuigatis subtilibus Lignis, vt sunt Laminæ illæ, ex quibus Ensium vaginæ fiunt, vel paulo crassiores, quæ Stuppa sunt obuoluendæ, & in orbem vnius Digiti spacio inter se distantes Fracturæ circumdandæ, prius tribus Linteis Oleo Rosaceo madentibus duabus primis fascijs circumdatis, si Membrum crassitudine æqualæ fuerit, & si fuerit inæqualæ, cauis partibus Linteis, vel Fascijs repletis vndique Membrum æqualæ, vt Ferulæ rectè applicari possint, reddendum, & desuper fasciæ alligandæ admodum laxe, sic, vt circumdatæ ferulæ

Ferulæ quando apponendæ, & quomodo esse debent.

con-

contineantur, nec quidquam partem adstringant, ac comprimant, sed vt totum immobile, ac in debita figura membrum seruent, ac vinculum tueantur. Pleniores verò adhibendæ ferulæ ab ea parte, qua fractura extat, non multo tamen, ob rationes superius adductas, & numquam ferulæ ad iuncturas peruenire, neque eminentia ossa in iuncturis existentia tangere debent, quoniam dolorem afferre, Vlcus excitare, & Neruos nudare possent, tertia quoque die, si vinculum laxum sentiant, ferulæ paululum magis arctandæ, potissimum vbi fractura est, atque alibi pro ratione, idest quo longius à fractura procedimus, eo lenius arctari, numquam verò ex toto laxari, sed, vt diximus, adherere debent; Tunc temporis ergo ferulæ applicandæ, & non prius, quoniam ante septimum magis Inflammationi prohibendæ operam dare debemus, quam fracturæ stabiliendæ, post septimam verò contrà. Sed post septimam, si sub prioribus vinculis ossa optime directa compositaque appareant, neque prurigo infestet, neque vlla exulcerationis suspicio, neque aliud prauum Symptoma adsit, vsque ad vigesimum diem alligatæ ferulæ manere debent, ex Hipp. sententia, & affectum membrum semper commode, collocandum, vtque molliter, & equaliter ac in summa quiete maneat, idest, ne præmatur ac dolorem inferat, & ne distorqueatur, & membri extremum potius sursum quam deorsum tendat, ne sanguis in imum fluat ac retineatur. Si post ferularum applicationem, dolor superueniat, vel exulcerationis suspicio adsit, aùt vereamur, ne fractura male sit composita, aut si casu aliquo interueniente membrum motum sit, soluere vinculum ante vigesimum diem debemus, & cuilibet ex his, vt est opus, succurrere, & rursus deuincire prestat.

Post vigesimum, omnibus recte procedentibus, membrum soluendum, & calida Aqua persundendum, vel, vt Dioscorides inquit, Decocto corticis Vlmi in Aqua facto fracta pars fouenda, cum huiusmodi decoctum ossi, quod iam agere Callo videtur, maxime prosit, & rursus Fascijs lenius, quam antea adstrictis alligandum, vt nutrimentum ad fracta ossa magis confluere, & Callum nutriri de firmum reddi possit; Vbi verò altus Callus radices egerit, non solum lenius adstringendum, sed etiam pauciores Fasciæ iniciendæ, & tertia quoque die rursus soluendum, ac calida Aqua, vel dicto decocto Membrum persundendum, vt materia attrahatur, & semper laxioribus fascijs, & paucioribus vinciendum, & quemadmodum ab initio fascijs multis atque adstrictis materiæ confluxum prohibere, & ab affecta sede ad alias corporis partes auertere studemus; Ita vltimis curationis diebus, & Aquæ calidæ perfusione, & laxioribus fascijs, & paucioribus nutrimentum ad affectam partem euocare debemus. Aliqui à principio ferulas applicant quod etiam fieri potest, sed animaduertendum, ne vllo pacto comprimant, ac Membrum adstringant, sed ita laxæ vinciendæ; vt tantum membrum rectum, & coaptata ossa in propria sede conseruent.

De partis substantia salubri conseruanda.

VT Scopum Tertium consequamur, qui est partis substantiam salubrem conseruare, ijs Medicamentis vti debemus, quæ influentes humores repellant, cum facilitèr ob partis imbecillitatem ab affectum locum confluant, ac similitèr influxam materiam exiccent, ac resoluant, & substantiæ partis salubritas maxime necessaria est, cum os vniri nequeat, nisi pars sit sana.

Quæ verò sint huiusmodi Medicamenta, à multis Autoribus multa ac varia proponuntur, sed in eorum vsu scopi sunt considerandi, & quid magis vrgeat; Idest si dolorem lenire magis debeamus, vel Inflammationem prohibere, vel substantiam partis salubrem conseruare; Similitèr anni tempus perpendendum, Corporis habitus, Aetas, & Fracturæ magnitudo.

Si Dolor igitur vrgeat, applicandum Ceratum ab Hipp. propositum, quod fit ex Cera, & Oleo Rosacco, vel Myrtino,

quod ratione Olei dolorem lenit, & adſtrictionis ratione inflammationem prohibet, ac fracturam ſtabilit. Debet ergo dictum Ceratum ſupra latum Linteum extendi quod liquidum eſſe debet, vt magis Inflammationem coerceat, & Linteum eius ſit magnitudinis, vt etiam aliquid ſanæ partis comprehendat, & ante deligationem ſupra denudatum membrum applicari, & ſupra hoc Ceratum ad Inflammationem arcendam, aliquod Linteum Vino nigro auſtero madidum, & expreſſum apponi debet; Non tamen liberaliter dictum Ceratum ſupra Linteum extendi debet, ne falciæ ſuperinnatent, vt Hipp. inquit, neque in tam pauca quantitate, vt iniecta Lintea ſiccescant, prius quam tertio quoque die reſoluantur.

Deinde, vt ſuperius fuit dictum membrum faſcijs Vino nigro auſtero, vel poſca imbibitis, & expreſſis, vt firmius teneant, ac humorem reprimant, vinciri debet. C. Celſus huius Cerati vice Linteis Vino, & Oleo Roſaceo maditis vtitur & eſt optimum Medicamentum, & ſi iuxta Articulum fractura ſit, iubet, vt non ſolum ſupradicta fiant, ſed, vt diu inſtilletur vinum cum pauca portione Olei Roſacei mixtum, & hoc faciendum donec Inflammationis ſuſpicio præterierit vt inquit idem *Autor lib. 8 cap. 10.*

Alij Oui albumine Oleo Roſaceo, vel Myrtino mixto Pannos madefaciunt; Sed ſi Inflammationis ſuſpicio magis vrgeat, ac dolor prauus ſit, vt Inflammationem arceamus, & fracturam ſtabilem reddamus, operam dare debemus. Ideo apponemus Medicamentum, quod fit ex Vino, Oleo Roſaceo, Quorum albuminibus, & adſtringentibus pulueribus, ad Mellis craſſitudinem redactum, & ſuper latum Linteum, vel ſubtiles ac bene pexas ſtuppas extenſum applicandum; Et huiuſmodi pulueres ſint Boli Arm. Sang. Drag. Balauſthiorum, Myrtillorum Roſarum rub. & ſimilium; Et niſi vllus adſit dolor, abſque Oleo tale Medicamentum componere poſſumus. Et ſi ægrotantis habitus fuerit durus, tempus æſtiuum, & fracturam magna, ſolo Oui albumine, & dictis pulueribus Medicamentum componere poſſumus, addendo pulueres Malicorij, Gallarum immaturarum, farinam volatilem, & Hypociſtidis ſuccum, & hoc Medicamentum præcipue competit, quando Callus generari incipit. Alij totum Membrum Oleo Roſaceo calenti, vel Myrtino, vel Maſtichino à principio iungunt, & pulueres Maſtiches ſuperaſpergunt, & deinde ſuperponunt ſubtiles, & bene pexas Stuppas Oxicrato prius imbibitas, & expreſſas, deinde oblinitas Oui albumine mixto cum pulueribus Boli Armenij, Terræ ſig. & farinæ volatilis, quibus Linteum Oxicrato imbibitum ſuperponunt, deinde vinciunt, vt ſuperius fuit dictum.

Pulueris adſtringentes.

His omnibus rite actis, cum nulla amplius Inflammationis ſuſpicio adſit, ad Quartam intentionem deueniendum, quæ vt diximus, eſt Calli generationem adiuuare. Quo verò tempore Callus gigni incipiat, nihil certi præſcribere poſſumus, cum in alijs citius, in alijs ſerius, ſecundum ætatis rationem, corporis habitum ægrotantis vires, fracturæ magnitudinem, Regionem, & Anni tempus generari ſoleat. Calli igitur generatio his notis depræhenditur, Dolor qui prius aderet ſedatur, Aſperitas remouetur; In fracto membro bonus, ac natiuus color aſſloreſcit, & nulla Inflammationis, ac Tumoris præter naturam ſuſpicio adeſt. Generatur verò Callus, vt ſuperius fuit dictum *ex Galleni mente 6. Methodi cap. 5.* ex proprio oſſis alimento, quod à fracturæ labijs exudat, & circa fracta oſſa concreſcit, & ſuo ipſius interuentu illa quoque conglutinat, & ita temporis tractu huiuſmodi Callus ſolideſcit, vt tamquam, ſi os fractum non eſſet, validum redditur, & ſi iterum frangi contingat, potius in alia parte, quam vbi eſt Callus frangitur. Huius ergo Calli generatio, & internis ac externis præſidijs adiuuari debet, & præcipue victus ratione.

Callus ex quo fiat.

Victus ergo ratio in fracturis abſque Vlcere, & oſſis nudatione in principio obſeruanda, vt ex Hipp. primo Libro de fracturis elicitur, ſi tenuis vſque ad decimam diem, præſertim cum quieſcunt, à Vino ergo, & Carne ſe abſtineant, & concedi poſſunt mollia Obſonia, quæcumque modice Aluum deiciunt, ſicuti ſunt Beta, Malua, à triplex, Cucurbita, Piſces petroſi, Puſſana Hordeacea, & ſimilia quæ parum

Victus ratio quæ.

parum nutriunt. Et si etiam fuerit opus, in principio Vena secanda, & superuacua per ventrem Medicamento euacuanda, vt Gal. loco superius citato inquit. Post decimam diem paulatim se reficiant, & non repente, & quo tempore Callus gignitur, idest circiter duodecimum, vel decimum quintum à Fractura diem nutriendum corpus est cibis boni succi, qui multum nutriunt, ex quibus prouenire succus soleat non solum bonus, sed etiam tenax, ex quo fieri Callum maxime expedit; Huiusmodi verò sunt Pedes, Capita, & Ventres Animalium, vt Hedorum Veruecum, & Vitulorum; Competit similiter Oriza, Frumentum in Aqua coctum ad pultis formam redactum, & similia. Pro potu vinum crassum nigrum ac stipticum concedi debet.

Per os etiam Medicamenta, quæ ad Calli generationem conferunt propinari possunt, sicuti est succus siluestris Consolidæ, Primulæ veris dictæ, vel Radicum Agaimoniæ, vel cuiuscumque Consolidæ pluribus diebus potus, vel earum Radicum puluis, idest Consolidæ, & Agrimoniæ in Vino sumptus ad pondus dragm. 2. vel. ℞. Aristolochiæ, Cyclamini, Serpentariæ, vtriusque Consolidæ, Geranij an. M. 1. Sabinæ M. S. Macis, Zedoariæ an. vnc. 5. Mumiæ, Galangæ min. an. drag. 2. 5. Herbæ minutim incidantur, & crassomodo contundantur, reliqua in crassiusculum puluerem reducantur, & omnia in Vino q. suff. S. A. in duplici Vase coquantur, de quo patiens mane, & sero bibat, & hæc in Callo generando augendo, & consolidando maxime valent.

Externis, & Topicis Med. etiam Calli productio adiuuanda, vt profusionibus, siue Fomentis, Emplastris, & conuenienti vinculo, profusiones enim fiunt, quando Vincula soluuntur, & antequam Emplastrum applicetur, & membrum deligetur, quæ sint ex calente Aqua, vel ex decocto Foliorum Myrti, Rosarum rub. Abfinthij, Balaustiorum, Nucum Cupressi, Radicum, & Corticum Vlmi, Radicum, & Foliorum Fraxini, similiter ex Succo foliorum vitis albæ, & his similibus Empl. in Adultis fiant ex subtilibus pulueribus Thuris, Mastiches, Sarcocollæ, Acaciæ, Aloes, Myrrnæ, Tragaganthæ, Gallarum, Nucum Cupressi, Ladani, &

Empl. quibus fieri debent ad Calligen.

Farinæ volatilis an. part. æqu. & cum Ouorum albumine q. suff. mixtis, quod super Linteum extendatur, & applicetur. Infrascripta etiam ad Callum siue porum gignendum maxime valent.

neration. adiuuandã

℞. Farinæ Triticeæ vnc. 6. Pul. Sang. Drag. Mastiches, Thuris, Sarcocollæ an. vn. 1. Ouorum albuminis q. suff. M. & fiat Med. ad Mellis consistentiam, quod super Linteum extendatur, & applicetur.

Vel ℞. Farinæ Triticeæ vnc. 6. Gummi, Mannæ Thuris an. vnc. 2. M. & omnia in Aqua incoquantur, & S. A. fiat Catapl. & applicetur, & hoc reprimit, continet, & Calli generationem adiuuat.

In puerulis solum fit Empl. ex Farina volatili, & Ouorum albuminibus simul mixtis, in corporibus mollioribus, vt mulierum, & in delicijs educatorum fieri Emplastrum potest ex pulueribus constrictiuis, Farina violatili, & Ouorum albuminibus, alij tempore æstiuo Calli generationem adiuuant Emplastro Diapalma dicto, & alijs temporibus Emplastro Oxicrocio, vel Barbaro, quæ sunt calidiora Vincula non sicuti prius esse debent, vt humores ab affecta parte exprimantur, sed vt circa fracturam persistant, ac ibi concrescant. Laxiores ergo sint circumuolutiones, & fasciæ paulatim numero demendæ, & sicuti primis diebus vsque ad septimum fasciarum numerum augeri, & arctius adstringi debent, deinde ferulæ sunt imponendæ, & nisi quid obstet, vsq; ad vigesimum solui non debent vt producendi Calli firma basis statuatur vbi altius radices egit, nutrire Callum est opus, quod fit, quando materia ad ipsum deriuatur.

Euocatur ergo materia profusionibus, & fasciis lenius quam, antea adstrictis non prohibetur humorum confluxus, & tunc temporis tertio quoque die Vincula soluenda, profusiones faciendæ, & rursus laxioribus Fascijs, & paucioribus deuincendum.

Interim animaduertendum, vt Gal. loco superius citato inquit, vt Calli magnitudo ea sit, quæ, & ossibus tuto vinculo, sit, nec musculos tamen comprimat. Nam qui minor iusto est, hic ossa parum tuta reddit, qui maior est, dolorem musculis inuehit, mediocritatem igitur ad vnguem seruare Callus debet. Si ergo minor iu-

sto

ſto prouenit, promouendus, & ſi plus iuſto creſcat, inhibendus, quibus verò ſit occurrendum inferius dicemus.

Si verò nec augendus nec minuendus eſt Callus, ijs Medicamentis vti debemus quæ modice ſiccent, ac coagulare ac concreſcere Callum mediocriter faciunt, ſicuti ſunt illa, quæ cruentis Vulneribus adhibentur; Conuenienti Callo genito, ideſt qui neque maior, neque minor eſt neque mollior, neq; durior, quam oportet, neq; eſt diſtortus; confirmari debet Profuſionibus factis Vino in quo incocta ſint Balauſtria, Folia Roſarum rub. Myrtillorum Muſcus, qui veluti canicies quædam quercui inheret, Abſinthium, Vlmi cortex, & Radix, Nuces Cupreſſi, & id genus alij. Et in mollioribus corporibus profuſionibus minus adſtringentibus vti debemus, ne ex nimia adſtrictione Callus atteratur, in durioribus magis adſtringentibus infraſcripta etiam Callum confirmandi vim habent.

℞. Olei Roſacei vnc. 2. Ceræ vnc. 3. 5. Pulueris Reſinæ vnc. 3. Colophoniæ, Maſtiches, Thuris an. vnc. 5. Nucum Cupreſſi, Radicis Erythrodani an. dragm. 1. Croci dragm. 5. M. & S. A. fiat Ceratum, quod ſuper Linteum, vel Alutam extendatur, & applicetur, vel apponatur infraſcriptum Sparadrappum.

Sparadrappũ pro fracturis.

℞. Farinæ volatilis, Thuris, Picis, Maſtiches, Bolı Armeni an. vnc. 2. Sepi Arietini, Ceræ albæ an. vnc. 6. Cera, & Sepo ſimul liquefactis, reliqua optime commiſceantur, & in tali mixtura Linteum ſepius inculcetur latiſque inquinatum fracturæ imponatur.

Anim aduertendo ſemper, vt mollioribus corporibus minus ſiccantia ac adſtringentia adhibeantur; vt iuſtum Callum contrahant.

Signa concreti Calli.

Concreti Calli ſignum eſt, quod ſine Vlcere exudante ſanguine inficiuntur, & hoc fit, quia coactus Callus aſperginem ſanguinis è ſpongioſis oſſium cauernis foras extrudit, & hoc ſignum non neceſſario apparet, cum in aliquibus abſque hoc ſigno Callus concreſcat.

Fracturæ proſſium longitudinem factæ, vt inquit idem Gal. loco ſuperius citato, eodem pacto, ſicuti tranſuerſæ, curari debent; Cæterum comprimendæ faſcijs hæ magis in ipſo Fracturæ loco ſunt, tùm, quod receſſit, retrudendum introrſus eſt. Et hæc de quarto ſcopo ſatis. Modo ſupereſt, vt de Quinta agentes Intentioni finem imponamus.

De Curatione Symptomatum ac Affectuum præter naturam cum Fractura coniunctorum.

Cap. 2.

IN Fracturis curandis quinta intentio, vt ſuperius diximus, eſt accidentium ſiue ſuperuenientium Symptomatum, & affectuum præter naturam cũ dicta curationem prohibere ac retardare poſſint, & huiuſmodi ſunt Dolor, Inflammatio, Pruritus, Excoriatio, Callus iuſto maior, vel minor, membri deliberatio, & gracilitas, Deprauata figura, Gangrena Vulnus, & Vlcus.

Dolor quomodo leniẽdus ac curandus.

Si Dolor igitur aduenerit, ne ſit in cauſa, vt multi humores ad affectum locum confluant, & ibi Inflammationem, vel Eryſipela, vel quid aliud excitent, quam primum, eius cauſam auferendo, tollendus, vel Anodinis leniendus. Conſiderandum igitur ex qua cauſa oriatur, cum excitari poſſit, vel ab oſſe aliquo pungente vel ex faſcijs nimis adſtrictis, aut ex mala membri figuratione, aut ex vltra modum calidis Medicamentis adhibitis, vel ex humore ad affectam partem fluente, qui partes extendendo continuum ſoluat, malamque temperiem inducat.

Si propter os pungens Dolor infeſtet, tactu, & leui partis contrectatione, & ex pungente dolore, quem æger perſentit, dignoſcitur; Leniendus ergo eſt huiuſmodi dolor faſciarum remotione, aut relaxatione, & ſi fieri poteſt, os pungens extrahendus, ex *Celſi ſententia lib. 8. cap. 10. dicentis*. Interdum fractura quibuſdam veluti aculeis carnem vexat, quo à prurigine, & punctionibus cognito, aperire id melius, eoſque Aculeos præcidere neceſſe habet. Reliqua curatio in vtroque hoc caſu eadem eſt, quæ vbi ictus protinus intulit, puro iam Vlcere. Si dolor ex nimis adſtrictis faſcijs fuerit ortus, ex Tumore, qui in membri extremitate apparet, cognoſcitur, & æger vehementèr à faſcijs premi inquit; Tunc quamprimum faſciæ relaxandæ.

Si

Si ob malam membri situationem pars doleat, quam primum in debita ac indolente figura pars situanda. Si ex Medicamentis nimis calidis adhibitis contingat, ex carnis colore præcipitiur, & tunc Medicamenta immutanda, contractaque intemperies emendanda, & Vincula laxanda. Sic ex humorum defluxu pars doleat; Tumor, & Inflammationis signa apparere incipiunt. In hoc casu si membrum deuinctum sit, quamprimum soluendum, & Anodina applicanda; Succida ergo Lana Oleo, & Aceto simul mixtis, & coctis imbibita, & expressa circumponenda, vel fouenda pars Oleo Rosaceo simpl. calido vel Omphacino, in quo Vermes terrestres fuerint incocti, vel decocto Foliorum Maluarum, & Florum Chamemoli. Vel applicetur Medicamentum factum ex Ouorum vitellis, & Oleo Rosaceo ad Vnguenti consistentiam. Confert etiam calida Inunctio Olei Chamæmolini, & Lumbricorum simul mixti, & superpositio Lintei in Vino nigro austero calido imbibiti, vel applicetur Empl. factum ex panis medulla in Lacte cocta, Oleo Rosaceo, & Ouorum Vitellis simul mixtis. Vbi inflammatio vna cum dolore iam partem infestat, applicari potest Medicamentum factum ex Oleo Rosaceo cum Ouorum albuminibus mixtum, quod calidam intemperiem tollendo, dolorem lenit, & nisi inflammatio sit valde magna Oui lutea commiscri possunt, & huiusmodi Medicamentum poros aperiendo, & partem roborando dolorem sedabit, vel applicetur infrascriptum Catapl.

Tumoris & Inflãmationis curatio.

℞. Foliorum Maluæ, Violarum, florum Chamæmoli an. M. Rad. Altheæ vnc. 1. M. & omnia in Aqua coquantur, postea contundantur, & deinde adde Farinæ Hordei vnc. 4. Passi vnc. 3. Olei Rosacei, Violacei an. vnc. 2. 5. Vini nigri austeri, vel Aquæ Hordei, vel dictarum herbarum decoctique suff. & S. A. fiat Catapl. vel applicetur Catapl. factum ex Panis medulla, & Hordei Farina in Lacte, & Aqua coctis, & vltimo Oleo Rosaceo q. suff. addito, & hoc Catapl. repellit, dolorem lenit, resoluit, & omnia tandem efficit, quæ in tali casu sunt necessaria.

Calor max me quibus sedandus.

Si maximus adsit calor, infrascriptum Catapl. applicandum.

℞. Foliorum Violarum, Plantaginis, Lactucæ palustris, Balaustiorum an. M. 5. Florum Chamæmoli M. 1. Radicum Altheæ vnc. 3. M. & omnia in Aqua coquantur, deinde contundantur, & cum Oleo Rosaceo, & Chamæmolino q. suff. S. A. fiat Catapl. Si inflammatio fuerit in Declinatione, Resoluentibus pars fouenda, vt decocto Florum Chamæmoli, foliorum Saluiæ, Absinthij, Betonicæ, Calaminthæ, Rosarum rub. & similium, quæ si in albo Vino incoquantur, magis resoluet. Et animaduertendum ne, prius quam hæc sedata fuerint, pars arcte vinciatur, vel ferulæ applicentur, sed laxe admodum vinciendum, vt tantum membrum fulciat, & impositum Medicamentum contineat.

Si pruritus partem infestet, & ægrotantem torqueat, qui facilitèr ex ægrotantis dictis, & ex pustulis in cute apparentibus innotescit, quamprimum curandus ne scalpendo dolorosa partis excoriatio, vel materiæ fluxus ad affectum locum fiat. Curatur verò, eius causam tollendo, quæ est exigua, tenuis, salsa, & immota materia, vt inquit *Gal. 2. de Sympt. causis*. Fouenda ergo, & abluenda est pars calida Aqua, vt poris apertis dicta materia pruritum efficiens euacuari ac dissipari possit, & si volumus, vt valentius agat; Profusio vel fomentum fiat ex Aqua salsa, vel Marina calida, quæ propter salem magis expurgat, & poros aperit; Deinde inungatur pars Vnguento Rosaceo, vel Albo Camph. Et si cum pruritu maxima caliditas sit coniuncta diluantur dicta Vng. Aqua, vel Succo Plantaginis, vel Solani, vel dictis Vnguentis admisceatur populeum Vnguentum.

Pruritus quomodo curãdus.

Si dolorosa Excoriatio ob neglectum pruritum fuerit orta, refrigerantibus ac siccantibus occurrendum, vt Vnguento de Cerusa simpl. vel Camph. si tempus calidum sit, vel Vnguento Sandalino, vel vbi maxima caliditas sit coniuncta his vnguentum populeum commiscendum, vel simplici Vnguento populeo vti debemus alijs temporibus vti possumus Vng. de Minio, de Lithargirio, & his similibus, vel infrascriptum, quod roborat, dolorem, & Inflammationem prohibet, & Liuiori, & concerto sanguini, ob arctiorem Vinculum etiam prodest.

℞ Boli Armenij Terræ sig. an. vnc. 5. Cerusæ Lithargirij an. vnc. 1. Santali albi rubri

rubri an. drag. 1. Olei Roſ. vel Violacei vnc. 3. Ceræ vnc. 1. 5. Camphuræ drag. 2. M. & S. A. fiat Vng.

De Callo, ſiue Poro ſarnide iuxto minore augendo. *Cap. 3.*

SI Callus ſiue Porus ſit iuxto minor quod cognoſcitur, quia tactu, vel exiguus vel nullus Callus perſentitur, & pars ad motum imbecillis redditur augendus ac maior reddendus, & ſicuti, vel obtentum victus rationem, vel quia craſſis, & viſcidis cibis æger non fuit vſus, vel quia faſciæ nimis adſtrictæ fuerunt vel ob Medicamenta maxime adſtringentia applicata Callus iuxto minor fuit factus. Sic per pleniorem victum, craſſum, & viſcidum, mitioribus adſtringentibus Medicamentis, & faſcys laxioribus callus augetur; Sic profuſionum quantitate, & qualitate ad affectam partem humores attrahuntur.

Moderate igitur perfundenda eſt pars Aqua temperate calida, & idoneæ fricanda. Moderata verò profuſio erit, quando pars rubeſcit, ac in tumorem attollitur, & tunc deſiſtendum, prius quam reſideat. Primo enim ex Aquæ calidæ profuſione, pars attollitur, ac in tumorem aſſurgit naturali maiorem, tùm quia funditur ſanguis, qui in membro continetur, tùm quia à ſuperioribus partibus eo deſcendit. Poſt hæc frictiones ſimiliter lenes ſint, & non multæ, ex Med. ſimiliter quæcunq; emplaſticam ſubſtantiam habent, & modice calefaciunt, ea Callos tùm promouent tùm verò augent, Aqua ergo temperatè calida eſſe debet, vt tantum humores euocet ac attrahat, & euaporare non ſinat, quod fieret ex immoderata profuſione, & Aqua nimis calente, ex his enim pars attenuatur, quia multum ſanguinis diſcutitur tàm eius, qui à ſuperiori concurrit quàm eius, qui ibi ſubſiſtebat.

De Callo, ſiue Poro Sarcoidæ iuxto maiori corrigendo. *Cap. 4.*

ICallus ſit iuxto maior, quod cognoſcitur tactu, ac ex dolore, qui ob muſculorum ac Neruoſarum partiũ compreſſionem oritur, ob quæ etiam ad motum inepta pars redditur, præſertim ſi iuxta Articulum oſſa coaluerint, imminuendus, vtque hoc fiat, contrarius ſuprà dicto victus inſtituendus, pars arctius vincienda, & digerentes ac emollientes profuſiones faciendæ, & ſimilia Medicamenta applicanda, cum digerentia Medicamenta Callos imminuendi vim habeant, *vt 6. Meth. cap 5. Gal inquit*, Profuſiones primum conueniunt ex calido decocto Radicum Althææ, Foliorum Maluæ, Betarum, Melloti, & Florum Chamemoli, Deinde Empl. applicandum factum ex Radicibus, Foliis Maluæ, Betarum, & Melloti in Aqua coctis, & cum Axungia Anatis, vel Anſeris, vel Pulli S. A. mixtis Emollito Callo profuſiones ex decocto magis reſoluente faciendæ ſunt, vt Florum Chamemoli, Saluiæ, Parietariæ, Betronicæ, Scabbioſæ, Scordij, & ſimilium, & tamdiu huiuſmodi profuſiones faciendæ donec non tantùm pars rubeſcat ac in tumorem attollatur, verùm etiam deſideat ac corrugetur. Paulus, cum recens aduch eſt Callus, Med. admodum aſtringentibus, & arcto Vinculo Callum imminui inquit, quod efficit etiam Lamina Plumbea ſuperpoſita, & arcte alligata.

C. Cellus Callum imminui inquit, multa ac leui membri Frictione facta cum Oleo, Sale, & Nitro, & plurimo Aquæ calidæ ac ſalſæ fotu, poſt hæc Catapl. quod digerat imponendum, & arctius alligandum eſſe, inquit, & tenuiter, ideſt holeribus ægrum eſſe nutriendum, & præterea vomitu vtendum.

Alij, vbi lapidoſus ſit Callus, & Medicamentis imminui nequeat, inquiunt, quod ſuperpoſita entis eſt dividenda, & eminens Callus Scalpris, vel Terebris, vel quolibet alio Inſtrumento ad hoc apto excidendus, quod opus difficile, & periculoſum eſt, præſertim ſit Callus ſit iuxta Articulos. Vbi Callus fuerit imminutus, & ad mediocritatem redactus, pleniori victu æger eſt nutriendus, & hæc de Calli imminutione.

De

De Membri Gracilitate, & Callo debito tempore non genito. Cap. 5.

SI valde gracile Membrum reddatur ac remaneat, vel Fracturæ nullus Callus, vel valde tenuis supra definitum Naturæ tempus obducatur, quod fieri potest, vel ob nimiam fasciarum adstrictionem ac multitudinem, vel ob immodicas profusiones, vel ob viscosi, ac crassi alimenti penuriam, vel quia totum corpus non sufficientèr alitur, & ideo etiam Membrum gracilius euadit, vel ob assiduas solutiones, vel ob intempestiuum motum simul ossa ferruminari, & Callo colligari nequeunt. Quando hæc accidunt, copiosius alimentum submini strandum, vt maciei occurratur; Vtque Callus gigni possit. Alimenta sint ex ijs, quæ crassum, & viscidum succum gignunt, vt superius fuit dictum, pars Aqua temperate calida fouenda, vel Iure Carnis, talisque profusio moderata sit, vt tantum ad partem humores euocet, & non illos resoluat, ac euacuet, & laxius pars vincienda.

Conuenit etiam Picatio, quæ fit nigra Pice supra Linteum ducta, & parti mulcties applicata, & violentèr, & velocitèr ablata, vt ratione adherentiæ, & Pilorum euulsionis ac doloris alimentum attratur, & post dictam Picationem Aqua moderatè calida Profusio facienda, & pars vincienda, inquiete collocanda, ac conseruanda. Si verò Ossa propter frequentem solutionem vel motionem non conferbuerunt, & iam diuisa permanserunt, & inueterata sunt, Membrum extendendum, ne aliquid ledatur, Ossa inter se Manu diuidenda, vt concurrendo exasperentur, vel si quid pingue est, eradatur, totumque id quasi recens fiat, magna tamen cura habita, ne Nerui. Musculique ledantur, tùm Vino fouendum est in quo Malicorium in coctum sit, imponendumque idipsum Oui albumine mixtum deinde, vt superius fuit dictum curandum, inquit *Celsus lib. 8. cap. 10.*

De curatione Omnium male ferruminatorum. Cap. 6.

SI distorte, & diuerse inter se Ossium capita conseruere, & Callo firmata fuerint, vel quia bene ossium capita à Medico non fuerint coaptata, aut propter prauam deligaturam aùt propter ægri inordinatos motus. Videndum vtrum Membri lesio in suis motibus sit magna, vel parua, ægrotantis ætas similitèr consideranda, vires, ossis fracti magnitudo, & Calli mollicies, vel duricies; Si membri functiones non sint valde lesæ, æger forte sua sit contentus; Si verò difficillime Membri functiones fiant, & Membrum breuis ac indecorum sit, & continuo punctiones ob acuitatem capitum ossium non recte compositorum, persentiantur, & Callus sit tener, & non vltra sex menses radices egerit, & æger iuuenis sit, & validus, & os fractum non valde magnum, frangere rursus, & dirigere id oportet. Si verò Patiens sit Senex ac debilis, Callus vetustus, & os fractum magnum, noua fractio nisi cum maximo Patientis periculo fieri potest; Quod opus recusare Medicus debet, & si sit coactus hanc actionem facere, periculum predicere debet; Sed melius est Manum illi non admoliri, vt Alburasis inquit, & Auicennas scriptum relinquit; Satius est enim, vel claudum, vel deformem multos viuere annos quam post ingentem crudelis Cheirurgi penam cruciatumque inter eiusdem manus miserrime mori. Ante quam ergo ad fractionem deueniamus, Callus multis diebus emolliendus calidis fomentis, siue Profusionibus factis ex decocto foliorum Maluæ, foliorum, & Radicum Altheæ, foliorum Citruæ, Caricarum ping. & carnium ping. ac similium. Conferunt etiam ad Callum emolliendum multæ fractiones factæ cum Digitis Oesypo inunctis, vel liquido Cerato, postea applicentur Cataplasmata facta ex Foljs Cicutæ cum sulla Axungia, vel ex Radicibus Altheæ, foliorum Maluæ, Caricarum ping. Pinguedinibus, & his similibus Callum emollientibus, ac soluentibus, vel apponantur aliquid ex Vng. infrascriptis.

℞. Olei Laurini, Mastichini an. vnc. 11. Olei Vulpini, Irini, Terebeothinæ, an. vnc. 1. Pinguedinis Vitulinæ, Vrsinæ, Taxi, suis an. vnc. 5. Aliptæ, & Galliæ musc. Styracis, Bdellij an. scrup. 11. Oesipi, Ammoniaci in Aceto dissoluti an. vnc. 1. M. & S. A. fiat Vng. vel.

℞. Bdelli, Myrrhæ, Castorei, Masti-

ches

ehos an. vnc. 5. Euphorbij dragm. 11, Pinguedinis Anatis, Pulli, ſuis an. vnc. 2. Medullæ Cruris, Ceruini, vel Vituli vnc. 1. 5. Olei Laurini vnc. 1. M. & S. A, fiat Vng. vel,

℞. Vng. Arippæ Vog. Dialtheæ, Olei Laurini an. vnc. 1. Olei Amigdalarum dul. Camemolini, Liliorum, Pinguedinis Gallinæ, Medullæ Cruris Vituli, Oeſypi an. vnc. 5. Mucilaginis Sem. Lini, & Fœnugreci an. vnc. 1. Ceræ q. ſuff. M. & S. A fiat Vng.

Facta ſufficienti emollitione, Membrum à duobus Miniſtris in diuerſa attrahentibus extendendum, & os à Medico Manibus, vel Digitis comprimendo, vel impellendo iterum frangendum; Deinde oſſium capita adamuſſim ſimul coaptanda, vtque ſuperius fuit dictum, talis fractura curanda.

De curanda Gangrena cum Fractura coniuncta. *Cap. 7.*

SI Gangrena, vel ex attritu, vel ex arctioribus vinculis, vel qualibet alia cauſa; Membrum corripiatur, protinus ſcarificandum, & ſanguis educendus; facta ſcarificatione, & euacuatione ſanguine, pars Aqua ſalſa tepida eſt abluenda, vel Aceto cum Sale, vel Lixiuio, in quo incocti ſint Lupini, Scordium, Plantago; Deinde aliquod Catapl. quod putredini reſiſtat, applicandum, ſicuti eſt id, quod fit ex Orobi farina, vel Lolij, vel ſabarum, vel Lupinorum, & puluere Scorbij, Oximellite, & parum Lixiuij; Et qui plura deſiderat, recurrat ad tertium Caput Libri noſtri de Tumoribus, vbi diffuſe de Gangrena, & Sphacelo agitur.

De curatione Fracturæ cum Vulnere abſque Oſſis nudatione, & fruſtulorum oſſium abſceſſurorū expectatione. *Cap. 8.*

VAndo Vulnus cum Fractura ſit coniunctum, videndum, an os nudatum ſit nec ne deinde conſiderandum vtrū aliquod oſſis fruſtulum abſcenurum ſit, nec ne. Si Vulnus ergo ſit abſq; oſſis nudatione, & abſq; abſceſſuris oſſium fruſtulis, Medici intentio duplex eſſe debet, altera, vt fracta oſſa ſimul componantur, altera Vulneris labia ſimul reuniantur. Primum ergo, poſt exterſionem, oſſium capita optime ſunt coaptanda, vt in fracturis abſque Vulnere diximus, deinde Vulneris labia ad mutuum contactum adducenda, & ſic adducta conſeruanda, quod fieri debet ſutura, vel fibulis, deinde ſupra Vulnus ac fracturam coaptata ea Med. ſunt applicanda, quæ dolorem leniunt, ſi adſit, & Inflammationem arcent, & huiuſmodi ſunt quæ adſtringendi, & conglutinandi vim habent, quæ non ſolum influentem materiam repellant, procula parte exprimunt, ſed etiam influxã exſiccant; Quæ verò ſint huiuſmodi Med. ſuperius, cum de tertia intentione in fracturis habenda, verba fecimus, abunde diximus Hipp. lib. 3. de Fracturis ad Dolorem leniendum & pus mouendum, Ceratum, quod Picem habet, inter cætera laudat, & tenui Panno duplici contegendum inquit, & tunc præcipue conuenit, cum Vulnus iam inflammatione tenetur, vt Gal. in Com. inquit, & proximæ partes albo Cerato illiniendæ alioquin non imponendum, cum neque ſordem detergere, neq; Vulnus glutinare aut ad Cicatricem perducere poſſit; Maximè verò conuenire etiam inquit Lintea Vino nigro auſtero madefacta, vel ſuccida Lana eodem Vino imbibita, cum ob ipſum Vinum repellantur humores, & ſi dolor adſit, cum huiuſmodi Vino Oleum Roſaceum miſcere poſſumus, niſi adſit dolor; ſuperponi poſſunt ſubtiles, & bene pexæ ſtuppæ tantum Oui albumine illinitæ, vel Oui albumini adſtringentes puluercs cõmiſcendi, & hoc fracturam ſtabilem reddit, & Inflammationem prohibet; *Celſus lib. 8. cap. 10. inquit*, Omnibus his Vulneribus imponendum primo Linamentum eſt Vino madens cui Roſæ paulum adiectum ſit frigusque omni ratione tali caſu vitandum eſt.

Fracturæ cum Vulnere Vinciendi modus.

His applicatis, pars vincienda, quomodo verò deligari debeat. *Hipp. 3. lib. de Fracturis nos docet, dicens.* Ergo caput Faſciæ inyciatur à regione Vlceris (ſi ſuper dexteram, vel ſiniſtram Vlceris partem deinde ſuper ipſum Vlcus inuoluatur, ſic vt vniuerſum complectatur, neque vllam partem nudam relinquat) Attendenda ſimiliter figura Vulneris, ne ſub Vinculo hiet, ac diuaricetur, vt Hipp. inquit, Et

Vin-

vinculum paulo laxius attrahatur, quam si fractura esset citra Vulnus; Circumagatur autem eo modo, quo supra positum est (id est eo modo, quo nos in Fracturis absq; Vulnere superius diximus) feratur item fascia preter Vulnus ad partes etiam quæ supra sunt, atque infra.

Sintque fasciæ molliores semper, quam si integra cute os esset abruptum, & latiores, vt primus circuitus Vulneris oras vtrimque comprehendat, & totum Vulnus complectatur, neque pauciores quam prius diximus, sed aliquando plures Fasciæ esse debent. Homini verò cum inuolutus fuerit, videantur aptissime inherentes, non tamen adstrictæ, ne dolorem ac Inflammationem excitent, asseratque super plagam maxime inherere. Tùm eodem tempore, quo supra iudicauimus, ipsas, & bene insidentes, & laxiores sentiat. Deinde tertio quoque die soluantur, & rursus alligentur. In cæteris similitèr agendum, vt in superioribus nos diximus, hic tantum laxius, quam ibi coarctentur. Quod si fiat, quæ rationi consentanea sunt locus in quo plaga est, & reliqua etiam sub vinculo comprehensa semper graciliora se ostendant. Iam verò, & pus ocius orietur, quam si alia curatio admoueatur.

Caruncvlæ præterea, quæ in Vlcere nigrescunt, & emoriuntur, celerius sub curatione hac resoluuntur, & receduut, quam sub alia. Atque Vlcus celerius cicatricem recipiet, si hac via, quam si alio modo curetur. Cuncta hæc præterea fient, quod, & locus exulceratus, & quæ iuxta sunt extenuentur. Reliqua curatio esse debet, perinde ac si ossa citra plagam perfringantur Nisi quod ferulæ non sunt imponendæ. Quamobrem pluribus Fascijs hic opus est, quam alibi, quam, & minus adstringendum sit (cum melius sit sepe circuire, quam adstringere, vt Celsus inquit) & ad ferulas tardius ventur. Tamen si ferulæ superaccomodentur, à regione Vlceris minime circumponantur, deturque opera, vt laxiores sint, ne vehementèr adstrictæ præmant. Illis verò fracturis, quibus in membri longitudinem carnis quoque vulnus accedit, ferulæ vtrinque à lateribus vulneris adhibendæ, vt *Gal. in Com. inquit* quod non faciendum, si hoc transuersum fuerit, præsertim vbi Vulnus grandius fuerit.

Quo ad victus rationem obseruandam *Hipp. eodem loco inquit*; Tenuiori autem cibo diutius contenti sint, quibus à principio carnis quoque Vlcus accessit, vel ossa cute exciderunt, & vt vna complexione complectar) grauissimæ fracturæ rationem victus tenuiorem amant, & diuturniorem; *Et Celsus lib. 8. cap. 10. inquit*, sanguis verò, si parum fluxit mittendus, & corpus inedia extenuandum.

Maxime verò Hipp. eodem loco, illos reprehendit, qui in eiusmodi casibus Lintea siue fascias à principio protinus circumdantes vtrimque deuinciunt, Vulnus verò ipsum relinquunt, & nudum esse patiuntur, vt absque fasciarum solutione Medicamenta Vulneri apponere possint, & non vident, quod hac vinciendi ratione sunt in causa, vt Vulnus in tumorem assurgat, inflammetur, ac male afficiatur. Et hoc probat Hipp. dicens.

Si carnosa pars, quæ sana est hinc atq; hinc vinciatur, media non comprehensa ea pars, quæ reliqua sine vinculo fuerit, maxime turgebit, minusque erit sui coloris. Si ergo corporibus bene valentibus, sub ea vinciendi ratione, materia vtrimque in medium spacium inter partes deuinctas expressa tumorem, & Inflammationem excitet, quanto magis id faciet ægrotantibus.

Necesse est igitur, Hipp. inquit, vt decolereur Vlcus ex immodica Inflammatione, & materia ad ipsum exprimatur, & ob hoc Vlceris labia in exteriora vertantur, tùm lacrimet ob crudam materiam defluentem ac minime suppuret. Ossa verò, quæ ab abscessura non essent, abscedant. Ossa enim ob crudorum humorum abundantiam madefacta successu temporis vitiantur, & vitiata postea, vt abscedant est necesse. Vlcus ipsum similiter pulsu affligitur ob copiosam materiam, quæ Arterias comprimit, atque igneum erit, idest maxime Inflammatum. Deuitandus ergo, ac maxime detestandus hic vinciendi modus.

De Curatione Fracturæ cum Vulnere, in quo Os non eſt nudatum, tamen aliquod Oſſis fruſtulum abſceſſurum ſperamus. *Cap. 9.*



Os cur abſcedat

Liquando in Fractura cum Vulnere coniuncta Os etiam abſcendi, & hoc tribus de cauſis fit; Primum quando aliquod oſſis fruſtulum à reliquo oſſe ob externum impetum ſeparatur, aut ita concutitur, vt parum abſit, quin ſit ſeparatum, & à Natura foras extruditur. Secundo cum à Sanie diutius commorante oſſa emarceſcunt ac corrumpuntur, vt in vetuſtis Vlceribus fit, & à Natura corruptum à ſano ſeparatur, & ſic abſcedit, ac deſquamatur; Tertio abſcedunt oſſa ab externi Aeris alteratione, eorum naturalem temperiem euertendo. His ergo de cauſis oſſa abſcedunt ac corrumpuntur.

Notæ Oſſis abſceſſuri.

Denunciat autem os abſceſſurum, puſ ſiue Sanies copioſior, quam pro Vulneris modo ac magnitudine, & videtur ad exitum feſtinare, Vulneris labia inter ſe non commiſcuntur, ſed dehiſcunt, ac in interiora vertuntur, & Patiens exiguum quendam motum ſentiri ſibi in altioribus partibus videtur; Similiter ſi diu fracta oſſa qualibet de cauſa abſque conformatione permaſſerint, propter ſanies moram os corrumpere valentis, os abſceſſurum ſuſpicari debemus. Item ſi os à carne fuerit denudatum, non ſolum ob Aeris alterationem os abſcendere eſt neceſſe, ſed etiam ob alimenti defectum, cum Venæ, & Arteriæ non amplius ad nudatum os perueniant; Caro etiam laxa, habes flaccida, & ſpongioſa, quæ ſuper Vlceris labia creſcit, os receſſurum indicat; cum Natura Vlcus non ſanet, vbi intus aliquid adſit, quod detinere non poſſit, & hæc ſigna elicuntur ab *Hip. 3. de Fracturis à Gal. in illius Libri Com. & à Paulo lib. 6. cap. 107.*

Signa velocioris oſſis receſſionis, vt loco citato inquit Hipp. ſunt citiſſima ſuppuratio, ideſt in quibus celerrime pus apparet, & celerrima etiam, & optima caro increſcit. Caro enim quæ in vitiata parte ſuccreſcit, plerumq; os attollit, Inquit ſimiliter, quod ambitus totius oſſis ſi quadraginta diebus abſcedit, optime abſcedet, quam nonnulla vſque ad ſexageſimum perueniant, vt ſunt oſſa magna, ſolida, & in ætate adulta, & Hyemali tempore. Rariora quidem oſſa maturius abſcedunt, firmiora ſerius, alia, quæ minora ſunt, intra tempus multo breuius Alia aliter, vt mediocria, ſic oſſa in tenera ætate, & Aeſtiuo tempore citius abſcedunt, & pars oſſis citius toto circulo recedit.

In huius Fracturæ curatione imprimis conſiderandum, vtrum receſſurum os ſit magnum, vel paruum, quod ex ſupraſcriptis ſignis intenſioribus, vel remiſſioribus cognoſcitur, vt ſi magnum os ſit receſſurum, ſuppuratio ſerius fit, multa ſaniei copia effluit, multa caro hebes, & laxa increſcit. Si Os receſſurum ſit paruum, contraria ſigna aderunt. Conſiderandum etiam an os receſſurum à reliquo oſſe ſit ſeparatum, nec ne, & ſi ſit ſeparatum, an à proprio loco receſſerit. Si à proprio loco receſſerit, & intra Vulnus inciderit, Volſella, vel quolibet alio inſtrumento apprehendendum, & extrahendum, & ſi ſit vndique ſeparatum, & in proprio tamen loco detineatur, quia cum reliquo oſſe glutinari nequit, ſi abſque violentia, & magna vi extrahi poſſit, quamprimum faſciendum. Niſi verò magna vi extrahi poſſit, nullo pacto extrahatur, quoniam dolor Inflammatio, Febris, & Conuulſio excitari, & Vlcus Fiſtuloſum fieri poſſet, ex ſanie in cauitatem ingredientе, quæ corrodendo carnis generationem impedit; Tunc igitur totum negotium Naturæ relinquatur, vt temporis ſpacio illa ſeparet.

Quando ergo paruum os receſſurum expectamus, inquit loco ſuperius citato Hipp Quod reſoluere, & ligare frequentius oportet ob humoris abundantiam, quæ ſi diutius intra Vulnus retinetur, os etiam bonum corrumpere poſſet, & faſciandi modus non multum eſt variandus, ideſt prima faſcia ſuper vitiatam partem injiciенda, & vbi ter ſuper ipſam circumuoluta fuerit, in ſuperiori parte deſinat, altera item, quæ ſuper priorem fertur, ab eadem parte incipiat, tùm deorſum ducta, ad ſuperiora reuertatur, minuſque arcterur, deinde extrinſecus duplicati, vel triplicati Panni, Splenia dicta ſuperdentur,

tur, & desupeis alijs fasciis vinciantur, sicuti in superioribus fuit dictum. Sed in hoc differre debet vinciendi modus, quod fasciæ laxiores circumligari debent, ne pus retineatur, sed exitum facilem habeat, & si pars nimis fasciis coarctaretur, febris excitaretur, & Vlcus cum his, quæ proxima sunt emacresceret. Dum os ergo recedere debet, sepius pars soluatur, ac deligetur, ferulæ nullo pacto imponantur, sed fasciarum numerus ad fracturam stabiliendam augeatur, quod faciendum quotiescunque laxius deligatur, vel Ferulæ omittuntur. Inquit etiam Hipp. Quod si quis decipiatur, non existimans ex recenti Vlcere, quod os recedat, quod recessurum sit, & eam vinciendi rationem adhibeat, quam simplices Fracturæ postulant huiusmodi medicinam non debet pertimescere, quandoquidem nullum ingens malum apparebit, dum possit modo recte, & citra noxam Manu deuincire, idest quando ex signis os recessurum cognoscit.

In quibus verò grandius os recessurum speramus, siue ab initio hoc comprehendatur, siue postea cognoscatur, inquit eodem lib. Hipp. Quod Membrum eodem pacto intendendum ac dirigendum. Sed quo ad Medicamenta, & vinciendi modum à prædictis fracturis variari curatio debet. Deligari ergo ita pars debet, vt sic fractum membrum immobile contineatur, & ipsum Vulnus in resoluendo absque vlla Membri elcuatione ac motione appareat, & hic deligandi modus ab Autoribus Actia vocatur.

Fasciatura Actia dicta quo modo fiat.

Ita ergo fit, plures duplicati Lintei assumuntur, qui sint latitudinis dimidij Palmi, vel tàm lati sint; vt Vulneris labia optime ac sufficienter apprehendant, Longitudinis verò sint, vt non solum vno circuitu totum membrum circumeant, sed etiam dimidium, vtque recte dictorum pannorum longitudinem conijcteris, membri crassitudo est contemplanda, & super integrum ac sanum Membrum inducendi, vt ad vnguem longitudo adinueniatur, quoniam si breuiores essent, stabilem fracturam non conseruarent, & si longiores essent dum resoluerentur, & alligarentur, ac Medicamenta innouarentur, membrum attollere, & dimouere esset opus. Dicti ergo duplicati panni tot numero, quot res postulat, & Vino nigro austero madefacti fracto membro apponantur, & eorum capita per affectum locum ducantur, non in orbem, sed paulatim inclinati sic, vt à contraria parte à qua inceperint ad X. litteræ similitudinem inter se committantur, & decussatim se intersecent, ducendo dexterum caput ad sinistram partem, & sinistrum ad dexteriorem, & dicti panni ita plane inter se coeant ac cohereant, vt nullum inter ipsos inane spacium relinquatur. Non debent verò vllo pacto adstringi, ne grauando comprimant, sed eatenus insideant, vt Vulnus fulciant, & pus libere effluere possit, & fracturam stabilem reddere, vtque hoc efficiant, non parum super integram partem ferantur. Vino nigro crasso, & austero madefieri debent, vt melius adhærescant partis substantia melius conseruent, ac humores repellant, qui iam parte recepti sunt, & eos qui influunt, coerceant, & eorum fluxum prohiebant, ac Inflammationem arceant; Immo Gal. locis superius citatis iubet, & non solum dicti Lintei tali Vino madefiant, sed etiam Spongiæ aut Lintea, & superponatur, vel per totam diem ac noctem dicto Vino pars affecta perfundatur, & sic etiam sanies abluitur, & foras educitur. Ne verò defluens Vinum Cubile madefaciat, Corium subici inquit, Canalis modo figuratum, quod defluenti Vino exitum præbeat, atque inani pelui receptum, regestumque rursus infunderetur, & hoc faciendum inquit, ne superiecta Lintea paulatim siccentur, atq; incalescant, & Vlcus inflammari fit necesse, potissimum æstate.

Quo ad Medicamenta super affectam partem ante linteorum applicationem, ac à principio, & quousque Inflammationis suspicio adest, applicanda, illa conueniunt, quæ dolorem leniunt, & Inflammationem prohibent, & huiusmodi sunt, quæ cruentis Vulneribus injciuntur, aut aliquod ex ijs, quæ idonea sunt. Huiusmodi etiam Med. à principio applicanda vt Gal. inquit, ne immediatè Vinum exulceratas partes attingat, ne qua illis iniuria propter adstringentem Vini facultatem illis accedat, cũ huiusmodi Vulnerata non sint simplicia, vt ab Ense illata, sed quibus iuxta omnis caro plus minusue quodammodo est attrita, & contusa, cura sub quo ictu frangitur os, caro etiam neces-

sario atteritur, Competit ergo Ceratum simplex, vel Rosaceum, vel Panni in vino, & Oleo Rosaceo simul mixto madefacti, à tertia die, Ceratum picatum expeditius est, quo maturantur, quæ in Vlcere collecta sunt, vt idem Gal. inquit; Et si Aestas fuerit, panni dicto Vino madefacti superadendi; Hyeme multa Lana succida Vino, & Oleo respersa, vt immodico frigori occurratur, & ne ex frigore Neruorum distensio accidat. Transacto Inflammationis tempore, vt quamprimum os recedat, ac foras trudatur, iuuanda est Natura Med. ad hoc aptis, & huiusmodi sunt calida ac ficca Medicamenta, quæ naturalem partis calorem augendo, & recessuri ossis alimentum exsiccando, sunt in causa, vt os citius abscedat, & in mollibus corporibus ac Aestiuo tempore optimum Med. est Bdellium ac Ammoniacum Oleo Lileaco dissolutum, & in corporibus Adultis ac duris, & Hyemali tempore, Cera citrina, & sordities Vasorum Apum ad Ignem liquata, cui pars vna Euphorby, & duæ Tuhimali, & tres Aristolochiæ sint commixtæ, maxime conuenit, vt Auic. inquit. Hoc etiam efficiendi vim habet illud Ceratum, quod sacrum dicitur, alij inquiunt, quod ab occulta proprietate ossa abscessura extrahit, pulvis vermium terrestrium Melli admixtus, & impositus, & tandem omnia illa conueniunt, quę Tractatu de Vulneribus capitis ad ossa cito desquamanda ac detrahenda proposuimus.

De Curatione Fracturæ cum Vulnere in qua os est nudatum.

Cap. 10.

Si in Fractura cum Vulnere os nudatum appareat, videndum vtrum extra Vulnus emineat, nec nè; Nisi extra Vulnus adsit quamprimum proprio ac naturali tegumento, idest cute cooperiendum, & hoc faciendum, ne ab Aere alteretur, & postea abscedere sit necesse, cum, vt inquit *Hipp. 3. de Fracturis*, Scire certum liceat ossa, quæ carne nudata sunt ex toto, & arida, omnia penitus abscessura. Vulneris ergo labia ad mutuum contactum futuris, vel fibulis quamprimum sunt adducenda, deinde, vt in simplici fractura cum Vulnere diximus instituenda curatio.

Si nudum os extra Vulnus emineat, considerandum an faciliter, vel difficulter in propriam sedem restitui possit; Si facilitèr membrum conuenientèr extendendum, vtque superius diximus, absque violentia restituendum. Nisi difficultèr, & maxima cum violentia denudatum os, & à Vulnere protuberans in suam sedem restitui possit, si os eminens paruum sit, & longitus serra precidendum, si breuius limandum vel scalpro abradendum, & aliquanto breuius reddendum, & postea modica facta extensione recondendum ac optime coaptandum.

Si os nudatum noxium sit, & carnem aliqua ex parte Vulneret, & molestiam ægroranti afferat, & hoc quoque abscindendum est, *inquit loco citato Hipp.* Si os præcidendum maius est, & Membranulis sit cinctum, *vt Celsus lib. 8 cap. 10. inquit.* Sinere oportet eas sub Med. resolui, idqs os, vbi nudatum est abscindere, deinde commode extendere, & os in suam sedem compellere est opus, & hoc facto ossa simul coeunt, & Vulnus cito sanescit, & ita faciendum, quia melius est ossa simul coaptare, quam non coaptata relinquere vel violenta extensione ægrum ad Conuulsionem, & Mortem deducere.

Si perfectum os, & retusum redditum difficultèr in suam sedem restitui queat, & in valida extensione timeamus ne insignis dolor ob fibrarum distensionem, vel Conuulsio excitetur, *Hipp. loco citato inquit.* Quod huiusmodi ossa hoc modo in suam sedem collocantur, Ferramenta facere oportet ad similitudinem vectium quibus in Lapidibus excindendis vtuntur Vulgo Scarpelli dicti, quæ tamen minora sint, & latiora etiam ex vna parte, angustiora ex altera, quæ saltem terna habeantur, aut etiam plura, quorum alia alijs pleniora, vel tenuiora sint vel minora ab externa parte, qua maxime suum effectum præstant, vt semper adijci aptissima possint, quibus inter fracta ossa demissis, ossa eodem pene modo, quo intenduntur, impellenda sunt. Innitatur autem ab imo inferiori ossis, à summo superiori in aduersum impellendo, & mediocri Membri diuulsione facta, capita fracturæ eodem temporis momento inuicem committemus, atque, vt vno verbo dicam, non aliter quam si vectis ad Lapidem,

vel

vel Lignum fortiter impellendum admoueatur. Sint autem ferramenta, quantum fieri potest firmissima, ne in opere flectantur. Et hæc curatio, inquit maximum momentum habet, si ferramenta idonea sint, & impulsus conueniens adhibeatur; Deinde subiungit. Ex vniuersis machinamentis, quæ ab hominibus excogitata sunt hæc tria sunt omnium valentissima, Axis versatio, impulsus per Vectem, & Cuneus adactus, in similitudinem Cunei, quo Ligna deducuntur ac diuiduntur, dicitque etiam, quod homines sine aliquo vno, vel sine omnibus nullum opus, quod maximam vim postulet, perficiunt; ideo non paruifaciendus impulsus hic, si quidem ossa, vel hac via, vel nulla alia reducuntur. Sed id os, quod, super alterum excidit, Vecti idoneum locum non præstat. Et si ita acutum sit, vt Vectis effugiat, Scalpro excauandum, donec vecti locus fiat, cui firmiter hereat. Subiungit etiam, quod impellere oportet eodem die vel postridie, sed non tertio, quarto, vel quinto. Nam si his diebus lacessita ossa in suam sedem reuerti nequeant, Inflammatio superuenit, & nihilo minus etiam vbi restituantur, atqui multo magis neruorum distensio excitabitur, si os restituatur, quam si restitui nequeat, quod quidem ignorare non oportet. Nam si condito osse neruorum distensio superueniat, in angusto spes est. Præstat autem iterum expellere, si potest citra molestiam fieri. Neque enim ijs, quæ iuxta laxiora sunt, Neruorum distensio, aut rigor supernascitur, sed ijs, quæ vltra debitum extenditur. Quod ad hunc locum attinet propositis diebus irritare non conuenit, sed operam dare, vt Vulnus quammaxime Inflammatione teneatur, & quam maxima suppuret, atque vbi septem dies, vel paulo plures transierint, nisi febris adsit, & Vlcus inflammatione vacet, tunc minus prohibemur initi ad reponendum, vbi voti compotes fieri posse non desperamus, quoniam sine effectus spe non conuenit, & sibi & alteri molestiam afferre.

Quando compositum os iterum expellendum.

Si igitur ossa in suam sedem collocentur, siue abcessura ossa credamus, siue non suprascripta curatio facienda, quæ tota est secundum Hipp. mentem, sicuti suprascripta, maiori in parte eius propria verba sunt.

Illi verò maxime sunt redarguendi, ex Hipp. sententia, qui ab initio in fracturis, vel cum Vulnere, vel absque Vulnere, quando fieri potest, extensionem, & ossium in propriam sedem repositionem minime faciunt, sed tertia, vel quarta, vel quinta à fractura die hoc opus efficiunt; Cum tunc temporis Vulnera recrudescant, inflammentur, febrem inferant, ac sordibus grauitèr excipiantur, & tunc temporis in vniuersum Vulnera nullo pacto vexanda omnisque specilli opera fugienda, sed lenientibus indiget Med.

Quando ossa fracta componenda.

Minorem verò errorem committunt, qui vsq; ad septimam diem non extendunt ac ossa componunt, & hoc interim succida Lana copiosa, & bene carpta medentur, ac leniunt; quoniam tunc temporis Inflammationis impetus conquieuit, & ossa his diebus laxantur, & facile tractari possunt. Sed hi etiam multa incommoda afferunt, quoniam, cum differunt vinculum, quod ad Fracturas pertinet, post septimum pars tumidior fit, & maiori vi, ac dolore Membrum extenditur, & ossa ob vitiatam saniem plurimum irrigata, periculum est ne corrumpantur, & curatio etiam protrahitur. Hoc ergo tantum faciendum necessitate coacti, & quando ab initio curationi non adsumus, sed tertia vel quarta, vel quinta die vocati sumus. Quando verò à principio accersiti sumus, nisi quid obstet, quamprimum Membrum extendendum, & in propriam sedem ossa situanda, & debitum vinculum adhibendum, vt ab affecta parte humor exprimatur, & tertia, quarta, & quinta die lenientia Med. applicanda.

De Curatione Fracturæ cum Vlcere. *Cap. II.*

SI Vlcera non à principio fracturæ, sed procedente tempore, vel ob Vincula nimium adstricta, vel ob impositas Ferulas, vel ob alias causas sub curatione postea oriuntur, ac accidunt, cognoscuntur ex dolore, pulsu, & ex tumore, qui tunc temporis exteriùs partibus indurescit, qui si digito præmatur, exprimitur, & cito reuertitur, vt *Hipp. 3. lib. de Fracturis inquit.*

Quando ergo ex dictis signis Vlcus adesse suspicamur, quamprimum vincu-

la ſoluenda ſunt, & eadem curatio adhibenda, quam in Vulneribus cum fracturis coniunctis dicemus. Si verò ipſum vlcus irritatum, valde nigrum, aut ſordidum adinueniatur, tùm caro putulenta, & futurum etiam ſit, vt Nerui excidant, hos non conuenit ex toto nudare, hoc eſt vinculum Fracturæ idoneum detrahere, vt Vlcus nutriatur ac curetur, neque ſuppurata hæc timere oportet, ſed vno ac altero die pars ſoluenda, & curatio qua Vlcus poſtulat, adhibenda, Membrumque rurſum, ſicuti eſt opus, deligandum; Faſciæ tamen laxæ admodum ordinantur a tumore, qui in extremitatibus eſt, deinde ſuper ſurſum verſus circumagantur, vt nihil dum reliquant, donec ad ipſam Fracturam, qua parte exulceratio eſt, porrigantur, ita vt in vnum committantur Vinculum quod tumorem curat, & quod fracturam deuincit, & vna ſit vtriuſque intentio, quæ paucis circuitibus abſoluatur vt Gal. inquit. Tales verò Faſciæ nullo pacto coarctentur, inſideant item Vlceri commodiſſime, nec vllo modo ſtringant vel comprimant, alibi verò laxius vinciantur; cum ſemper ea pars arctius ſit vincienda, à qua ſanguis exprimi debeat, & tales Faſciæ ſint molles, mundæ, & non anguſtæ, & numero quot fuerint opus. Super ipſum verò Vlcus Linteus albo cerato inunctus ſiue delinitus apponendus, & omnia acria Med. vitanda, & mitia, ſicuti aduſtis applicanda, & huiuſmodi Med. conueniunt, quia talia Vlcera ex acrium, & calidorum humorum mixtura ſunt orta, & his, ſiue caro, ſiue Neruus nigreſcat, procidet. Inſuper tertio quoq; die ſoluere Vincula conuenit, ac rurſus deuincire, tùm ſerulas vitare, & magis quam antea conquieſcere, & tenuiori victus ratione vti.

Scire autem oportet, vbi futurum ſit, vt vel caro, vel neruus excidat, hac ratione vitium minus ſerpere, & celerius multo excidere, ac proximas partes fieri longe graciliores, quam ſi Vlcus, Linteis reſolutis, quopiam ex Med. purgantibus nutriatur. Iam verò, vbi excidat, quod purulentum eſt, citius caro increſcet, & cicatrix maturius inducetur hoc pacto, quam ſi alio ſuccuramus. Hæc omnia igitur eo pertinent, vt ſciamus recte, & cum moderatione deligare; Eo etiam confert idoneus habitus, & reliqua victus ratio, & Faſcia quam aptiſſima.

De Fracturis in particulari, & primum de Fractura, & Contuſione Narium. *Cap.* 12.

VIm in ſuperioribus de Fracturis in Vniuerſali vberrime fuerit dictum modo particularium partium Fracturis oſſium Capitis incipere debemus; Sed cum de his abunde in lib. noſtro de Vulneribus fuerit dictum. Ideo à Narium Fracturis initium ducemus.

Narium Anatomes.

Naſus ergo compoſitus eſt partim ex ſubſtantia oſſea, partim ex Cartilaginoſa ſubſtantia, Oſſea ſubſtantia in ſuperiori parte exiſtens frangi quandoq; ſolet, Cartilaginoſa verò ſubſtantia, quæ eſt in parte inferiori, non frangitur, ſed contunditur, ſima redditur, & diſtorquetur, vt inquit *Paul. lib. 6. cap. 92.* Huius partis oſſium Fracturæ aliquando ſunt cum Vulnere, ſiue cum Vlcere, aliquando ſine his, & aliquando talia oſſa in plures partes, & minutim franguntur, aliquando in pauciores, & aliquando tantum finduntur; Aliquando ſimiliter ab aduerſa parte franguntur, & aliquando à lateribus, & ideo *Hipp. lib. 2. de Articulis inquit.* Quod ſi Naſus perfringatur, Fracturæ modus non eſt vnus.

Fracturarum differentia.

Cauſæ.

Fracturarum talium oſſium cauſæ ſunt caſus, vel percuſſio.

Signa.

Ex manifeſtis verò ſignis huiuſmodi fracta oſſa innoteſcunt, quoniam ſi aduerſa fracta ſint, nares deſidunt, & ſimus naſus oculis apparet, & difficulter ſpiritus trahitur. Si à latere os ſit fractum, is locus cauus apparet; Si Cartilagines ſint contuſæ, ſimiliter oculis earum ſimitas, vel diſtorſio, & in alteram partem inclinatio apparet.

Prognoſticum.

Quoad Prognoſticum, Peius eſt, inquit *C. Celſus lib. 8. cap. 5.* Vbi aut oſſi aut Cartilagini fractæ cutis quoque Vulnus acceſſit, & id admodum raro fit. Vocat Celſus Fracturam etiam Cartilaginis, vt Hipp. etiam facit, quamuis non ſit vere Fractura, vt ſuperius diximus.

Hipp. 2. de Articulis inquit, in Naribus Callus cito increſcit, nam decem diebus ſaneſcit, niſi corrumpatur, alij dixerunt, quod Naſi oſſa conſolidantur decem, & octo diebus, alij viginti, quod etiam eſſe poteſt, patientis ratione, cum a Natura maxime differat, & ideo, quia oſſa, & carti-

cartilagines Nasi cito consolidantur, eadem die fractus Nasus præcipue restituendus, vel certe paulo post, & tunc temporis commodissime talia ossa fracta, vel contusæ, vel distortæ Cartilagines restituuntur, & ideo *Hipp. inferius inquit*; Nasus enim ex omnibus corporis partibus, facillime componitur, & nisi protinus dirigatur dirigi postea non potest, sed peruertitur.

De Curatione Fracturæ, & Contusionis Narium.

SI Nasi ossa aduersa parte sint fracta, vel Cartilagines collisæ, & intro desidant quamprimum quicquid in Cartilaginem incidit, leniter excitandum ac subleuandum, vt sublatum postea suo corpore decenter coalescat, & hæc actio facienda leni Specillo ad Digiti formam fabricato, ex Buxo, vel salice, vel Ebore intra Nares immisso, & deforis Indice ac Pollice vtrimque conformare congruit, & ideo *Hipp. loco superius citato inquit.*

Primo itaque, & ab interiori parte dirigere Nasum oportet, & ab exteriori vtrimque compellere, atq; in pristinam sedem restituere. Nisi verò dictis instrumentis ossa subleuari ac in pristinum locum reponi possint; Digitis immissis, præcipue in Cartilaginibus subleuandis, hæc actio facienda, vt iubet *loco citato Hipp. dicens*; Quibus igitur fractus Nasus in inferiorem partem demittitur, sit usque efficitur, si ab inferiori parte, qua Cartilago est, desidat, potest in Nares indi aliquid, quod dirigat, quod vbi non fiat, omnia hæc excitanda sunt digitis, si fieri potest, in Nares coniectis, & digiti sint molles, quales pueri, & mulieres habent, & magnitudini respondeant. Diu verò digiti insistere debent, vt, quæ reformata iam sunt contineant, & nisi hoc fieri possit, duo implicata, & intorcta Linamenta, & molli pellicula cincta, vnus singulis Naribus, imponantur, etiam si altera tantum Naris pars distorta sit, & si æqualiter ab vtraque parte fracta sint ossa, æqualiter vtraque Naris implenda.

Si ab vno tantum latere, crassius esse debet ab ea parte, in qua Nasus iacet, ab altera tenuius, quod inseritur debet esse, & tam diu dicta Linteamina intus permittenda, donec Os, aut Cartilago corroboretur. Aliqui Linamentorum vice, grandi Anserina Pinna Gummi, vel Fabrili Glutine illita, & molli pellicula circumdata vtuntur, vt desidere ossa vel Cartilaginem non sinant, figura custodiatur, & ne Respiratio impediatur, quod vt Paul. inquit, non est necessarium, cum spiritus per os trahi valeat, Alij Fistulas, sine Cannulas, siue Tubos molli Pellicula inuolutos è Plumbo, vel Argento vruntur, & Hipp. inquit. Se aliquando vice Linamentorum, vsum fuisse Ouillo Pulmone. Omnia ergo, quæ immittuntur, secundum Hipp. mentem, mollia esse debent, vtque odorem non moueant. Vitanda igitur, quæ vehementer spirant, vel grauiter olent. Inquit etiam idem Hipp. Quod nullo pacto Spongiam immittamus, quoniam humorem combibit, & sic turgendo, partem distendit; & cuncta dissoluit. Omnia verò, quæ intra Nares immitti debent, vel sint Linamenta, vel Cannulæ, vel Pinnæ Medicamentis quæ deforis applicantur illiniri debeant, vel medicamento facto Oui albumino, Oleo Rosaceo, vel Myrtino Polline, & Thuris manna Med. deforis applicanda sint Emplastica, & lenta, & quæ modice calefaciant, & siccent, sicuti sunt Manna, Gummi, Fabrile Gluten. Thus Resina, Mastiches, Tragaganta, Lachrymæ, Succi, & huius generis similia; Hipp. Triticam farinam laudat, quæ, vt supradicta, Oui albumine, vel Vino, vel Aqua, vel Oleo Rosaceo, vel Myrtino, vel alia re simili ita commisceri ac incorporari debent, vt lentore quodam bene cohæreant, quæ vel supra subtilem stuppam, vel potius super linteum extensa applicari debent. Si Nares Inflammationem experiuntur, vt Paulus inquit, Emplastrum aliquod ex ijs quæ inflamationem arcent, imponendum, vt id quod ex succis constat, aut Oxeleo, aut id genus quidpiam, vel Catapl. factum ex Farina Triticea, cum Manna Thuris aut Gummi decocta superaccomodandum, quibus Inflammatio arcetur, & Nares continentur.

Si in alteram partem Nares sint distortæ, post congruam conformationem iubent locis citatis *Hipp. Paulus, & Celsus*. Habenulam esse parandam longam, & mollem, quæ sit latitudinis Pollicis, vel quantum conuenit, cuius alteram extremum taurino Glutino, aut Gummi, aut alia tenaci materia illitum extrinsecus Narium summitati ex latere, quo inclinat

agglu-

agglutinetur, quod vbi exaruerit, Habena altera oppositam Aurem Occiput versus, & Frontem ducta, dum sub altero Habenæ capite affirmetur, vt retractæ in latere Nares, mediam figuram dirigant. Et si intra Nares impositæ Turundæ ledant, & dolorem excitent, tollantur, & tam diu Habenæ Nares rectè seruandæ. Deinde post decimam quartam diem Habena etiam demenda, vtque Gluten resoluatur, Aqua calida pars fouenda;

Et quo Os impulsum est, imponendum Ceratum, & curandum, ne plus iusto callus increscat, à tertio die id fouendum Aqua calida, tantoque magis, quanto propius esse sanitati debet.

Si Nasi ossa minutim fuerint, confracta, si fieri potest, singula fragmenta in suas sedes, vel digitis, vel dictis Instrumentis compellenda ac imponenda, & super ea Ceratum, vel aliquod Med. ad ossa confirmanda applicandum. Si verò aliquod fragmentum vndique resolutum cum cæteris non glutinetur; Quod cognoscitur ex copioso effluente humore, quando Vulnus, vel Vlcus adest, Volsella, vel aliquo simili instrumento extrahendi, & nisi ràm latum sit orificium, vel nullum adsit, diuisio vel ampliatio facienda, & extractis extrahendis officulis, futuris, vel potius fibulis, ne turpis cicatrix relinquatur deductæ partes committendæ riuendæ, & desuper Glutinantia præsidia, & cruentis Vulneribus dicata applicanda.

Idem etiam faciendum, si Vulnus cum tali fractura sit coniunctum. Cum nihil solicitare non tale Vulnus debeat. Nutriendum ergo Vulnus Med. quæ protinus cruentis Vulneribus injiciuntur, vel picato Cerato, Taliaque Vulnera, vt Hipp. inquit facillimè curationem admittunt. Transacto Inflãmationis tempore aliquod Med. ex ijs, quæ leniter reprimunt impone potest. Si verò intra Nares Vlcus fuerit excitatum conuenientia Med. Linamentis in longitudinem implicitis imponenda, & aliqui, ne Caruncula intra nares increscat, quousq; cicatrix obducatur, ac locus sanescat, Plumbeos Canales immittunt, quod maximè nobis etiam arridet.

Quoad vinculum, quando Fractura est in parte aduersa Nasi, *Hipp. loco superius citato*; Deligaturam omnem siue vi culum respuit ac prohibet, quoniam Resimum efficit Nasum, ac distorquet, si illam partem premat, & si laxa adhibeatur, nihil præstat; Melius ergo est absque vinculo talem partem relinquere, & ideo dixit Hipp. Qui præstantia vincula amant sine mente, compluta alia lædunt, atque adeo Nasum. Tunc enim tantum conuenit deligatura cum Med. impositio, vt Paul. etiam inquit, quando in medijs naribus ex appulsu quopiam caro sit contusa, & os emineat, eo quod compressus ea parte Nasus, naturalem figuram recipiat. Tunc enim in media Fistula medio Nasi injicienda est, cuius vtraque capita ad posteriorem capitis partem non magna vi adducenda, atque inde fronti circundata, inter se capita vincienda.

Quo ad vniuersalia, idest ad Dietam, Pharmacum, & Venæ sectionem, fiat sicuti in cura vniuersali dictum fuit, quando ex his aliquod fuerit opus.

De Aurium Fracturis. *Cap.* 13.



Vamuis in Auribus vera Fractura, sicuti in ossibus, non fiat, cum tantum constent ex cute, & Cartilagine. Tamen cum illa continui solutio, quæ in Cartilaginibus fit, proprium nomen non habeat; *Ideo Hipp. 2. de Articulis, & C. Celsus lib. 8 cap. 6.* quos nos sequemur, Fracturam appellarunt, sicuti nos etiam tali Fracturæ nomine abutemur. Et huius partis fracturæ aliquando sunt sine Vlcere, aliquando cum Vlcere; Causas non ponemus, eum eædem sint, quæ in Narium Fractura superius diximus; Signa similiter non describemus, quoniam manifestè aures fractæ oculis apparent.

Quoad prædictionem, dicit loco citato Hipp. Quod vbi Cartilago nudari incipit, eorumque habeat purulentum ac mucosum, idest humorum, qui intus continentur, puris scilicet, & Muci, cum ea, quæ mucosa, sunt, sicuti Cartilagines, mucosum excrementum gignant, res infestissima est, idest dolorem affert, vt experitur qui Cartilaginem ita vitiatam habet. *Gal. in dicti Lib. Com. inquit*; Quod nudata Cartilago cicatricem non recipit, præsertim si aliquot dies res protrahatur, neque cutis à sectione protinus coeat, ac conglu-

tinetur

tinetur; Sciendum etiam, *vt loco superius citato Celsus notat*, Cartilagines non glutinari ac vere vniri, sicuti etiam de ossibus diximus, cum spermaticæ partes sint. Tamen per increscentem carnem illas consolidari.

De Fracturarum Aurium Curationem.

QVando igitur accidat, vt Aurium Cartilago rumpatur, quamprimum glutinans Medicamentum imponendum, quod siccandi facultatem habeat, cum hæc pars siccissima sit, cum tantum cute, & Cartilagine, vt diximus, constet, & quo pars siccior est, eatenus siciciorem curationem requirit, vt alias diximus. Quamprimum ergo Glutinans Medicamentum apponendum, vt suppurationem prohibeat, & Aurem confirmet sicuti sunt illa, quæ in Fractarum Narium curatione diximus.

Sed animaduertendum, ne grauia ac onerosa Auribus imponantur, quoniam humorum confluxum, & Abscessum concitare possent; Supra stabile ergo Linteum Glutinantia Medicamenta subtilitèr ac æqualitèr extendenda, & facto Auri applicanda, neque vllo pacto huiusmodi pars vincienda, *vt Hipp. inquit. Quamuis Celsus dicat, Lenitèr autem esse deligandam*; Cum etiam sana auris sub vinculo adstricta, doleat, pulsu, ac Inflammatione vexetur, sed à parte posteriori Gossipium, vel Lana bene carpta, & mollis Auri subycienda, quæ, quod est inter hanc & caput, compleant.

Si verò huiusmodi Fracturæ suppuratio accidat. Non protinus ad incisionem ac apertionem deuenienduin est, vt Hipp. inquit, cum multa ex ijs, quæ suppurare videntur, ex seipsis, & absque vllius Medicamenti auxilio, interdum resoluantur, ac discutiantur, nonnunquam per ea lenia, & simplicia Medicamenta, & sine morsu siccandi vim habentia, quæ superponuntur, sicuti est Manna Thuris, vel eius puluis, vel Acaciæ cum Cochlea mucco mixtus, vel Aloes, vel Myrrhæ, vel vtriusque puluis cum tali Mucco, vel Melle, vel Oui albumine mixtus; quando præsertim maiori exsiccatione sit opus.

Nisi verò Pus resolui ac discuti possit, cutis altera parte aperienda, & ipsa Cartilago contra Lunata plaga, vt Celsus inquit, excindenda, & faciendum, vt Cartilago vna cum cute consolidetur, ac agglutineatur, quod fortasse non fieret, si tantum cutis incideretur; Immo Cartilago obleſa reddi posset. Sectio verò, vt Hipp. inquit, non debet esse admodum exigua, ne quid supersit puris, quo Cartilago ledatur. *Inquit idem Hipp.*

Vbi incidere sis coactus, celerrimè saneſcit, si cadens ferramentum ab vna parte ad alteram demittatur. Sed hoc facere non debemus, nisi necessitate coacti, ideſt quando veremur, ne Cartilago ægre saneſcat, & quando Cartilago à Cute est nudata, cum tunc cicatricem non recipiat, vt superius fuit dictum, quel quando curatio protrahitur, vel quando cutis à sectione citato non coit ac conglutinatur, & tandem *vt Hipp. inquit*. In omnibus, quæ recrudescunt, maxime abunde est candens ferramentum traicere. Causa verò cur non in omnibus Auris suppurationibus apertio candenti Ferro sit facienda est, quoniam breuem, curtam, & mancam Aurem traiectum candens ferramentum reddit, cum non exigua, & Cartilaginis pars, & cutis ipsam comprehendentis, vstione absumatur.

Facta sectione, Medicamentum leniter sanguinem supprimens, donec sanguis sistatur, inspergendum ac applicandum, deinde Linteum glutinante Medicamento subtiliter delinitum apponendum, vtque superius diximus, semper deuitanda Catapl. & Linamenta, & alia omnia quæ onere ledunt, & molestiam afferunt, & oleosa, & pinguia, cum conglutinationem impediant, etiam deuitanda, & Lana Oleo infusa sinuoso Auris specui imponenda. Applicanda igitur subtilia Lintea dictis Med. illita, quæ protinus cruentis Vulneribus injiciuntur, quæ modicæ siccantia sint, & secundum partis temperiem competant. Sed animaduertendum, ne plus iuxto siccantia adhibeantur, vbi à sectione protinus Med. inducuntur quoniam distensionem facerent, cum nihil habeant, quod leniant.

Si verò cum Cartilaginis fractura Vulnus etiam adsit si vtrimque cutis sit incisa, vtrimque cutis quamprimum suenda. Si ab altera tantum parte, ibi suitio fiat, & superius dicta Medicamenta cruen-

tis

tis Vulneribus dicta, ſicuti fuit dictum, imponantur.

Quo ad vniuerſalia, ex mente Celſi, primis diebus, & donec Inflammatio finiatur, in his generibus, abſtinentia neceſſaria eſt, vtque etiam *Hipp. inquit*, Illi potiſſimum extenuare corpus expedit, qui Auris ſuppuratione periclitatur, & Aluum mollire. Sed ſi homo facile vomat vomere debet, vt modice exhauriatur. Competit igitur non ſolum victus extenuans, ſed etiam Medicamenta per Aluum, & vomitum euacuantia. Quæ verò ſint talia Medicamenta non ponemus, cum quiſque mediocriter in Medica Arte exercitatus ex ſe ipſo ſciat. Cauere inſuper patiens debet, ne in eam partem dormiat, vbi Fractura adeſt, ſed in oppoſita iaceat, ne pars comprimatur, vtque humorum defluxus prohibeatur.

De inferioris Maxillæ Fractura.

Cap. 14.

INferior Maxilla, ſicuti oſſa alia, pluribus modis frangi poteſt, & ideo talis Fracturæ differentiæ plures eſſe poſſunt, vt de alijs ſuperius diximus; Sic ex eiſdem cauſis huiuſmodi Oſſa franguntur vt ictu, Percuſſione, Caſu, & his ſimilibus. Facilitèr etiam fracta Maxilla apparet, quoniam ſi tantum extrinſecus oſſa ſint læſa, tactu dignoſcitur, & in Interiori etiam oris parte aliqua gibboſitas. Digito perſentitur. Si verò tranſuerſim fracta Maxilla fuerit, & Cutis in ſit diuiſa, introrſum manifeſta cauitas ſit, & ab interiori Oris parte ferè dens ſuper proximum Dentem excedit.

Signa.

Prognoſticum.

Maxillæ oſſa, vt Paul. & Celſus inquiunt, quoniam ſunt medulloſa, & laxa, vno, & viginti diebus conſolidantur. *Hipp. 2. de Articulis inquit*, Vbi primis diebus Inflammatio non oritur, Maxilla viginti diebus conferuet, celeritèr enim Callus increſcit, ſicut in alijs oſſibus, quæ rata ſunt, niſi, corrumpantur, & infertius inquit. Si recte Maxilla componatur, & compoſita ſeruetur, cito ſaneſcit, & Dentes integri remanent, ſin ſecus, longiori tempore confirmantur, tùm peruertitur, Dentes autem vitiantur, atque inutiles reddantur, *Auic & Albucaſis viginti, & octo diebus inquiunt, Maxillæ oſſa confirmari.*

Celſus lib. 8. cap. 7. inquit: In alijs quidem oſſibus ex toto ſepe fragmentum à fragmento recedit. Maxillæ verò ſemper aliqua parte etiam vexata oſſa inter ſe coherent.

De Maxillæ Fractæ Curatione.

SI Maxillæ os ita frangatur, vt non omnino per tranſuerſum os ſit fractum ſed aliqua parte fracta oſſa inter ſe cohereant, vt *Hipp. 2. de Articulis inquit*, quamprimum in ſuam ſedem compellenda. Ita ergo faciendum, Index, & medius digitus alterius manus, ideſt Dexteræ ſi dextera Maxilla ſit fracta, & leuæ, ſi leua intra os imponendi, & Lingua ad latus adducta, circa Linguam alte fracta oſſa inquirere oportet, nam fracti oſſis partium altera ſuper alteram excedat, & alterius manus digiti deforis applicandi, adinuentis oſſibus fractis, digitis vtrimque ideſt tam ab Ore, tùm à cute diutius reprimere, ac dirigere id os, quod inclinatum eſt oportet, & in ſuam ſedem compellere; Vtque *Gal. in Com dicti libri inquit*. Hipp. imperare, non vt Medicus aſſi ue, ſed vt æger hæc efficiat. Maxillam verò in ſuam ſedem eſſe reſtitutam, ex eiuſdem dentium æquali ſitu conijcere oportet, vt *Paul. lib. 6. cap. 93. inquit*.

Signa indicantia Maxillam rectè fuiſſe cõpoſita.

Si verò per tranſuerſum Maxillæ os omnino fuerit abruptum, quod raro accidit, vt Hipp. inquit. Sub quo caſu ferè dens ſuper proximum Dentem excedit, Digitus in os immiſſis rectè in propriam ſedem os eminens compellendum, & altera manu ſimiliter hæc actio adiuuanda, extrinſecus excipiendo.

Niſi verò ita reſtitui in proprium locum oſſa poſſint, cum os ſuper os eminet, huius partis exciſio fieri debet, à Famulo retro continente, & à Medico extendente, & ſicuti fuit dictum, oſſa dirigenda ac in propriam ſedem compellenda.

Hoc facto; Dentes, qui peruertuntur, & in fracta parte mutuo ſunt deducti ac mori, non ſolum bini, ſed etiam plures inter ſe ligandi ſunt, Auro potiſſimum, vel Argento, vel certe Serico filo, vel Lineo Cera obducto, & ſic vincti Dentes, donec oſſa confirmentur permaneant, vt Hipp. ſcriptum reliquit.

His

His factis, simplex Ceratum, vel aliquod simplex Medicamentum ex suprascriptis adstringentibus puluerib⁹, & Qui albumine compositum deforis Maxillæ superponendum, & alij super dictum Medicamentum duplicatum Linteum ponunt, & desuper leuem ferulam, vel ex Corio, vel alia simili materia Maxillæ longitudini correspondentem apponunt, deinde conuenienti deligatura partem vinciunt. *Hip. loco superius Citato inquit.* Quod hæc pars vincienda paucis pannis Cerato iniectis, pauciſque fascijs non valde adstrictis, sed laxioribus. Scire autem conuenit, inquit ille, Maxillam fractam Fascijs non parũ in vari, si recte inyciantur vbi minus recte, multum ledi, & inferius inquit. Omne enim vinculum Maxillæ ita abruptæ, ideſt, quæ per transuersum fracta sit, ad fracturam ossa inclinat magis, quam secundum naturam dirigat, cum tantùm ab exteriori parte Vincula imponantur, & circa affectum os circundari nequeant, sicuti in multis alijs fractis ossibus fit; *Gal in Com. inquit*. Quod in Maxilla vinculum præcipue infestum est quoniam semper solita sit nuda esse, & sine velamento.

Maxillã fasciandi modi.

Conueniceos Deligatura, vt inquit Celsus, sit, aut fascia, aut molli habenda media in longitudinem incisa, vt vtrinque mentum comprehendatur, & inde capita eius supra caput adducta, ibi deligentur. Paulus ita vinciendum esse inquit, fasciæ medio in Occipite collocato, Habenulæ vtrimque vltra aures ad summum Mentum dispescentur, iterum ad occiput. Mox inde sub mentum reuoluantur, postea per Genas ad sinciput, indeque rursus infra Occipitium distribuantur, vbi desinere deligationem oportet. Post quam alterum rursus vinculum fronti circumdatum à posteriori Capitis parte coniungetur, vt omnes has prædictas deligationes constringat. Alij hanc partem vinciunt eo deligationis genere, quod Latini Capistrum vocant. Pars verò sine vinculo non relinquenda, vt Celsus inquit, nisi duæ partes eius temporis, intra quod, quæquæ ossa conseruantur, transierint.

Si autem vtreque Maxillæ in summo Mento, in ea parte, qua inter se coeunt confractæ, vel distortæ fuerint, ambabus Manibus paululum inter se deductis prorsus ita inter se coaptentur, & quod extat digitis superdatis intus compellendum, quod in interiorem partem conuertitur. Digitis adurgendo, in exteriorem adducendum. Hæc autem facienda sunt ossa in diuersa deductis, vt Hipp. inquit, cum omnia extensa ossa facilius in suum locum reuertantur, quam si quis tentet alterum sub altero condito compellere, & Dentes, vt superius diximus adiuncti deligentur, & conueniens Deligatura fiat, vt Hipp. inquit Vinculum exiguum, & varium maxime huic loco accommodatur, prope enim sine inclinatione est, quamquam non ex toto sine inclinatione sit, & ab illa parte fascia attrahenda, à qua Maxilla extat. Recte composita, vtque decet vincta hac parte, immobilis seruetur, & si quid loco suo motum esse videbitur, tertia die soluendum, & quicquid exciderit in proprium locum reponendum, & iterum deligandum, & sic tàm diu fieri debet, quo ad Callus concrescat.

Si inflammationis superuentum timeamus, Qui albumen Oleo Rosaceo mixtum succida Lana, vel alio simili superponendum, vtque superius de Inflammationibus curandis diximus, mederi debemus, & ideo *Paulus dixit*. Si Inflammatio aliqua accesserit, nihil neq; ex fomentis, neque ex Cataplasmatibus aduersum hanc idoneis pretermittendum est. Id quod in omnibus ex æquo obseruandum est ducito.

Si verò cum tali fractura Vulnus sit coniunctum, Specillo explorandum, an minutim, in plures partes ossa sint confracta, & si ossis fragmenta separata adinueniantur, & alijs conferruminari nequeant, idoneo instrumento eximenda, & si Vulneris orificium sit angustum, secundum exigentiam amplandum deinde Vulneri labia ad murorum contractum adducenda, & sic futuris, vel fibulis seruanda, & Medicamentum cruentis Vulneribus dicatum superponendum, vtque superius de alijs fracturis cum Vulnere coniunctis diximus curandum.

Quo ad victus rationem, & cætera ad hanc curationem pertinentia, in Maxillæ fractura, vt Hipp. inquit, Corpus vsq; in decimam diem extenuandum, postea reficiendum est non tarde; Et huiusmodi cibo ac sorbitionibus patiens nutriendus,

quoniam

quoniam manducatio his pernicioſa eſt; Cubet item patiens in Maxillam integram non tamen huic, ſed Capiti innixus, & ſaltem primis diebus taciturnus maneat, & donec Callus increſcat tranquillus viuat.

De Iuguli ſiue Clauiculæ Fractura.

Cap. 15.



Iugulum, etiam Clauicula dictum eſt illd, quod ſuo interiori capite primi oſſis Pectori à latere committitur, & exteriori Humeri articulamento innectitur, quod os ſimul atque ab Pectoris oſſe abſcedit, extrorſum flectitur, ac deinde priora verſus in caput deſinens, quod cum ſummitate lati Scapularum oſſis iungitur, & ſummo Humero articulatur, & prope Humeri Articulum ſupernatat.

Fracturæ ſpecies. Hoc os pluribus modis frangi poteſt, & in qualibet ſui parte, vel enim per tranſuerſum, & Caulatim frangitur, vel oblique, ideſt Harundinatim, ſiue Scandulatim, vel per eius longitudinem, & quando frangitur, vel à propria ſede elabitur, vel in proprio loco perſiſtit. Quando à propria ſede mouetur, vel in poſteriorem partem inclinatur, vel in priorem, vel ſurſum tendit, vel deorſum inclinat.

Signa. Quomodo autem hoc os ſit fractum, & quo inclinet, potius tactu, quam viſu cognoſcitur, ac etiam ex dolore increſcit, *vt Hipp primo Libro de Articulis inquit.* Vbi ergo Iugulum frangitur, vt plurimum caput, quæ eſt à lato Scapularum oſſe, deorſum conuertitur. Facilius enim deorſum fertur vna cum Humero ac lato Scapularum oſſe, quam ſurſum, & pars, quæ ab oſſe pectoris eſt, ſurſum fertur, quoniam, vt Hipp. inquit, natura leuis eſt, & ſpacium ipſi latius paret à ſuperiori parte, quam ab inferiori, & ideo hæc oſſis pars difficulter deorſum repelli ſolet.

Prognoſticum. Tale os viginti diebus ad ſummum ferruminatur, & eius fractura difficulter conponitur. *Paul lib. 6. cap. 94. inquit.* Quod plurimorum opinione ſatius eſt Iuguli os caulatim potius, quam Scandulatim, ſiue Harundinatim frangi. Nam quod tranſuerſum fractum eſt, facile extenſione, & digitorum compreſſione in naturalem ſedem reuertitur, reliqua ſemper quid eminentiæ habent, quod ægre coaptari poteſt. *Hipp. 1. lib. de Articulis inquit.*

Iugulum comminutum, ſi ex toto fractum ſit, facilius curatur. Si in longitudinem ægrius. Hæc autem contraria ſunt, atque aliquis exiſtimet, cum leuior appareat fractura per longitudinem, quam tranſuerſim facta, ægrius tamen curatur, quia vinculo Iugulum per longitudinem fiſſum ſimul adduci non poteſt, ſicuti oſſa alia, quæ faſcia circumuolui poſſunt; *Et inferius idem Autor inquit*, Iuguli Fractura, deformitatem affert deformitas autem à principio maxima eſt, deinde minor.

C. Celſus lib. 8 cap. 8. inquit. Iugulum ſi per tranſuerſum ſit fractum, & niſi propria ſede moueatur, per ſe rurſus recte coit, & ſanari ſine iunctura poteſt. Vbi verò à propria ſede motum eſt, elabitur, & ferè id, quod à Pectore, ſub id, quod ab Humero eſt, in poſteriorem partem inclinatur. Cuius ea ratio eſt, quod per ſe Iugulum non mouetur, ſed cum Humero motu conſentit; Itaque eo ſubſiſtente, ſub id Humerus agitatur. Raro verò in priorem Iugulum inclinatur.

De Fracturæ Iuguli Curatione.

QVando igitur Iuguli os ex toto quocumque modo ſit fractum, & à propria ſede ſit motum, duo Miniſtri ad extenſionem faciendam ſunt opus, quorum alter ad Humerum, qui fractæ Clauiculæ adiacet, adiſtat, vt vtriſque Manibus Humerum, quocunq; eſt opus, attrahat, alter oppoſitum Humerum, vel potius Collum apprehendere debet, & Medicus ab his commoda extenſione facta, ſuis digitis prominentiora propellendo, ima foras attrahendo, & quæ deorſum tendunt, ſurſum, & quæ ſurſum ſunt deorſum compellendo, Fracturam componat. Si ergo Iugulum ad interiora ideſt ad Scapulas tendat, alter ex miniſtris ambabus Manibus fractæ Clauiculæ adiacentem humerum in poſteriorem ſimul, & ſuperiorem partem attrahat, alter oppoſitum Humerum, vel certe Collum ad partem aliam extendat, & Medicus interim Digitis oſſa oprime componant, & ſi maiori extenſione ſit opus, Globulus, ſiue grandis Pila ex Panno ſiue Lana, vel quali-

qualibet alia simili materia præparata. Alæ subiciatur, & Cubitus aduerso lateri adigendus, donec ad Costas perueniat, vel illi appropinquet, & sic extensa parte Medicus suum opus exequatur. Nisi verò ita etiam tanta extensio fiat, vt ossa componi possint, resupinandus est Aeger, & intra Scapulas iuxta spinam gibbosum Puluinar, siue rotundum Ceruical, siue talæ quidpiam ponatur, vt hac via Thorax recuruetur, ita igitur Aegro figurato, Minister vtrosque Numeros deorsum deprimat, vt in alto existens Iuguli os, sursum reuocetur, & sic deductæ Iuguli partes plurimum inter se recedunt, & tunc Medicus Digitis deductas Iuguli partes in vnum adducat, ac conformet. Alij iubent ministro, vt ponat Genu in medio Spatulatum, & valide ad posteriora humeros trahat, & tunc Medicus Fracturam componat. Dictis ergo modis, non solum, quod in interiorem partem inclinat, sed quod in latus tendit, ac prorumpit, commode restituitur.

Si ad Anteriora Iugulum conuersum sit, Humerus in priorem partem adducendus, & os fractum retro compellendum.

Si deorsum sit prolapsum, non id os, quod à Pectore est deprimendum, sed quod ab Humero est attollendum, & ideo *Hipp. loco superius citato inquit*; Decipiuntur, qui censent posse, quod superexcedit os deorsum compelli; namque in aperto est, inferiorem partem ad superiorem adducendam esse, ea siquidem mouetur, & ea à naturali sede recedit. Si forte accidat, quod rarò fit, vt id os, quod à Pectore est, subyciatur, & quod ab Humero est sublimius feratur ac super alterum excedat, nullo magno præsidio est opus, vt Hipp. inquit. Demisso enim scapularum osse cum Humero, recte ossa inter se concurrunt, cum demissa summitate lati scapularũ ossis, siue Humeri, simul etiam demittatur ea Iuguli pars, quæ ipsi continuatur.

Si os Iuguli in plures partes sit confractum, & aliquod ossis frustulum pungens ab alijs separatum adinueniatur; Scalpello incidi contra Cutis debet, & fragmenta inde eximenda, & si alia ossis acuta fragmenta ad sint, quæ pungant ac carnem Vulnerent etiam supposita Lamina Membranæ custode, ne inferior Membrana Vulneretur, præcidenda, & scalpris ossa complananda sunt, & retusa ossa committenda. Et nisi Inflammatio partem infestet, futuris Vulneris labia committenda, & desuper Medicamenta cruentis Vulneribus dicata applicanda. Si inflammatio ad fuerit. Linamentis Oleo madidis vti debemus, & alijs Med. Inflammationi conuenientibus. Et si quid ab aliqua parte emineant, apponendum ei triplex Linteolum, vel quid simile, Vino, & Oleo madidum. Si cute integra plura fragmenta, persentiantur, & pungentia non sint, Ferula ex Cario cocto, vel alia simili materia, Canaliculi instar, præparanda, & intus Pice, vel Cera, vel alia simili materia obducta ea fragmenta excipienda. Optime Iuguli ossibus coaptatis, superponatur Ceratum, vel aliquod aliud ex Medicamentis in fractura aliorum ossium superius dictis. Deinde congrua deligatio facienda, & semper affecti Iuguli Alæ Globus, vel Pila ex Lana, vel alia simili materia præparata subycienda, & fascia, si dexterum Iugulum sit fractum, ab ea parte ad sinistram Alam circumducatur, & à sinistro Iugulo ad dexteram Alam, rursumque sub Ala sua tendat Vinculum, notandum, vt Celsus inquit, quod fascia potius circumdanda est sepius, quam valentius. Post hæc si iugulum ad scapulas inclinatum est, vel sursum tendet, Brachium ad latus si in partem priorem, siue ad inferiora tendat ad Ceruicem suspendendũ est, & Patiens supinus situandus, eique iubere debemus, vt in quiete maneat, & tenui victu, saltem spacio decem dierum, vtatur, & fascia septem dierum spacio non soluatur nisi pruritus, vel dolor, vel quid aliud partem infestet, & si quotidie laxior fascia sit, quotidie aliquantisper adstringatur, & si opus fuerit, Cephalica Vena ex opposito Brachio secetur, & peccantes humores conuenientibus Medicamentis euacuentur.

De Scapulæ Fractura. *Cap. 16.*

Scapula est id latum os triangularis figuræ, quod in posteriori parte ad Spinam tendit, & in anteriori in processum quendam desinit summum Humerum, siue Acromion dictum, cui iugulum implantatur, & in hac parte parum

Fractura Differentiæ.

per curuus eſt, vt magis iniurijs reſiſtere poſſit. Hoc igitur os raro frangitur in illo proceſſu ſummo Humero, ſiue Acromion dicto, & ſi forte frangatur, vel ad intra, vel ad extra tendit; Interdum ac ſepius iuxta Spinam, & in alijs ſuis extremitatibus frangitur, quibus in locis, vel exprimitur, vel ſimpliciter rumpitur, vel etiam abrumpitur, *vt Paul. lib. 6. cap. 95. inquit.*

Signa.

Si Acromion, ſiue ſummus numerus dictus frangatur, vel tendat ad intra, vel ad extra, ſtatim viſui, & tactui innoteſcit, præſertim ſi ægra pars cum ſana comparetur. Si iuxta Spinam, vel in alijs ſuis extremitatibus expreſſio fiat, tactu præcipue dignoſcitur, cum ſinus in parte illa percipiatur, & in proximo Brachio torpor quidam, ac pungens dolor, à patiente perſentitur; Si ruptio accidat, ex loci aſperitate, ſi attrectetur, & dolore in noteſcit; Abruptio ſimiliter tactu ac dolore deprehenditur.

Prognoſticum.

Fractura quæ eſt in ſummo Humero, vel inclinet os ad intra, vel ad extra, difficilius in propriam ſedem reſtituitur, facilius verò Scapula in partibus alijs componitur. Ex Pauli ſententia ſimiliter ſcapula in ſui lata parte non frangitur, ſed tantum in extremitatibus, & viginti quatuor dierum ſpacio hæc oſſa ſcruminantur, ac bene conſolidantur.

De Curatione Fracturæ Scapulæ.

VT ſummus Humerus fractus recte componatur, quocunq; os tendat, Medicus Manu ſummum Humerum comprimat, & miniſter, vel Medicus altera Manu apprehenſo humero recte deorſum ac valide trahat, & ſic in priſtinam ſedem talia oſſa ſepè reducuntur. Nſi ita in proprium locum reſtitui poſſint, & maiori vt ſit opus, magna Pila ex Lana, vel ex Linteis, vel ex Stuppa, vel alia ſimili materia facta, ſub Axilla ponatur, & deorſum humerus trahatur, cubitum ad coſtas adducendo, & interim Medicus Manu fracturam comprimat ac æquet, Fracturæ in alijs extremitatibus facillime, vel comprimendo, vel ſubleuando, ſicuti eſt opus, æquantur, ac componuntur.

His oſſibus optime compoſitis, & in propria ſede quieſcentibus, à principio ſuperponantur Linteæ, vel ſubtiles ſtuppæ, & bene pexæ imbibitæ in Oui albuminibus, cum Oleo Roſaceo, vel Myrtino mixtis, vel aliud Medicamentum inflammationibus dicatum applicetur. Deinde Medicamenta in aliorum fractorum oſſium curatione propoſita apponi poſſunt. Applicatis Med. Aliqui in Acromij fracturæ leues ferulas ex Corio factas vel alia ſimili materia ſuperponunt; Deinde pars, ſicuti ſuperius de Iugulo fracto diximus, eſt vincienda, & primis diebus in ſummi Humeri fractura pila ſub Ala vincienda, taliſque deligatura vſq; ad ſex vel ſeptem dies non renouetur, niſi aliquo prauum Symptoma ex ſuperius dictis accidat. Si verò aliquod os pungens in hac etiam fractura eſſet, ſicuti in ſuperiori curatione diximus, ſuperpoſita curis incidenda, & os pungens extrahendum, & Vulnus conſuendum, & frœni cruenta Vulnera curandum.

Cubet patiens in oppoſitum latus partem in quiete ſeruet, & circa victum, & alia vniuerſalia, ſicuti de Iugulo curatione fuit dictum, ſe gerat.

De Fractura Oſſis Pectoris.

Cap. 17.

PEctoris Os, etiam Sternon dictum, vt inquit *Gal. lib. de Oſſibus cap. 13. & lib. 7.* de Vſu partium eſt os illud, quod in medio Thoracis poſitum eſt, & in Enſiformen Cartilaginem deſinit, quod vt plurimum ex ſeptem oſſibus conſtat, ſicuti ſeptem Coſtæ veræ, & legitimæ vtrinque in ipſum inarticulatæ ſunt, quarum in hominibus prouectæ ætatis ita inuicem connectantur, vt ex binis dumtaxat, vel ternis oſſibus conſtitutum videatur, & huiuſmodi oſſa per Synarthroſin inuicem alligantur, & ſunt fungoſa, tenuia, & ſolidiora ab anteriori parte, quam à poſteriori, & huiuſmodi à Natura Pectoris os fuit fabricatum, vt Cordis, Pulmonis, Diaphragmatis, ſiue ſepti tranſuerſi, & Ventriculi eſſet propugnaculum, vtque etiam legitimæ coſtæ cum eo connecterentur.

Fracturæ ſpecies.

Hoc igitur Pectoris os, *vt inquit Paul. lib. 6. cap. 96.* diuiditur, exprimitur, & ſummum eius etiam frangitur.

Signa.

Ruptionem indicat dolor loci diſtorſio, inæqualitas, & ſtrepitus, qui ad digitorum

Signa. gitorum innixum auditur; Expressionem arguunt, vehemens Dolor, difficultas spirandi, Tussis, pleuræ seu succingentis Membranæ punctio, & interdum sanguinis spuitio, fractique ossis cauitas, & conuexitas apparet.

Prognosticum. Pectoris os, cum spongiosum sit, viginti, vel viginti quatuor dierum spacio, ferruminatur ac consolidatur, & cum vitæ periculo, vtplurimum ob nobiles ei suppositas partes, frangitur.

De Curatione Fracturæ Ossis Pectoris.

VT in huius ossis expressione in propriam sedem os restituatur, sicuti in Iuguli fractura, & ad interiora tendente, os restituendum. Resupinandus ergo est patiens, & rotundum Ceruical, vel quid simile inter scapulas, ideſt, sub spina ponendum, & à ministro vtrique Humeri deorsum deprimendi, & à Medico Costæ, vtrimque Manibus comprimendæ, vt ossa in pristinum statum redire cogantur, sic si aliæ fracturæ species supertus dictæ adsint, sicuti in superioribus curationibus diximus ossa in propriam sedem compellenda ac componenda. Hoc facto, ideſt ossibus in propriam sedem restitutis, primis diebus ea Medicamenta applicanda, quæ inflammationibus sunt dicata, sicuti sunt Oui albumini cum Rosaceo, vel Myrtino Oleo mixta, & his similia, deinde quæ ossa confirmandi facultatem habent. Appositis Medicamentis latera molli Lana obducenda, vtque Galenus lib. de Fascijs inquit, sic hæc pars deliganda.

Duæ Fasciæ iuxta longitudinis Humerorum capitibus injciendæ, & eorum capita, vt dependeat sinere debemus. Deinceps glomerata fascia Thoracem totum, supra dictas dependentes fascias obuoluimus, & latera, vt contegantur, extremaque fasciam modo alligamus, siue potius affuimus. Capita verò primarum fasciarum, quæ, & à priori, & à posteriori parte pendent, fasciæ circuitibus assuimus, vel si longiora fuerint, sursum conuersa, qua Iugulum cum lato scapularum osse committitur, inter se alligamus; Maneat in quiete, & in ea parte cubet, in qua melius se habere videatur, & circa victus rationem, & cætera vniuersalia, idem ordo, quem in superioribus curationibus instituimus, seruetur.

De Fractura ac Collisione Costarum. *Cap.* 18.

COstæ similiter ad partium intra Thoracem contentarum tutelam a Natura factæ fuere, quę vtrimque duodecim sunt, quarum septem sunt veræ ac legitimæ, & hæ sunt totæ osseæ. Quinque inferiores notæ, siue Mendosæ, & Spuriæ vocantur. Vere, & legitimæ in qualibet sui parte frangi possunt. Notæ siue mendosæ tantum in ea parte possunt abrumpi quæ Spinæ adiacet, in qua parte tantum sunt osseæ, in reliquo verò sunt Cartilaginosæ, & ibi tantum colliduntur, & minime franguntur.

Fracturæ species. *C. Celsus lib. 8. cap. 9. inquit.* Quod Costæ interdum sic finduntur, vt ne summum quidem os, sed interior pars eius, quæ rara est, lædatur, aliquando ex toto frangitur, & tunc interdum fracta ossa ad intra declinant, interdum ad extra protuberant, & aliquando absque Fractura tantum deprimuntur, vt pueris sepe accidit, & aliquando etiam si ex toto frangatur, proprio loco non dimouetur, & ad nullam partem inclinat. Interdum Costæ colliduntur, vel caro circa Costas atteritur, vt quando homo percuritur, vel cadit, vel re aliqua vrgetur, aut alio tali modo.

Signa. Si Costa tota non est fracta, nec sanguis exputur, nec febricula sequitur, nec quicquam suppurat, nisi admodum raro nec dolor manus adest, tactu tamen vt *Celsus inquit is locus neuiter indolescit. Si tota est fracta, vt Paul. lib 6 cap 97. inquit.* Notio ipsarum admodum expediat eiu modi qualitas enim loci, & sterpitus, & ad partem fractam peruersio digitis explorantibus succurrit. Si ad extra facta costa tendat statim Digitis persentitur, & praua Sympromata non inducit. Si verò ab intra declinauerit, dolor acris, & aculei modo pungens, ob succingentis Membranæ conuulnerationem persentitur, spirationis difficultas, Tussi, Sanguinis sputu, grauis Inflammatio, Febris, & ferè omnia pleuritidis signa concomitantur.

Si comminuta Costarum ossa neque in

teriorem partem compellantur, neque in exteriorem, vt *Hipp. 3 de Articulis inquit, pauci admodum febricitant.* Sed neque multi sanguinem ipuerunt, nec multis item contractum est pus in Thorace, aut Linamentis opus fuit, aut vitiatum os est.

Costæ depressio similiter tactu dignoscitur, spirandique difficultatem efficit, præsertim quando est magna, & ad tussiendum sæpe irritamentum præbet, vel siccam tussim excitat.

Prognostica Signa.

VBi Costa abrumpitur si Fractura simplex, & solat sit, idest absque circumsitarum partium læsione, & si casus asperior videatur, quam vbi atteritur, tamen celerrime, & sine periculo curatur. Et Costæ fractæ viginti diebus consolidantur, & cito in his omnibus Callus increscit, vt loco citato inquit Hipp.

Vbi verò Caro circa Costas atteritur, qui sic affecti sunt, in maximo vitæ periculo reuoluuntur, & si euadant, tardius dolore liberantur, quam quibus perfracta est Costa. Atque in huiusmodi casu dolor seu locum repitit, & exquisita curatione egent, inquit *Hipp 3. lib de Articulis, & Gal. in eius Com. deinde sub iungit.* Si Contusio, siue Attritio, quæ circa costas sit, negligatur, & si in id malum deterius non incidat, carnem tamen magis mucosam habet in loco attrito quam prius, & vbi tales relinquitur, nec curatione ad bonum habitum restituitur, res peior est, si mucosa circa os ipsum relinquatur, quum caro non amplius si nihil os attingat, & ipsum os morbis opportunis redditur, ob eiusmodi autem causas ossa multis vitiantur, quia malum diutius extrahitur.

Vbi verò in Fractura Costæ ossa in partem interiorem compelluntur, & Membranam pungunt, vel Vulnerant, maximum vitæ periculum adest, & si euadant ad quadragesimum diem curatio producitur. In Attritione similiter si à principio sanguinem expuant, habenda cura, & alligandum vsque ad quadraginta dies inquit Hipp. Si sanguinem non expuant, ferè viginti abunde sunt. Conijcere autem tempus ex vicibus oportet.

De Costarum Fractarum Curatione.

SI Costa tota fracta non sit, vel si sit tota, fracta, tamen proprio loco non sit mota, & circumsitarum partium contusio, non adsit, nec febris, nec sanguinis sputum nec ingens dolor, Med. Inflammationibus dicata mollibus Linteis, vel subtilibus, & bene pexis stuppis, primis diebus superponenda, sicuti sunt Oleum Rosaceum, vel Myrtinum cum Oui albumine, vel cum Vino mixtum, quibus etiam addi potest puluis Mannæ Thuris, vel ipsius Thuris, vel volatilis farina, & his similia, deinde fascia duobus capitibus agglomerata pars alligandæ, Fasciæ medium super affectam partem dando, & duo capita vtrinque circumdanda, & leniter adstringenda, ne in alterutram partem cutem, & carnem trahant, vt *Celsus lib. 8. cap. 9. inquit.* Et loco superius citato Hipp. in propositis casibus inquit. Ab exteriori parte vincire quouismodo satis est tantum cerato, & pannis, fasciisque leniter adstrictis debemus æquale vinculum reddere, aut etiam lene aliquid superinicere. Quo ad victus rationem, inquit eodem loco Hipp.

Vbi continens febris non inuadat, deterior est inedia, quam cibus, & dolorem, & febrem, & Tussim magis concitat, venter enim modice repletus costas dirigit, quas inedia suspendit, & vbi suspenduntur, dolorem inferunt. Cibis ergo vbertioribus vti debemus, vt corpus quam plenissimum fiat, nisi continens febris adsit. Si verò febris continens hominem occupat, inedia conuenit, cum magis tunc patiens ledatur à cibo, quam à costis non fulcitis, vt Gal. in com. inquit; Ob eandem etiam causam Ventricosi, si costæ fracturam experiantur, minus dolent, quam graciles, cum hi costas sine fulcro suspensas sentiant, vt idem Gal. inquit. Per totum curationis tempus similiter vitandus clamor, Sermo, Tumultus, Ira, vehementior corporis motus, Veneris vsus, Fumus pul-

puluis, & quicquid vel Tuſſim, vel ſternutamentum mouere poteſt, neque ſpiritum quidem magnopere continere expedit. Si ad extra verò coſtæ fracta oſſa inclinent, manus compreſſione oſſa in propriam ſedem reducenda, ac æquanda, & ſi ad aliquam partem declinent, digitis componere licet, præter eam, quæ interius ſpectauerit, cum nulla intendendi detur facultas, vt *Paul. lib. 6. cap. 79. inquit*. Compoſitis ac bene æquatis oſſibus ſuperius dicta Med. applicanda, dictoque modo pars vincienda.

Quando verò fractarum coſtarum oſſa interius ſpectant, Soranus inquit, Lanis Oleo calido imbibitis partes operiantur, deinde intercoſtalæ Linteis implicitis impleatur, vt plana per orbicularem circumductum, veluti in pectore fiat faſciatio, & omnia poſtea agenda ac inſtituenda, perinde atque in pleuritidis curatione.

Non debemus autem flatulentis cibis Aegrum nutrire, vt aliqui faciunt, vt ex cutis extenſione ac inflatione facta coſta intus vergens, foras propellatur, cum nihil commune habeat Thorax cum viſceribus nutricatorijs, *vt Paul. inquit*, Neque Cucurbitula ſuper Fracturam applicanda, vt alij faciunt, quoniam corpora ex contractione humorum collecta fractum os magis interius propellunt, vt idem inquit. Si verò non ſolum oſſa fracta ad intra inclinent, ſed etiam ſuperius dicta praua Symptomata adſint, vt dolor punctorius, ingens Febris, Inflammatio, Reſpirationis difficultas, Tuſſis, ſanguinis ſputum, & his ſimilia, ſi vires patiantur, quamprimum a Brachio eiuſdem lateris Vena ſecanda, & quartus ſit ſecundum vires, & niſi Venæ ſectionem poſſit aliquis Medicamentis minime acribus ſoluenda ac euacuanda, & tenui victus ratione diutius, ideſt ſaltem decem dierum ſpacio, vti debemus, & ſuper affectam partem mollis lucida Lana Medicamentis Inflammationibus dicatis imbibita, & expreſſa applicanda, & ſicuti ſuperius fuit dictum pars laxe vincienda, & omnia ſuperius dicta multo magis vitanda, adeo, vt ne ſpiritus quidem ſepius mouendus ſit, vt *C. Celſus loco citato inquit*. Et ſi Tuſſis Aegrum affligat, Electuario de Farfara, de Pſillio, Seminis Lini, & his ſimilibus tuſſim ſedantibus Medicamentis lambendo ſumptis, Tuſſis ſedanda, vel minuenda.

Si ingentiſſimi dolores Aegrum torqueant, Catapl. ex Farina Lolij, vel Hordei, cum Oleo Roſaceo, vel Myrtino, Vino, vel paſſo Caricis pinguibus S. A. compoſita applicanda, vel Linte. in Medicamentis Anodinis ſuperius dictis imbibita, & expreſſa ſuperponenda, & quotidie renouanda, & ſi neceſſitas nos cogat, inquit *Paul & Auic. etiam*; nimia membranæ coſtas ſuccingentis punctura.

Diuidenda in eo loco cutis eſt, fracteq; coſtæ pars dirigenda. Deinde ſub recta coſtode Tunicæ lamina, ne ea feriatur, coſtam accurate excindere, pungentiaque fragmenta educere expedit. Poſt hæc ſi Inflammatio deſit, coniungere, & cruentorum Vulnerum modo curare conuenit. Si Inflammatio adſit, Linamentis Oleo madentibus pars contegenda, & alimenta, & Medicamenta, quæ Inflammationem Arcent, inſtituenda, decumbatque Aeger modo, quo leuius perferat.

Si ad ſuppurationem tendat, curandum vt materia reſoluatur, & euacuetur, apponendo Catapl. factum ex farina Lolij, vel Hordei, vel Fabarum, cum Caricis pinguibus, Oleo Roſaceo Amygdalarum dul. Liliorum, & his ſimilibus, veluti eſt inſtitutum.

℞. Florum Chamæmoli, Meliloti, Sambuci an. P. 2. Parietariæ M. 1. Farinæ Fabarum, Hordei an. vnc. 5. Olei, Chamemoli 3. Amygd. dul. an. vnc. 2. Roſacei vnc. 1. Adipis Gallinæ vnc. 5. & S. A. fiat Catapl.

Non per ſuprascripta Medicamenta, vel his ſimilia diſcuti poterit, vt C. Celſus inquit, omnis mora vitanda erit, ne os infra viuatur. Sed qua parte maximè tumet, demittendum erit candens ferramentum, donec ad pus perueniat, idque effundendum.

Si vſquam pus appareat, ac perſentiatur, vbi maximè pus ſubit, ſic intelligimus, Creta Cimolia totus locus illinendus, vtque ſiccetur, permittere debemus, & quo loco humor in ea maximè perſeuerauerit, vbi pus continetur, & ibi vſtio facienda. *Quando contentis deuenire piſſimus.*

Si latius aliquid abſcedat, duobus, aut tribus locis ignito ferro erit perforandum, & Linamentum, ſiue Penicillum conue-

nienti Medicamento illinitum, & filo alligatum, vt facile educi possit, demittendum, vtque cætera adusta, quousque Vlcus purum fuerit, curandum. Puro existente Vlcere, Sarcoticis Vlcus nutriendum, Aequali Vlcere reddito, Epulotica applicanda, & interim optimis cibis corpus reficiendum.

Fracturæ differentiæ.

De Curatione Collisionis, siue Costæ Attrictionis.

IN Carne circa Costas detrita, exquisita similitèr curatio conuenit, cum in tali casu omnia praua Symptomata superius enarrata accidere possint, & ideo saltem decem dierum spacio extenuans victus ratio competit, deinde paulatim corpus reficiendum, Silentium similitèr corporis maxima quies, & à Venere abstinentia conuenit, Vitanda etiam fauces exasperantia, ac tussim mouentia, sicuti sunt pinguia, acuta, & acria, & hoc faciendum quoniam affectæ partes maxima egent quiete. *Ad hoc etiam inquit 3. de Articulis Hipp.* Venam secare in cubito conuenit, idest eiusdem lateris, vt Inflammatio deuitetur, & Aluum aliquo leui Med. molliri, quod deiectionem citet, inducereq; super sedem attritam pannos non multiplices, sed complures, & multo latiores, quam sit locus attritus, cerati inunctione adhibita, idest ex liquido cerato, quod sit ex Cera, & Oleo Rosaceo, vel alio simili ad Inflammationem sedandam, & dolorem leniendum Med. Linteisque latis, ac fascijs ita latis, & mollibus alligare, modiceque adstringere, ita, vt qui deligatus est, dicat sentire se vinculum non valde adstrictum, neque item laxum. Inde autem ordiri debet, vbi locus est attritus, ibique maxime insidere. Inijciendum verò vinculum medium, vt superius etiam nos diximus, & in vtramque partem attrahendum, ne cutis circa Costas in alteram partem inclinet, sed sine inclinatione, seruetur. Deligandum autem vt singulis diebus, vel tertio die, & dum Aeger inedia vtitur, arctius alligandus est, vbi pleniori victu, laxius. Deinde resoluentia Med. vel in Cataplasmatis, vel cerati formam applicanda, donec siccetur, & discutiatur sanguis in attrito loco suffusus, & caro integra ibi augeatur, & huiusmodi sunt, Oleum Chamemolinum, Amigdalarum dul. & Amararum, Liliorum alborum, Anethinum, Farina Fabarum, Hordei, Erui, Lolij Sem. Lini, Fenugreci, Puluis Florum chamemoli, Melilotum, & his similia.

Quibus verò vel ob Medici vel Infirmi negligentiam morbus inueterauerit, & pars continuo dolore afficiatur, & Caro mucosa adest, qui mucosus humor, vbi Ossa Cartilagines, & Membranæ leduntur, sepe in carnem, ob consortium contrahitur, vel ob mucosum, & pituitosum humorem defluentem. Cum ergo huiusmodi succus mucuosus, & glutinosus profusionibus, Cataplasmatibus, & alijs resoluentibus Med. dissipari, excerni, ac euacuari non possit; *Ideo Hipp. inquit.* His ferramentum candens optima Medicina est, quod si caro ipsa mucosa sit, adurere conuenit vsque ad os, ea obseruatione, ne hoc ipsum calefiat. Vbi inter Costas hoc fuerit, neque sic in summo conuenit adurere. Cauendum tamen est ne candens Ferramentum penetret vsque ad partem interiorem; Vbi sedes iuxta os attrita esse videatur; Sed recens casus sit, neque os ad hæc vitiatum fuerit, vel si vitiatum sit, vitium est exiguum, ita curare conuenit, sicut dictum est, ne mucosus humor intus coeat, & postea cutis contra mollescat. Sin oblongum sit, quod in osse attolitur pluribus in locis adurere expedit.

De Fractura, & Contusione Spinæ Dorsi. *Cap. 19.*

DOrsi Spina est Vertebrarum omnium contextus, & sicuti quædam corporis Carina, quæ, vt plurimum triginta quatuor ossibus constat, quæ à Græcis spondilia, à Latinis Vertebræ appellantur, inter quæ Cartilagineum ligamentum interiacet, & per Arthrodiam speciem inter se articulantur, & omnes Vertebræ peruiæ, & perforatæ sunt, præter extremas, quæ sunt caudæ, & per dictarum Vertebrarum cauitatem spinalis medulla, à Cerebro ad inferiores partes, descendit, & quanto superiores Vertebræ foraminis latitudine inferiores superant, tanto inferiores ossis crassitie superiores excedunt.

Fracture speciei.

Signa.

Diuidi verò potest spina in quinque partes,

partes in collum siue Ceruicem, in Dorsum, Lumbos, Os sacrum, & in caudam. Ceruix siue collum ex septem vertebris constat, & est id, quod ab occipitis extremo ad Humeros interest, Ceruicis vertebris Thoracis siue Dorsi vertebræ adnectuntur, quæ duodecim sunt. His verò Lumborum Vertebræ, quæ quinque sunt numero committuntur, & Lumborum Vertebris ossis sacri Vertebræ, quæ sex numero sunt coniunguntur, & his Coccygis, siue Caudæ, ossa in inferiori parte adnectuntur, & hæ quatuor caudæ vertebræ vt diximus, peruiæ, & cauæ non sunt, nec medullam continent, sed sunt spongiosæ, & in pueris potius Cartilaginis, quam ossis naturam sapere videntur, immo postrema potius cartilaginea, quam ossea, à natura fuit facta, ne Recto Intestino proxime assidenti officeret. Vertebrarum nodul, vt inquit *Paul. lib. 6. cap. 99. ac etiam Auic.* Contusionem aliquando, & interdum fracturam experiuntur, licet raro præcipue in eius rotunditate, in alijs verò partibus sepius fractura fieri potest.

Signa. Et quando in Dorsi Spina Fractura accidit, locus concauus fit, & ibi etiam punctiones persentiuntur, quum necesse sit ea fragmenta spinosa esse, vt *Celsus lib. 8. cap. 9. inquit*, & patiens in interiorem partem subinde nititur. Si quis Vertebrarum processus, idest illorum, qui extuberationem efficiunt, frangantur, digitis tentantibus innotescit, cum huc, & illuc moueri persentiantur, propriumque situm non seruet.

Prognostico. Spinalis Medullæ igitur Membranulis compressis, vel ipsa etiam Medulla, Nerui per consensum afficiuntur, & pernix obitus subsequitur, præcipue si iuxta ceruicis vertebras accidens fractio. Quare Medici officium est, periculum prædicere, vt *Paul locus citatus inquit, & Albucasis lib 3, cap. 10. dixit.* Si contusio vel fractura in parte superiori fuerit, idest in colli vertebris, Brachiorum ac Manuum Paralisis sequitur, idest omnimoda sensus, & motus deperditio. Si autem in parte inferiori, fit Paralisis inferiorum partium, vt fæmorum, Crurum, ac Pedum. Similiter inquit idem Autor. Si secum inuoluntaria egestio ob vertebrarum fracturam siue contusionem fiat, vel Patiens quando appetit, mingere nullo pacto potest, mortale est signum, & ideo in curatione Medicus laborare non debet. Si verò dictarum partium motus, & sensus non omnino fuerit deperditus aliqua spes salutis adest.

De Curatione Fracturæ, & Contusionis Spinæ Dorsi.

IN Spinalis Medullæ, siue eiusdem Membranarum compressione, & si casus fere desperatus sit, vt superius diximus, tamen, vt *Paul inquit facto prognostico*; Siquidem fieri potest, Medicus accedere, & conari debet, facta sectione, osticulum, quod comprimebat auferre; Sin minus Medicamentis Inflammationibus dicatis, & dolorem lenientibus, quorum pluries in superioribus mentionem fecimus, malum lenire debemus, vel superponatur Medicamentum factum ex assatis Ouorum luteis, & Oleo Rosaceo, vel applicetur infrascriptum Cataplasmata quod egregie dolorem lenit, ac sedat. ℞. Furfurum Tritici M. 2. Florum Chamemoli M. 1. Salis vnc. 1. M. & omnia coque in passo, Sapa vulgo dicta q. suff. & S. A. Fiat Catapl. Dolore sedato exsiccantia, & partem roborantia Catapl. applicanda, & sicuti decet, pars vinciatur.

Si verò Vertebrarum extuberans processus fuerit fractus, incisa superposita cute, fractum osticulum extrahendum, & ad mutuum contactum futura Vulneris labia adducenda, & sicuti cruenta Vulnera curandum. Si os sacrum abruptum fuerit ita situandus est Aeger, vt Medicus sinistræ manus indice in Anum demisso, & deforis applicata dextera omni meliori modo fracta ossa in propriam ac naturalem sedem ac figuram componere, ac reducere possit, in proprium locum ossibus restitutis, Med. in adstringentibus, & exsiccantibus pulueribus, & oui albumine compositum superponatur. Et si aliquod ossis frustulum abruptum persentiatur, sicuti superius diximus, diuisa superposita cute, auferendum, & sicuti fuit dictum, curandum deinde est. Si caudæ os fuerit abruptum, sinistræ Manus pollex, vt Albucasis loco citato inquit, in Anum immittatur, & cum dextera Manu deforis, quatenus fieri potest, ossa æquentur, & in pristinam sedem reponantur, deinde superiur

sius dictum adstringens, & exsiccans Medicamentum applicetur, & conueniens, Ligatura fiat, & cubet æger in eo situ, in quo minorem dolorem perfesentit.

Si verò Contusio adsit, infrascriptum Catapl. superponatur, quòd optimum est ℞. Radicum Maioris, & Min. Consolidæ an. vnc. 3. Florum Chamemoli Meliloti an. vnc. 1. Croci scrup. 1. Farinæ Fabarum vnc. 2. Farinæ Fenugræci vnc. 1. Absinthij, Cumini an. vnc. 5. Primùm in Aqua Radices coquantur, deindè adde Absinthium, & Cuminum, & reliqua, & S. A. fiat Cataplasma.

Quoad vsus rationem, & cætera vniuersalia, fiat sicuti in superioribus fuit dictum.

De Iliorum, siuè Coxendici ossis Fractura. *Cap.* 20.

ILium, siuè Coxendici ossa, illa dicuntur, quæ vtrinq; à lateribus sacri ossis extant, & cum eo committuntur, quorum vtrumque tribus ex ossibus constituitur, & per connexum, siuè vnionem in hominibus coalescunt, & eorum. Primum, elatiorem sedem, quæ lateri respondet, constituens, os Ilium dicitur. Secundum inferiorem sedem occupans qua femoris ossis caput infertur, Coxendix appellatur. Anterior pars, Pectinis, siuè Pubis os dicitur, quòd est tenuium; Et huiusmodi ossa ita, & tam grandia à natura facta fuere, vt fœtus ipsis articularetur, vtq; intestinis, vesicæ, non etiam in mulieribus vtero commendis opitularentur.

Fracturarum differentia.

Huiusmodi ergo ossa eadem ferè fracturarum differentias experiri possunt, quas scapulæ; Vel enim in extremitatibus, siuè eius marginibus frangutur, vel per longitudinem abrumpuntur, vel in medio finduntur, seù exprimuntur, & ad interiora declinantur.

Signa.

Innotescunt verò huiusmodi fracturæ ex loci dolore, qui tactu, ac partis compressione augetur, & si extremitates sint fractæ, tactu fractura percipi potest, & in eiusdem lateris crure punctionis, & pulsus sensus repentinus, facta expressione stupor ab infirmo persentitur.

Prognosticum.

Huiusmodi ossa, vt inquit *Paul. lib. 6. cap. 98. & Albucasis lib. 3. cap. 11.* raro franguntur, & eodem tempore quo scapularum ossa consolidantur, cum hæc etiam sint ossa spongiosa.

De Curatione Fractura ossium Iliorum, siue Coxendicorum.

QVando ergo horum ossium fractura accidat, Si fractura est in extremitatibus, digitis vel manu ita ossa componenda, ac æquanda, donec naturali figuræ assimiletur. Si verò per longitudinem frangantur, vel ad interiora declinent, ita statuetur patiens, vt super ventrem iaceat, & Medicus manibus sicuti decet fracta ossa componat, ac æquet; Optimè compositis ossibus, ea Medicamenta applicanda, quæ dolorem leniendi, & fracta ossa stabiliendi, ac confirmandi vim habent, quorum abundè in superioribus mentio fuit facta & præcipuè profusiones conueniunt, vtq; fracta ossa coaptata seruentur, illorum cauitates duplicatis Linamentis Rosaceo, & Vino imbutis replendæ, vt fascia æqualiter, ac orbicularitèr commode alligari possit. Id in etiam faciendum, si Pubis ossa sint fracta, cum nihil peculiare in talium ossium fractura adsit, & cubet patiens supinus, vel superlatus tamen, & in quiete maneat, & tandem, vt Paul. inquit, eamdem adaptationem, & curationem hæc fracta ossa requirunt, quam scapularum ossa, præter quam, quod in abruptionem incisionem, fragmentorum exemptionem, ob exteriorem corporum periculum, aduersantur, & in tali casu, vt puogentia ossa coaptentur, quatenus fieri potest, curare debemus, & si continuo puogant, ac ægrum affligant, ne ex dolore humorum confluxus, & inflammatio, vel aliud quod aliud malum excitetur, vt Albucasis inquit, ad incisionem, & pungentis ossis extractionem omni diligentia veniendum.

De

De Humeri Fractura.
Cap. 21.

HVmeri os id appellatur, quod inter Cubitum, & Humerum interiacet, & superiori verò Vulnæ, siue Cubito, & Radio articulatur, & huiusmodi os est magnum, durum, intus cauum, & medulla repletum. Et in hoc osse omne fracturarum genus fieri, nam, & recte, transuersè, & obliquè frangi potest.

Signa. Cognoscitur verò transuersa, & obliqua fractura, non solum ex partis dolore, & ex actione lesa, cum cutibus amplius sustineri ac eleuari nequeant, sed etiam tactu, cum si talis pars præmatur, ossium fragor ac strepitus auditur, & inequalitas persentitur, vtque fere omnes Autores inquiunt, quando Humerus frangitur, vt plurimum ad exteriorem partem declinat.

Si verò per rectitudinem huiusmodi os frangatur, ex dolore, membri crassitiæ, & inæqualitate innotescit.

Prognosticum. Humeri os, vt *Hipp. 2. lib. de Fracturis, Paul. lib. 6. cap. 100. & Celsus lib. 8. cap. 7. inquiunt, quadraginta diebus conferuent.*

Nam, vt Hipp. inquit, quo grandius est Humeri os, eo longiori tempore Callum glutinatur.

De Humeri Fracti Curatione.

Primus Humeri extendendi modus QVomodo autem os Humeri fractum extendi, & componi debeat, modi sunt, tres, Hipp. loco superius citato modum vnum nos docet, vult enim hic sapientissimus Senex, vt rotundum lignum cubiti longitudinis vel paulo breuius ab vtroque capite habenulis alligatum, quæ Trabi, vel alicui sublimi alligentur, & sic æquatèr, & firmitèr lignum suspendatur, ne sursum, vel deorsum ferri possit; Deinde Aeger Brachium super dictum Lignum imponat, id est, vt transuersum Lignum Alæ subijciatur; Tùm dictus patiens sedat ita sublimis, vt parum absit quin suspendatur, tùm aliquod aliud paretur, cui Brachium inhereat, pulsinari vno, vel pluribus Brachio suppositis, ita vt ad eam altitudinem perueniat, vt cubitus ad rectum angulum collocetur, vel à ministro aliquo ita detineatur. Deinde Cubito valida mollis, & lata habena circumdetur, cui magni ponderis aliquid suspendatur, vt Lapis, plumbum, vel quid simile, quod extendere conuenienter possit, aut robustus aliquis in inferiorem partem, cubito cum humero ad rectum angulum figurato cogat ac trahat. His factis, Medicus stans altero pede super quapiam re sublimiori collocato, prominentioribus palmarum partibus os fractum componere debet, vtque idem Autor inquit. Hac extendendi ratione, quæ optima est, quando conuenienter adhibita fuerit, facile ossa componuntur, alij Scalarum gradu dicti suspensi ligni vtuntur. Debet verò sedere infirmus in tali actione facienda, ne animo deliquat, & vires sufficiant, sublime, sedisæ esse debet, vt si paulum attollatur, stet, vt Medicus rectus stans agere possit, & ne patiens præ dolore extentum Brachium sequi possit.

Debet etiam ita sublimis sedere, vt parum absit, quin suspendatur, vt ex sessionis mutatione minimum ledatur, & paruo negocio rursus, vel ab alijs, vel per se ipsum in priorem sedem restituatur.

Secundus extendendi modus Secundo modo extensio, vt *Gal. in Hipp. Com. inquit*; ac etiam Soranus, manibus fieri potest, & præcipue in pueris, Resupinato enim Aegrotante, ne molestia aliqua afficiatur, & alligata ac suspensa ipsius Manu ex Ceruice, ita vt angulosa figura seruetur, alter ex Ministris Manibus ambabus humeri superius caput apprehendendo, alter inferius in diuersa extendendo. Vbi distensio, quæ manibus fit, imbecillior sit, quam oportet, Laqueis extensionem facere possumus, quorum alterum supra, alterum infra Fracturam Brachio circumdare debemus eosque duobus ministris, quorum alter ad caput, alter ad pedes Aegrotantis assistat, vt in diuersa æqualitèr, & simul extendant, præbere debemus.

Et si summus Humerus fracturam patiatur, Laqueus siue habena superior Alæ subijci debet, & Minister à Capite stans contineat, & alter in oppositum trahat. Si in inferiori parte, idest propè Cubiti articulum fractura adsit, tùm ipsi, vel Brachiali, quem Carpum vocant,

Laqueus

Laqueus est alligandus, vtque diximus, ossa componenda, & iam prope ossibus compositis, distensio, paulatim remittenda. Post fascias inijcere, à Fractura orsus Animaduertendo, vt semper in ea figura ligetur membrum, in qua manere debet, idest quod cubitus cum Humero rectum angulum constituat, ne in mutando situ vinculum in vna parte comprimat, in alia laxius sit, & sic ossa peruertantur, & si Fractura in medio Humeri fuerit, sicuti in cura vniuersali diximus, prima Fascia bis, vel ter super fracturam circumuoluatur, deinde paulatim sursum tendat ac desinat. Deinde secunda super fracturam orsa, & semel inuoluta deorsum tendat, deinde sursum circumuoluendo, vna cum prima desinat, & constrictio, vt diximus, moderata sit, & triplicati panni, splenia etiam dicti, modico cerato inuncti per membri longitudinem superdari ac vinciri debent, vt in cura vniuersali superius diximus.

Notãdũ.

Fasciadi regulam Humero fracto.

Si iuxta summum Humerum fuerit Fractura priori fascia, cum ipsæ Humerus, tùm Scapulæ, & pectus compræhendi debet, secunda ad cubitum vsque ducta, atque inde ad superiora reducta, tàm humero, quam Scapulis, & pectori circumdari, & cum prima terminari debet. Si proxime cubiti articulum fractura accidat, eodem modo pars vincienda, vinculum à fractura incipiendo, & sursum tendendo, deinde ad partes alias, vt diximus deueniendo, & cubitus in recti anguli figura semper conseruandus.

Hoc verò animaduertendum, *vt loco citato Hipp. inquit.* Quod Humerus natura ab exteriori parte gibbus est, & peruerti facile solet, vbi male curetur. Quin, & alia ossa omnia, quæ naturalitèr aliqua parte gibba sunt, vbi comminuta curantur, facile ab ea peruertuntur. Vbi ergo talæ quid piam timetur, lata fascia Humerum excipies, & in orbem circa pectus agatur, & quam quiescere Humerum oporteat, pannus multiplex implicitus inter cubitum, & latus subijciatur, vel quid piam huius generis aliud, ne Humerus latus attingat, sede in medio spacium sit, quò compulsus Fascia ad pectus adducente, minime deprauetur. Hac enim via os gibbum dirigetur. Est autem cauendum etiam, ne nimis in interiorem partem os conuertatur. Commode igitur arctanda lata fascia pectus, & Humerum simul excipiens, & melius est semper ad Thoracem Humerum fascia lata leniter alligare, ne motum de figura recedat, *vt Paul inquit.* Quo ad Medicamenta, si pars inflammatione careat, & fractura recens sit, nudæ parti fasciæ iuxtæ longitudinis, & trium, vel quatuor digitorum latitudinis in Vino, & Oleo Rosaceo vel posca imbibitæ, & expressæ dicto modo circumuolutæ sufficiunt, vel nudæ parti applicetur molle Linteum Oui albumine, & Oleo Rosaceo vel Myrtino madidum, & fasciæ dicto modo paratæ superdentur. Si inflammatio vrgeat, mollis succida Lana Rosaceo imbibita applicari debet, vel aliquod ex Medicamentis Inflammationibus dicatis superius dictis, & tertio, vel quarto quoque die solui vincula debent, & pars calida Aqua, vel Hydroleo fouenda, deinde iterum eodem pacto, immo arctius pars vincienda.

Notãdũ.

Et notandum quod sepius fasciæ resoluendæ, vbi in parte cubiti proxima Humerus sit fractus, ne ibi Nerui rigescant, & inutilæ Brachium efficiant, *vt Celsus lib. 8. cap. 10. inquit.*

Et si aliquod prauum Symptoma superueniat, vt in cura vniuersali diximus occurrendum, Ferulæ septima, vel nona die eodem modo, sicuti in vniuersali cura diximus, circumdandæ.

Animaduertendo ne Articulorum extremitates tangant, & quæ, ab externa parte applicari debent, longiores sint, à Lacerto breuiores, & sub ala breuissimæ, vt Celsus loco citato inquit, & si primis diebus apponantur, vt Recentiores faciunt, laxe adstringi debent, à septima, vel nona die postea ex maiori interuallo resoluenda vincula, & tunc Med. alijs ossium fracturis conuenientia applicari possunt; Et si vereamur, ne recte ossa concurrerint, vel quod sint dimota, interea soluere, dirigensq; rursus deuincire oportet. Supinus iaceat Aeger, manu supra Stomachum, siue Ventriculum posita, & Humero ne suspensus maneat, mollia puluinaria, æqualitèr subijciantur, & cubitus semper collo suspendatur, vt angularis figura seruetur, & ne dormiendo dimoueantur, & sic quiescat donec confractum os Callum obduxerit. Victus à prin-

principio tenuis instituatur, postea plenior, & ad Calli generationem aptus, & si fuerit opus ex opposito Brachio Venæ sectio fiat, & purgatio, sicuti fuit dictum, instituantur.

Post quadraginta dies soluere Humerum oportet, & pauciores fascias dare, & leuius adstrictas, ac diutius vti victu magis exquisito, quam ante; Intueri autem Manus tumorem, & vires, sapientissimus Senex loco superius citato inquit.

De Brachij, siue Cubiti, & Radij Fractura. *Cap.* 22.

BRachium illa pars appellatur, quæ est à Cubito ad Brachialæ, siue Carpum dictum. In hac ergo parte duo ossa satis crassa, & medullosa adsunt, quorum maius, ideſt longius, Vlna siue cubitus vocatur, & est id quod subijcitur, & Auriculari digito respondent; Minor radius vocatur, & est id quod superinsidet, & pollicem sequitur, & hoc est cubito breuius, sed crassius. In his ossibus omnes Fracturæ species fieri possunt, & aliquando alterum tantum ex his ossibus frangitur, aliquando ambo simul, & fractura, vel fit in dictorum ossium medio, vel in parte, qua Brachij flexum spectat, vel iuxta Brachialæ.

Fractura species.

Signa. Innotescunt verò horum ossium Fracturæ ex eisdem aliorum fractorum ossium signis, vt ex dolore, inæqualitate, strepitu qui persentitur ad partis tactum, & motum, actione læsa, & alijs superius dictis.

Prognostikum. Ossium Brachij cum non vtrumque fractum est, inquit *Hipp.* 1. *lib de fracturis*, *& Autores omnes facilior curatio est*; Et si quod superius est, tantum frangatur, quamuis plenius sit, facillimam curationem admittit, causa est, tùm quia minori extensione eget, tùm quia integrum, quod subiectum est, & fundamenti vicem præstat, cum etiam quia facilius reconditur præter quam in vicina Manu, Superius enim os carne plurimum contegitur. Si verò inferius os frangatur, asperior est casus, & difficilius curatur, tùm quia minus carnosum est, & ideo ægre conditur, ac etiam quia substentaculo caret, in quo subsideat. Omnium verò pessima est Brachij fractura si vtraque ossa simul sint fracta, non solum, quia nullum substentaculum ossa habent, sed quia circumsitæ partes magis leduntur, & pro eorum compositione valentiori extensione est opus, cum Nerui ac Musculi, quando vtrumque os est fractum, magis erga suum principium contrahantur, cum non habeant à quo extensi seruentur. Hæc verò ossa maxima ex parte triginta dierum spacio ferruminantur, vt omnes Autores inquiunt.

De Brachij Fracturæ Curatione.

IN Fracturæ Brachij Curatione, imprimis considerandum est an alterum tantum os sit fractum, an vtrumque sit comminutum.

Brachij extensio quomodo facienda

Si alterum tantum sit fractum, ea in parte valentius extendendum est; Si ambo ossa sint fracta æquali modo extensio est facienda, & hæc actio fieri debet inflexa manu ad angulum rectum, sic vt pollex omnium digitorum altissimus, contra minimus digitus omnium infirmus habeatur, *vt Paul. lib. 6. cap.* 101. *inquit*; Extensio ergo, si tantum alterum os sit fractum, vel ambo sint comminuta, Manibus à duobus ministris in diuersa extendentibus fieri potest. Et si valentiori extensione sit opus, vtrisque præsertim ossibus fractis, & in valde carnoso. Habenis extensio facienda, alligando vnam supra fracturam, alteram verò infra, siue Brachiali. Commoda facta extensione, Medicus admotis prominentioribus Palmarum partibus, fracta ossa dirigat, & si ossium eminentiæ adfuerint, in pristinam sedem illas restituat, & interim extensio paulatim remittatur. Ossibus optime coaptatis ea Medicamenta applicanda, quæ pluries in primis Fracturæ diebus conuenire diximus. Post hæc deligari Brachium debet, paulum pollice ad pectus inclinato, cum hic maxime Brachij naturalis habitus sit, & deligatio mandis fascijs, vt in superiori curatione diximus, facienda. Ideſt primæ fasciæ caput ter super fracturam circumuoluendo, deinde sursum ferratur, & ibi desinat. Secundæ Fasciæ caput similiter super fracturam injiciatur, & semel eam circumeat, tùm deorsum demittatur, & lenius adstringatur, & ex maiori interuallo circumuoluatur, deinde sursum tendat, & quo prior desinit, perueniat, vique in cura vniuersali

Fasciandi modus

diximus

diximus, à contraria parte faſciæ attrahendæ, in quam Membrum conuertitur, & ſi ad neutram partem inclinet, aduerſæ interiectæ faſciæ circumdentur. Supra duas primas faſcias triplicati Panni modico Cerato inuncti per Membri longitudinem dentur, deinde duabus faſcijs inter ſe aduerſis ſicuti fuit dictum aligentur, & vbi Membri inæqualitas adſit, in Membri extremis eſſe ſolet, paulatim Pannis ſiue faſcijs in orbem datis Membrum æquale reddatur, & laxe circa primam Palmæ partem faſciæ vincantur, in alijs verò partibus ſic, vt inſideant, & oſſis extrema immobilia tueantur, non tamen vehementer adſtringant, vtque de vinculi adſtrictione interrogatus Patiens, reſpondeat, ſe premi quidem, ſed leuiter, idque præſertim, qua fractura eſt, & eadem die ac nocte, quo deligatus fuerit, ipſe ſibi videatur non leuius, ſed valentius adſtringi. Poſtridie verò mollis ac paruus tumor in Manu appareat, & labente iam die, minus adſtrictas faſcias ſentiat ſed tertia die pene reſolutas, cum hæc omnia Vinculi moderate, & iuſte adſtricti ſigna ſint, vt *Hipp. 1. lib. de fracturis inquit*; Et ſuper Cubiti iunctura Defenſiuum Medicamentum, vt humorum ad affectam partem defluxum prohibeat, ſaltem primis diebus, ideſt vſq; ad ſeptimum, apponendum. Commode alligato Brachio, ne oſſa peruertantur, & propria ſede dimoueantur, molli, & lata Mitella, quæ torum Brachium cum prima palmæ parte æqualiter ſuſtineat, ac amplectatur, neque vllam eius partem relinquat, quam commode non fulciat, Collo ſuſpendum, cura habita ne Manus inferior iunctura Cubiti collocetur, ſed paulo ſuperior, ne ſanguis ad immum fluat, ſed retineatur. Die tertia, vel quarta ab adhibito vinculo, ſoluere Membrum oportet, & calida Aqua perfundere, & rurſus paulo arctius deuincire, Septima die rurſus ſoluere Vincula eſt opus, & calida Aqua perfundere, & niſi oſſa recte fuerint commiſſa, tunc dirigenda ac optime coaptanda, cum tunc temporis Membrum gracilius ac tenuius ſit, & perrupta oſſa facilius tractari, extendi, ac componi poſſint. Poſtea iterum, ſicuti ſuperius fuit dictum aliquod Medicamentum fractis oſſibus dicatum applicandum, & duabus primis faſcijs fractum Membrum alligandum, & paulo arctius vinciendum, niſi tumor, qui in Manu eſt, maiorem afferat dolorem, & ſuper dictas faſcias ferulæ, vt in cura vniuerſali fuit dictum, applicandæ, ſuperque faſciæ inter ſe aduerſæ alligandæ admodum laxe, ſic, vt circumdatæ ferulas contineant, nec quidquam Brachium adſtringant, deinde ſicuti diximus, Collo Brachium æqualiter ſuſpendatur, & tertio quoque die, ſi faſciæ laxiores fiant, ferulæ magis arctandæ, potiſſimum qua fractura eſt, alibi pro ratione; Et niſi aliquod prauum Symptoma accidat, vſque ad viginti dies pars non ſoluenda. Si verò hoc interim, aliquod prauum Symptoma accidat, vel aliqua oſſis non recte commiſſi, vel diſtorti ſuſpicio adſit, ſtatim ſoluere oportet, & Symptomati, vt in cura vniuerſali diximus, occurrere, & ſi oſſa non recte fuerint commiſſa, vel ſi propria ſede fuerint dimota, rurſus bene aptanda ac componenda, & iterum pars alligandæ, poſt diem vigeſimum, faſcijs ſolutis, & Membro calida Aqua perfuſo, aliquod Ceratum fracturis accommodatum ac conueniens applicandum, ſicuti eſt Oxicrocium in Hyeme, & Diapalma in Aeſtate, vel quid ſimile, & rurſus faſcijs lenius quam antea adſtrictis, & paucioribus alligandum, & tertia vel quarta quaque die membrum ſoluendum, calida Aqua perfundendum, & iterum laxioribus, & paucioribus faſcijs alligandum Supinus cubet Aeger, & ſaltem vſque ad decimam diem quieſcat; Deinde Brachio optime collo ſuſpenſo inambulare poteſt. Quo ad Victus rationem, Venæ ſectionem purgationem, & reliqua Vniuerſalia, ſicuti, In ſuperioribus fuit dictum, medicus, & Aegrotans ſegerat.

Quando Brachium ſuſtinendum.

De Fractura Oſſium Manus.

Cap. 23.

MAnus in tres partes diuidi poteſt in Brachialæ, in Poſtbrachialæ, & in Digitos, Brachiale, Carpum etiam dictũ, ea oſſa appellamus, ſuper quæ Manus agitur, quibus, vt ſuperius diximus, Cubitus, & Radius committitur, hæc enim pars octo oſſibus conſtat, extra duris, & intus ſpongioſis, & medulla carentibus, & cum paruis Lapillis ſimilitudinem habentibus. Quod Brachiali

ad

ad primos vsque digitorum articulos spacij intereſt, poſt brachialæ, siuè pecten, siuè palma manus vocatur, & hæc pars quatuor offibus conſtat, quæ ſunt magna ex parte rotunda, caua, & medulla intus referta, & vtrimque apendicem habent, digiti quindicim offa habent, cum vnuſquiſque digitus tribus offibus conſtituatur, trium articulorum interuentu connexis, & talia digitorum offa ſunt dura, & in extremitatibus ſpongioſa, in medio caua, & medulla repleta.

Prognoſticum. Pectinis, siuè palmæ manus offa, & digitorum internodiorum offa colliſionem quidem, vt plurimum, raro verò fracturam experiuntur, vt inquit *Paul. lib. 6. cap.* 102. *& Abucaſis lib.* 3. *cap.* 14. & alij etiam Autores, & pectinis offa, quando franguntur, vt plurimum, vel ad exteriora, vel ad interiora inclinant. Omnia verò hæc offa, vt *Hipp. de Fracturis inquit*, viginti diebus perfectè ad ſanitatem perducuntur.

Signa non ponemus, cum ſtatim tactu talia offa fracta perſentiantur, cum hæ partes excarnes ſint.

De manus Fractuæ Curatione.

QVando ergo aliquod digitorum os frangitur, vel aliud quidpiam ex ijs offibus, quibus palma manus conſtituitur, patiens altiori ſedila collocandus, & coram eo ſcamnulum, vel alia ſedes ſecundum æqualitatem ſituetur, ſupra quam extenſa manus ponatur. Deindè miniſter fracta offa iuſte extendat, & Medicus duobus digitis præcipuè, pollice nimirum, & indice vtriuſque manus fracta offa pertractet, æquet, atque optimè componat, deindè conuenienti faſcia pars alligari debet. Cum loco ſuperius citato ſcriptum reliquerit Paulus, eo potiſſimum tempore faſciam adhibere conuenit, quo vrget inflammatio. Nam propter raritatem facile in his offibus callus ſuperincreſcit. Applicato prius conuenienti Med. vt in ſuperioribus diximus, & ſi inflammatio adſit, inflammationibus dicatum Medicamentum apponatur. Et ſi fracta offa ad interiora, ideſt ad manus volam inclinent, tunc ex mollibus linteis, vel aliqua re ſimili ſpherula iuxtæ magnitudinis fiat, quæ conuenienti Medicamento illiniatur, & ſuper eam manus leuiter coarctetur, & de ſuper etiam conuenienti Medicamento appoſito tali pacto manus alligetur, vt Albucaſis inquit. Et ſi ad exteriora fracta oſſa tendant, appoſito vtrimque Medicamento vna cum ferulis ex corio, vel aliqua alia molli materia paratis, aperta manus recta alliganda.

Si interdum autem digitus ſimplicitèr fracturam patiatur, ſi ſit id, quod pollex dicitur, poſt conuenientem deligaturam ad imam volam, vt quieſcat, ſcite, & apte deuinciendus eſt. Si verò index, siuè auricularis fragantur, cum ſibi proximo alligandus eſt; Et ſi quiſpiam ex medijs fuerit fractus, cum ijs qui vtriumque exiſtunt, vel omnes ſimul vinciendi, ac colligandi ſunt, cum ita melius inquiete ſeruentur, integri digiti vice ferularum eis deſeruiunt, & ſicuti in brachij fractura ſuperius diximus, manus vna cum brachio collo æqualiter ſuſpenſa teneatur, quouſque fracta oſſa conſolidentur; Et tertio, vel quarto quoque die vincula ſoluenda, & pars multa aqua calida fouenda, ac perfundenda, cum dixerit loco citato Hipp. In omnibus autem quæ iuxta articulos ſunt affectibus, liberaliter calida aqua perfundenda, eſt, deinde Medicamenta applicanda, & rurſus pars deliganda.

De Femoris Fractura.

Cap. 24.

FEmoris os omnium humani corporis longiſſimum eſt, craſsum, & valè durum, intus eſt cauum, & medulla repletum, ab vtraque parte apendicem habet, & ſuperior apendix, quæ rotunda eſt, in magnum coxendici oſſis acetabulum reponitur. Inferior apendix ferè in duo capita dirempta oſſi maiori cruris, tibia dicto, adnectitur, & dictum femoris os inter apendices totum ferè teres eſt, & non recto ductu procedit, ſed ab exteriori parte, & à priori eſt aliquantiſper gibbum.

Fracturarum ſpecies. In Femore omne Fracturarum genus fieri poteſt, ſi vti in alijs offibus diximus, & frangi poteſt, vel in medio, vel in locis extremitatibus proximis.

Signa. Cognoſcitur verò oblique, vel tranſuerſe fractum femur, non ſolum ex actio-

læsa, cum patiens super eam partem sustineri nequeat, & extactu cum ad tactum fractura persentiatur, & ossium fractura persentiatur, & ossium fragor audiatur, sed etiam quia in interiorem, & exteriorem partem inclinatur, in quas partes, vt superius diximus, naturaliter inclinat, & ibi gibbositatem efficit. Fractura per ossis longitudinem ex signis alias dictis dignoscitur.

Prognosticum. Femur, vt *Hipp. 2. lib. de Fracturis inquit, & omnes ferè Autores quinquaginta diebus confernet, ac occalleseit. C. Celsus lib. 8. cap. 10. inquit.* Si Femur fractum est, fieri breuius, quia nunquam in antiquam sedem reuertitur, summisque digitis postea cruris eius insisti; Sed multa tamen Femori debilitas est, vbi fracturæ negligentia quoque accesserit. Hanc Celsi sententiam ita intelligendam censeo. Non quod nullo pacto in pristinam sedem femoris fracta ossa restitui, & bene coaptari possint, & ideò necessario breuius fieri. Sed vbi minus quam sit opus, pars distendatur, & quando non bene, & adamussim ossa coaptantur, vt ergò bene ossa committantur, magna vt ac diligentia est opus, vt inferius dicemus, & si quis negligentius curet, quod Celsus inquit, frequenter accidit, cum in dies multos videamus, qui femoris fracturam sunt passi, & bene ferruminati, recte, & absque vlla claudicatione ambulare.

De Curatione Fracturæ Femoris.

VBI igitur femoris os est fractum, valenter omnino extendi debet, & recto tramite, ita vt in neutram partem conuertatur, valentissima extensio conuenit, quoniam maximi sunt musculi, qui femur circumdant, & magnam erga suum principium contractionem faciunt, & iuro etiam hac de causa valida extensio fit, quoniam, vt loco citato Hipp. inquit. Si plus iusto hæc pars extendatur, non leditur, & causam adducens inquit;

Extensio quomodo facienda.

Nam ossa hæc, quæ per vim deducta sunt, si sic recedentia inter se vinciantur, non sane poterunt ita adducta ob musculorum magnitudinem vinculis contineri, quin celerrime concurrant, quam primum, qui extendunt, ex opere se receperint.

Crassi enim ac robusti musculi vincu-

lum superabunt, & non superabuntur, & cum ad suum initium contrahuntur, vna trahunt, & comminuti ossis inferiorem partem ad superiora adducunt; Et si minus quam res postulat extensio fiat, supra dicta Celsi sententia verificatur. Resupinato ergo ægrotante, & extensis cruribus, valida extensio fieri debet, vel manibus, vel habenis, vel instrumentis siue machinamentis, vt inferius de crure dicemus. Si ergo fractura in dicti ossis medio fuerit, superior, & inferior fracti membri pars apprehendenda, vel habenis vincienda, & directe in diuersa extensio facienda, & quando extensio abunde fit, prominentioribus palmarum partibus eodem modo, quo superius diximus, fracti ossis capita coaptanda, conuenientia Medicamenta applicanda, & expressiuo vinculo, & fracturis dicato, sicuti de Bracchio diximus, pars alliganda, vtque magis æger super fracturam adstrictam fasciam sentiat, & laxius in partibus alijs, quæ supra sunt, & infra, & sicuti etiam diximus tertio, vel quarto quoque die pars soluenda, calida Aqua perfundenda, & rursus alliganda. Si Fractura erga superius caput huius ossis fuerit, habena Lana, vel quid simili inuoluenda, & sub interfæmineo disponenda, & eius capita ministro ad ægrotantis caput stanti porrigenda, vt partem valide contineat, deinde infra fracturam alia habena circumposita eius capita ministro à pedibus stante danda, vtque distensionem efficiat iubere debemus. Facta commoda extensione, sicuti superius diximus, ossa componantur, & conueniens Med. applicetur, deindè pars, vt decet, alligetur.

Faciendi modus.

Animaduertendo, vt in hac fractura vincienda, fasciæ, quæ superius tenduntur, non solum vsque ad inguina ferantur, sed vltra aliquam ex superioribus partibus fulciant. Comprehendere ergò debet primum coxam, deinde Ilia, & postremo, aliquam portionem eius partis sine osse est, ita, vt æque perpetuæ sursum fasciæ ducantur, donec ex integra parte comprehensum aliquid esse videatur, & nullus locus nudus relinquatur. Si ergo infra caput Fractura accidat ideſt erga genu, supra fracturam laqueum, siuè habena circumdanda, & eius initia ministro à capite stanti, vt valenter trahat,

por-

porrigenda sunt, & Genu alio laqueo inuoluto, ac alligato ab alio ministro à pedibus stante capitibus apprehensis, ne sequatur, immobile continendum; & facta commoda extensione, sicuti diximus, ossa dirigenda, ac optimè coapranda, ac componenda, & fascijs ita composita seruanda. Sed cum fascie ad hunc effectum præstandum satis non sint, ideò alij longis ferulis vtuntur, ne Genu flecti possit, quoniam si flecteretur omnia deuincti cruris, & femoris vincula necessariò mouerentur, & musculi alio modo figurarentur, & comminuta ossa dimouerentur, vt Hipp. inquit, alij ligneo canali, siuè testaceo immorum femur, ac extensum crus simul seruant.

Vtque Hipp. inquit, canalis non solum femur, sed etiam totum crus, ac pedem apprehendere, ac excipere debet, ne vlla ex his partibus moueri possit, cum crure, & pede moto, femur quoque moueatur, vt superius diximus, & ideò dictus canalis vna cum crure, & femore latis fascijs laxe alligari debet, quemadmodum in cunis infantes inuoluuntur, & breuiores canales omninò reiciendi, cum magis noxam quam opem afferant. Alij Glossocomio vtuntur, quod instrumentum optimum est; Animaduertendum verò, ne dicta instrumenta sua duricie partem arterendo, maximè ledant, & ideò aliquid molle subiciendo, sicuti est lana bene carpta, mollis, & bene pexa stuppa, vel quid simile. Alij verò ex viminibus tales canales efficiunt. Nos verò, vt Paul. docet, semper vti fuimus canalibus ex reduplicatis linteis, siuè ex crasso stragulo factis, qui nullo pacto partem ledere possunt, & fideliter continent. Assumitur ergo reduplicatum linteum, siuè stragulum dictum femoris, & cruris simul longitudinem æquans, & vtrobique ita colligi, ac conuolui partes debent, vt in medio concauitatem canali persimilem efficiant; & si volumus, vt validius contineat, in conuolutionis medio vtrimque siliginea palea ponenda, quod melius erit, & si aliquo liquore pars sit perfundenda, molliuscula alata, ad liquores excipiendos superponi potest. Deinde canalis ita paratus, femori, & simul extento cruri subjciendus, vtque in longitudine, ac concauitate his respondeat, curare debemus, & pluribus vinculis dictus canalis per debita interualla, vna cum femore, & cruro illigandus, & vtrimque à lateribus, ne membrum in alterutram partem declinet, panni, vel quid aliud, quod hoc præstet, apponendi, & ad pedis vestigium, siuè plantam erecta Tabello linteo circumdata, vt mollior sit, ponenda, & ne æger, vel ob impatientiam, vel inuitus inter dormiendum, pedem contrahere possit, & melius erit blande superiorem pedis partem molli fasciola ad dictam tabellam alligare prorsus pars immobilis seruetur. Ne verò superiores partes à ferulis, vel canalibus offendantur, aliqua mollia lintea in orbem circa coxam, & ilea, & inguina, & quod inter anum, & naturale est circumdanda, & inuolucnda sunt, vt Hipp. inquit,

Animaduertendum verò, vt idem Autor inquit, tam in femoris, quàm in cruris fractura, vt imus calx optimè, & æqualiter struatur, nam si pendente pede, crus reliquum sulciatur, necesse est ossa gibbosa in priori parte conspici. *Notandum.*

Si calx iusto sublimior collocetur, reliquo crure leniter suspenso, os in priori parte magis simum necessaria se ostendet idque præsertim, si calx hominis naturaliter est grandior; Et dum membra naturaliter non figurantur, & in eodem habitu non conseruantur, ac detinentur, ossa tardius conferuent, & infirmior callus circumdatur.

Si verò ob fascias, vel ferulas magis adstrictas in popliter, vel alijs inferioribus partibus tumor iusto maior assurgat, quod vrget, ac præmit, relaxandum, & tumor ita curandus, cutis imprimis molli cerato inungenda, deindè mollis succida lana, oleo, & vino respersa superponenda, & molli fascia ab imis partibus orsa, & ibi aliquantisper arctius adstricta ad superiores partes tendente semper laxius vinciendo, pars alligandа. Cutis imprimis cerato inungenda, quoniam ceratum leniendi, digerendi, & repellendi facultatem habet. Succida, lana oleo, & vino madida superponenda, quoniam propter oleum dolorem leniendi, & discutiendi facultatem habet, & propter vinum, & lanam siccandi, repellendi, concoquendi, molliendi, & digerendi, & dicto vinculo superposito similiter confluentes humores

mores prohibentur, & iam confluxi ad superiora exprimuntur, & sic membrum extenuatur, & tumor cito euanescit. Ne verò, vt *Gal in Com. 2. lib de Fracturis inquit*, ex hoc vinculo humores ad loca, quæ iuxta iuncturam sunt depellantur; Ferulis semotis, & omni vinculo pænitus resoluto, de integro vinciamus, simul, & eam iuncturam adhibentes, quę fracturis accommodatur, & eam, quæ a tumore incipit; Et succus hac via expressus vltra partem prius deligatam ad superiora transfertur. Sed, vt *Hipp. 2. de Fracturis inquit*; Ad hunc deligandi modum veniendum non est; nisi tumor, aut pustulis, aut nigricie pericliteтur. Sed nihil tale sequi solet, nisi quis fracturam vehementer adstrinserit, aut siuerit dependere, aut manu scalpserit, aut aliquid cutem attigerit, quod ipsam irritauerit. Quo ad victus rationem, & reliqua vniuersalia, fiat sicuti in humeri, & brachij fractura diximus; Et si ossis pungentia frustula ad fuerint, vel vulnus simul sit coniunctum curentur sicuti superius fuit dictum.

De Genu Rotulæ Fracturæ. *Cap. 25.*

ILlud os quod ad interiorem Genu compagem spectatur, patella, siuè rotula dicitur, quod est rotundæ figuræ, & anterius est plenum, posterius in suæ longitudinis medio tubere prominet, & in sinum, quem in medio duorum femoris capitum insculptum diximus, inserto, & vtrimque sinum aliquem habet, in quos duo capita femoris inseruntur, estque in adultis huiusmodi os deforis satis durum, ac solidum, interius spongiosum, rarum, & saxum. In infantibus verò est adeò te nerum, vt potius cartilaginis naturam sapere, quam ossis videatur. Vsus ergo talis ossis est, ne femoris capita in anteriori luxari sinat, quod sepe accideret, præsertim quando Genua flectuntur, vel scalæ descenduntur, vel talis aliqua actio fit, & ideò carne, & neruis superiore, & ima parte acriter, ac validè comprehensum est.

Fracture species. Hoc os sepe contusionem, raro Fracturam sustinet, vt *Albucasis inquit lib. 3. cap. 16. & Paul lib. 6. cap. 104.* & Autores alij, & quando frangitur, per sui crassitudinem frangitur, & in duas partes, vel in plures, vel minutim abrumpi potest, & cum tali fractura aliquando vulnus coniungitur, aliquando est citra vulnus. Innotescit verò facillime huius ossis Fractura ex tactu, cum partes diuisæ persentiantur, cauitas appareat, & crepitus contrectatione audiatur. *Signa.*

Huiusmodi os, sicuti alia ossa rara, & laxa cito occallescit, & nisi recte fragmenta componantur, & composita seruentur, & simul callo ferruminentur, vt inquit loco citato Paulus longe a naturali distantia contrahuntur, & functionis difficultatem affectis inducit. Neque enim si diutius fatigentur, sustineri Genua possunt, & deambulando impediuntur, præsertim quum ascendendum est. Nam dum planicie incedunt, ac mouentur, functionis difficultas facile latet. Dum ascendunt autem, eo quod Genu in sublatione, & depositione non flectatur, arguitur. *Prognosticum.*

De Curatione Fracturæ Rotulæ Genu.

IN huius ossis restauratione, crus extendendum, & Medicus digitis, vel si in duas partes tale os sit diuisum, vel in plures, optime inuicem partes committere, & secundum naturalem figuram æquare debet. Deinde aliquod ex adstringentibus, & exsiccantibus emplastris superius dictis superponendum, vt ossa immobilia reddat, & commodum, ac conueniens vinculum superdandum; Et si aliquod ossis frustulum pungens, ac eleuatum ægrotantem infestet, extrahendum superposita cute incisa, vt de alijs pungentibus ossis extrahendis, in aliarum partium Fracturis diximus. Sic si aliquod prauum symptoma superueniat, sicuti in cura vniuersali diximus occurrendum; & pars extensa immobilis seruanda; & quarto, vel quinto quoque die solui vincula, & Med. renouari possunt. In reliquis curandum, vt in aliorum ossium fracturis diximus.

De Cruris Fractura. *Cap. 26.*

CRus pars illa appellatur, quæ à Genu ad pedem interiacet, hæc enim pars, veluti brachium, duobus ossibus constat, quorum alterum crassius ac plenius, alterum tenuius est; Quod est crassius, internam cruris regionem occupat,

pat, & Tibia dicitur, quod tenuius est, exterius consistit, & Sura, siue fibula nominatur, ambo hæc ossa infra, & supra apendices habent, sunt dura, & solida, intus caua, & medullosa, in superiori verò parte hæc ossa simul articulantur; Sura enim cum in parte superiori breuior sit, Tibiæ tuberculo committitur, quod ad externam apendicis tibiæ sedem consistit ab inferiori verò parte sura paulò longior Tibia est, & à parte minimi digiti situatur. In inferiori ergo parte ita horum ossium apendices inter se iunguntur, vt tantum vna appendix videatur; Extremæ verò earum partes rotundæ sunt, quà carne nudantur, & Malleolus, siue Clauiculas constituunt, in Cruris verò longitudine hæc ossa non se contingunt, neque inter se connectur, sed dehiscunt.

Fracture species. In his ossibus omnes fracturæ differentiæ fieri possunt, sicuti de Brachij ossibus diximus, & aliquando alterum tantum ex his ossibus frangitur; aliquando ambo simul abrumpuntur, & fractura accidit, vel in medio, vel in superiori, vel in inferiori parte.

Signa. Fracturæ in his partibus facillime innotescunt, non solum ex actione lesa, tactu, ossis fragore, dolore inæqualitate, & his similibus. Sed si vtraque ossa sint fracta, in omnes partes inclinantur. Si Tibia tantum sit fracta, ad exteriora, siue posteriora declinat, & oculis, & tactu, statim eius fractura apparet. Sic vbi ossa non recte concurrant, statim innotescit, quoniam totum hoc os se ostendit, & sine carne est. Si Sura sit abrupta, non ita facile deprehenditur eius fractura, & quàm minus recte componitur. Quoniam hoc os multa carne est circumdatum, tamen fracta pars ad interiora conuertitur, & inclinat.

Prognosticum. Si alter ex his ossibus tantum fuerit fractum, facilior curatio redditur, præsertim si sura siue fibula tantum sit fracta, & maturius Aeger Pedibus consistet, cum maximam oneris partem sustineat os, quod ab anteriori parte situm est. Si Tibia tantum sit fracta, difficilior curatio erit, & distensionem valentiorem postulat, multoq; tardius homo ingreditur, vbi hoc factũ est. Quando verò vtraque ossa sunt fracta, difficillima curatio erit, non solum quia maiori extensione sit opus, sed quia pars omni fulcro est destituta, & huiusmodi ossa, si recta curatio fiat, vt plurimum quadraginta diebus conferuent, & occalleſcunt, *vt loco superius citato Hippocratis inquit.*

De Cruris Fracturæ Curatione.

IN curatione fracturæ Cruris, primum Medicus, vtrum vnum tantum os sit fractum, vel ambo simul prospicere debet, & si vnum tantum os sit fractum, super Lectum, vel Tabulam Aegrotante resupinato, lenius intendendum est, sed nullo pacto omittenda, aut negligenda intensio est, cum semper ossa sint intendenda, vbi in suam sedem reuerti debent. Cum quodcumque membrum, ossibus non recte compositis, sub vinculo adstringitur, magis indoleſcat. Abunde ergo erit extensionem facere per duos robustos homines, quorum alter ambabus manibus Genus apprehendat, alter supra malleolum, & in diuersa contendant, & si abunde fuerit, per duos homines adhibita vis frustra laborandum non est; Iactantiæ enim est vti machinamentis, vbi res non exigit, inquit Hippocrates. Extensio igitur, *vt idem Autor 2. de fracturis inquit.* fieri debet recta, & secundum Naturam, & è regione Cruris ac femoris, tàm si huius, quam si illius fracti ossa extendantur. Si verò ambo ossa sint fracta, validius extendendum, præsertim si vna pars fracturæ valde super alteram excedat, & in tali casu cum extensio per homines facta satis non sit, ac Laquea siue Habenas confugiendum. Infra Fracturam ergo, & supra mollia ac valida Laquea obuoluenda, & alliganda, & eius capita, ideſt inferiora ad lignum inferius paratum, quod vice Vectis deseruiat alligari debent, & superiora ad superius, & duo dicta Ligna Vectium munere functura ab inferiori parte in aliqua cauitate defigi ac stabiliri debent vel Lecto siue Tabulæ, super quam resupinatus est Aeger, mediocris Tuberculà subijciatur cui vtrumque inferius Lignorum caput stabiliri possit, deinde à duobus Ministris in diuersa dicta Ligna recuruantibus, quantum est satis, extensio facienda. Vel in Tabula, supra quam resupinatus est Aeger alte rotundum Lignum ac leuæ defigatur sic, vt pars eius extet, quod lignum collocatum sit inter

Extensio quando facienda.

Anum, & primam Naturalis partem, quem locum Perineum appellant, & hoc Lignum prohibere debet, ne corpus à Pedibus extentum ſequatur; Deinde pars tantum Fracturæ inferior valida, & molli Habena vicienda, & eius capita Ligno alligãda, & à Miniſtro ab inferiori parte Lignum recuruante extenſio fieri debet. Ne verò corpus inclinet in id Crus, quod intenditur, alter Miniſter à latere exiſtens manibus Clunem repellat, ne corpus ſimul ducatur. Poteſt etiam extenſio fieri per Articulos, ſiue Verticulos, & pluribus alijs modis, vt nos Libro de Luxationibus dicemus.

Commoda facta extenſione à Medico prominentioribus Palmarum partibus extantia oſſa deprimenda, & depreſſa aleuanda, & in propriam ſedem compelli, componi, & æquari debent, cum intentione ſatis adhibita, facile fracta oſſa componantur. Deinde ſic crure extento, & oſſibus recte compoſitis, aliquod Med. ex ſuperius dictis fracturis conueniens applicandum, & ſicuti de Brachio, & Femore, diximus, conuenientibus faſcijs crus alligandum, Et faſciæ cruri adhibendæ latiores, & longiores, & multo plures eſſe debent, quam ad Brachium alligandum.

Et ſic crus ſemper extenſum, ideſt per totum curationis tempus, immobile ſeruandum, cum naturaliter Femur ac crus, & ſine labore, extenſum ſeruetur, cum hæ partes, ſiue homines ſtent, ſiue ambulent, extendi conſueuerint, & in cubando etiam plerumq; hæ partes extenſæ ſeruantur. Vbi Crus deligatum commode fuerit, ſuper aliqua re plana ac molli collocandum eſt, ne in hoc, vel illud latus, vel in anteriorem, vel poſteriorem partem peruerti ac deprauari poſſit. Et ideo etiam in crure fracto maxime conueniens eſt canalis ex reduplicatis Linteis, vel craſſo ſtragulo paratus, ſicuti in fracti femoris curatione diximus, qui ita cruri ac etiam ſuperiori parti aptandus ac alligandus vt nullo pacto affecta pars dimoueri ac diſtorqueri poſſit, & hac de cauſa etiam vtrimque panni ſubijiantur, & huiuſmodi canalis eſt etiam commodiſſimus, quando vel Lectum ſterni, vel deſidere hominem oportet; Tertio item, vel quarto quoque die Vincula reſolui, pars calida Aqua perfundi, & rurſus deligari debet, & vinculum tale eſſe debet, vt Aeger ſe leuiter magis premi ſupra fracturam, quam alijs partibus ſentiat, & in extrimis partibus leuis ac mollis tumor aſſurgat, & quando pars tenuuior adinuenitur, tum arctius vinciri, & pluribus linteis vti debemus, Et quotieſcumque vinculum injicitur, modice extendi ac dirigi oſſa debent, & quando curatio recte procedit, non ſolum, vt diximus, mollis & parnus tumor in extremitatibus apparet, ſed alligata pars tenuuior ac gracilior fit, & oſſa facilius tractantur & ducentibus magis parent. Si quis vero ferulis vti velit, ſi à principio illas applicet, leniter illas adſtringat, & ſi ſeptima, vel nona die, vt Hipp. iubet, apponat, arctius illas vinciat, & animaduertat, ne ſuper oſſium extentas partes applicentur, vt ſuper Talos, vel ſuper eam Cordam, quæ à crure ad pedem tendi, & Calci innectitur. Hæ enim partes ſuperpoſitas ferulas non ſuſtinent, ſed cum acerrimi ſint ſenſus, ſi comprimantur, maxime dolent, inflammatione vrgentur, ac etiam exulcerantur. *Notanda.*

Quoad victus rationem, inquit loco citato Hipp. Magis omnino, ac diutius extenuare corpus oportet, vbi crus quam vbi Brachium leditur, quam illud maius ſit & craſſius, quam hoc, & neceſſe eſt item corpus quieſcere, atq; iacere, Et quemadmodum magis extenuans victus ratio in crure fracto, quam in Brachio conuenit, ſic & Venæ ſectio, & purgatio, & catera vniuerſalia magis conueniunt, ex oppoſito ergo crure, vel Brachio eiuſdem lateris lecoraria Vena ſecanda, & reuulſionis, & euacuationis gratia ſanguis extrehendus. Sic peccantium humorum purgatio magis per vomitum, quam per ſeceſſum eadem de cauſa conuenit, præſertim ſi ſimus in Aeſtate, cum *lib.4. Aph.4. Aph dixerit Hipp.* Aeſtate per ſuperiorem potios, Hyeme per inferiorem purgare conuenit.

De Oſſium Pedis Fractura. *Cap. 27.*

HOminis Pes, ſicuti Manus, ex multis minutiſq; oſſibus ac duris conſtat, ſed diuerſis in magnitudine ac figura, & Pes diuidi poteſt in partes plures vt in Talũ, Calcẽ, Os Nauiculare, Ceruicem

Ceruicem, siuè Tarsum, pectenu, siuè plantam, & in digitos. Primum ergo pedis os Talus vocatur, in cuius elatiori parte tibia, ac sura inseruntur, & huiusmodi os quadratum est, & à posteriori parte cum osse Calcis articulatur, quod est secundum Pedis os, quod Calcem efformat, & est omnium longe maximum, & prioris instar durum.

Ab anteriori Tali parte tertium os scaphoides, siuè nauiculare dictum, articulatur, quod terna habet, & in superiori parte greditur, & rotundem est. Ceruix siue Tarsus ex quatuor ossibus constat, quorum tria cum Nauiculari osse articulantur, & quartum, quod sed lateria habet, & exterius est situm, cum sibi proximis articulatur; Pecten, siue planta, quinque ossibus constat, quæ omnia seriatim Tarsi ossibus committuntur, Ossibus Pectinis, siue Plante Pedis digiti articulantur, & vnusquisque digitus vno Plantæ ossis correspondet, omnes digiti tria ossa habent, præter Pollicem, qui duo tantum habet.

Hip. 2. lib. de Fracturis inquit, Quod Pedis, Manus ossa non franguntur, nisi acuta vel graui quapiam rè carnosæ partes vulnerentur, quoniam, vt *Gal. in Com. inquit*. Ossa, quibus externa Membra continentur, ab eisdem causis, a quibus ossa aliarum partium franguntur, non ita facile abrumpuntur, idest siue ex superiori loco saltantes, deorsum ferantur, & in terram incidant, siue per vehementer conuellantur.

Sed his ictibus potius ossium ligamenta abrumpuntur, quàm ipsa ossa, cuius causa est, eorum non tàm exiguitas, quàm duricies; Neque externa, quam magna vi superincidunt, possunt hæc ossa facile perfringere, nisi duriora illis sint, & grandia, & quod tale est, neque carnem inuiolatam relinquit, quemadmodum nec ictus ab acuta re, nam, & hic prius quam attingat ossa, quæ ipsius superiecta sunt, diuidit. *Paul. lib. 6. cap. 106. inquit*. Quod Talus nulla modo frangi potest, non tantum ob eius duriciem, sed quia vndi quaque est munitus, vt à Tibia, Sura, & ab osse Calcis, & Albucasis *lib. 3. cap. 18. inquit*; Quod ossi Calcis nullo pacto accidat fractura, alijs verò pedis ossibus fractura accidere potest, ac etiam digitorum ossibus, sed raro hoc euenit, & potius hęc ossa atteruntur, quàm frangantur.

Quando autem Pedis ossa frangantur; statim oculis, ac tactui innotescunt, cum hę partes excarnes sint, & adinuicem sublimia ac eleuata appareant. *Signa*

Hæc ossa, & sicuti de Manu diximus, viginti diebus occallescunt, nisi quæ cum cruris ossibus iunguntur, vel ex eius regione sita sunt, quæ cum maiora sint, diutius perfecte ad sanitatem perducuntur, & in horum ossium Fracturis, cum frequentissimæ carnosæ, & neruosæ partes simul vulnerentur, vel atterantur, vt superius diximus, maximi ac intensissimi dolores ac Inflammationes excitantur. *Prognostícum.*

De Curatione Fracturarum Ossium Pedis.

QVando ergo aliquod Pedis os fuerit abruptum, vel aliquod ex Digitorum articulis, vel ex alijs ossibus proprio loco eruperit, vt de Manu diximus, compellere singula in suam naturalem sedem oportet, & Pedis ossa vel in inferiorem partem excidunt, idest quando aliquod pedem ferit, quod, vt plurimum, à superiori parte super ipsum cadit, vel in superiorem partem erumpunt vt quando aliquis ex superiori loco super eminentias quasdam, vel res asperas, & acutas saltauerit. Vbi igitur Pedis ossa abrupta fuerint, vel proprio loco fuerint dimota, quamprimum, commoda facta extensione, in pristinam sedem recondenda ac compellenda sunt, vtque hoc commode fiat, Ponat Aeger Pedem læsum supra Tabulam planam, super quam feltrum vel aliud pannum prius sit extensum, deinde Medicus prominentioribus palmarum partibus valide ac diligenter comprimendo, ossa eleuata vel depressa in pristinam sedem compellat ac restituat, vel Medicus suum Pedem, super infirmi Pedem ponendo, vt Albucasis inquit, vehementer pręmat ac calcet, & sic ossa in proprium locum restituat ac æquet; Deinde ossibus optime compositis, aliquod conueniens Med. ex superius dictis apponatur, & Pannis, Fascijs, vt diximus, pars optime alligari, ac commode adstringi debet, Primum fascię caput super os fractum, vel prolapsum circum *Ossa pedis fracta quando componenda.*

actum

actum, & magis adstrictum, deinde hinc atq; hinc circumuolutum, & prò ratione adstrictum, vt in alijs fracturis diximus, Et cum in parte hac, ob loci inæqualitatem; ferulæ non sint dandæ, pluribus fascijs ac Pannis vti debemus, vt ossa proprio loco seruentur, tertio, vel quarto quoque die similiter Vincula soluenda, & pars multa Aqua calida fouenda, cum in omnibus, quæ iuxta Articulos sunt, affectibus, liberaliter calida Aqua sit perfundenda, vt *loco citato Hipp. inquit*; cum hæ partes ossibus, & Neruis contineantur. Facta profusione, iterum conueniens Medicamentum applicandum, & rursum est diligendum, & quo ad laxandum, vel adstringendum, sicuti est opus, faciendum, idest quando leniendus dolor est, si Vinculam fuerit adstrictum, laxandum: Sic quando pars inflammatione tentatur; Nisi verò quid horum adsit, & vincula laxa sint, adstringenda. Interim verò iacere ac quiescere conuenit, & Pedem ita collocare, vt reliquo corpore paulo sublimior habeatur, ne humores ad affectam partem confluant, & inflammationem efficiant, debet verò paulò sublimior situari, ne dolor excitetur, qui accideret, si valde sublimis locaretur, ac contineretur; Et si Pedis Digiti sint fracti, sicuti Manus Digiti curandi sunt. Quo ad Victus rationem, Venæ sectionem, Purgationem, & cætera vniuersalia, fiat sicuti in aliarum partium fracturis diximus; Si verò Vulnus cum his fracturis fuerit coniunctum, vel inflammatio, vt in cura Vniuersali superius fuit dictum, curetur Aeger, & quoniam Pedum fracturis, vt plurimum Neruosæ partes sunt Vulneratæ, vel Contusæ ea Medicamenta adhibeantur, quæ in Vulneribus, vel Contusionibus Neruorum conuenire in Lib. de Vulneribus diximus, & hæc de fracturis dicta sufficiant.

Pes quãdo stringendus.

FINIS.



DE

DE LVXATIONIBVS

Tàm in Vniuerſali, quàm in Particulari

FRANCISCI PECCETTI

COELESTINI CORTONENSIS,

PHYSICI, ATQVE CHEIRVRGI.

De Luxationibus in Vniuerſali. *Cap.* 1.

DE Fracturis hucuſque cum ſermo noſter fuerit, vt de Luxationibus modo verba faciamus ordo expoſtulat, & inde hæc materia tractanda eundem, quem in ſuperiori tractatu, ſeruabimus ordinem imprimis ergo generatim de Luxationibus, deinde particulatim diſſeremus.

Quid ſit Articulati De articulatio.

Ne verò per ignota procedamus, more noſtro imprimis dicemus quid ſit Articulatio, ſiuè Dearticulatio, quæ nihil aliud eſt, niſi pars illa, quæ ex ſinu, & oſſis capite conſtat, & ad motum eſt deſtinata. Sinus verò in aliquibus partibus ſunt profundiores, in alijs partibus minus profundi. Sed ne oſſium capita faciliter ſinu excidant, natura cuique Articulo ſua vincula donauit, aliquibus enim Articulis orbicularim ligamenta tantum dedit, ideſt, quæ oſſis caput, & ſinum circumcirca complectantur; Alijs tantum rotunda Vincula tradidit, quæ ex profunda ſinus parte prouenientia in oſſis caput inferuntur; Alijs verò vtrumque ligamenti genus tribuit, ideſt orbicularem, & rotundum. Sciendum etiam quod in quolibet articulo quædam vactuoſa, & viſcida continetur materia, quæ deſeruit, vt facilius motus fieri poſſit, & ne ex diuturno motu tales partes incaleſcant, & exſiccentur, & tàm ſinus, quàm oſſis caput ob motus facilitatem, cartilagine quadam ſunt obducta.

Quid ſit Luxatio & quot modis dicatur.

Luxatio, ſiuè exarticulatio à latinis dicta, & à barbaris diſlocatio, à Græcis exarthrema fuit nominata. Quæ nihil aliud eſt, niſi capitis Articuli à propria ſede, ſiuè proprio ſinu in alienam atque inſolitam ſedem prolapſus, quo voluntarius impeditur motus.

De Luxationum Differentijs.

Celſus lib 1. *cap.* 11. *inquit*, quod Articulorum capita à propria ſede duobus modis mouentur, Nam modo, quæ iuncta ſunt inter ſe dehiſcunt, vt cum latum ſcapularum, vel ab humero recedit, & in brachio radius à cubito, & in Crure tibia à ſura, interdum etiam à ſaltu calcis os à Talo, quod raro tamen fit, & hæc à Rhaſis Cont. Diſiunctio nominatur; Vel modo Articulis ſuis ſedibus excidunt, hoc verò Luxationis genus vt *Hipp.* 4. *de Articulis, & Paul. lib* 6. *cap.* 112. inquiunt, duplex eſt, ideſt ſecundum magis, & minus. Quam enim ex toto Articulus exciderit, communi generis appellatione

latione Luxatio, & à Græcis exarthrema nominatur; Quum autem Articulus aliquatenus modo à sua sede dimotus fuerit, vel vsque ad supercilliorum cauitatem, ac superficiem prolapsus, siue subluxatio, & à Græcis parathrema appellatur, & hæc Luxationis species in humero, & femore, *vt loco superius citato Hipp. inquit*, fieri non potest, cum vtrumque horum caput rotundum, habeat, & cauo recipiatur, & eorum sinus margines, siue supercilia tenuia habeant, & quasi in puncto margines, siue supercilia tenuia habent, quando dictorum ossium capita à sinu recedunt, attingunt, & ideò necessario, vel omnino prolabuntur, vel intro reuertuntur, cum caput in supercilio consistere nequeat. Et si quis dicat, quod *Hipp. in principio 4. lib. de Articulis dixit*. Quod humerus, & femur secundum magis, & minus luxari possunt. Respondendum, quod Hipp. ibi intelligit de perfecta Luxatione, dum magis, vel minus ossis caput à loco suo naturali distat, & non quod in his partibus subluxatio, siue imperfecta luxatio fieri possit, & perfecta, hæc luxatio in his partibus quatuor modis fieri potest, vel in partem superiorem, vel in partem inferiorem, vel ad dexteram, vel ad sinistram. In alijs Articulis etiam in priorem, & posteriorem partem Luxatio fieri potest, *vt inquit Gal. lib. de Artis Constitutione cap. 4.*

Auic. 5. 4. Tract. P. cap 1. Tertium luxationis genus addit, & est, quando ossis caput propter molliciem, ac laxitatem, & ligamentorum distentionem aliquantulum à sinu promouetur, ac elongatur, non tamen excidit, sed facile excidere potest.

Colligi igitur potest ex dictis Autoribus, quod tria sunt Luxationum genera. Primum quando ossa, quæ inter se iuncta esse debent à seipsis dehiscunt, ac separantur, & hæc Luxationis differentia quatuor partibus accidere potest, vt cum latum scapularum os ab humero recedit, vel Radius à cubito, vel à Sura à Vibia, vel os calcis ab osse tali, quod raro euenit. Secundum Luxationis genus est, in quo ossis caput à proprio sinu excidit, quod secundum magis, & minus esse potest. Si ergo ex toto à proprio sinu excidat, Luxatio perfecta dicitur; Si verò ossis caput parum à sinu suo fuerit emotus, vt vsque ad sinus, siue cauitatis supercilium; Subluxatio, & imperfecta Luxatio nominari potest, & Rhasis distorsionem nominat. Vtrumque verò Luxationis genus, ideſt perfecta, & imperfecta Luxatio accidere potest Articulis Cubiti manus, Tibijs pedis, & digitorum. Tertium Luxationis genus, quod propter molliciem, ac ligamentorum laxitatem fit, & est in causa, vt ossa à proprio sinu aliquantulum elongentur, ac promoueantur in omnibus Articulis fieri potest, & hæ tres tantum sunt Luxationum differentiæ.

Si verò cum Luxationibus aliquis alius affectus præter naturam, vel symptoma complicetur, vt dolor, inflammatio vulnus fractura. Duricies, & his similia, cum per se, & absque Luxatione consistere possint, Luxationum differentias non constituunt, cum differentia sit rei forma quæ à re separari, nisi per interitum nunquam potest, vt *Gal. 3. Meth. cap. vltimo inquit*. Et si quis Luxationem differentias has etiam appellet, erunt differentiæ impropriæ, & non veræ, sicuti tres superius dictæ.

De Luxationum Causis.

PRimum, & secundum Luxationis genus fieri potest, tum ab interna causa, tum ab externa. Ab interna causa ossium hiatus fit, ac etiam ossis caput proprio loco egreditur, quando mucosi, ac pituitosi humores ad iuncturas, siue ad Articulos paulatim confluunt, qui sinum siue cauitatem sensim implent, & sic sunt in causa, vt ossium separatio fiat, & ossis caput à propria sede protundatur.

Ab externa causa etiam fieri possunt duo dicta Luxationis genera, vt à quolibet re, quæ violeter ossa à proprio loco mouere, vel vincula disrumpere, vel laxare possit, quemadmodum est casus, percussio, siue ictus, membri violenta extensio, aut distorsio, aut peruersio, & de his Luxationibus, quæ solum ab externa causa fiunt, tantùm sermo noster erit. Tertium Luxationis genus ab interna tantùm causa fit, vt ab humoribus ligamenta primum madefacientibus, deinde emollientibus, ac relaxantibus.

De

De Luxationum Signis.

EX Luxationum signis, alia sunt omnibus Luxationibus communia, alia cuilibet generi propria. Communia signa à tribus desumi possunt, vel ab essentialiter inherentibus, vel à necessariò consequentibus, vel ab actione lesa. Signa ab essentiæ partis ratione desumpta sunt, vt à mala partis laborantis constitutione, siuè compositione, sicuti sunt tumor partis in quam articulus prosilit, & cauitas, vel sinus à quà receßit, & hæc signa oculis, & tactui apparent, præsertim in macilentis, ac ex carnibus partibus, similiter membrum in perfecta Luxatione, ne breuius fit, quoniam sursum à musculis trahetur, cum resistentiam non habeat, membri item figura peruertitur, nec recta manet. Sano ergò dissimile non solum in figura, sed in situ, ac longitudine, vt diximus apparet; A necessario consequentibus, siuè superuenientibus, accidentibus signa sunt, sicuti dolor, qui necessario Luxationes consequitur. Signa ab actione lesa sunt affecti Membri motus priuatio, vel difficultas, & quando moueri potest, præcipuè magna cum difficultate in eam partem, in quam os excessit, flectitur, in aduersum facilius, & hæc sunt omnium Luxationem communia signa.

Perfecta Luxatio, ab imperfecta dignoscitur ex intensione, vel dictorum signorum remissione.

Ossium Hiatus, siuè Dehiescentiæ certissimum signum est, membri præter naturam crassities, & præcipuè capitum ossium præter naturam maior extuberantia.

Tertium Luxationis genus ob ligamentorum molliciem, ac laxitatem factum, cognoscitur, quia articulus hac atque illuc inordinatis motibus mouetur, ac vacillat, & ob ligamentorum laxitatem ossa non amplius se contingunt, sed articulus veluti filo appensus apparet, & ossis caput, si comprimatur, faciliter in suam naturalem sedem redit, & si demittatur statim egreditur, & circum circa articulum manifesta cauitas fit, vt etiam digitus aliquando immitti possit.

De Luxationum Prognostico.

OSSA facilius, vel difficilius luxantur et luxata facilius, vel difficilius in pristinam, ac naturalem sedem restituuntur, vel ob maiorem, vel minorem sinus cauitatem, vel ob ligamentorum, vel musculorum validitatem, vel laxitatem, vt elicitur ex *Hipp. lib. primo de Articulis*; Quibus igitur membrum boni habitus, & carnosum est, & nerui, ac ligamenta valida sunt, Articulus minus excidit, & difficilius reponitur. Sed repositus fidelius ac validius continetur, vt *Celsus lib.* 8. *cap.* 11. inquit. Quibus verò membrum tenuius est, & minus carnosum, & corpus mollius est, & nerui infirmi, facilius elabitur, & facilius restituitur, & restitutus minus fideliter continetur; Sic illi Articuli, qui profundiori sinu recondutur, ac pluribus ligamentis fulciuntur, difficilius luxantur, & luxati difficilius etiam in pristinum locum restituuntur. Contra qui planiori sinu articulantur, & paucioribus ligamentis fulciuntur, facilius luxantur, & luxati facilius etiam in pristinum locum restituuntur. Quibus luxati Articuli in suam naturalem sedem recondiri non fuerint, si adueh crescunt, pars illa non sicuti sana augetur sed breuior ac gracilior reditur, & si iam perfectè increuerit, illius partis gracilitas tantum sequitur, vt *Hipp. loco superius citato, & Celsus lib.* 8. *cap.* 11. *inquiunt, & hoc fit, vt Gal. Com. 1 lib. de Articulis inquit*, ob musculorum, & venarum, quas luxatum membrum continet, deprauationem, & quia pars illa immobilis seruatur, quum integra ac sana membra, vbi diutius omninò immobilia manet, aperte graciliora conspiciantur. Non igitur primaria ratione Luxatio membrum alimento priuat, sed media adstrictione vasorum, & instrumentorum ocio.

Vbicumque cum Luxationibus vlnus sit coniunctum, & ossa Vulnere excedunt, ac egrediuntur, reponendi non sunt, cum ex Neruorum distentione, siuè Gangrena, paucorum dierum spacio, vitam cum Morte commutant, & nisi reponantur, longe sepius à Morte liberantur, & si pars deformis, & ferè inutilis reddatur

(quod

(quod eius propinquis ac astistentibus prædicendum) tamen hoc magis est optandum, quam mors, & quo ossa maiora, ac superiora sunt, & robustiora, & à robustioribus prolabuntur, eo magis in tali casu eorum repositio est periculosa, vt ex *Hipp. sententia 4. de Articulis elicitur.* Vbi etiam scriptum reliquit. Quibus digitorum Pedis, vel Manus articuli luxati adiecto, vlcere, cute excesserunt, osse quidem non fracto, sed ab ipsa commissura recedente, si reposti maneat, Neruorum distensionis periculum impendet, nisi recte attendatur. Excedit tamen, vbi prædixeris summa cura, & diligentia opus esse eos reponere, facillime autem, & maximè prompte, magnoque cum periculo reponuntur, si adigatur paxillus, vectis munere fungens, quemadmodum supra in ossibus fractis diximus.

Illæ ergo Luxationes, quæ cum Vulnere vel inflammatione, vel ingenti dolore, vel alio simili præter naturam affectu, vel prauo symptomate sunt coniunctæ difficillimæ curatu sunt, & periculo non vacant.

Si febris item Articuli repositionem anteuertat, nullum luxatum Articulum in suam sedem compellere conuenit, inquit *Hipp lib. 3. de Fracturis.*

Luxationes similiter, in quibus ossium margines, siuè cauitatum supercilia abrumpuntur, pessimæ sunt, quoniam in his in pristinum sinum repositi Articuli, diu persistere non possunt, sed qualibet leuissima occasione iterum relabuntur. Sic Luxationes, quæ ob Neruorum, siuè ligamentorum vitio sunt factæ, pessimæ sunt, quoniam si Articuli in suam sedem compellantur, ac restituantur, iterum excidunt, *vt loco superius citato inquit Celsus.*

Veteres item Luxationes, quæ temporis spacio Callo obortuerunt, difficillimè, vel nunquam sanescunt, & ideò statim, vel eadem die, vel nunquam sanescunt, vel saltem posteriori reponi luxata debet, & vbi non protinus reconsuntur, his diebus supersedendum est, idest quousque inflammationis tempus præterierit, quod erit, post septimam, vel nonam diem, & post hoc tempus, eorum repositio tentanda in ijs membris, quæ id patiuntur. Quod si repositio Articulo, Neruorum distensio supernascatur cito expelli debet, & subindè calido humore debent perfundi, vt *Hipp. & Celsus locis superius citatis inquiunt.*

Indicium ossis in suam naturalem sedem restituti est naturalis membri figura, ac conformatio, vtque si cum parte sana comparetur, in omnibus illi respondeat, & cum veluti quidam strepitus, dum in pristinum sinum Articulus egreditur, fuerit auditus. Quod signum aliquando bonum esse non potest, cum strepitus, vel sonus quidam etiam fieri possit, ob super ciliorum cauitatis abruptionem, quæ aliquando fit, quando ossis caput cum eis confricetur, & quando hoc accidit, idest quod supercilia abrumpantur, & subeant in sinum, prius quam ossis caput ingrediatur, vera, & bona repositio fieri non potest, cum ossis caput in sua cauitate amplius circumuerti nequeat, & ideò claudicant, *Signum ossis in suam naturalem sedem repositi.*

Vel ex violentia repositione in qua magnus auditur strepitus, ossis caput sinum ita contundere potest, vt ibi vlcus excitetur, pars putrescat, & cartilagines a reliquo osse separentur, & os asperum remaneat, ex quo postea motus difficilis sequitur. Sonus ergo siuè strepitus non semper est bonum repositionis signum.

De Vniuersali Luxationum Curatione.

IN omnibus Luxationibus curandis quatuor intentiones, siuè scopos præcipuè habere debemus; Primus erit Luxati, & proprio loco moti Articuli in propriam, ac naturalem sedem reductio; Secundus, vt Articulus iam in pristinam sedem restitutus, ibi persistat, ne iterum excidat, ac prolabatur; Tertius vt affectus Articulus à dolore; Inflammatione, & alij prauis symptomatibus defendatur; Quartus, vt praua symptomata iam existentia corrigatur, & complicati affectus simul curentur.

Pro primo scopo consequendo, primum luxati membri in diuersa tàm valida extensio fieri debet, vt inter ossa aliquod liberum sit spacium, vt elicitur ex *Com. Gal. in lib. primo de Fracturis, & in Com. 4. lib. de Articulis.* Hoc facto, os, quod proprio sinu exciderit, placide ab ea parte

re in quam fuerit prolapsum in contrariam impellere, & tandem minimo quam fieri potest dolore in proprium sinum restituere oportet. Extensio primum fieri debet, propter contractionem musculorum, cum musculi in Luxationibus, cum resistentiam non habeant, sursum contrahuntur & etiam os prolapsum secum ducunt, & ideo membrum breuius fit. Animaduertendum tamen, quod non in omnibus Luxationibus, vna, & eadem extendendi ratio conuenit, sed alia atque alia, pro natura Laxatæ partis, Neruorum, Tendinum & ossium situatione, depositione, ac articulatione, cum in extensione saltem ex vna parte Musculi, Tendines ac Nerui integri sint seruandi, & ideo secundum eorum rectitudinem extensio fieri debet, vt in fracturis diximus, quæ facienda vel manibus, vel Laqueis, siue Habenis, vel Machinamentis. Placide in proprium acetabulum ossis caput reponendum, ne fiat contusio, vel attritio capitis, & sinus inter se, & difficiles, & violentæ repositiones, vt *inquit Gal. in Com. 1. lib. de Articulis*, vitande cum maximos dolores in musculis excitent, qui tandem inflammationes pariunt. Vitanda similiter captus ossis circumrotatio, ne sinus supercilium abrumpatur.

Extensio quomodo fasienda.

Osse in propriam sedem restituto, ad secundum Scopum deueniendum confirmanda ergo ac roboranda, & ita vincienda est pars, vt iterum os ab illo sinu egredi non possit, cum oblaxa ligamenta, & per musculos extenta facile prolabi soleat.

Primum ergo, vt hoc fiat, pars Rosaceo, vel Mastichino Oleo illinienda. Deinde subtilis Linteus Rosaceo imbibitus superponendus, & super hunc aliquod adstringens Med. vt totum articulum ambiat, applicandum, sicuti sunt adstringentes pulueres, & volatilis Farina cum Quorum Albuminibus ad Mellis crassitudinem commixti. Quod Med. vel super subtiles, & bene pexas Stuppas, vel super tenuia lintea extendi debet, & in horum puluerum defectu, lenes stuppæ, vel multiplicia lintea tantum Oui albumine madentia, & circa articulum impositia vtilia sunt. Post Med. applicationem, vt ossis prolapsum prohibeatur, conuenienti fascia eodem modo, quo fracta ossa deligantur, *vt inquit Gal. Com. 2. lib. de Fracturis*, membrum deligandum, & vinculum talæ esse debet, vt membri naturalem figuram seruet, influxos humores exprimat, & fluentes prohibeat, & Inflammationem arceat. Vinciatur ergo pars conuenientibus fascijs posca, vel Austero Vino, vel mali punici siue Hyppocistidis succo madentibus. Animaduertendo ne nimis partem adstringant, & dolorem, deinde inflammationem excitent, & si fuerit opus etiam ferulæ ex Corio, vel densa Papiro applicari possunt. His peractis molliter ac æqualiter, vtque mediam figuram ac naturalem seruet, ne dolor excitetur, Membrum situandum, & vsque ad septimam, vel decimam diem, nisi pruritus, vel dolor, vel aliud prauum Symptoma partem infestet, immotum seruandum; Et si hæc accidant, statim pars soluenda, vtque inferius dicemus, his occurrendum.

Vinculũ qualæ esse debeat.

Quomodo pars situanda.

Quid faciendum post luxati ossis repositionem.

Quando ergò debito tempore pars soluitur, si pruritus adsit, temperata Aqua pars perfundenda, & si quis noxius humorum confluxus adsit, reloluatur, & dolor etiam, si adsit leniatur, & nisi pruritus partem infestet, ab Aquæ caldæ fomento, cum ligamenta laxandi vim habeat, absistendum. Post fomentum, iterum aliquod adstringens Med. applicandum sicuti superius dictum, vel Ceratum Barbarum, vel Oxicrocium, si in Hyeme simus, & Diapalma, vel Ceratum de Minio, si simus in Aestate, & adstrictius pars vincienda, ita tamen, ne dolor excitetur, & ob capitis ossis firmitatem, vt superius diximus, Ferulæ applicentur, & sic procedendum donec membrum satis robustum videatur. Quo tempore membrum soluendum, & aliquo corroborante decocto temperate calido fouendum, sicuti est infrascriptum.

Ad pruritum.

℞. Balaustiorum, Malicorij, Foliorum Myrti, Absinthij, Rosarum rub. Florum Chamemoli Musci albi quercini an. q. vis M. & omnia bulliant in Vino Nigro q. suff. S. A. quo pars foueatur. Postea Ceratum absque deligatione applicetur, & paulatim, & moderate Aeger partem exercere incipiat.

Decotum con roborans.

Interim verò, idest post quam in suum naturalem locum os fuerit restitutum, & applicatis roborantibus ac repellentibus Medicamentis, & commode situata parte, vt superius diximus, membrum à do-

lore, & inflammatione præcauendum, & ſic Tertium Scopum conſequemur, & hoc fieri debet his præcipue, quæ humorum influxum ad affectum membrum prohibent, cum ex humorum influxu, dolor excitetur, & dolorem inflammatio conſequatur, Tenuis ergo ac proba victus ratio ab initio inſtituenda ac imperanda, ſic niſi quid prohibeat, vena ſecanda, & ſecundum peccantes humores conuenientes purgans Pharmacum inſtituendum, quibus præcipue à parte affecta humorum affluxus auertitur.

Quoad Accidentium correctionem, & complicatorum affectuum curationem, qui eſt quartus Scopus, ante quam manum Aegro imponamus, ſi aliquod prauum Symptoma adſit, vel alius morbus ſit coniunctus, & quod magis vrget, vt *Gal. 12. Meth. inquit, primum occurrendum*. Si inflammatio, vel dolor adſit, cum inflammatio in Luxationibus oriri ſoleat ex dolore, qui excitatur, dum fit luxatio, & dum facta eſt, os muſculos, parteſque neruoſas comprimendo, & in extenſione, qua os reponitur. Si ergo dum membrum dolore ac inflammatione tentatur, diſtendendo reponere conemur, cum hæc omnia in tali actione facienda augeantur, periculum eſt, ne Conuulſio, vel Neruorum diſtenſio, vel aliud huiuſmodi prauum Symptoma ſuſcitetur, & ideo imprimis. Symptomati, quod magis vrget, occurrendum. Dolore ergo, & inflammatione partem infeſtante, ſuccida lana calido Hydreleo, cum pauca Aceti portione mixto imbibita affectæ parti ſuperponenda, & ob inflammationem refrigerantibus Vng. & alijs Med. in Phlegmonis curatione dictis vti etiam poſſumus, & vniuerſum corpus conuenienti Dieta, Venæ ſectione, & purgatione euacuandum; Et ſi febris, & partis Tumor etiam acceſſit, omnia diligentius ac exquiſitius agenda ſunt præſertim quæ ad Victus rationem Venæ ſectionem, & Purgationem pertinet. Dolore, & inflammatione omnino ſedata, os Luxatum in priſtinum locum, vt diximus, reponere tentandum, ac conandum eſt, & ſi intenſione dolor excitetur, eodem pacto ei occurrendum, & poſt quã doloris, & inflammationis tempus præterierit, ideſt poſt ſeptimam, vel nonam diem, pleniori victu Aeger eſt reficiendus, ideſt cibis optimi ſucci, & modico Vino.

Quando Luxata oſſa non reponenda.

Si verò Vulnus Luxationi acceſſerit, *vt Hipp. 4. lib. de Articulis inquit*, ſimiliter oſſium repoſitio minime tentanda, præter quam in digitis, Plantis, & Manibus, & in ijs etiam prudenter hoc agendum eſt, & in talibus partibus etiam, quando ingenti dolore, vel inflammatione tentantur, oſſium repoſitio minime facienda ſed ante quam dicta aduenient, & poſt quam receſſerint, cum ex diſtenſione adiacentes Nerui, & Muſculi inflammentur, ingentes dolores excitentur, Conuulſiones, Gangrenæ, & acutæ febres oriantur, & matura mors Aegris afferatur, & quanto maius membrum laxatum eſt, & validioribus Neruis, & muſculis continetur, & principalibus partibus luxati cum Vulnere Articuli proximiores ſunt, tanto maior de horum prauorum Symptomatum aduentu timor eſt, & maius mortis periculum adeſt, & niſi reponantur, etiam aliquod periculum adeſt, & periculum tanto eſt maius, quo Vulnus Articulo proprius eſt.

Quando igitur in magnis luxatis Articulis Vulnus ſit coniunctum, vt *Hipp. loco ſuperius citato inquit*, ſtabiliter, ideſt quod nullo pacto moueri poſſit, affectum membrum, & quemadmodum maxime cubantem iuuat, collocandum ac ſituendum eſt, & ne dependeat, ſed potius paulò ſublimius ſpectet, & hoc faciendum, vt Gal. in Com. inquit, vt dolor, & humorum confluxus vitentur, & neruorum diſtenſio ex dolore ſequatur, quàm in neruoſis partibus dolor maxime infert.

Quamobrem ſi quæ hoc modo vitiata ſunt, neque refrigerentur, neque dolore tententur Neruorum diſtenſione præhendi minime poſſunt. In his ergo caſibus ſolis inflammationem arcentibus, & dolorem mitigantibus præſidijs per initia vt debemus, & ideo Hipp. inquit. Quod à principio Cerato Picato mederi debemus, & paucis pannis ex Vino madentibus non valde frigidis, quandoquidem frigus in his Neruorum diſtenſionem concitat, cum frigus Vlceribus, & neruoſis partibus ſit inimicum, vt idem in Aphoriſmis inquit. Recte etiam Folia Betæ, vel Tuſſilaginis, vel cuiuſpiam alterius talis in Vino nigro auſtero ſemicocta vl-

ceri

ceriarque adiectis partibus imponuntur, & hoc Medicamentum maxime competit, tùm ob Tussilaginem, quæ modice siccandi vim habet, quod in omnibus Vlceribus, vt alias diximus, requiritur, tùm ob Vini nigri austeri vires, cum repellendi facultatem habeat, & exulceratas partes mordere nequeant, cum crassarum sit partium, & ne pars dolore, vel inflammatione, & Neruorum distensione infestetur, inquit dictus Autor, quod etiam repido Cerato Vlcus inungendum, quamuis in alijs Vlceribus, vbi superius dicta non timentur, tale Medicamentum conueniens non sit, vt alias idem Autor inquit. Et eadem de causa præcipit, quod si Hybernum tempus fuerit, vt Lana succida ex Vino, & Oleo tepido madens imponatur, & perfusione insuper vtamur, cum hoc Medicamentum adstringendi, & modice calefaciendi facultatem habeat, vtq; *Gal in Com. inquit*, Caloris modus ex temperamento Aeris, in quo viuimus, coaijciendus. Vbi enim valde frigidum fuerit, humoris, qui perfunditur, calor augendus vbi calidum remittendus, & non solum Aer, & Anni tempus, & Regio spectanda, sed etiam Aetas, vsus corporis, & Natura, vt in Aphorismis idem Autor dixit, cum in frigida Regione, & Aere, & in Senili Aetate, habitu frigido, & vsu eorum, quæ corpus refrigerant, magis calida conueniant. Contra in Aestate in Regione, Aetate, Consuetudine, & Corporis calida natura, frigidiora admouenda. Et in Aestate assiduæ præfusiones simul ter conueniunt, immo magis cum imposita Lana magis siccescat, & in Aestate solo Vino perfusiones fieri debent, sicuti Hyeme, Vino, & Oleo mixto.

Iubet etiam idem Hipp. ne luxatum membrum cum Vulnere coniunctum nullo pacto vinciatur, neque quid aliud superponatur, cum superpositum onus in huiusmodi casibus sit alienissimum, tantum ergo dicta Lana superponenda, quæ cum mollis sit, & leuis, & oneri esse non possit Omnia ergo quæ partem onerare possunt deuitanda, cum maximum adsit periculum in nudatis, & extritis chordis ac Neruis eorum distensionis. Apponi etiam possunt Medicamenta quæ cruentis Vulneribus injiciuntur, ex feliciter, quæ idonea sunt, & nos in fracturis cum Vulnere complicatis conuenire diximus, quibus similiter Lana Vino infusa, vt longiorem moram trahat, superponenda, & his Medicamentis quousque Vlcus sanetur, mederi debemus, & in tali curatione, & si pars debilis, & manca remaneat, & aliquando etiam Vlcusculum, quod curationem non admittit, tamen melius est hoc, quam articulum reponere, & ad præcipitem mortem Aegrum perducere, & si post inflammationis præteritum tempus, in Luxationibus cum Vlcere sine magna violentia ac tuto ossa reponi posse excogitamus, hoc etiam tentandum.

Curatio Luxationis cum fractura complicatæ.

Si verò cum Luxatione absque tamen vlcere Fractura sit complicata, primum, si fieri potest, luxatus articulus in propriam sedem restituendus, deinde fractura, sicuti diximus curanda. Nisi verò commode Luxatio prius reduci ac curari possit, primum Fracturam componemus, & recte curabimus, & cum iam callo obducta ac confirmata fuerit, sicuti in tractatu Luxationibus dicemus. Luxationis repositionem tentabimus, & si Vulnus cum luxatione, & Fractura fuerit coniunctum, Vulnus sicuti in fractura cui Vulnere diximus curandum.

Inueterata luxationis Curatio.

Si verò Luxatio, vel ob Medici, vel infirmi negligentiam, vel ob necessitatem, quia primis diebus ossium repositio, ac in pristinum locum restitutio, absque magno vitæ dispendio, vt superius diximus, fieri non potuit, & ob temporis spacium callosa inibi duricies fuerit contracta, primum materia illa, quæ in articulum, & circa articulum influxit, emolliendo, & discutiendo, & hoc fieri debet fomentis perfusionibus factis ex decocto Maluarum Radicum Altheæ, Mebloti, Seminis Lini, Fenugreci, Hyssopi Betonicæ, Stechadis, Florum Chamemoli & Lanarum succidarum, quod decoctum cum magis emollire volumus in Aqua fieri debet, quando magis resoluere optamus, in generoso albo Vino faciendum, & post fomentum Vnguento Dialthææ pars illinienda; Vel infrascriptum Catapl. vel simile applicetur.

Empl. Emolliens, & Resoluens.

℞ Foliorum Maluarum M. 2. Rad. Altheæ vnc. 6. Rad. Cucumeri Asinini vnc. 3. Coctis in Aqua, & contusis, adde Farinæ Fenugreci Sem. Lini an. vnc. 1. 5. Olei Amigd. dul. vnc. 5. Axungiæ

Suillæ vnc. 4. prædicti decocti q. suff. M. & S. A. Fiat Catapl.

Valet etiam ad emolliendum Diachilon Simp. & cum Gummis, & ad digerendum præstat Cerotum de Betonica, & in durioribus corporibus Emplastrum Sacrum dictum, & similia.

In magna verò humorum copia, & vbi indurati fuerint, post partis emollitionem, maxime competit suffumigium ex Lapide Pyrite, vel Molari, vel fiat Fomentum cum decocto Rad. Altheæ, Cucumeris Asinini, Iuæ, Colocynthidis, & similium quæ tum calore, & siccitate materiam discutiendi vim habent, cum etiam à proprietate eandem extra articulos ad se trahunt. His factis, ad partis extensionem, & ossis repositionem est deueniendum, & cætera, sicuti in alijs recentibus Luxationibus diximus, facienda, ac administranda sunt.

De Luxationibus in Particulari, & Primum.

De Maxillæ Luxatione. *Cap. 2.*

Maxilla cur difficulter luxatus.

MAxilla difficultèr luxatur, tum ob ossium naturam, cũ ob Musculorum robur; Ob ossium naturam, quia vtrimque duo capita siue duos processus habet, quorum alter longior, Rostri similitudinem referens, sub Iugali osse se inserit; Alter breuior cum Capite, articulorum modo, prope aurem committitur, qui vndique ossibus circumuallatum est. Ob Musculorum robur difficulter laxatur, quia plures ac valentes obtinet Musculos, & Neruosas Chordas, quibus vtrique processus adsuperiores partes alligantur. Maxillam sursum trahentes Musculi quatuor sunt, duo à Temporibus incipiunt, quorum præualidi ac neruosi Tendines, in acutos inferioris Maxillæ processus adiunguntur, & vndique complectuntur, & duo initium ducunt ex tota cauitate inferiorum Cuneiformis ossis processuum Vespertilionumalis similium, & in interiorem posterioremque inferioris Maxillæ sedem validissime adiguntur ob hæc igitur præcipue ægre Maxilla prolabitur.

Maxilla ad quam partem luxari possit.

Maxilla, vt *lib. 8. cap. 12. inquit C. Celsus, & Gal. Com. 2. lib. de articulis*, tantum in priorem partem propellitur ac luxatur, vt ex Anatome patet, & non ad posteriorem partem, & ad dexteram, vel sinistram, vt Autores aliqui voluerunt. Cum ad posteriora luxationem os impediat, ne ad dexteram luxetur, impedit sinistrum Maxillæ caput, Sic ne ad sinistram prolabatur, impedit dexterum caput, vt vnusquisque articulationem Maxillæ cum Capite considerando, sensata fide percipere potest. Sequitur ergo, quod tantum ad priorem partem Maxilla luxari possit, bene verum est, quod aliquando tantum ab vna parte, aliquando ab vtraque luxatur.

Luxationis species.

Vt Maxilla luxetur, necesse est, vt processus Rostro similis, Acutus etiam dictus qui sub Iuguli osse inseritur, vt ipso Iugali osse humilior demittatur, & extra Iugalæ os fuerri, vtque in latus conuertatur, ac distorqueatur, & ideo necessario in pristinum locum reditus ei prohibeatur.

Causæ.

Ille verò processus infra Iugalæ os elabi non potest, nisi in maxima oris apertione, vt in maxime hiando, vel aliquid magnæ molis ore appræhendere conando, quod non accidit, nisi stultis ac delirantibus, & ex oris distorsione, vt diximus, in pristinum locum reditus prohibetur, hæ ergo sunt duæ Maxillæ Luxationis Causæ, *vt inquit Hipp. lib. 2 de Articulis vt quæ idem Autor inquit*, Ob hanc etiam causam raro Maxilla luxatur, cum nulla necessitas in edendo, vel in hiando hominem cogat, os, vltra, quam possit, aperire, Ob dictas ergo causas raro Maxilla luxatur, Veruntamen, vt ex eodem elicitur Autore, ob assiduum, & frequentem Maxillæ motum, vt in loquendo, vel in mandendo fit, ita Musculi faticari, debilitari ac relaxari possunt, vt perinde ac mollia Coria extenti sequantur, & sic de facili Maxilla luxetur, vel subluxetur, *vt Paul. lib. 6 cap. 113. etiam scriptum reliquit.*

Signa.

In Maxillæ Luxatione, loquela deprauatur, & masticatio tollitur, & inuito Aegro, saliua egreditur; Et si ex vna tantum parte fuerit luxata, à parte illa in anteriorem partem prominet Maxilla, & in contrariam partem ipsa, & mentum inclinatur, & os distorquetur, & distorta Maxilla eminentior apparet, Dentes partibus

non

non respondent cum sub Incisoriis Canini sint, & simul committi non possint, & in luxata parte acutus processus rostrum referens iuxta Malas, ideſt qua situm est iugulæ os eminentior apparet.

Si verò ex vtraque parte Maxilla fuerit luxata, in priorem partem tota Maxilla, siue totum Mentum recto tramite magis promouetur, & inferiores Dentes longius, quam superiores excedunt, inferiores tamen è regione superioribus respondent, & qui secant secantibus, & Canini Caninis, & Molares Molaribus; Os apertum magis manet, & Maxillæ cum malis committi non possunt. Summitas ossis rostrum referentis magis ex vtraque parte extra malas eminens apparet, & temporales musculi admodum intenti, & duri conspiciuntur.

Prognosticum. Luxata Maxilla, vt loco superius citato *Hipp & Gal ineius Com.* inquiunt, quam celerrime reponenda est, prius quam musculi distenti, ob consortium, Cerebrum afficiant.

Et si reuerti nequeat, mortis periculum instat, propter febres continentes, atque Marcorem, & inexpugnabilem dormiendi necessitatem, Bilosa sincera per Aluum, & Vomitum reddantur, & plerumque circiter decimam diem decedunt.

Periculo ergo non vacat Maxilla, vel si ex altera tantum parte, vel si ex vtraque luxetur, bene verum est, quod facilius restituitur, si ex altera tantum parte luxetur, & si ex vtraque ægrius cum omnes quatuor dicti musculi, quibus Maxilla sursum trahitur, præcipue intendantur qui Neruos à ipso Cerebro habent, ideſt à tertio pari, & prope ipsum sunt, & ideo celerrime Cerebrum afficitur. Primum ergo musculi dicti præter Naturam intenduntur, & ideo dolent, & ex dolore inflammatur & simul vitio per consensum Cerebrum afficiunt, quo affecto acutæ febres sequuntur, & omnes animi actiones læduntur, Bilosa per Aluum, & vomitum eiciuntur ob acutas febres, ob quas Adeps, & tenera, & paulo ante concreta caro tabescunt, & languis aduritur, ac Bilescit, quæ & ad intestina, & ad ventriculum confluunt ac transmittuntur, & ideo Bilosorum eiectiones fiunt, & in talibus casibus os ventriculi etiam per consensum affici solet, cum neruosum sit, vtque plurimum læsi solet, quando neruosæ partes laborant, & hac de causa etiam Bilosa ad Ventriculum confluunt. Subluxata, vel perfecte luxata Maxilla ob musculorum debilitationem ac relaxationem facilius reponitur, & in pristinam sedem reuertitur, vt Paulus loco superius citato inquit,

De Luxatæ Maxillæ Curatione.

IN Luxatæ Maxillæ repositione imprimis animaduertendum, si ex altera tantum parte fuerit prolapsa, vel ex vtraque, & si ex vna tantum parte a propria sede fuerit egressa, patiens in sedili collocandus sit, vt miniter à posteriori parte eius caput firmiter contineat, ne maxillam sequatur, vbi à Medico agitatur, ac deorsum trahitur, Vel vt iuxta parietem is sedeat, interposito inter caput eius, & parietem coreaceo pulumari, eoq; caput per ministrum vrgeatur, ne dimoueri possit, vel resupinetur Aeger, eius capiti subiecto scorteo Pulumo duro vt quam minime cedat, & sic eius caput immobile seruetur, & hic situandi modus tutior est, vt loco citato Hipp. inquit, Vno ex his modis Aegro figurato, Medicus inuoluens. Pollicibus, vel subulibus Linteolis vel fasciis, ne dilabantur, illos in patientis os conijciat, & præcipue super molares Dentes apponat, ceteris Digitis extrinsecus maxilla ad mentum fortiter apprehensa, homine hiante, quantum modice potest, patienti iubere debet, vt laxam maxillam teneat, simulque ille propellat ac obsequatur, tum deorsum maxilla trahenda, deinde retro ideſt erga Guttur cõpellenda, postea ad oppositum latus agitanda, & simul sursum propellenda Aegro imperantes, vt os claudat, & hæc omnia fere vno momento fieri debent, vt C. Celsus inquit. Si ex vtraque parte prolapsa ac luxata fuerit maxilla, eadem omnia facienda, præter quam, quod ad latera non est agitanda. Sufficit ergo tantum primum deorsum trahere, secundo retro æqualiter propellere, Tertio sursum compellere, & sic facillime, & citissime luxa-

ta maxilla reponitur. Primum deorſum trahenda ob muſculos, qui acutum proceſſum, ſiue Roſtro ſimilem trahunt, qui infra lugulæ os trahi debet. Secundo retro vrgenda ac compellenda, quia in priorem partem prolapſa fuit. Tertio ſurſum propellenda, quia in oris apertione deorſum fuit tracta. Quando ex altera tantum parte fuit Luxata, etiam ad oppoſitum latus agitanda, vt in priſtinum locum prolapſum os facilius reuertatur.

In priſtinum locum reſtituta maxilla inquit Hipp. Quod lenis Medicina abunde eſt, ſicuti ſunt panni cum Cerato, & laxiori faſcia alligati. Medicamenta ergo ad maxillæ capita, ideſt ad tempora applicanda, inflammationem arcendi facultatem habere debent, ſicuti eſt Ceratum ab Hipp. propoſitum, quod fit ex Cera, & Oleo Roſaceo, vel Roſaceum Vng.

Et vbi valida fuerit facta diſtenſio etiam adſtringentia Medicamenta applicare debemus, ſicuti eſt Medicamentum factum ex Ouorum albuminibus, & adſtringentibus pulueribus ſuper Linteos, vel lenes Stuppas extenſum, vt in Fracturis diximus, & eadem de cauſa etiam Temporales muſculi Oleo Roſaceo Lumbricato inungendi.

Faſcia ad mentum apponi debet, vbi aliquantiſper ſit diuiſa, vt mentum in illa diuiſione ingredi poſſit, deinde ad aures faſciæ capita adducantur, vtque aures foras trahi poſſint, faſciæ capita reſcindenda, poſtea in capitis vertice alligandæ, & quouſque maxilla fuerit confirmata, ſic detinendus eſt patiens, quod, vt plurimum trium dierum ſpacio fieri ſolet. Quo tempore tenuis victus ratio inſtituenda, & cibi ſorbiles ſint, & dum cibatur Aeger, relaxetur faſcia, deinde iterum aſtringatur, & ſermo etiam interdicatur, Cum omnis maxillæ motus noxius ſit, & ſupinus iaceat, Et ſi aliquod periculum inſtet, & cum Oculorum, vel Ceruicis dolore caſus iſte acciderit, Brachij Cephalica Vena ſecetur, niſi quid obeſt, & alia vniuerſalia ſicuti in cura Vniuerſali diximus, facienda.

Si vero ob muſculorum tenſionem difficulter maxilla reponi poſſit, quod ſepe accidit, quando diu luxata permanſerit, ante eius repoſitionem luxata maxilla Spongia imbibita calido Hydreleo, vel alio emolliente decocto, in cura vniuerſali dicto, vel ſimili fouenda. Parte emollita, ſicuti diximus, eius repoſitio tentanda. Si ſupradicta praua Symptomata ſuperuenerint, ſicuti vnicuique conuenit, & in ſuperioribus a nobis fuit dictum, eis occurratur.

De Capitis, & Spinæ Vertebrarum Luxatione. *Cap. 3.*

CAPVT cum prima Colli Vertebra duobus proceſſibus in duos ſinus ſummæ Vertebræ demiſſis articulatur. Omnes vero Vertebræ, duabus primis exceptis ab interiori parte qua ventrem ſpectant, & rotundæ ſunt, & leues, mucoſorum, & cartilaginoſorum ligamentorum medio, quæ inter corpus vnumquodque ac ſuam apendicem enaſcuntur, tam inferiori, quam ſuperiori ſede, & ſingulis corporibus interiacent, vinciuntur.

Ab exteriori ſede, duabus primis ſimiliter exceptis, cardinis modo Vertebræ inter ſe cõmittuntur, quoniam quatuor exigunt proceſſus, quibus committuntur duobus quidem proximæ vertebræ eminentias admittunt, duobus ſe in alteram inſinuant, & ideo cardinum ſimilis ſtructura quodammodo efficitur, & ſic per Gyglymos, Diarthroſis ſpeciem articulantur, & ſingulæ vertebræ, tam maiores quam minores ſuos proceſſus habent in exteriorem partem vergentes, quibus proceſſibus Cartilago eſt adiecta, a quâ Ligamentorum germen oritur, quæ exterioribus Neruis ſunt germana, & Thoracis vertebris vtrimque à lateribus in radices proceſſuum adiectæ ſunt Coſtæ, capitibus in interiorem partem magis ſpectantibus, quam in exteriorem, quæ ſigillatim cum vnaquaque vertebra committuntur ac inſinuantur. Arcte ergo quibuſdam Tendinibus ab ipſis exortis, vertebræ inter ſe vinciuntur, vt citra Luxationis periculum facile omnes moueri poſſint.

Spinę vertebrę, vel perfecte luxantur vel imperfecte id eſt ſubluxantur, & hoc fit vel in anteriorem partem, vel in latera, & Luxatio, vel ſubluxatio, vel tantum *Luxationis ſpecies.*

vnę

vnę Vertebræ accidit, vel multæ simul peruertuntur. Illa Vertebrarum peruersio, quæ in anteriorem partem fit à Grecis Lordosin dicitur, quæ in posteriora Cyphosin, & quæ in latera scoliosin nominatur.

Causæ. Causæ, quæ Spinæ Vertebrarum peruersionem efficiunt, vel sunt Internæ, vel Externæ, vt elicitur ex *Hipp 3. lib. de Articulis*, De peruersionibus ab internis causis factis, nihil dicemus, cum in hoc libro tantum de Luxationibus, quæ ab externa causa fiunt sermo noster sit futurus, Luxantur ergo vel subluxantur vertebræ, vel à casu, vel ab ictu.

In Capitis luxatione Neruus ab occipitio extenditur, Mentum Pectori ita agglutinatur, vt neque bibere is, neque loqui possit, & interdum sine voluntate semen emittit, vt inquit *C. Celsus lib. 8. cap.* 23., & hæc signa ponuntur, non quod curari hæc Luxatio possit, sed vt à Medico res indicijs cognoscatur, & proximæ mortis periculum prædicatur.

Si Vertebræ ab interiori parte excidant sinus apparet, si ab exteriori tumor, & magnus prolapsus angulatum spinæ fluxum efficit, & paruus circularem, & in hoc, vt Hipp. inquit, necesse est in spina gibba vnam aliquam Vertebram reliquarum omnium conspici maxime sublimem, eas autem, quæ hinc, atque hinc sunt, minus, & Vertebra, quæ maxime extat, parum ab alijs recedit. Si supra septum transuersum excidant, & perfecte laxentur vertebræ, Manus resoluuntur, vomitus, & neruorum distensio sequitur, spiritus difficulter mouetur, Dolor vrget, & aures obtusæ fiunt. Si sub septo, Femora resoluantur, vrinæ supprimuntur, & interdum sine voluntate prorumpit, vt inquit *C. Celsus lib. 8. cap.* 24.

Prognosticum.

Quibus igitur caput in posteriorem partem luxatur, quod fit, quando illi duo processus, quibus eum prima Colli Vertebra committitur, in posteriorem partem excidunt, citissime mors superuenit, & nullus his adest Medicinæ locus. Sic si spinæ vertebræ ex actam ac perfectam luxationem experiantur, pernicioſam mortem afferunt, vt *Paul. lib. 6. cap.* 118. inquit, Cum Spinalis medulla nullam quamlibet leuem compressionem sustinere possit. Immo si tantum Neruorum processus, qui ex ipsa emanat comprimantur hominem in vitæ discrimen abicere abunde possunt.

Si ergo vna tantum vertebra luxari, vel exilire, vel dimoueri contingat pernitiosius est, quam si multæ simul, cum Spinali Medullæ minus noxæ inferatur, si plures simul dimoueantur, quam si tantum vna. Item si in interiorem partem vertebræ luxentur, casus asperior est, quam si in exteriorem ferantur, cum Nerui omnes, qui à Spinali medulla oriuntur in interiorem partem procedant, & ideo magis præmuntur, vbi in hanc partem Spina peruertitur, quam vbi in exteriorem, & ideo per consensum vrinæ suppressio, & vocis fit, & mortis periculo magis sunt obnoxij, quam vbi in exteriorem peruertitur cum dicta non supprimantur, & Torpor plerumque non accidit, sicuti in peruersione ad interna. Quamuis omnis Spinæ peruersio periculosa sit, & à posteriori parte in interiorem non facilè expellitur vertebra, nisi aliquod graue admodum super ipsam incidat, cum ossa à posteriori parte potius frangantur quam coactis Ligamentis, valde in interiorem partem erumpant, & in hoc aliqui decipiuntur, putantes adesse luxationem ad intra, & est spinæ vertebrarum Fractura, cum in talium ossium fracturis etiam cauitas appareat. Ab interiori etiam ad exteriora difficulter vertebræ luxantur, & magna vi, coniunctione abrupta, expellentur. Si vertebræ supra, vel infra, septum transuersum luxentur, vt loco superius citato C. Celsus inquit, tardius, quam ex capitis Luxatione, tamen intra triduum homo moritur. Quibus item ab externa causa subluxatæ Spinæ vertebræ fuerint, raro & magno negocio in suam sedem restituuntur, vt superius diximus, Et ad interna spinæ peruersio facta difficultatem auget, & quod per Ventrem ad oppositam partem repellendi facultas nulla datur. Hipp. loco superius citato inquit, Gibbus à pueritia factus ab interna causa, vitium diuturnum est, neque præmaturam mortem conscisit, sed immedicabilis est morbus.

Quibus similiter aduch pueris spina gibba fit, ante quam corpus perfecte increscat,

creſcat, niſi recondatur, his corpus ad ſpinam non augetur, ſed Crura, & Brachia duntaxat perficiuntur, & quæ ſunt ad ſpinam, non complentur. Hoc vero fit ob peruerſas Venas, & quia talis pars ægrius mouetur; Ideo in huiuſmodi affectibus languet Natura, & neceſſario affectæ partes deterius, quam ante, nutriuntur, & ideo, vt ſuperius etiam diximus, quæ perfecte increuerunt, in non repoſitis Luxationibus emacreſcunt, quæ aduch increſcunt, eorum incrementum prohibetur, quæ vero partes longius à vitiatis abſunt, vt Brachia, & Crura ſine noxa omnino ſeruantur, & proximæ tantum partes afficiuntur.

Inquit etiam idem Autor, Quibus ſupra ſeptum tranſuerſum gibba ſpina fit, Coſtæ in latitudinem augeri non ſolent, ſed in partem priorem, Pectus vero latum non fit, ſed acutum, ſpiritus difficulter mouetur, & cum ſono, quum cauum, quo ſpiritus recipitur atque emittitur anguſtius reddatur.

Verum ex his quibus ſub ſepto tranſuerſo gibba ſpina fit, nonnullis ob conſenſum Renum, & Veſicę vitia ſuperueniunt, ſed, & Abſceſſus ad Ilia, & Inguina, qui diu manent, & ægre ſanantur, quorum neutrum Gibbum ſoluit; Et his Coxæ extenuantur magis, quam quibus ſpina ſupra gibba eſt, Tora etiam Spina ſongior his eſt, quam quibus à ſuperiori parte gibba eſt. Cum Spina quo magis verſus ſuum initium vitiatur, eo minus augetur, in ijs, qui nondum perfecte increuerunt, & ſuperne ſpina initium ſuum, & incrementum habet. His ſimiliter Pubes, & Barba ſerius increſcit, & minus completur, minus item fecundi fiunt, quam quibus gibba eſt pars ſuperior; Ex Gibbis ſimiliter pauci ad ſenectutem perueniunt.

De Luxationis Vertebrarum Curatione.

PRO recentibus ſubluxatis ad extra Vertebris reponendis, ideſt in quibus hoc ex caſu, vel ictu acciderit, primum conueniens extenſio facienda, deinde ſubluxatæ vertebræ in priſtinum ſitum conuenienti compreſſione reponendæ, vtque hoc fieri poſſit, ingens aliquod lignum tantæ longitudinis, ac latitudinis, vt proſtratum hominem excipere poſſit, vel huic Scamnum æquale prope parietem, & à pariete eatenus recedat, vt aliquis inter vtrumque, vbi ſit opus, tranſire quæat, apponere oportet, ſupra quod ſtragula extendenda ne hominis corpus contundantur, vel quid aliud, quod molle ſit, & non cedat, ſupra quod homo prius multa Aqua calida perfuſus ac lotus, ſi ſuſtineri poſſit, pronus ſituandus ac collocandus, extentis ſecundum Naturam Brachijs, & ad corpus alligatis. Deinde loco molli, & abunde lato ac longo, ipſius pectus, quantum poteſt, iuxta Alas duplici inuolutione circumdandum, & per alas ſupra Dorſum vinciendum, Capitaque loci ad prælongum Ligeum alligentur, quod ad ſubiecti Ligni ſiue Scanni extremum erectum ſtatuendum, & Miniſtro a Capite Aegrotantis ſtante tradendum, vtima parte ſolo innixa, ſuperiore ſupra Caput tracto, oportune poſtea extendere poſſit, Aliud Vinculum ſimiliter ſupra Genua, & ſupra Malleolos dari debet, Aliud ſupra Lumbos, & Coxas in orbem firmiter deuinciat, & omnia hæc capita ad aliud Lignum, quod ad Aegrotantis Pedes, ſit alligentur, ima ſimiliter Ligni parte in extremo Scamni Solo innixa, vtque ſuperiori æquale rectum conſtituatur alio miniſtro a pedibus ſtante tribuendum Homine ita figurato ac alligato a miniſtris in diuerſa extenſio fiat, & hæc extenſio abſque vlla inclinatione fieri debet, ſed recta. Facta intenſione, ſi ad extra vertebræ tendant, Medicus Palma Manus gibbum validiſſime comprimat ac

in

in diuersa extensio fiat, & hæc extensio absque vlla inclinatione fieri debet, sed recta. Facta intensione, si ad extra vertebræ reieant, Medicus palma manus gibbum validissime comprimat, ac constringat, & nisi ita reponi possit, super gibbosam partem leui imposita tabula superiedeat, & se attollens consentiat, vel pedibus super dictam tabulam consistat, & leuiter se concutiat; Vnde *Hipp. loco superius citato inquit*, sola extensio hoc pacto adhibita omni vertebrarum subluxatione aliquando abunde sufficit, tam si fiat ad interna, quam ad externa, vel in latera, Et in subluxatione interna nulla compressio facienda, & omnes aliæ machinæ, & instrumenta quibus antiqui vtebantur, præcipue ad subluxatas vertebras ad interna, vt sunt suspensiones, & concussiones per scalas ab alto loco decidentes, & attractiones per magnas cucurbitulas, vel per ea, quæ sternutamenta, vel tussim, vel inflammationem excitant, vel inflati vtres, & similia ridiculæ, & nullius momenti sunt, immo potius obsunt, quam prosint, vt idem Autor inquit.

Nisi modis superius dictis subluxata ad extra spina in locum pristinum restitui queat, proximus paries è regione gibbi excauandus, vt neq; longitudinem cubiti excedat, neq; altior, neq; multo humilior ægrotantis spina sit; Deinde super spinam multiplex pannus, vel paruus aliquis puluinus scorteus impositus. Asseris iuxtæ latitudinis, & trium, vel quatuor cubitorum longitudinis, alterum caput in parietis cauitatem injcimus, medio assere super spinam, qua gibba est, & impositus fuit multiplex panniculus, vel paruus puluinus, vt asser, qua maxime spina extat, superimpositus, maxime premat, hoc caput reliquum asseris ab vno, vel duobus Ministris ad ima ita comprimendum, donec vertebræ in pristinum locum reponantur, & spina directa sensu percipiatur. Post vertebrarum repositionem, & spinæ directionem aliquod Med. ex superius dictis, quæ oui albuminibus, & adstringentibus pulueribus, ac exsiccantibus fiunt, applicatibus, & lignea ferula saltem tribus digitis lata stuppa inuolura superponenda, quæ sit tantæ longitudinis, vt non solum subluxatas vertebras contineat, sed etiam ex non subluxatis aliquas, & sic conuenientibus fasciis commode deligari, ac vinciri debet, aliqui ex plumbea lamina ferulas efficiunt, quod etiam conuenit, vtque supinus cubet, & quiescat, iubere debemus, tenuique victu vtatur, & si opus sint, fiant etiam alia in cura vniuersali dicta.

Si his actis, aliqua etiam gibbositas appareat, laxantia, ac emollientia Medicamenta applicanda, & superposita ferula quotidie valentius astringenda, & diutius continenda, & si vigesimi dierum spacio subluxatæ vertebræ, ac repositæ confirmari soleant.

De Clauiculæ, & summi Humeri subluxatione. *Cap.* 4.



Clauicula etiam iugulum dictum, vt *Paul lib 6 cap. 114 & Albucasis lib 3 cap. 26. inquiunt*, nunquam in totum luxantur, sed subluxantur, & ad anteriora nunquam quidem excidit, quoniam cum pectoris osse ita inheret, vt ne moueri quidem ipso possit. Sed neque altero capite, quo humero inseritur, admodum excidit, cum, & à cartilagine quadam, quæ clauiculam scapulæ alligat, quæ in exsiccatis, & cadauerosis corporibus latet, vt etiam Paul. inquit, & à bicipiti musculo, etiam deltoide dicto impeditur. Si verò forte fortuna ex violento quopiam extrinseco ictu, seu percussione paululum clauicula auellatur, ac subluxetur, sicuti in lucta aliquando euenire solet, de facili restituitur. Sic summus humerus, ideſt caput illud ossis scapulæ, quod cum clauicula committitur, non perfecte luxari potest, sed si subluxetur, quod raro etiam accidit, *vt Hipp. primo libro de Articulis inquit*. Ex hoc casu, nec paruum, nec magnum in humeri commissura oritur detrimentum, sed aliquid decoris eo loco amittitur, nunquam enim huiusmodi os in naturalem, & antiquam sedem reuertitur, sed necessario, siue amplius, siue minus a superiori parte prominet, neque enim aliud os vllum in pristinam sedem reuertitur,

Prognostikum.

uertitur, quod receſſerit ab illo oſſe, cum quo naturaliter iungeretur, paucis autem diebus à dolore liberatur latum ſcapularum os ſummum, ſi commode vinciatur. In iuuenibus vero facilius cogitur, in ſenioribus difficilius, quam quo magis ætas procedit, eo magis corpora noſtra ſiccentur, ac aridiora reddantur.

Signa. Quando ergo clauicula ſubluxatur, manifeſta eleuata apparet, ſic quando ſummus Humerus à proprio loco fuerit dimotus acutior ſe oſtendit, & extare videtur os, quod recedit, & ſinus vnde excidit manifeſte perſentitur, ita vt imperitis, luxati brachij imaginem, ac ſuſpicionem præbeat, illi Medici qui Humerum luxatum eſſe exiſtimant, & Humerum reſtituere conantur, ſummopere patientes lædunt, & ſuis extenſionibus ſunt in cauſa, vt muſculi conuellantur, vel muſculorum diſtenſio ſequatur.

De Curatione Subluxationis Clauiculæ, & ſummi Humeri.

AD ſubluxatam clauiculam curandam, ſupinus, & brachijs ſecundum naturam extentis ſituandus eſt infirmus. Deinde affecta pars manus vola valide coarctanda, ac conformanda, & ſic facilius reponitur. In priſtinum locum reſtituto oſſe, Medico manu etiam præmente, brachium ad pectus adducatur, deinde aliquod adſtringens, & exiccans Med. ex ſuperius dictis, vel ſimile ſuper multiplicia ſplenia extenſum ſuperponendum, vtque in huius partis fractura diximus, pars hæc, ſed arctius vincienda. Et eodem pacto etiam ſubluxatus ſummus Humerus manuum conformatione reponitur, id eſt id os, quod excidit, & extare videtur deorſum cogendo, vtque ſummi humeri os reſtituatur, opus eſt etiam, vt clauicula deorſum compellatur, & ab ea parte in orbem quodammodo inclinetur, cum vbi hoc os recedat, clauicula etiam conſequatur. His oſſibus deorſum compulſis, adſtringens, & exiccans Medicamentum ſicuti in alijs luxationibus apponendum, & plurimi panni ſuperinijciendi, maximeque hęc pars adſtringenda Humeruſque ad latus continendus, ſuſpenſus à parte ſuperiori. In quiete ergo maneat infirmus, & eiuſdem lateris brachium nullo pacto dimoueat. Et hac ratione id os, quod receſſit, proxime adducetur, ac confirmabitur, ſi quadraginta diebus ſic vincta pars, & inquiete ſeruetur, cum breuiori ſpacio huius confirmatio fieri non poſſit, vt *Gal. in com. primi lib. de Articulis inquit.*

De Humeri Luxatione.

Cap. 5.

VMeri ſuperior pars, ſiuè eius maius caput, quod ſemiglobi inſtar orbiculatæ, leuæ, æquale, & cartilagine obductum eſt, in ſcapulæ ſinum, quod eſt lateri cauum inſeritur, & huius oſſis caput tantum orbiculari ligamento, & ſatis laxo obuoluitur; Vtque de facili huius oſſis caput vndiq; à ſinu ægredi nequeat; Natura circa ſinum propugnacula quædam fabrefecit, à ſuperiori enim parte adeſt proceſſus ſcapulæ ſuperior, ſummus Humerus etiam dictus, & clauiculæ caput cum eo coniunctum, ab exteriori, ſiuè poſteriori parte adeſt illius ſcapulæ proceſſus, ſatis magnus, & in parte interna proceſſus anchoroides adeſt, extrorſus egreſſus à bicipite muſculo prohibetur. Cum ergo in ſuperna, externa, interna, ac poſteriori parte ob dicta propugnacula ægredi ac luxari neque at ſupereſt, vt tantum deorſum, & in anteriorem partem prolabi poſſit. Sed frequentius Humeri caput in alam prolapſum videtur, tum quia ibi nullum adeſt propugnaculum, cum quia Humerus ſuo pondere facile deſcendit. In partem anteriorem luxatum raro apparet, cum bicipitis. ſiuè deltoidis muſculi tendo aliquantiſper reſiſtat. Immo Hipp. quia nunquam vidit Humeri caput in anteriorem partem prolapſum, in talem partem luxari non poſſe primo libro de Articulis ſcriptum reliquit. *Gal. verò in eius com. inquit*; Quinquies ſe hoc vidiſſe, & in talem partem poſſe luxari, inquit etiam *C. Celſus lib. 8. cap. 15.* & alij Autores grauiſſimi; *Luxationis ſpecies.*

Vtque

Vtque superius diximus Humerus, ac femur perfectæ semper luxantur, quotiescumque ab externis causis luxatio siat. Si verò ab internis, vt ab humoribus sensim concrescentibus, ac induratis, cum hi paulatim huius ossis caput foras expellant, imperfectam luxationem facere possunt.

Signa. Si in inferiorem partem prolapsus sit Humerus, ad integri exemplum, & eiusdem infirmi existimare vitiatum oportet, vt Hipp. inquit, & quatenus à naturali statu recesserit, coniectura facienda. Dignoscitur ergo luxatus Humerus, quia si cum sano comparetur, ad modum dissimilis apparet, quoniam à superiori parte, quæ super commissuram est, idest in summo Humero, vnde fuit elapsus, insolita cauitas apparet, & summus Humerus, idest larum os scapularum summum, quà cum clauicula committitur, extare, videtur, & acutior se ostendit, & non rotondus sicuti alius apparet, cum Humeri caput, quod rotunditatem faciebat, iam sit prolapsum, & inferiori loco recipiatur. Sub axilla caput Humeri rotundum, ac durum digitis manifeste persentitur, & in axilla anteriores, & posteriores, plicæ longe inferiores, quam in sana parte apparent, cubitus similiter offensi brachij a costis magis recedere videtur, quam ab altero, & nisi cum maximo dolore ad eas dimoueri, ac adduci potest. Nequeunt etiam ægri eiusdem partis manum ad aurem porrigere, sicuti integri brachij, cum sursum Humeri articulus moueri nequeat. Similiter aliæ multiplices motiones impediuntur, longiusque id brachium altero est, nisi à musculis sursum postea sit attractum, cum tunc breuius appareat. Si in priorem partem, siuè ad anteriora Humerus sit luxatus, in anteriori parte eminentia apparet, & in posteriori insolita cauitas. Cubitus ad partes posteriores vergit, & summum quidem brachium extenditur, minus tamen, quam naturaliter difficiliusque in priorem partem cubitus, quam in posteriorem porrigitur, & hæc omnia signa optime sunt animaduertenda, & cum parte sana, vt diximus, comparatio facienda, vt in talis luxationis cognitionem veniamus.

Prognosticum. Frequenter, vt diximus, Humerus deorsum, idest ad alam prolabitur, præsertim graciliorib. factis, ac pauca carne præditis; Et quibus de facili prolabitur, faciliter etiam restituitur; Minusque inflammatione tentantur madentes, & graciles, quam sicci, & carnosi, *vt Hipp. loco superius citato inquit*, cum magna vi in repositione non sit opus, facilius verò iterum procidit, & minus in posterum articulus alligatur in gracilibus, quia circa articulos muci magis redundant in gracili, quam in pleno, & caro graciliorum qui arte non fuerint extenuati, mucosa magis est, quam eorum, qui pleni, & carnosi sunt. Carnosis verò sicuti rarius quidem luxatur, sic difficilius in propriam sedem restituitur, sic molli carne præditis, & in recenti luxatione facilius reponitur, contra in vetustis luxationibus, & duris, corporibus ægrius. Ideò *Hipp. P. lib. de Articulis inquit*. Differunt etiam inter se corporis habitus, quibus enim membrum bonum habitus est, & carnosum, Articulus minus excidit, & ægrius reponitur, quoniam carnis copia vndique Articulus constringitur. Quibus, quam soleat, tenuius est minus carnosum, magis elabitur, & facilius restituitur. Cum ijs relaxatur cutis eius carnis, quæ commissuram complectitur, parumque prohibet, quo minus Articulus excidat, ac reuertatur. Contra in ijs, qui natura graciles carne implentur, difficilius Articuli luxantur, atque ægre reponuntur, vtique *Gal. in Com. inquit*. Nec quidquam deterius agitur cum his, qui natura graciles sunt, quam cum his, qui plenniores, cum natura graciliores siccioris sint habitus, & musculos robustiores habeant, & ideò commissuram coarctant, carnosiores, & si eorum Articuli maiori carnis copia adstringantur, tamen magis madent, & molles sunt. Facile verò prolabitur hoc os, vt idem Gal. inquit, quia hic Articulus vniformis, & simplex est, & non duplex, quemadmodum qui in Genu, & cubito, & Humeri caput grande est, & sine oblonga ceruice, & in sinum parum desidentem, & paruam cauitatem habentem inferitur, & quia pauca carne regitur, & ad suum cauum ligamentum non habet, quemadmodum femur, quod difficilius luxatur, vt inferius dicemus.

Antiqua

Antiqua Humeri luxatio difficillime reponitur, & repoſita iterum prolabitur, quia Humeri caput calloſam, ac duram iam ſibi fecit ſedem, & cauitas ipſa carne repletur, quæ, ſi os reponatur, iterum à proprio ſinu prolabi cogit. Non recens item Humeri luxatio difficulter reponitur, quia dum Humeri ſit extenſio, è ſuo loco præter naturali Humerus non mouetur, ſed ſcapula eſt illa, quæ mouetur.

Humeri caput in priorem partem prolapſum facilius reponitur, quam ſi in alam prolabatur, vt inquit *C. Celſus lib. 8. c. 15.*

Si verò hæc pars ijs, qui non dum perfecte increuerint, luxetur, & in ſuam ſedem non reſtituatur; Carnes in Humero *vt Paul lib 6. cap. 115. & Hipp loco ſuperius citato*, inquiunt nihil noxæ à naturali conſtitutione deficientes contrahunt, neque manus quo minus functionem ſuam obire poſſit impeditur; Sed brachijs os non augetur, & breuius remanet; Et ſi iam perfecte increuerit, gracilitas ſequi vitur, cum tale membrum ob muſculorum, & venarum, quas continet, depravationem, & quia parum mouetur, non bene alitur, cum vbi dolore liberati fuerint, non æque præſtare opera omnia poſſint, ſicuti prius, cum cubitum admodum attollere nequeant.

De Luxati Humeri Curatione.

CVM Medici munus ſit ea, quæ naturaliter ſe habent, tueri, & ea, quæ præter naturam ſunt, reſtituere: Ideo, quod à propria ſede receſſerit, cum à natura reponi non poſſit. Medici officium erit, in proprium locum reponere, plures ergo modi reſtituendi Humeri in alam prolapſi ab *Hipp. loco ſuperius citato proponuntur.*

Primus numerũ reſtituẽdi modus.

Primus eſt, vt Medicus, vel Aeger niſi Puer ſit, adſtrictam Manum in Axillæ cauitatem ponat, vt medij Digiti flexi prominenti modo humeri caput circa ceruicem lati Scapularum oſſis circumducendo in propriam ſedem reſtituat, Et hic modus tantum conuenit in Pueris, Mollibus corporibus, & ijs, qui humida ac laxa habent Ligamenta, & in recenti, & non ampla Luxatione, & quibus ſimiliter facilius Humerus prolabi ſolet. Hic reponendi modus, & ſi facilis ſit, tamen non eſt tutus, cum in circumrotatione capitis Humeri membranoſa, ac neruoſa corpora, & & ſinus ſupercilia atteri poſſint, & ſic ob magnum humorum confluxum oſſis repoſitio fruſtratur.

Modus ſecundus.

Secundus modus eſt, vt per eandem viam, per quam receſſit, in priſtinam ſedem reſtituatur. Cum ergo Humeri caput luxatum primum in priorem partem venit poſtea, ob pondus, deorſum fertur, deinde in poſteriorem ad latus vi muſculorum attrahitur. Cum verò in ſuam ſedem reſtituere volumus, recta linea, & non circumrotando ſicuti in primo modo, in priorem partem primum impellere debemus, poſtea ſurſum adducere, deinde cum è regione ſui cauitatis ſit ſitum, vel res tota muſculis committenda, vt ex ſeipſis Humeri caput in cauitatem trahant, & quando faciemus, alæ cauitas pila replenda, ac ſtabilienda, ne iterum delabi poſſit, vel impulſione muſculorum attractio adiuuanda. Vtque hoc commode fiat, ſedens ſituetur Patiens, & Medicus ad ſummum Humerum infirmi caput apponat, & digitos ſub alam immittat, & genibus cubitum ad coſtas comprimat, digitis enim ſub alam poſitis ad anteriorem partem Humeri caput impellitur, & hæc actio adiuuanda præſſione cubiti ad latus. Quoniam ſicuti quando Humeri caput in alam eſt prolapſum, cubitus à coſtis remouetur, ita dum cubitus ad coſtas impellitur, Humerus in anteriora mouetur; Et genu cubitum ad coſtas à Medico vrgeri commode nequeat, vt miniſter hoc efficiat, iubere debemus.

Alio etiam pacto hi tres recti motus fiunt, & per eandem viam, per quam fuit prolapſum Humeri caput reponitur.

Primum cubitus retro ad ſpinam dorſi reducitur, & ſic ad partes anteriores Humerus promouetur, tum altera manu cubiti eminentia ſurſum compellitur, manu altera à poſteriori parte vrgetur articulus, & eodem tempore etiam ſit innixus in ſummo Humero, ne ſcapula moueri poſſit.

Superius verò dicti modi ſecundum naturam non ſunt, vt Hipp. inquit, cum extenſio non fiat, quæ in luxatis Articulis reponendis, ſicuti in fracturis componendis, eſt neceſſaria, & in talibus morbis de proceſſuum abſciſſione, & de ſinus ſuperci

pericliorum abruptione, vt superius diximus periculum adsit.

Modus tertius. Tertio modo Humeri caput in Alam prolapsum calce reponitur, & hic reponendi modus, vbi maiori vi sit opus, est optimus, & secundum naturam. Patiens igitur Humi resupinandus est, & Medicus similiter ab ea parte à qua articulus eruperit, sedere in eodem plano debet, deinde ambabus Manibus infirmi affectum brachium apprehendat, & apposita in alæ, sinum coreacea pila, vel ex alia materia, quæ sit dura, & huius pilæ beneficio Humeri caput sursum calce propelli possit, cum calx ad Humeri caput per se peruenire non possit, cum brachio ad inferiora extento, ala sinuetur, quoniam tendines vtraque parte inter se aduersæ alam constringant, & minister à capite patientis sedens valido ac molli loco, vel fascia talis latitudinis, vt pilam comprehendat ambo eius capita sursum ducendo, vt quando Medicus iubebit, sursum versus Aegri caput trahere possit. Deinde altero pede in summo Luxato Humero innitatur, & alter minister oppositum brachium apprehendat, vt Medico iubente, deorsum trahere possit, ne corpus affectam brachium, dum ab altera parte à Medico extenditur, consequatur. His omnibus paratis Medicus apponat dexteram calcem, si dexter Humerus sit prolapsus, vel sinistram si sinister supra pilam in alam conetiam, & eodem tempore iubeat ministris, vt vnusquisque munere suo fungatur, & ille brachium valide deorsum trahat, & calce sursum, quantum maxime potest, pilam compellat, donec Humeri caput in sedem propriam restituatur.

Hic reponendi modus est secundum naturam, cum extensio fiat, quæ, vt diximus, maxime est necessaria, ante quam Luxata ossa in proprium sinum reponantur, cum musculi nisi impediantur, semper sursum trahant, & ideo deorsum trahendi indicatio oritur, quæ fit à Medico dum deorsum brachium trahitur, calcis quæ impulsione patiens retro pellitur, ne sequatur, cum brachium attrahitur; Et pila similiter Humeri caput ad interiora vrgetur, & minister, qui sursum locum trahit, similiter motum sursum, ac in posteriora patientem ducit, & pede summum Humerum premendo est in causa, ne scapula consequatur. Alter minister, qui deorsum oppositum, ac sanum Humerum trahit, est in causa, ne simul totum corpus ad extensionem consequatur.

Quarto modo Luxatus Humerus reponitur per Humeri suppositionem. Homo igitur, qui talem actionem facere debet, opus est, vt patiente longioris sit staturæ, & ad latus ægri cui luxatus est Humerus consistens. Humerum suum alæ luxati subiciat, & apprehenso ambabus manibus luxato eius brachio ad suum pectus quamcelerrime adducat, vt reliquum ægri corpus post tergum sublimis impendeat, ita verò figuratus concutiatur, vt validior fiat extensio, & si patiens leuis admodum fuerit, appendatur ei puer aliquis à posteriori parte, & dum hæc extensio fit, si quis summum Humerum premat, ne scapula consequatur melius, ac facilius in proprium sinum Humeri caput reponatur, & hi sunt Luxati Humeri reponendi modi, qui sine instrumentis, ac machinamentis fiunt. *Modus quartus.*

Quinto modo prolapsus Humerus reponitur pistillo, cuius alterum caput Linteo, vel fascia inuoluram, ne propter lætitatem elabatur, alæ subijcitur, altero terræ innitatur, & si pistillus sit brevis, patiens ita sedeat, vt ferè suspensus Humerus super pistillum maneat, & si sit longum stare æger debet, vt penè ex eo pendeat. Deinceps à ministro brachium deorsum extendatur, & minister alter retro stans, in alteram partem Manibus ad collum datis, & summum Humerum comprimendo, trahat. Animaduertendo, ne corpus in hanc, vel illam partem labatur; Et hic reponendi modus quamuis sit secundum naturam, cum extensio, & omnes alij necessarij motus, sicuti in supradictis fiant; Tamen fallax est, cum periculum adsit, ne in extendendo totum corpus circumuagetur. *Modus quintus.*

Sexto modo per scalam luxatus Humerus reponitur, qui modus supradicto est melior, cum suspensum corpus non magis in hanc, quam in illam partem inclinare possit. Erecta igitur ac stabilis ponatur scala, super cuius altum gradum, vt suspensus manere infirmus possit, rotundum aliquid alligetur, quod Aegrotantis Alæ inseri, & Humeri caput propellere possit. *Modus sextus.*

Ponatur ergo Patientis Ala ſuper corpus illud rotundum, & Luxatum Brachium à Medico deorſum trahatur, & Miniſter ab oppoſita, parte ideſt ex parte alia ſcalæ apprehenſa Patientis Ceruice, & ſũmo Humero, ſimiliter validiſſime deorſum trahat, & ſi ſit opus, etiam Miniſter alter ab eadem parte toto corpore apprehenſo deorſum trahat.

Modus ſeptimus. Septimo modo reponitur luxatus Humerus quodam Ligno, quod talis ſit figuræ. Accipiatur ergo Lignum, quaternos vel quinos digitos latum, vel ſecundum Brachij Aegrotantis craſſitudinem, craſſum vero binis, vel paulo minus, quod ſit duorum Cubitorum longitudinis, vel paulo breuius, ideſt quod Patientis Brachio æqualis ſit, quod ab altero extremo rotundum anguſtum, & tenue ſit, & in ſummo capitulum rotundum, & leuiter cauam habeat, vt aliquam capitis Humeri particulam recipere poſſit, parumque ab illa parte, qua Humeri caput tangere debet, extet, & molli Linteo rotundo capite inuoluto, vt mitius ſit, intime, quantum fieri poteſt, & retro paulo magis, quam Humeri caput, in Alam mdatur, Brachiumque totum ſuper Lignum extendatur, vtque immobile ſit, alligetur paululum infra Humeri caput, paululum ſupra Cubiti iunCturam, & ſupra Carpum. Ita ergo Ligno Brachio alligato, trium aliorum Inſtrumentorum ope Humerum reponere poſſumus. Primum inter duas erectas Columnas aliquod lignum magnum, & valiđ, vt totius corporis pondus ſuſtinere poſſit, eius figurę cuius eſt lignum Brachio alligatum tam alte valide Columnis alligetur, vt reliquum corpus ſuſpenſum imis Pedibus ſit, vel vt Patiens vix ſummis Pedum digitis terram attingere poſſit, & ſuper dictum Lignum Columnis alligatum, Brachium cum Ligno alligatum eſt imponendum, ita vt dictum Lignum Columnis alligatum ſit ad Alam tranſuerſum, ideſt inter Coſtas, & Lignum Brachio alligatum, & ab vna parte Brachium ſit, & ab altera corpus, & ab vna parte vnus, vel alter Miniſter Brachium Ligno alligatum deorſum attrahat, ab altera Miniſter Ceruicem, & ſummum Patientis, Humerum apprehenſus ac amplexus, Aegrum ſimiliter deorſum trahat, & dum brachium deorſum trahitur, vna ad Coſtas, ſimul cum Ligno alligato adducatur vt ſuperior rotunda pars contrarium motum faciat, & ad anteriorem partem luxati Humeri caput adducat, & poſtea Muſculi eo ſe ipſis in proprium ſinum trahant, vel Medicus ipſe impulſum faciens oſſis caput reponat, Et hic reponendi modus præſtantiſſimus eſt, cum iuſtiſſime in contrarias partes attractio fiat, iuſtiſſimeque impellat, & Humeri os tutum ſeruet, & ideo in inueteratis huius partis Luxationibus hic reponendi modus præſtantiſſimus eſt, Niſi temporis diuturnitate Caro in ſinum increuerit, & Humeri caput locum, in quem venerit, Callo obduxerit, quo caſu, quamuis hoc impulſu Humeri caput in proprium locum reſtituatur, tamen ob dictas cauſas, ideſt ob carnem præter naturam ſinum occupantem ac obſtruentem, & locum in quem venerit calloſum factum, manere non poteſt, & ideo iterum prolabitur. Quando vero Luxatio recens non fuerit, & ſupradicta non adſint, ſi ante repoſitionem mollienti decocto, vt Maluarum, Rad. Altheæ, Fenugreci, Melilori, & ſimilium pars prius perfundatur ac abluatur, facilius reponitur.

Quid in antiqua Luxatione faciendum. Si vero recens Luxatio fuerit, cum non tanta vi ſit opus, eodem pacto Lignum Brachio alligandum, & ſupra magnum Sedile, quod altum ac planum reclinatorium habeat, Brachium cum alligato ligno ad Alam collocandum, Aegro in latus conuerſo Sedili inſidente, & ſicuti in ſupradicto modo alter Miniſter ab vna parte Corpus attrahat, ab altera Miniſter alter Brachium cum ligno alligatum deorſum trahat, & hoc erit ſecundum Inſtrumentum. Tertium Inſtrumentum erit Biforis ſiue bipartita Ianua, ſuper quam Brachium dicto ligno alligatum ad Alam collocatum debet eodem pacto, ſicuti in ligno Columnis alligato, & in dicto ſedili vis adhiberi, & in diuerſa diſtenſio facienda.

Quando Humerus ad anteriora Luxatus reponi debeat. Poteſt etiam prolapſus in Alam Humerus Scanno reſtitui, ſicuti Oribaſius lib. de Machinamentis docet, vbi præſertim maxima viſit opus.

Si in Anteriorem partem Humeri caput luxatum fuerit, motu contrario facto reſtituendum, vtque hoc recte ſuccedat, vt *lib. 8. cap. 15. inquit C. Celſus*, ſupinus ſituan-

situandus est Patiens, & molliter, sed valida habena, vel fascia media Ala est circumdanda eiusq; capita Ministro, post ægrotantis caput stante tradenda, & brachium altero Ministro, iubenteque, vt ille habenam, hic brachium simul in diuersa extendant Medicus verò deinde sinistra luxati Humeri caput repellat. Dextera verò cubitum cum Humero attollat, & os in suam sedem compellat, quod, vt superius diximus, facilius succedit, quam si in alam fuerit prolapsus, vtque in his restituendi modis se Medicus exercear est opus, cum satis non sit hanc Artem ratione, & scientifice scire, sed, vt *Hipp. P. de Articulis inquit*, vsu ac praxi experiri ipsam oportet.

Humero in propriam sedem restituto, mediocris crassitudinis pila ex molli lana, vel tenuibus linteis facta, & Medicamento ex dictis adstringentibus, & Ouorum albuminibus ad mellis crassitiem compositio, illinita Alæ subijcienda, ne Humerus propter grauitatem, ligamentorumque laxitatem, ac molliciem iterum delabatur, & circa huiusmodi Articulum idem Medicamentum cum stuppis, vel linteis applicandum, & latior linteus Vino nigro austero per se, vel cum oleo Rosaceo mixto imbibitus, & expressus superponendus, vt pars ab inflammatione defendatur, tum media fascia duobus capitibus, inuoluta sub Ala data, & semel vel bis ita circumdata, vt pilam contineat, & Humeri articulum comprehendat, deinde ad alteram Alam profectus, ab eaque ad scapulas, rursusque ad eiusdem Humeri caput tendat, deinde ad alterius lateris ceruicem vergat, sepiusque ad eandem rationem circumagatur, & fuatur vbi est opus, iraut non solum pilam constringat, sed brachium sursum trahat, vel saltem confirmet, & bene teneat. Cubitus similiter ad pectus, sicuti est opus, adducatur, & fascia in orbem circa corpus porrecta deligetur, & sic immobile seruetur, & ita vinctos Humerus commode continetur. Tribus verò vel quatuor, vel quinque diebus elapsis. Si vincula laxiora sint facta, vel si inflammationis suspicio adsit, soluatur fascia, & similia Medicamenta, renouentur, donec inflammationis suspicio præterierit, & ligamenta fuerint roborata. Post hoc tempus ablata fascia, aliquod Ceratum applicandum, vt Aestate Diapalma dictum Hyeme Oxirocium, vel Barbarum, & medijs temporibus simul dicta Cerata commiscere possunt, & hæc pars, vt plurimum viginti diebus confirmari ac consolidari solet.

Fasciandi modus.

Vbi vs quousq; inflammationis tempus præterierit, tenuis instituatur, deinde plenius alatur, in quiete maneat, & si fuerit opus, quo ad Venæ sectionem Purgationem, & alia fiat sicuti in Cura Vniuersali superius diximus.

Si verò post sanationem difficilis huius Articuli motus remaneat, fomentis, Balneis, Inunctionibus, & mollibus frictionibus, & sensim vare procedentibus, idest modo à superiori deorsum, modo ab inferiori sursum, & oblique, & in orbem factis, & his similibus pars illa mollienda, & confluxi humores resoluendi.

De Cubiti ac Radij Luxatione ac Deductione. *Cap.* 6.



Articulatio Cubiti ex duobus Brachij ossibus, & ex inferiori capite ossis Humeri fit, quod in duo Tubercula est diuisum, in cuius medio ab anteriori, & posteriori parte sinus adest, & posterior anteriore multo est amplior, in quos, Cubiti, seu Vulnæ etiam dictæ, processus circumaguntur, & anterior sinus anteriorem processum excipit, cum Brachium inflectimus, cum verò extendimus, posteriorem processum, quem Cubitum vocamus, posterior sinus admittit, inter quos duos Vulnæ processus simos ad similitudinem Litteræ. C. insculptus adest, qui leuis est, & Cartilagine obductus, cuius interuentu adeo Humeri orbitæ coaptatur, vt vel minima re addita, vel adempta, necessario motus impediatur ita vt, hæc duo ossa cum se inuicem excipiunt, per Gynglymos coniungantur.

Radius similiter, qui Vulnæ superstat, qua Humero committitur, in qua parte amplum ac teres caput habet, in cuius medio rotundus, & leuiter cauus sinus est insculptus, externum Humeri caput excipit, & super hoc caput Radius seorsum ac deorsum agitur ac mouetur, & hæc ossa, idest Brachij cum Humero validissimis ac arctissimis mutuo ac inuicem membranosis Ligamentis innectantur ac alligantur.

Cubitus seu Vulna, *vt Paul. lib. 6. cap. 116.* interdum tantum subluxatur, frequentius vero ex toto Luxatur. Perfecta vero luxatio in quatuor partes fieri potest idest ad partem anteriorem, vel posteriorem, vel ad exteriorem, vel interiorem, & præcipue in priorem, & posteriorem partem Luxatur, & Radius, vel Cubiti luxationem subsequitur, ac à Cubito trahitur, vel subsistit; Aliquando similiter Radius tantum ad exteriora luxatur, & aliquando radius à cubito deducitur.

Luxationis species.

Cubiti in anteriorem partem Luxatio, vt Paul. inquit, vt plurimum ex violenta, & subita brachij extensione fit. In posteriorem ex violenta brachij inflexione, & ad extra, vel ad intra Luxatio ex brachij peruersione fieri solet.

Causa.

Dignoscitur vero Cubiti Luxatio faciliter, tum visu, tum tactu, tum etiam ex actione læsa, nam quo excidit prominentia apparet, & vnde est prolapsum cauitas, siuè sinus percipitur, & si cum brachio sano comparetur, & tactu, & visu differentia apparebit, & sicuti sanum propria munera obire non poterit; Si in priorem partem cubitus fuerit prolapsus extendum brachium manet, neque quid minimum curuari cubitus potest, & insolitus tumor in parte anteriori apparet ac persentitur, & sinus, siue cauitas in posteriori parte.

Signa.

Si in posteriorem Cubitus fuerit luxatus, brachium curuum est, & extendi non potest, & altero est breuius, & tumor in posteriori parte apparet, & sinus in anteriori.

Si Luxatio fit in exteriorem partem, ibi eminentia consueto maior adest, & cauitas in interiori, & brachium curuatur, & extendi non potest, sicuti in Luxatione ad posteriora, & ad anteriora.

Si in partem interiorem Cubitus luxetur, contra ab extra cauitas insolita adest, & ab intra tumor, siuè eminentia iuxta maior. Si vero radius Cubitum consequatur, manifeste tactu persentitur, sic si subsistat similiter.

Si cubitus à radio deducatur, necessario pars crassior ac tumida apparet, neq; curuari similiter potest, & si quis priorem iuncturæ partem tangat, qua diuiditur vena, quæ à superiori parte lacerti procedit, deductio manifeste patet.

Radij ad exteriorem partem prolapsi signa sunt, quod in exteriori parte tumor apparet, & Cubitus, & Radius inuicem dehiscunt, ac sunt separati.

Hipp lib. 3. de Fracturis inquit; Molestiora sunt, quæ in Cubiti, quam quæ Genu Articulo incidunt, nisi protinus restituantur, & maiori negocio restituuntur, idq; ob inflammationem, & ob naturam ipsam, cum ossa Articulum componentia multiformia ac varia sint, & inuicem se excipiant, & multis ligamentis, ac neruosis partibus innectantur. Excidit quidem hæc minus quam illa, inquit idem Autor, sed ægrius in suum locum reponitur, & magis ob dolorem inflammatione præhenduntur. Calloque celeriter cubitus circumdatur ac obdurescit, resoluta tenuiori materia, & præcipue quia hæc pars excarnis neruosa, & frigidi est temperamenti. Nisi verò celerrime reponatur, graues ac vehementes inflammationes cum febre oriuntur, ob dolorem, qui excitatur ob compressionem, & distensionem circumiacentium musculorum ac neruorum, ad manum excurrentium, à Luxatis ossium capitibus factum.

Prognosticum.

Si Cubitus fuerit induratus, reponi nequit, nisi optime alias dictis remedijs remolliatur, sed si statim occurratur, non magno negocio conditur.

Luxatio Cubiti ad posteriora, & si raro accidat, tamen quando aduenit, maxime omnium dolorem mouet, & febrem, ac biliosum vomitum, & si ea sub pura bile continuatur, mortifera est, & paucis diebus hominem præcipitat, inquit Hipp.

Si febris articuli repositionem anteuertat nullum luxatum Articulum in suam sedem compellere conuenit, & minime omnium Cubitum, eum adhibita vi dolor hominem interimere possit, vt idem inquit. Horum ossium deductio non facile item restituitur, cum omnia ossa, quæ bina inter se iunguntur, vbi dehiscunt, difficulter in pristinum locum reuertantur.

Radius quando luxatur, potissimum ad exteriorem partem prolabitur, & facta commoda ac conuenienti extensione, in suum locum facile propellitur.

De Luxati Cubiti, & Radij Curatione.

PRO qualibet Cubiti Luxatione reponenda, ficuti in omnibus alijs offibus in propriam ſedem reſtituendis extenſio eſt neceſſaria, ideo è regione Humeri recte extendere debemus, & alter Miniſter Patientem ſub Ala præhendat, alter Brachium à prima Palmæ parte extendat, donec ſpatium inter oſſa liberum ſit, Medicus vero Manu ados, quod extat, admota, pollice vel prominentiore eius palmæ parte ipſum propellat, altera vero prope Articulum data in contrariam partem cogat, & ſic ſi, prius quam inflammatio ſuperueniat, recondatur, facillime Cubitus reponetur. Si ergo in anteriorem partem Cubitus fuerit luxatus, quod raro accidit, primum extenſio fieri debet, ſed non recte, ſed oblique, ſicuti in Humeri fracti curatione ac coaptatione ſuperius diximus, Ne Cubiti ſupercilium Humeri caput attingat, & in circumrotatione abrumpatur, & ſi imperfecta fuerit Luxatio, tantum poſt moderatam extenſionem (cum mediocres Articuli peruerſiones, moderata extenſione reſtituantur) ſola Cubiti flexione reponitur. Si vero perfecta fuerit Luxatio, poſt validam extenſionem Linteoduro implicito, non magno, qua parte Cubitus curuatur tranſuerſim ducto, & ibi compreſſo eodem tempore repentino cubiti flexu, ita vt Palma Aegri Humerum rectum pulſet, cubitus faciliter reponitur, Vel facta valida à Miniſtris extenſione, & media duplicata Habena ſatis longa ad luxatum cubitum prope Articulum data, & eius capita ſimul deorſum alligata in eam Medicus Pedem imponendo, deorſum extendat, & ſimul Pollicibus, vel Manus Palma cubitum retro comprimens ac cogens, huc inflectat, Vel valida extenſione à Miniſtris facta, Manibus hinc humerum, hinc cubitum appræhendendo, inflexio fiat, & in propriam ſedem luxati cubiti impulſio fiat.

Si vero cubitus ad poſteriorem partem luxatus fuerit, obliqua à Miniſtris facta extenſione, Medicus inunctis Oleo Roſaceo Manibus, vt muſculi magis ſequaces fiant, Luxatum os in contrariam partem vrgeat, ac compelat, & ſi recens Luxatio fuerit, facile reponitur. Hipp. vero loco ſuperius citato, hanc Cubiti Luxationem ſola cubiti ſubita ac diutina extenſione ſe curaſſe inquit, Et nifi hoc pacto in poſteriorem partem luxatus cubitus reponi poſſit, Machinamentis ſicuti Scala, vel Hippocratis Scanno, & his ſimilibus, vt Oribaſius Libro de Machinamentis docet, extenſio ac repoſitio facienda.

Si vero Cubitus in Exteriorem, vel Interiorem partem fuerit prolapſus, facta, vt diximus, conuenienti extenſione, prominentioribus Palmarum partibus in contrariam partem impulſus faciendus, partim ad Humeri, quod extat impellendo, partim ad Cubiti, quod iuxta Humeri Articulum eſt in contrariam partem cogendo, in ſuam ſedem collocabimus.

Si Radius ad exteriorem partem fuerit prolapſus, ſicuti ſolet, facta conuenienti extenſione, prominentioribus Palmarum partibus intro propellendus. Sic quando Cubitus ac Radius inter ſe dehiſcunt, prominentioribus Palmarum partibus compreſſio facienda, & ſic vnuſquiſque in ſuam naturalem ſedem reſtituendus, & ad naturalem figuram membrum reducendum.

Facta oſſis reſtitutione, ea Medicamenta applicanda, quæ dolorem lenendi, inflammationem prohibendi, & luxata, & diſtorta Ligamenta conſtringendi, ac roborandi facultatem habent, & huiuſmodi erit Medicamentum factum ex Oleo Roſaceo, vel Myrtino, pulueribus aduſtringentibus, & Ouj albuminibus ad Mellis conſiſtentiam, Et Brachium in ea figura ſituandum, ſicuti in Humeri, vel Cubiti fractura diximus, cum hæc ſit naturalis ac iuſtiſſima Brachij figura, & citra Aegrotantis moleſtiam contineatur, & Ceruicj ſuſpendatur, & eodem pacto, ſicuti in Fracturis diximus etiam deligare conuenit, Faſciæ capite ſuper vlnaram partem iniecto, ne ibi tumor excitetur, vel ſit prolapſa, ſiue deducta, bis vel

Quomodo ſituanda pars.

Vinculũ quale eſſe debeat.

ter ibi circumuoluta, & magis adſtricta, deinde hinc atque hinc leuius, & vinculo Humerum ac Brachium ita apprehendat, vt à vitiata ſede tumor, quam longiſſime ad partes quæ hinc ſunt, atque hinc depellatur. Cauendum tamen, quantum eſt poſſibile, ne in vinciendo, plurimum vinculum coligatur, quà cubitus flectitur, ne dolorem excitet, & fluxionem prohibeat, & tertio vel quarto quoque die faſciæ reſoluantur, pars Aqua calida perfundatur ac perfricetur, & Medicamenta renouentur, vtque *C. Celſus lib. 8. cap. 16. inquit*, Celerius ac ſepius cubitus, reſoluendus, ac calida Aqua multo magis foueendus, & diutius ex Oleo, & Nitro ac Sale perfricandum cum celerius in cubito, quam in nullo alio Articulo, ſiue extra remanſerit, ſiue totus reuertit, Callus circumdetur, iſque ſi per quietem increuit, flexus illius poſtea prohibet.

Tranſacto ſimiliter inflammationis tempore, Cerata ſicuti in ſuperiori curatione diximus applicari poſſunt.

Si autem poſt ſanationem difficulter talis iunctura motus fiat, fricetur, leuigatur, ac perfundatur, ſicuti de Humero ſuperius diximus.

De Oſſium Carpi, Metacarpi, & Digitorum Luxatione. *Cap.* 7.

Arpus, Brachiale, & Raſetta etiam dictus, ex octo imparibus oſſibus conſtat, quibus à ſuperiori parte cum Radio, & cubito per Diarthroſim connectitur, ab inferiori verò cum oſſibus Metacarpi, ſiue Pectinis, ſiue Palmæ Manus mouetur ac agitatur.

Carpi verò oſſa Ligamentis ſimul ſunt coniuncta, & per Arthrodiam, quæ ad Synarthroſim refertur, inter ſe committuntur. Hanc verò partem Natura pluribus oſſibus donauit, vt vndique Manus ac Brachiale moueri poſſit.

Pectinis verò oſſa cum Brachialis oſſibus per Arthrodiam Diarthroſis ſpeciem articulantur, & quatuor digiti ſimiliter per eandem articulationis ſpeciem cum Pectinis oſſibus committuntur, ſic vnuſquiſque digitus, cum tribus oſſibus conſtet, trium Articulorum interuentu connectitur, Pollex verò ſuo primo oſſe cum quinto Brachialis oſſe articulatur, vt in omnem partem moueri poſſit.

Carpus in ſe totus conſideratus in quatuor partes luxari poteſt, ideſt ad anteriora, ad poſteriora, ad interiora, & ad exteriora, ſed potiſſimum in anteriora prolabitur. *Carpi luxationis ſpecies.*

Pectinis oſſa tantum in anteriorem ac poſteriorem partem luxari poſſunt. Digitorum oſſa ſimiliter in quatuor partes excidere poſſunt, vel anterius, vel poſterius vel vtrumque ad latera, ſed, vt plurimum, ad anteriora, vel poſteriora luxantur. *Aliorum oſſium Manus luxationis ſpecies.*

Horum verò oſſium Luxationis cauſa, vel eſt Ictus, vel Caſus, vel peruerſio, ſiue diſtorſio, vel talium partium vehementior motus. *Cauſæ.*

Signa Carpi ad anteriorem partem luxati ſunt tumor, ac connaturalis eminentia ibi apparens, & digiti flecti non poſſunt. Si in poſteriorem partem excidat, tumor in poſteriori parte apparet, & digiti ob Tendinum compreſſionem erigi non poſſunt. Si in interiorem partem fuerit prolapſus, Manus in contrarium conuertitur, ac diſtorquetur, & tumor in ea parte, & ſinus in oppoſita percipitur. Si verò Pectinis oſſa in anteriorem, vel poſteriorem partem fuerint prolapſa, tantum ex tumore ab ea parte, in quam venit, & ex ſinu ab ea parte, à quà receſſit, cognoſcitur. In quamcumque verò partem digiti luxentur, cum admodum excarnes Articulos habeant, ſtatim innoteſcunt, & ſi à latere prorumpant, ab ea parte in quam venit, quaſi capitulum rotundum conſpicitur, & leniter cauum. *Signa.*

Harum omnium partium luxata oſſa facilitèr reponuntur, ſi luxatio recens ſit. Si verò ſit antiqua, difficulter, & maiores Articuli ſemper difficilius reponuntur, minores facilius, & vt plurimum, quatuordecim diebus confirmari hæc oſſa ſolent. *Prognoſticum.*

DE

De Curatione Luxationis Ossium Carpi, Metacarpi, & Digitorum.

SI Carpus igitur ad anteriora, vel posteriora fuerit luxatus, semper super quid durum, ac planum, vt super Tabulam Manus ponatur, & si luxatio sit ad anteriora, supina situetur, si ad posteriora, prona, & a duobus Ministris, alter digitos apprehendendo, & Brachium alter, in diuersa extensio fiat, & dum abunde extensio fuerit facta, Medicus ad contrariam partem luxatum Articulum valide prominentioribus palmarum partibus, vel Calce pedis præmendo, compellat, & si dolorem deuitare volumus, præsertim quando maxima vis est adhibenda, aliquod durum è Linteo confectum ea parte, quà præmendum maxime est, aponendum, vt *Celsus lib.* 8. *cap.* 17. inquit.

Si vero interiorem, vel Exteriorem partem fuerit luxatus, facta commoda extensione in contrariam partem Medicus impellendo, in proprium locum restituat.

Pectinis ossa, siue Anterius, siue posterius fuerint luxata, nulla facta extensione, & ea parte supra quid durum, ac planum posita, vel prominentioribus palmarum partibus, vel Calce valida compressione facta, in pristina loca profundantur. In luxatis digitis reponendis, primum extensio facienda, quæ non multum valida esse debet, cũ breuiores Articulos, & neruos minus validos habeant, Vtque commoda fiat extensio, summus digitus angusta, sed valida ac molli Habena, vel aliqua re simili, inuoluatur, sic ne dum intenditur, extrema parte præhensus elabatur, alter ergo Minister inuoluram partem vna cum habena appræhendat, alter regionem, quæ est supra primam palmæ partem, & hic quando Luxatio est ad anteriora, vel posteriora super tabulam in diuersa extendant, & neruis abundè deductis, excedens articulus à Medico manus palma in suam sedem compellatur. Si verò ad latera luxati digiti fuerint, eodem pacto facta extensione, digiti in contrarium, pollicibus, impulsione facta, in proprium locum restituendi.

Facta horum ossium repositione sicuti superius diximus Medicamentum inflammationem prohibens, & iunctura corroborans, ac confirmans applicandum, & sicuti conuenit, pars vincienda, & vna cum Brachio commode ceruici manus suspendenda, & repositus Articulus in quiete seruetur. Cum quiescere semper vitiatum articulum conueniat, & quam optimè figurari, *vt Hipp.* 4. *lib. de Articulis inquit.* Digitus verò, reposito Articulo, cutissime tenuissima fascia cerato, quod neque nimis molle, neque nimis durum sit inuncta, deuinciri debet, & tertio, vel quarto quoque die solui. Vtque *Hipp. loco superius citato inquit.* In vulneribus si inflammatio locum occupauerit, frequentius soluendus est, sin minus rarius. Quod communiter de omnibus Articulis intelligendum est.

De Fæmoris Luxatione. *Cap.* 8.

FÆmoris superius caput, quod est rotundum, & non valde magnum, longa ceruice præditum, & paululum ad interiora inclinata, coxendicis ossi per enarthrosim, diarthrosis speciem committitur, ac articulatur, in quo profundissimum acetabulum adest, quod tum magnitudine, tum figura exactè dicto fæmoris capiti, quod ibi reponitur, ac insinuatur, congruens est, & sicuti Coxendici ossis sinus cartilagine est obductus, sic, & fæmoris caput, vt facilius motus fieri possit, & ad sui centri medium aliquanto inferius, fæmoris caput sinum angustum profundum, & aliquantisper inæquale obtinet, cui teres ligamentum a Coxendicis acetabuli centro eductum, implantatur, & hoc rotundo ligamento fæmur cum Coxendici ossis acetabulo alligatur, & altero orbiculari, idest circum circa orto.

Apparet igitur ex dictis de fæmoris cum Coxendicis ossis articulatione, quod fæmur difficilius Humero luxatur, tum ob duo dicta valida ligamenta, tum quia caput

pus eius minus est, & Ceruicem oblongam habet, & cauum, quo recipitur, maxime altum ac sinuatum est, & altis Labris, siue supercilijs cingitur, & quia etiam multa carne, & multis robustissimis musculis est obiectum ac munitum, quæ omnia fæmur in proprio sinu conseruant, & eius Luxationem prohibent.

Fæmoris luxationis species.

Hipp. lib. 3. de Articulis inquit. Quod si fæmoris Articulus è coxa prorumpat, in quatuor partes prorumpere potest, sepissime in interiorem, deinde in exteriorem, in priorem, & posteriorem excidit quidem, sed raro. Sepissime in partem interiorem luxatur, quia ibi minime altum acetabuli supercilium est, & quia rotundum ligamentum magis huic parti est, & proximum, & ideo facilius, vt femur in hanc internam partem luxatur, ob sinus supercilium, quod non est nimis altum.

Raro in priorem, & posteriorem partem, quia in his partibus sinus supercilium altius est, Et hic Articulus, sicuti Humerus, semper perfecte luxatur, quando ab externa causa luxatio prouenit. Si vero ab interna, potest etiam subluxari, siue imperfecte luxari. Bene verum est, & si perfecte luxetur, quod magis, & minus fæmoris caput à proprio sinu recedere potest, & secundum hoc magis, vel minus luxari femur dicitur.

Signa fæmoris ad interiora luxati.

Quinscumq; femoris Luxationis signa, optime ab Hippocrate 3. lib. de Articulis traduntur, ideo non me pudebit eius propria verba aliquando ponere, sicuti hic, inquit igitur.

Vbi in partem interiorem femur fuerit prolapsum, crus longius est, si cum altero conferatur, idque, vt idem inquit, duplici de causa, Ossi enim, quod à coxa sursum procedit, ad Pectinem fæmoris caput inheret; Ceruixque Articuli cauo sustinetur, Rursus ab exteriori parte Clunis cauus apparet, vtpote, quod femoris caput in interiorem partem exciderit, Extremum rursus fæmur iuxta Genu spectare cogitur in partem exteriorem, similiter crus, & pes, Cum in omnibus luxatis ossibus altera extremitas semper in contrariam partem spectet, atque ea, quæ prolapsa est.

Ideo in interiorem partem Fæmoris capite luxato altera extremitas, quæ est ad Genu in exteriorem partem conuertitur, & cum eo Crus, & Pes. Similiter ad Inguen Crus flectere nequeunt; sicuti ab integra parte, & si flectere querant, magnus dolor excitatur, & imperfecte, & minus inflectunt, & hoc prouenit ob Musculorum inflectentium constrictionem, Vtque Gal. in Com. inquit, quia posterioris partis Musculi illis, qui Fæmur inflectunt, oppositi, donec ex toto Femur curuetur, sine dolore non sequuntur, cum in tali fæmoris luxatione in maximo flexu singuli musculi plurimum præter naturam extendantur. Item si fæmoris caput contingatur, inter Anum, & Naturale prominens persentitur, & in exteriori parte sinus, sicuti diximus, & si ambulare cogantur, Dolores excitantes, iuxta Talum pedem simum figurant.

Fæmoris ad extra luxati signa.

Quibus in exteriorem partem Fæmoris caput fuerit elapsum, contraria signa adsunt. Crus ergo, si cum altero extendatur, breuius est, idque non immerito, quam fæmoris caput non feratur super os, sicuti quando in interiorem fuerit prolapsum, sed iuxta os quod non prominet, sed natura residet in carnem humidam cedentemque infigitur, & singulis musculis ad suum initium attractis, totum quoque fæmur sursum trahunt. Hic ergo de causa breuius apparet, Interior autem regio, quà Crura deducuntur, ideſt inter Anum ac Scrotum, caua magis conspicitur, & gracilior sit, exterior vero gibba, vt in quam venerit fæmoris caput. Sed & Clunis apparet superior, quam, quæ ibi caro est, cedat capiti fæmoris: Item extremitas fæmoris, quæ ad Genu est, intro spectat, non secus etiam crus & pes. Sed neq; curuare crus possunt, perinde ac sanum, ob posteriores musculos, qui flexui pugnant quoniam ita figurati plurimum extendi non sustinent, vt Gal. inquit, Et nisi ita prolapsum fæmoris caput reponatur, calx in ingressu, quia crus breuius est redditum, terram non contingit, & ideo pedem ad interiora inclinando ac inflectendo, & ab affecta coxa se demittendo terram extremis digitis, & ima planta Humi innituntur.

Quibus vero ab vtraque parte in exteriorem partem femur excidit, ab vtraque parte in ingressu agitantur, dum inuicem

cem vtrique cruri innituntur, & clunibus apparent admodum in exteriorem partem prominentioribus, propterea quod Articuli excesserunt.

Fæmoris ad anteriora prolapsi si genera.

Quum Fęmoris caput in priorem partem erumpit, quod, vt diximus, raro accidit, perfecte extendi crus potest, sed Inguen curuari nequit, cum in ipso flexu sit fęmoris caput ac Ceruix, & in Inguine prominear, & laboret etiam patiens, si poplitem flectere cogatur, propter priorem musculum, qui oritur ab osse, quod ad Ilia pertinet, cum comprimatur, & tensus à fęmoris capite attollatur, & ideo si patiens flectere crus conetur, renititur, cumque extendi amplius non possit. Crus verò vitiatum sani longitudinem æquat, quoniam caput fæmoris à suo cauo residens in priorem partem, & paulò inferius venit. Pes extremus spectare minus potest in partem anteriorem, & digiti non facile extendi possunt, aut deorsum conuerti, & terram contingere, sed Calcem Terram attingunt. Crus verò totum rectam positionem naturaliter seruat, nec in hanc, vel illam partem inclinatur; Fere his dolor, protinus accidit, & vrina supprimitur, magisque quam si Articulus in aliam partem luxetur. Venit enim fęmoris caput maxime prope Neruos magnam vim habentes, & in Inguine prominet, atque is locus extentus apparet. In Clunibus Rugæ conspiciuntur, & summa gracilitas, quoniam fęmur totum, vna cum processibus ad partem anteriorem est promotum, vrina supprimitur, ob Vesicæ compressionem, quæ fit a fęmoris capite, & ob digitorum offensionem, qui origine suam ducunt, vnde Nerui, qui ad vesicam feruntur, ordiuntur, quo fit, vt vesica etiam per consensum afficiatur, inflammetur, & vrinæ egressus impediatur, & aliquando etiam ob inflammationis magnitudinem, qua Vesicæ ceruix affligitur, vbi Sphincter, siue constringens musculus est, Vrina supprimitur, eo, quod inflammatis partibus excecatum item claudatur.

Fęmoris ad posteriora prolapsi si-

Vbi in posteriorem partem fęmoris caput prolabitur, contraria adsunt signa, crus extendi non potest, neque ad Articulum luxatum, neque ad poplitem, quoniam musculi ad extensionem faciendam destinati, qui in posteriori parte sunt, distenti ac compressi sunt, & ideo, quam longiores quam ante sint facti, & vlterius extendi citra dolorem nequeant, ideo commissuram extendi non patiuntur, & hac de causa crus affectum reliquo crure breuius redditur, tùm quia non potest extendi, tùm quod Articulus in carnem Clunis eruperit, & sinus in parte inferiori existit, & fæmoris caput in superiori, & crus, & pes mediocriter recti apparent, & Calce Terram contingere nequeunt; Præterea caro in Inguine mollior sentitur, præsertim si tangatur, vtpote quia Articulus in contrariam partem exciderit. Sed in Natibus, si tangatur fæmoris caput, magis prominere videtur.

Causas non posuimus, cum ex eisdem causis, Internis scilicet, & Externis, sicuti de alijs Articulis diximus, hæc pars luxari possit. Quamuis sermo noster tantum sit de illis luxationibus, quæ ab externa causa fiant, sicuti est Casus, Ictus, Percussio, Peruersio, & similia.

Prognosticum.

C. Celsus lib. 8. cap 20. inquit, Magnum autem fæmori periculum est ne, vel difficulter reponatur vel repositum rursus excidat. Difficulter, vt dictus Autor inquit, fæmur reponitur, quia propter valentissimos musculos, qui in hac parte insunt, extensio fieri non potest, & tanto difficilius reponitur, quanto luxatio vetustior est. Repositum verò facilitèr rursus excidit, tùm propter musculos ac ligamenta relaxata, & imbecillia reddita, tùm quia suo pondere deorsum tendit, & aliquando etiam ob teritis ligamenti abruptionem in proprio sinu persistere non potest, & ideo iterum delabitur. Antiqua verò fæmoris luxatio, quæ iam occalluit, & in qua sinus est oppletus eius repositio minime tentanda, cum frustra affligatur Aeger. Antiqua ergo femoris luxatio incurabilis est.

Quibus autem fæmoris caput in interiora fuerit prolapsum, & ob negligentiam repositum non fuerit, vel quia in proprium sinum restitui non potuit, dum ingrediuntur, ob mouentium musculorum imbecillitatem & laxitatem, pedem circũiiciunt, perinde ac Boues, & per multum spacium ac tarde illum mouent, & vtplurimum integro pede innituntur, quem per breuissimum spacium celeriter, & recte mouent, & vbi vitiato innixi, quod integrum est

tran-

transferunt, erga luxatam partem curuari coguntur, & ne ab ea parte cadant Manu circa Ilia corpus apprehendunt, vel affectam partem Manu fulciunt, ab exteriori parte fæmoris insidente, quoniam vbi transferenda crura sunt, non potest, quod vitiatum, est ferre corpus, nisi contineatur ac deorsum vrgeatur. Clunem verò integri lateris necesse est ab exteriori parte rotundam esse, cum cogatur Patiens sano Crure in interiorem partem spectantem ambulare, vt à tali parte totius corporis pondus sustineri ac ferri queat, & ab hac integra parte coguntur etiam Baculo inniti, ne dum infirmum crus mouere volunt, & in integram partem conuertuntur, grauiter in terram cadant, cum in contrarias partes corpus, inclinent, modò in dexteram, vbi dextero pede insistunt, modo in sinistram vbi sinistro, & hi magis in decore ambulant, quam quibus fæmoris caput ad exteriora prorupit. Si verò ijs, qui non dum perfecte increuerint, ita femur luxetur, & non recondatur, femur præcipue breuius redditur, & crus, & pes; Quod ob venarum, & Arteriarum depravationem, & talis partis ocium, sicuti in omnibus alijs Articulis, euenit. & ob eandem etiam causam hæ partes fiunt graciles, tenues, & effeminatæ, & plerumque magis ab exteriori parte, quam ab interiori, cum fæmoris caput in interiorem partem prorumpit, & pars exterior magis in ocio manet. Quibus similiter tenera ætate hoc infortunium accidit, vt plurimum in dirigendo corpore negligentes sunt, maleque super integrum crus circumuoluuntur, Manuque è regione eius est, deorsum vrgentes. Sed, si recte educentur, integro crure recte inambulant, Baculum tamen alæ quæ integro cruri respondet, subijciunt, & nonnulli ad vtrumque Brachium Baculum admouent, & vitiatum crus suspensum ferunt, & promptius ingrediuntur, qui affectum crus breuius habent, & suspensum ferunt, cum id circumagere non cogantur, integrumque crus robustissimum habent, cum ob motum maxime nutriatur.

Quibus in exteriorem partem fæmoris caput fuerit prolapsum, & non fuit repositum, vbi caro, in quam Articulus excessit, tam trita ac callosa facta fuerit, dolor tempore conquiescit, quo cessante, si velint ingredi, sine Baculo possunt, & affecto crure ferri corpus potest, & his, si crure vtantur, minus caro effeminatur, quam ab exteriori, & pars minus gracilis redditur, & melius ingrediuntur, quam quibus in interiorem partem femur fuit luxatum, vbi inflammationis periculum effugerint, cui oportuniores sunt, quam illi, propter Musculos Articulum admittentes, qui atteruntur ac præmuntur, & ideo dolent ac inflammantur, & ceteræ adiunctæ partes simul afficiuntur. Quibus verò dum increscunt, huiusmodi Articulus exciderit, & non fuerit in proprium acetabulum restitutus, si diligentèr instituantur ac exerceantur, sicuti illi quibus Aetate iam firma Articulus excidit, neque fuit repositus, ambulare possunt, & aliqui toto pede insistentes coguntur, ob pedis breuitatem, in ingressu à recto habitu, qui sine inclinatione est, in affectam partem est, rursus attolli atque erigi, ita vt in ingressu semper duos habitus inuicem mutent ac varient. Si verò negligatur, quum teneri sunt, Crus vniuersum inutile efficitur, & minime increscit, & tenuius, & gracilius fit. Maxima ergo diligentia ac cura est opus, quibus maxime tenera ætate hoc infortunium accidit.

Quibus ætate iam robusta fæmoris caput in priorem partem eruperit, nec repositus fuerit, hi quum dolor finitur, & Articulus in loco in quem procidit conuerti assueuerit, idest quando talis pars occalluerit, recti ex toto protinus ingredi possunt, & sine Baculo, quum vitiatum Crus neq; ad Inguen neque ad Popletem facile flecti possit, quum ergo ad Inguen non flectatur, crure in ingressu magis recto vruntur quam quum integrum erat. Nonunquam etiam pedem per terram trahũt, tùm quia superiores cum musculæ difficultèr flecti possunt, tùm propter soli differentiam, quam si per inæquale solum inambulent, & accliuia, non solum pedem trahunt, sed etiam in ea, quæ in solo emi ẽt offendunt, quamquam pede toto inambulent, idest quod calce, planta, & extremis digitis terram attingant, & si longe affecto crure ambulare cogantur, Calce omnino ingrediuntur, & magis calci inherent, sed hoc non sustinent, quoniam ibi extentum crus cum difficultate transferunt,

ferunt, dolore torquentur. Crus tamen altero gracilius redditur, & à clune, & à carnosa parte quæ in posteriori crure prominet, & è regione posterioris partis. Quibus vero tenera ætate ita Articulus elapsus non fuerit restitutus, Femoris os magis minuitur, quam Tibiæ, aut Pedis, & si in hac luxationis specie minus minuatur, quam vbi in alias partes prolabitur, tum quod Venæ, & Arteriæ minus deprauantur, tum quia cruris, actio non multum leditur, tamen vbiq; caro à posteriori parte minuitur. Et quicumque recte educati fuerint, cum increscunt, vti crure possunt, & si aliquando altero breuius sit, Baculo tamen a parte cruris vitiati fulciuntur, & nequeunt ima planta absque calce consistere, cum anterior pedis pars, quando reliquum crus est extentum, in anteriorem partem curuari nequeat, cum musculi pedem curuantes, à posteriori parte orti ad posteriorem partem Calcem ac vniuersum pedem trahant, & ideo Baculo egent, Illi vero qui negligenter fuerint habiti, neque terram contingere possunt, sed pedem suspensum habent, his ossa magis minuuntur, quam alijs, qui crure vtuntur, circa articulum autem crus, quod ad rectum habitum pertinet, magis deprauatur, quam quibus Articulus alio modo Luxatur.

Si vero alicui firmæ Aetatis Femoris articulus ad posteriora fuerit prolapsus, & non repositus, post quam dolor cessauerit ac articulus in carne volui consueuerit, & callosam talem partem fecerit, ambulare quidem potest, cogitur tamen dum ambulat, vehementer ad inguina curuari, tum quia crus multo breuius est reditum, tum etiam quia calx multum abest, vt terram contingat, & si paululum tentet eo pede sustineri, nullæ alteræ rei innixus, in posteriorem partem cadet, & ideo necesse est, vt Manu, quæ à parte affecti cruris est, in quolibet passu, super femore hereat, quæ res cogit ipsum flecti aliquid ad Inguen. Nam quum in ingressu crura permutentur, nequit corpus affecto crure sustineri, nisi id crus Manu ad terram compellatur, quoniam Articulus corpori non subijcitur, sed in posteriorem partem ad Natem prominet, ambulare tamen offensus sine Baculo potest, si alioquin assueuerit, quam basis pedi è pristina regione spectet. Quicumque velint femur non amplius comprehendere, sed inuicem Baculo inniti, quod Alæ ab affecto latere subijciatur, quod si longius Baculum admoueant, magis erecti ambulant, Pes tamen terræ non innititur, si inniti velint breuius admoueant, cogentur tamen ad inguina curuari. Emacrescit etiam ijs caro pro ratione, sicuti de alijs superius diximus, & quibus crus suspenditur, & minime laborat, maxime extenuatur. Sed quam in ingressione vsui maxime est, minime gracile fit, integrum tamen Crus non curatur, sed potius deformis redditur, si vitiato vtantur terræ innixi, nam dum sanum vitiato subseruit, Coxam & popliten curuari necesse est, quod si vitiatum crus terram non contingat, sed suspensum sit, & homo Baculo innitatur, hoc pacto integrum robustius redditur, quam naturaliter habeat, & exercitatione magis firmetur. Cæterum, quibus dum increscunt, in posteriorem partem Articulus prolapsus, non fuerit reconditus, Fæmoris os breuæ redditur, vniuersum similiter crus vitiatur, & minus increscit, & gracilius redditur, quam nulli sit vsui, & quam ætate iam robusta sunt, suspensum curuarumque crus tenent, & altero tantum Baculo innixi, vel etiam altero feruntur.

Hæc vero à Medico sciri debent, non vt has inueteratas luxationes curet, cum curari nequeant, sed vt diligentissime, & totis neruis occurrat, ne tales Luxationes insanabiles fiant, vtque etiam intelligat ac sciat, & prædicere possit, quo, & qualiter, & quomodo singula sint terminatura.

De Fæmoris Luxati Curatione.

CVM semper omnes Articulos, qui exciderunt, restituere conueniat, & protinus, quam adhuc calidi sunt, vel certe quam celerrime, quum qui citius reponit, & prius quam locus intumescat, facilius, & minori Aegrotantis molestia reponat, & perpetuo, vbi reponendus est Articulus, emolliri ac demoueri ante debet, cum sic promptius reuertatur, vt *Hipp. 4. lib. de Articulis inquit*. Et quando reponendus est femoris luxatum caput, semper patiens ita collocandus vt ea pars superior sit, in quam os est prolapsum.

Et

Et ea à qua os receſſit inferior ſit, vt *Celſus lib.* 8 *cap.* 20. inquit, Et ſicuti *Hipp. & Celſus* locis ſuperius citatis, & *Paul. lib.* 6. *cap.* 119, & alij grauiſſimi Auctores inquiunt, Reponi poteſt ſuperius Femoris caput duobus modis, vel ſine extenſione, vel cum extenſione, Et ſine extenſione duobus modis repoſitio fieri poteſt, Alter modus eſt vt tantum circumrotetur femoris caput circa ilia, quouſque in ſinum perueniat, quemadmodum de luxato Humero diximus, & in hac actione faciendâ, cum de ſinus ſuperciliorum attritione ac abruptione maximum adſit periculum; Ideo talis reponendi modus tutus non eſt; Modus alter eſt, ſicuti Paulus inquit. Si Luxatio intro declinauerit; Crus etiam ſolum repente, & valenter ad Inguinis intimam partem, vt res poſtulat flectendo reponitur, Et his modis repoſitio tantum ſuccedit in recentiſſima luxatione, & in qua femoris caput parum diſtat à proprio ſinu, ac in puerili corpore.

Si his modis non perficiatur, cum extenſione ac impulſione femoris caput reponendum, & hic erit bonus, inſtiſſimus, ac ſecundum naturam reponendi modus ſicuti Hipp. loco ſuperius citato inquit, cum commode ac recte facta extenſione ac impulſione, quiſque prolapſus articulus, vt plurimum reponatur; Extenſio vero, vel manibus fieri debet, vt in recenti luxatione, in molli ac puerili corpore, & in modica luxatione. Vel Habenis, Laqueis, ac Funibus, ſi corpus ſit durum, robuſtum, luxatio non ita recens, & magna, & maiori extenſione ſit opus.

Quando ergo fæmoris caput in partem interiorem fuerit prolapſum, modica extenſio faciendâ, cum tantum pars extendi debeat, quantum ad oſſis caput dimouendum, & excitandum ſufficiat.

Si patiens puer ſit, & manibus extenſionem facere volumus, Alter Miniſter Aegrotantis corpus ſub Axillis valide apprehendat, & firmiter teneat, Alter ſupra Genu ambabus Manibus valide fæmur apprehendat, & valide ab inferiori parte trahat, & dum fit extenſio, Medicus Femoris caput ad interiora prolapſum, & ibi fixum ad extra dimoueat, & valide impellat, cum poſt talem ad exteriora impulſionem, muſculi ſurſum trahentes, vt plurimum in priorem ſinum ex ſe ipſis os reponant, & niſi hoc ob muſculorum imbecillitatem fiat, Medicus eorum actionem compulſione adiuuet.

Si validiori extenſione ſit opus, Habenis, ſiue alijs vinculis extenſio facienda. Mollis ergo Habena, & valida media ſua parte iuxta Interfemineum danda, ita vt femoris caput non compræhendat, ſed inter femoris caput, & eam regionem, quæ inter Anum, & Naturale media eſt, & anterius per Inguen. & Iugulum, & poſterius per Dorſum ad Humeros reducenda eſt, & ambo capita Miniſtro à capite Aegrotantis ſtante tradenda. Deinde alia Habena ſuper Talum eſt alliganda, & alia ſupra Genu, ne id aliquam obleſionem patiatur, quarum capita altero Miniſtro à Pedibus ſtante tradenda, & miniſter alius manibus ſub Alas datis Aegrum comprehendat ac contineat. Poſtea omnes ſimul in diuerſa contendant ſic, vt Aegrotantis corpus à terra ſubleuetur; Et ſi maiori extenſione ſit opus, Summo Hipp. vel Scala, vel duobus Lignis vectium munere fungentibus, ſuperius & inferius apprehenſis Habenis, in diuerſe extenſio fieri debet, ſicuti de Femoris Fracti extenſione diximus, & dum Iateſio adhibetur; Femoris caput Medicus Pugno ipſi inherente in exteriorem partem propellere ac vrgere debet, ſed alius miniſter ad Genu Femur in interiorem partem leuiter dirigat. Et hæ validiſſimæ extenſiones præcipue competunt in femoris luxationibus ad Exteriorem, Poſteriorem, & Anteriorem partem, quæ validiori extenſione egẽt. Hic igitur extendendi modus quatuor Fæmoris Luxationum generibus eſt communis, & quando bene ab vna parte crus ab altera corpus extenditur. Femoris caput è regione ſui caui excitatur, quod vbi ſic excitatum fuerit, non facile prohiberi poterit, quo minus in ſuam ſedem reuertatur, ita vt iam quouis modo impellere ac dirigere abunde ſit, inquit Hipp., & qui minus, quam par ſit extendunt, maiori negocio reponunt.

Vbi Femoris caput in exteriorem partem exciderit, in latus collocato patiente, ita vt ea pars, in quam os exceſſerit, ſuperior ſit, & inferior à qua receſſit, ſicuti fuit dictum, ab vtraque parte valida extenſio faciendâ, & dum intenſio adhibetur prominentioribus Palmarum partibus,

vel

vel alia re maiorem impellendi vim habente ab exteriori parte in interiorem valentissime vrgendum ac compellendum, & fæmoris similiter Luxati, quod ad Genu est, ab interiori parte leuiter in exteriorem cogendum.

Si vero in priorem siue anteriorem partem fæmoris caput fuerit prolapsum, supinus situandus est patiens, & eodem pacto valida facta extensione, Vel, vt C. Celsus inquit, supra Inguen aliquod rotundum ac durum ex Linteis factum ponendum, ac præmendum, & supra id subito Genu adducendum est. Eodem modo eademque de causa, quâ id in Brachio fit, protinusque, si complicari fæmur potest, intus est, inquit dictus Autor, Vel Medicus, vel quis alius Manu admodum strenua, & maxime peritus prominentiorem vnius Palmæ partem supra Inguen, vbi fæmoris caput prominet, apponat, eandemque manu altera comprehendat, & sic valentissime adurgeat, simulque quod excessit in inferiorem partem tradat, & versus priorem partem Genu subigatur, ac leuiter curuetur.

At vbi in posteriorem partem Fæmur exciderit, supra Tabulam, vel Lignum, cui substrati sint multiplices Panni, vel aliquod aliud, quod mollæ sit, pronus id est in ventrem, situandus est patiens, & sicuti fuit dictum, in diuersa extensio facienda, & eodem momento, quo extensio fit, vel Manibus compulsio in contrariam partem facienda, vel Pedibus supra Fæmoris caput consistendo, vel in tedendo ac se concutiendo, vel Assere, siue plana Tabula in excauatum proximum parietem posita, & qua Fæmoris caput prominet, insidens, sicuti in subluxatis Vertebris, & Gibba Spina diximus, caput Fæmoris in proprium sinum cogendum ac impellendum. Et hæc fæmoris caput in posteriorem partem prolapsum reponendi ratio, vt Hippocratis inquit, valentissima, & secundum naturam est. Sed vt Gal. in Com. inquit. Nisi Clauus eminentia luxato capiti hæreat, nihil hominem iuuabit, & ideo Medicum summæ diligentiæ, ac prudentiæ, & maxime exercitatum postulat.

In proprium sinum restituto osse, sicuti superius diximus, aliquod Medicamentum Inflammationem prohibens, dolorem sedans, & laxata Ligamenta constringens ac roborans applicandum, & conuenienti fascia commode pars vincienda ac situanda, & diutius in Lecto immobilis pars seruanda, ne propter ligamentorum laxitatem rursus erumpat, Maxima item abstinentia est imperanda, quum quo maior, ac ad reponendum difficilior Articulus fuerit, eo tenuior victus competat, vt Hipp. inquit, Similiter & Venæ sectio, & purgatio, nisi quid obest; maxime conueniunt, & reliqua sicuti in cura vniuersali superius diximus.

De Luxatione Genu. *Cap. 9.*

IN Genu inferius Fæmoris caput, siue Apendix cum osse Tibiæ articulatur & dictum inferius fæmoris caput in duo capita satis magna est diremptum, quæ in posteriorem magis quã in interiorem sedem sunt exporrecta, & cruris extensionem ac flexionem moliuntur, in quorum capitum medio a priori ac posteriori parte sinus satis magnus adest. Hæc ergo duo fæmoris capita in duos sinus minime profundos ac Cartilagine obductos Semilunis consimiles ossis Tibiæ implantantur ac excipiuntur, in quorum sinũ medio inæqualis ac asper tuber adest, qui eo sinu excipitur, qui est a posteriori parte inter duo dicta fæmoris capita, & a media ac elatiori dicti tuberis parte, vbi aspera impressio consistit, validissimum educitur ligamentum, simul, quem duo fæmoris capita dirimere diximus, interrum, & simul Genu iunctura alijs validis ligamentis circum circa ortis complectitur ac munitur. & in anteriori sinu dictorum capitum fæmoris, Patellæ siue Rotulæ Tuber inseritur, & Patella vi Tendinum ac membranarum Fæmoris ac cruris ossibus alligatur, & arcte deuincitur & dicta Patella a Natura ad anteriorem Genu partem fuit data, ad huius partis fortitudinem, & ne ad anteriora Genu facilitèr luxari possit, quod sæpe accideret dum Genu flectitur. Hæc igitur ossa per Arthrodiam, Diarthrosis speciem articulantur ac committuntur.

Luxationis species.

Ex dictis horum ossium articulatione intelligere ac comprehendere possumus, Genu perfectam, & imperfectam Luxationem pati posse, & plerumque in interio-

rem partem luxari, interdum in exteriorem cum in dictis partibus parum habeant, quod eis reſiſtat, & nonumquam in poplitem ſiue poſteriorem partem, ſed raro, cum in tali parte Muſculus, qui crus flectit, & in ipſa commiſſura eſt abſconditus, maxime reſiſtat, vt *Hipp. lib. 3. de Fracturis, & Paul. lib 6. cap. 120.*, & Oribaſius lib. de Machinamentis, & alij grauiſſimi Autores inquiunt, In tres dictas partes Genu ergo luxari poteſt, & in priorem partem præmoueri à Patella prohibetur. *C. Celſus tamen lib. 8. cap. 21.* ex Magetis ſententia etiam in priorem partem luxari poſſe inquit. Sed hoc niſi rariſſime, & violentiſſima ac validiſſima cauſa fieri poteſt.

Signa. Genu Luxationis ſpecies, cum hæc pars excarnis ſit, ſatis oculis patet, cum tumor in parte, in quam Articulus eruperit, manifeſte appareat, & ſinus in parte contraria, ideſt à qua receſſit, ſimiliter figura deprauatur, & talis partis motus, non ſolum deprauatus, ſed abolitus eſt, cum in omnibus dictis tribus Luxationis ſpeciebus crus extenſum ac rectum ſeruetur, & curuari nequeat.

Prognoſticum. Genu, & niſi faciliter luxetur, tum ob duo dicta ligamenta, cum ob duo fæmoris capita in duos Tibiæ ſinus inſerta, tamen vbi perfecte luxetur, vel ſubluxetur vt Hipp. loco ſuperius citato inquit, caſus multo mitior eſt, quam vbi ea, quæ in cubito ſunt, vel toto loco mouentur, vel paulum excedunt, & oſſa, quæ in Genu articulo ſunt, ſepius excidunt, & facilius reconduntur, quam in cubito, cum oſſium ſtructura arctior ſit in cubito, & laxior in Genu, vt iam ſuperius diximus, & cum in Genu facilius luxatio, & abſque magna vi repoſitio fiat, ideo inflammatio raro oritur, & ſi eueniat, non magna fit, & ob inflammationis reliquias hic articulus non ita ægrè mobilis redditur, vt alligatus eſſe videatur, ſicuti ſepe luxato cubito euenire ſolet.

De Luxato Genu Curatione.

SI in interiorem, vel exteriorem partem Genu fuerit luxatum, reſupinandus eſt patiens, & ſi imperfecta fuerit luxatio, nulla aut exigua extenſio faciendа, ſed in contrariam partem impulſio ſufficit. Si verò perfecta fuerit Luxatio, Fæmur à ſuperiori parte, & Crus ab inferiori in contraria extendendum, cum in omni Luxatione reponenda maxime vtilis, & fere neceſſaria extenſio ſit, & ſicuti ſuperius pluries diximus, in puerili ac molli corpore, & in recenti luxatione, Manibus à duobus miniſtris alter fæmur apprehendendo, & crus alter in diuerſa extenſio fieri poteſt. In duris corporibus magna, & non ita recenti Luxatione, Habenis, altera fæmori prope Genu alligata, altera cruri ſuper eam regionem, quæ carnoſa à poſteriori parte promit, & alijs ſuperius dictis machinamentis extenſio facienda, & præcipue quæ deorſum trahunt, valida eſſe debent. Facta conuenienti extenſione, ad contrariam partem eius in quam venit, prolapſum os Medicus repellat. Si in poſteriorem partem Genu fuerit luxatum reſupinetur patiens, & membro in diuerſa deducto, articulus, qui excidit, in priorem partem à Medico compellatur, Vel vt C. Celſus inquit, commoda facta extenſione rotundo aliquo ſuper poplitem impoſito, & impoſito, & adducto ac curuato crure, recondatur ac in priſtinum locum reponatur, deinde ſuperius dicta Medicamenta applicentur, & ſicuti decet, pars vinciatur, & diutius tale membrum immotum ſeruetur, & in cæteris fiat ſicuti in ſuperioribus fuit dictum.

De Patellæ, ſiue Genu Rotulæ Luxatione. *Cap.* 10.

PAtella etiam aliquando ad latera luxatur, quod ſtatim apparet, & faciliter item in proprium locum reſtituitur. Quando ergo talis oſſis luxatio acciderit patiens planum pedem ſupra Terram, vel Tabulam ponat, & Manibus Patella à Medico apprehenſa in proprium locum recondatur, & relupinato Aegrotante hinc atq; hinc, ne iterum luxetur, duplicati panni, vel ſplenia ſuperius dicto adſtringenti Med. oblinita applicentur, & eodem Med. alia ſplenia oblinita ſupra patellam ſicuti conuenit, injiciantur, & nullo pacto, donec patella fuerit confirmata, Genu curuetur, ſed immobile ſeruetur.

De

De Tali Tarsi, Pectinis, & Digitorum Pedis Luxatione. *Cap. 11.*

PEdis ossium articulationem non ponemus, cum satis de hac re fuerit dictum, quando in superioribus de horum ossium fractura verba fecimus ideo, si quis eorum articulationem scire velit, talem locum videat.

Luxationis species.

Talus sicuti *C. Celsus lib. 8. cap 22.* & alij grauissimi Autores inquiunt, in omnes quatuor partes prolabi potest, idest in partem interiorem, exteriorem, anteriorem, & posteriorem, quamuis frequentius in exteriorem partem luxetur, & perfecte luxari, & subluxari potest. Tarsi, & plantæ ossa tantum ad superiorem, & inferiorem partem promoueri possunt, & minime ad latera; Digiti ad omnes quatuor partes.

Signa.

Si in partem interiorem Talus perfecte luxetur ima pars Pedis in exteriorem partem conuertitur. Si in exteriorem, contraria signa adsunt. Si in priorem partem erumpat, latus ille ac robustus tendo, qui à posteriori parte est, & calcis ossi alligatus, durus, & tensus euadit, Pes minor, ac breuior apparet, ob articulum in priorem partem promotum, & multam Pedis partem occupantem. Si in posteriorem partem fuerit luxatus, calx penè conditur cum ad calcem Articulus fuerit promotus, & pes longior apparet, & hæc signa, si manifesta sint, perfectam luxationem denotant, si obscura imperfectam; Tarsi, Pectinis, & Digitorum ossa à propria sede mota statim dignoscuntur, cum ad quam partem venerint, ibi tumor, & eminentia appareat, & capitas in parte opposita, dolor partim etiam, hoc indicat, & actio læsa.

Prognostikum.

Talus sicuti facilitèr luxatur, sic facilitèr reponitur, sed ob multitudinem ossium iuncturam componentium, difficulter confirmatur, & ideò sicuti *Hipp lib. 2. de Fracturis & C. Celsus loco superius citato inquiunt*, post tali repositionem diutius in lecto perseuerandum, idest quadraginta dierum spacio, ne is Talus, qui totum corpus sustinet, parum confirmatis neruis, ferendo oneri cedat, & rursus prorumpat, qui ergo morbum paruifaciunt, & prius quam talis pars confirmetur, ingrediuntur, plerique non bene sanantur, & fere continuo dolore torquentur, talemque partem debilem sentiunt.

Alia Pedis ossa, vt Tarsi, & Pectinis, cum robustissime alligata sint, difficillime luxantur, sic digitorum ossa, quum multis validissimis ligamentis, multisque tendonibus fulciantur, raro luxantur.

De Curatione Luxati Tali, & aliorum Pedis ossium, ac Digitorum.

VT luxatus Talus in proprium locum reponatur, primum extensio est facienda, & si luxatio recens sit, & non valde magna, & in puerili corpore, Manibus facta extensio est satis; Alter ergo Minister Manibus Pedem, apprehendendo; Alter crus supra Pedis Articulum, & in diuersa extensio fiat, & interim Medicus luxatum os in contrariam partem compellat. Et si valentiori extensione sit opus, vt in adultis, ac duris corporibus, vetusta Luxatione, & magna, habenis dictis alligatis, & instrumentis superius dictis conueniens extensio fiat, & contrariam partem impulsione facta, luxatum os recondatur. Si quis verò ex illis ossibus, quibus continetur pars Pedis, quæ inter Talum, & plantam est, vel ex plantæ ossibus, vel ex digitis articulum erumpat, compellere singula in suam sedem oportet, sicuti de Manu, & de Fractura ossium pedis superius diximus.

Repositis dictis ossibus Medicamentum partem co firmans, ac dolorem sedans sicuti in superioribus fuit dictum, applicandum, deinde pluribus pannis, ac fasciis, ne iterum reposita ossa prolapsum ibi fasciæ caput primum dandum, & magis ad stringendum, & hinc atque hinc fasciis ad plantam, & malleolos, & calcem distribuitis, minus pro ratione adstringendum, cautione adhibita, ne posterior calcis tendo nimis constringatur.

De Luxatione, & Contusione ossis Calcis. *Cap. 12.*

Causa.

IS præcipue Calcis à proprio loco promouetur, vel contunditur, sicuti *Hipp. 2. lib. de Fracturis inquit* qui ex superiori loco saltantes Calci vehementer insistunt.

Cognoſcitur vero Calcis luxatio ex dolore, partis figura, & læſa actione. Contuſio vero ex magno tumore, & ingenti dolore innoteſcit, cum circa oſſa caro arteratur, & proprijs venis ſanguis effundatur, qui cum ſit extra proprium locum, nigreſcit, concreſcit, & tandem corrumpitur; Et hoc os venis, arterijs, ac neruis grandioribus coniungitur, & ei etiam inneſtitur poſterior corda, ſiuè tendo, qui à muſculis, qui in poſteriore cruris parte ſunt, deducitur. *Signa.*

His ergo de cauſis, luxatio, & præcipuè contuſio Calcis maxime periculoſa eſt, cum calcis os corrumpi queat, & ob conſenſum acutæ febres, & continentes cum tremore. Neruorum diſtenſione, ſingultu, & mentis alienatione, quæ paucis diebus hominem præcipitant, accidere poſſunt. Quod verò ſingula dicta per conſenſum accidere poſſunt, patet quoniam ſicuti ex magni tendinis, qui Calci inneſtitur, inflammatione, popliti muſculi per conſortium afficiuntur, cum ab his talis tendo oriatur, quibus muſculis affectis nerui, qui per eos diſtribuuntur, prompte læduntur, & noxa cerebro communicatur, & ideo mentis alienatio, tremor, neruorum diſtenſio oritur, & cum etiam ventriculus, qui maxime neruoſus eſt, Cerebro conſentiat, ideo ſingultus etiam fit. Sic ob Venas, & Arterias affectas, per quas noxa cordi communicatur febris excitatur. Calx luxatus, ac repoſitus, vt loco ſuperius citato Hipp. inquit, ſi quieſcat, ſexaginta diebus ſanelcit. *Prognoſticum.*

Si verò vel ob contuſionem, vel alia de cauſa corrumpatur, curationem non recipit, ſed aliquando hic morbus durat, per ideſt totam hominis ætatem.

De Luxati, & Contuſi oſſis Calcis Curatione.

QVando Calcis os fuerit luxatum, facili leui extenſione in priſtinum locum diligenter recondendum, ac co formandum, deinde ſuperius dictum Medicamentum inflammationem prohibens, ac partem confirmans applicandum, & conuenienti, ac firma deligatura, ſicuti inferius dicemus, hæc pars vincienda, deinde inquiete, donec tale os confirmetur pars eſt ſeruanda.

In Calcis contuſione curanda, primum talis pars aqua calida oleo ſimplici, & oullam adſtringendi vim habente mixta large perfundenda, & ſicutis calcem tegens naturaliter tenuis ac mollis ſit, quomodo ſe habet relinquenda, ſin dura, & craſſa qualis in quibuſdam conſpicitur, æqualiter ſuccidenda, & extenuanda, non tamen vulneranda, altitudo ergo plagæ duriciei altitudinem æquet, vt ſanguis non effundatur, quæ verò ſtatim cruuentatur relinquenda eſt, ne ex ſectione dolor excitetur, & talis inciſio æqualiter fieri debet, ideſt quod, totum id, quod ex cute durum eſt, æqualiter auferendum, & hoc fieri debet, vt vniuerſa cutis, quæ pedi ſubiecta eſt, ſine tormento, inflammationis tempore æqualiter diſtendi poſſit, cum omnis inflammatio diſtendat, & ex diſtenſione dolor oriatur, & ex dolore inflammatio augeatur, & neruorum diſtenſio aliquando excitetur. Si verò talis cutis dura ac craſſa relinqueretur, cum non poſſet ſub inflammatione amplius extendi, ideo maximus dolor excitaretur, & proximæ partes ſimiliter diſtenſione præmerentur, & præcipuè magnus ille tendo, qui eſt à poſteriori parte, & prauæ ſuperius dicta ſymptomata acciderent.

Hac ergo de cauſa cutis, quæ ſub pede eſt extenuanda dictique copioſa perfuſione emollienda; His factis, Medicamentum inflammationem prohibens applicandum, & ſicuti in Fracturis ſuperius diximus, hæc pars vincienda, & non alio pacto, vt exuperantes ſucci à calce ad alias partes depellantur, Fascia ergo tenuis leuis, ac munda maxima ex parte ad calcem danda, & modo circa cruſ, modo circa medium, ac extremum pedem obuoluenda, ita vt omnia, quæ his proxima ſunt fascia comprehendantur, neque arcte alliganda. Sed potius ad vinculi firmitatem fasciarum numerus augendus, & tertio quoque die ſoluenda pars, & perfundenda, ac Medicamentum renouandum, & rurſus deligandum, & pes ita collocandus, vt dolore vacet, & reliquo corpore paulò ſublimior habeatur, ne humores, qui ſunt in crure ad affectam partem confluant, & inflammationem excitent; Et Reuulſionis gratia, niſi adſit febris, vel ſi ſit leuis; Hipp. iubet, vt eadem die, vel ſaltem poſteriori, ideſt prius quam inflammatio affe- *Famia quatis eſſe debeat.*

affectis partibus superueniat. Elleborum propinetur in potu, vt peccantes humores per vomitum euacuet, & sursum trahat. Nos vero, cum nostri æui homines purgationibus per veratrum factis non sint assueti, quando sit opus, aliquod aliud, quod per vomitum humores educat, & magis benignum sit, propinare solemus, Et Venæ sectione præcipue à contraria, ac longinqua parte facta, seruata rectitudine humorum reuulsionem, & deriuationem à proxima parte facere in his, & similibus casibus, & tenuissimum victum instituere solemus, & si inflammatio accidat, sicuti superius diximus, & sicuti decet, curanda.

Et hæc, ad Iesu Christi, & suæ Immaculatæ Genitricis Laudem, & Honorem, & Hominum vtilitatem, de Luxationibus sint satis.

FINIS.

TABVLA DE OSSIVM COMPOSITIONE,

Ex Gal. Lib. de Ossibus deprompta.



DE

DE VENÆ SECTIONE
AC ARTERIÆ,
De Cucurbitulis, de Scarificationibus, & de Hyrudinibus siue Sanguisugis.

FRANCISCI
PECCETTI
COELESTINI CORTONENSIS,
PHYSICI, ATQVE CHEIRVRGI.

VT nihil his nostris laboribus ad Cheirurgicas actiones spectantibus desit, de Venæ, ac Arteriæ sectione, de Cucurbitulis, de scarificationibus, & de Hyrudinibus, siue Sanguisugis dictis, pertractare decreuimus.

Ordo seruandus.

In hoc ergo tractatu primum dicemus, ob quas causas Venæ sectio fiat; Secundo quibus in morbis competat; Tertio vtrum Pueris Venæ sectio sit facienda; Quarto Vtrum in quolibet magno Morbo sanguinis missio conueniat; Quinto Vtrum Pregnantibus sit Vena secanda, ac Vtrum pro Abortus præseruatione competat; Sexto Animaduersiones in mittendo sanguine habendæ; Septimo, quæ Vena in quouis affectu secari debeat; Octauo quid ante Venæ sectionem sit faciendum; Nono quid ipso sectionis tempore; Decimo quid post Venæ sectionem; Vndecimo, quæ in extracto sanguine obseruanda; Duodecimo, oportunum Venæ secandæ tempus; Decimo tertio, de Arteriarum sectione, Decimo quarto de Cucurbitularum vsu, ac applicatione, Decimo quinto, de Scarificationibus, & Decimo sexto de Hyrudinibus.

Ob quas Causas Vena secetur
Cap. 1.

VEnam secare, & ex ea sanguinem mittere, vt *C. Celsus lib. 2. cap. 10. inquit* In Iuuenibus, & Fœminis vterum non gerentibus antiquissimum est. Sed nullum penè Morbum esse in quo sanguis non mittatur, & in Pueris, & Senioribus, & in grauidis Mulieribus hoc experiri antiquum non est.

Causæ ob quas Venæ sectio fit sex præcipue sunt, vel ratione Euacuationis, vel ratione Reuulsionis, vel ratione Deriuationis, vel ratione Alterationis, vel ratione Excitationis, vel Attractionis gratia.

Euacuationis causa secatur Vena, quando sanguis in quantitate, vel in mala qualitate, vel in vtroque peccat, vt ex *Gal. 9. Meth.*

9. *Meth. cap.* 11. elicitur. Peccat in quantitate duobus modis, vel quo ad vaſa, vel quo ad vires, vt inquit Gal. lib. contra Iulianum, ac pluribus alijs in locis.

Plenitudo quoad Vaſa quãdo ſit.

Plenitudo quo ad Vaſa tunc eſt, cum vires non præmuntur, ſed ſucci omnes in qualitatis mediocritate poſiti in debita proportione ſupra iuſtam Naturæ congruentem menſuram accumulantur ac increſcunt, & amplam vaſorum capacitatem prorſus implent.

Humorũ proportio in Sãgui ne eſſe febrat.

Humorum verò proportio, ex quibus maſſa ſanguinea conſtat, in homine bene temperato, & optime ſano eſt, vt minus ſit Bilis flauæ, quam Melancholiæ, minus huius, quam pituitæ, e minus pituitæ quam ſanguinis pari, qui quatuor humores ſunt fere perfuſi, vt inquit *Gal. Com. 4. in lib. Epid.* C. 29.

Signa plenitudinis quo ad vaſa.

Talis plenitudinis ſigna ſunt totius corporis mollis intumeſcentia, Venæ ſupra modum plenæ ac tenſæ apparent, omnia membra ab exercitatione præſertim exporrigi ac diſtendi videntur, perpetuus in facie rubor apparet, Oculorum dolor, & capitis grauitas, vt plurimum, perſentitur, vt ex *Gal. Com. 3. in lib. 3. Epid. cap 83 & Com. 5. in lib. 6. Epid. cap.* 10.

Talis corporis conſtitutio, & ſi bonis humoribus ſit referta, & vires robuſtas obtineat, tamen quum ad immoderatam redundantiam deuenerit, ſicuti de *Athletis* 1. *Aph.* 3. *Hipp dixit*, niſi minuatur in grauiſſima pericula præcipitare ac ruere ſolet, vt inquit *Gal. in cicitati Aphoriſmi Com.*

Plenitudo quo ad vires quę ſit.

Plenitudo quo ad vires eſt illa, in qua, & ſi vaſa non tument, nec copia diſtenduntur, plus tamen vtilis ſanguinis continent, quam à Natura regi ac gubernari poſſit.

In hac igitur plenitudine, & ſi Sanguis ſit bonus, tamen infirmiori Naturæ ac moleſtum eſt, cum viribus non ſit proportionatus, & ideo diu, ob caloris imbecillitatem, bonus ſeruari non poteſt, ſed à noſtri caloris gubernatione deſtitutus, aliquo temporis interſtitio corrumpitur, ac morborum fit cauſa, & ideo *Gal in com. 17. lib. 2. Aph inquit*. Plenitudo iuxta vires poteſt abique corruptione incipere. Verum non poteſt optima permanere: nam proceſſu temporis corrumpitur.

Sanguinea maſſa quot modis in qualitate peccet.

Sanguis ſiue ſanguinea maſſa in mala qualitate peccat duobus modis; Primo quum ſuperuacui humores immodice ſunt accumulati, vel humores in ſanguine contenti naturalem iuſtam, & debitam proportionem inter ſe non ſeruant.

Altero modo, quum vel ſuperuacui humores, vel ſuccitàm primi, vel ſecundi à naturali, & ſua conuenienti temperie in vitium degenerarunt, quod nihil aliud erit, niſi aùt ſubſtantiæ, aùt temperiei corruptio quædam; Et horum vtrumq; aut eſt cum putredine, aùt citra putredinem, & hoc humorum vitium in qualitate præſertim Cacochymia à Medicis vocatur.

Venæ ſectio quod competat in plenitudine quo ad vaſa.

Quod in vera pletora, & ex optimorum ſuccorum proportione conſiſtente, Venæ ſectio competat, nemini eſt dubium, cum plenitudo euacuatione curetur, vt inquit *Hipp. 2. lib. Aph. 22. Et Gal. in eum. dicti Aph. & in eom 47. lib. 6. Aph.*

Venæ ergo ſectio in tali caſu facta ab omnibus illis malis hominem repente liberat, in quæ ob talem pletoram incidere poſſet, quæ neque Inedia, neque Exercitatio e, neque purgatione tuto ac repente, ſicuti Venæ ſectio, prohibere poſſunt. Talis enim pletora, vt inquit *Gal in com. 3. libri primi Aph.* Vaſa abrumpere ac aperire poteſt, & ſic partium Inflammationes fiunt, & Hæmorragiæ, vel vniuerſalem obſtructionem faciendo, inſitum ac innatum calorem ſuffocat, & ſic vires, etiam ſi validæ ſint, ſtrangulantur, vnde Ardentiſſima Febris accidit, vel repentina mors irruit, vt inquit *Gal. in com. in lib. de Natura Humana cap.* 1.

Venæ item ſectione, vt inquit *Gal. in com. 23. libri primi Aph.* ingentiſſimi dolores, præſertim extenſione orti tolluntur corpus graui pondere leuatum erigitur, & quaſi recreatum ad omnis generis functiones alacrius ac expeditius reddirur, & inſito calore liberalius ventilato, & reſeratis arctioribus vijs ac ſpiraculis impendentes morbi arcentur, ac prohibentur.

Venæ ſectio quod competat in plenitudine quo ad vires.

In plenitudine quo ad vires, & ſi neq; vaſa deduci, neq; diſrumpi, neq; natiuus calor obrui ac ſuffocari poſſit, tamen quoniã imbecillas vires præmit, & ne putredo aut humorũ corruptela ſuccedat, præcipue quando hæc imminent, Venæ ſectio facienda ac talis plenitudo ita minuenda, vt tanta

ſan-

sanguinis quantitas relinquatur, quanta Natura faciliter gubernare possit. Vbi verò nullius præsentis periculi metu vrget, aut parciori victu, aut inedia, vt *Gal. 4. Meth inquit*, vtiliter talis pletora subtrahi potest, cum pletora secundum vires absque corruptione incipere possit, vt ex *Gal mente Com. 17. lib. 2. Aph dixit*.

In sanguine in mala qualitate peccante ac quantitate similiter vena secanda, sed non æque tuto hoc fit, quò tamen ea simplici propinquior magisque affinis fuerit, eo sanguis abundantius mittendus, quo verò impurior fuerit, eo parcius ac restrictius. In ijs ergo, qui Venas prauis succis repletas habent, vel hoc ex praua constitutione, vel praua victus ratione sit ortum, eo vsque sanguis eximendus, donec plenitudinis pericula vitentur, & quod reliquum est Pharmacis euacuandum, Vtque Gal. lib. de venæ sectione inquit; Calida Bilioſaque plenitudo omnium impurarum tutissime, secta Vena tollitur, cum non solum eam minuat, sed etiam refrigeret, Melancholica plenitudo parcius id auxilij genus tolerat, cum non sit ita calida, vt refrigerationem postulet. Pituitosa omnium certe minime quam enim impense frigida sit, sanguinis missionem auersatur, quæ magis cruditatem refrigerans, ita conduplicat, vt numquam vix concoqui, ac emendari possit.

Venæ sectionem in Cacochimia competere.

In humorum corruptione ac putredine, quæ citra plenitudinem in Venis consistit, Cacochimia dicta, & ab aliquibus etiam plenitudo ad vires nominata. An Venæsectio competat, & talis Venarum Cacochymia sanguinis missione demi possit, dubium est. Tamen dicendum ex *Gal. sententia lib. de plenitudine*; Quod in simplici Venarum Cacochymia, licet, omnes humores æqualiter prodeant, & sicuti ante eadem humorum proportio remaneant, tamen quoniam detracta oneris proportione, quo Natura præmebatur vires nihilo imbecilliores, sed alacriores plerumque euadunt, & quod rel quum est, facilius fuerunt, minorique negocio domant ac concoquunt, & ideo in continuis febribus, in quibus summa cruditas, & putredo in venis adest, plerumq; post sanguinis missionem, vrinæ quæ erant crudæ, & crassæ, ac turbidæ, puriores mox apparent, & concoctionis notas habent. In simplici ergo Venarum Cacochymia Venam secare tutum ac vtile semper est, cum ita Natura exoneretur, & Venæ sectio omnium humorum vitio, quod in Venis maioribus continetur, expedire succurrit.

Sanguinis quantitas ex quo determinandi.

Quantitas verò sanguinis euacuandi secundum vires determinanda, cum virium imbecillitas largam sanguinis missionem non tolleret; Ideo vbi magna adsit pletora, & virium adsit imbecillitas; & si magna pletora largam sanguinis missionem indicet, tamen vires hoc tenuunt.

Ideo in tali casu, & si magna pletora magnum minetur periculum, sensim, & per plures vices, virium ratione, sanguis educendus ac euacuandus. Moderata ergò sanguinis missio in omni pletora conuenit, quoniam, & si non prosit, obesse tamen non potest. Sic in simplici Venarum Cacochymia, vt superius diximus, est vtilis. Copia tamen virium ratione susceptа.

Scopi in sanguine mittēdo quæ esse debeant.

Scopi igitur in mittendo sanguine, vt ex dictis colligi potest, & ex *Gal. 4. Methodi cap 6. elicitur*, *erunt plenitudo sanguinis, vel aliorum humorum sanguine commixtorum, & maxime ad sanguinis naturam accedentium, vt 4. de Sanitate Tuenda cap 4 Gal. inquit, & morbi magnitudo præsens & futura. & virium robur similiter præsens & futurum omnium facultatum, sed vitalium præcipue, vt Gal. lib de Sang. Miss. cap 9. & 13. P de Rat. Victus in Acut 8. Meth cap. 6. & 9. Meth cap 6. & 11. Meth. cap. 3. & multis alijs in locis inquit*.

Vtrum magnitudo Morbi sanguinis missionē indicet.

Si quis verò dicendo instaret, morbi magnitudo sanguinis missionem non indicat, sed tantum remedij magnitudinem, & magnum remedium non solum est sanguinis missio, sed etiam purgatio, Ergo non tam hoc, quam illud exposcit.

Respondendum, quod morbi magnitudo, acuti præsertim, in se periculum includit, & ideò vltra remedij magnitudinem, securitatem, & celeritatem indicat. Sed sanguinis missio remedium est purgatione securius, & celerius, & velocius agens,

Ergo

Ergo morbi magnitudo prius indicat ſanguinis miſſionem, quam purgationem, in morbis etiam, qui vtroq; egent auxilio.

Quod vero ſanguinis miſſio ſecurius remedium purgatione ſit, & celerius ac prõprius agat, inquit Gal. lib. de venæ Sect. aduerſus Ereſiſtratum *cap.* 10. *& lib.* 2. *de Rat. Vict in Morbis Acutis cap.* 11.

Si quis dicendo inſtaret; *Gal. in lib. de Sang Miſſ.* In longorum Morborum curatione plenitudinem potius ſanguinis mittendi ſcopum eſſe inquit, quam morbi magnitudinem, licet vtraque ſit neceſſaria, cum recta Morborum curatio in ordine ad cauſam fieri debeat,

Quod Reuulſionis gratia vene ſectio competat. Reuulſio quod ſit, & quibus in partibus fieri debeat.

Reſpondendum, quod & ſi Gal. loco ſuperius citato dicat, Quod in longis morbis plenitudo in Vena ſecanda ſit ſpectanda, cum magnitudo in longis morbis non appareat, ſed in acutis, qui vehementiores ſunt, tamen cum morbi longi etiam ſint magni, & parui, ſolum vult, quod in magnis Venæ ſectio fiat, & non in paruis, qui leuioribus præſidijs curantur, Ideo in omnibus Morbis in quibus Venæ ſectio eſt facienda, neceſſaria eſt Morbi magnitudo, Et in longis, & ſi plenitudo tantum adſit, abſque Morbi magnitudine præſenti, vel futura, non cogit nos ad Venæ ſectionem faciendam. In longo igitur Morbo magno requiritur plenitudo; In acuto autem ipſa morbi magnitudo per ſe Venæ ſectionem indicat, & Plenitudo ex Accidenti, ratione præſentis, vel futuræ magnitudinis.

Reuulſionis gratia Venæ ſectio fit, vt humorum impetus ac fluxio cohibeatur, cum Reuulſio nihil aliud ſit, niſi fluentium humorum in contrarium tractus & ſemper in contrarias partes moliri debeat vt inquit *Gal. Com.* 2. *in Lib.* 6. *Epid. cap.* 9. Nihil eſt ergo, quod citius fluentium humorum impetum cohibere poſſit, quam hoc præſidium, Partes verò contrariæ ſecundum Gal. & alios grauiſſimos Autores ſunt, quæ in eiuſdem Venæ, recto proceſſu, per quem humorum fluxus ſit, quam longiſſime diſtant, & ratio eſt in promptu, quia ſecta Vena, primum pars Vulneri propinqua exinanitur, & hæc à longinquis ſucceſſiue, deinde ſanguinem attrahit rectarum Fibrarum ope, cum has fibras ad trahendum Natura deſtinauerit ſicuti tranſuerſas ad expellendum, & ideo plus ſanguinis, & citius ab iis partibus, in quas recte fibræ tendunt ac diriguntur, & vbi eſt Venarum directa ſocietas, quam ab alijs attrahitur, Et ſi etiam nihil venæ traherent, humores tamen ſponte recto fibrarum ac Venarum curſu defluunt.

In Reuulſione faciendæ, quod obſeruandum.

In humorum ergo Reuulſione debet obſeruari fibrarum rectitudo, & Venarum rectus curſus, & communis, & directa venarum ſocietas, Et ideo ob communem & directam Venarum ſocietatem Vena in ſiniſtro crure inciſa, euacuat à dextero, quod non accidit in partibus alijs, cum nulla Vena dexteri lateris in ſiniſtrum rectis fibris tendat, & ideo *Gal. lib. de Sanguinis Miſſ cap.* 16. inquit; Sanguinis miſſio, quæ è directo laborantis lateris adhibita pleuriticis ſit, clariſſimam ſepe vtilitatem affert, quæ vero ex Brachio oppoſito, aut omnino nullam, aut obſcuram, aut certe poſt temporis interuallum.

Cum ex contraria parte ſanguinis detractio in pleuritide, vel noxius humor in inflammata parte relinquatur, vel puro ſanguini permiſceatur, vel quod frequentiſſime accidit, in oppoſita parte pleuritis excitatur, Sic in aliarum partium inflammationibus, ſi Reuulſio fiat à venis, quæ è directo non ſunt, deprauatus ſanguis non elicitur, neq; oppreſſa pars quicquam leuatur, ſed potius putrem humorem ab affecta parte motum, puro venarum ſanguini permiſcet, ac prauum reddit, ac coinquinat, vel ad aliquam nobilem partem perducit. Ex Venæ ſectione eiuſdem lateris, non ſolum noxius humor celeriter trahitur, ſed etiam euacuatur ac deriuatur, quod in omnibus internis inflammationibus maxime requitur.

Quantam ſimiliter vim attribuat Gal. his, quæ ſunt in directo ſitu 13. Meth. cap. 9. oſtendit, cum in iecoris inflammatione, in qua pariter reuellendus ac euacuandus eſt ſanguis, qui ad iecur fluit, iubet ſecari Baſilicam dextri Cubiti, cum directo ſit, & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, ſocietatem habeat, & hac non apparente Mediam ſecari vult, & ſi media non ſe oſtendat, reliqua ſuperior Cephalica dicta potius ſecari vult, quam interiorem ſiniſtri Brachij.

Quãdo ergo à qualibet parte Phlegmone occupata, vel ad illam cõfluentes humores reuellere, & ſimul euacuare volumus

Vena

Vena secetur, quæ sit in directo situ partis affectæ, cum Reuulsio è directo euidens iuuamentum celeriter afferat, è transuerso autem nullum, vt inquit *Hipp. 2. de Rat. Vict. in Acut. & Gal. lib. de Sang. Miss. cap. 15.* Vtque etiam experientia quotidie in infirmis patet, in quibus si ab eadem parte, in qua est morbus sponte sanguis effluat, subleuantur, & maxime prodest, vt in hepatis affectibus si à dextera nare sanguis effluat, & in lienis à sinistra. Si verò à transuersa parte nullum iuuamentum persentiunt, immo nocumentum, cum ex tali euacuatione vires debilitentur, ac prosternantur, & ideo *Gal. com. 21. lib. 1. Aph. inquit.* Sanguinis profluuia, quæ non sunt recto tramite mala sunt.

Quid in reuulsione faciẽda sit obseruandum.

Hoc tamen in Reuulsione est obseruandum, quod in vehementi inflammatione ex maligno humore, & magno impetu defluente, & ad partem nobilem, & eximij sensus, ampla Vena, affectæ pari proxima est secanda. Si vero affectus sit mitior, vt lenta, & diuturna fluxio, angustior Vena, & in distantiori loco est secanda, vt minus, tardius, & ignauius euacet, cum totius à distantissimis reuellatur, & quæ futura est fluxio arceatur, cum fluentes humores per nouam ac longam viam retracti sensim à pristino cursu citra virium offensionem remoueantur. Ex Reuulsione igitur humorum fluxus sistitur, ac prohibetur, & ab affecta parte putris, & inquinatus sanguis prius detrahitur, quam ex reliquo corpore benignus atque sincerus. Neque ad affectam partem humorum fluxus proritatur, sicuti malo Arabes in pleuritide ex sectione Vene ex Brachio eiusdem dolentis partis senserunt. Quoniam quum pars laborans, magis quam ceteræ sit inanita, si ad penuriam vsque detractum sit, vix denuo alia humorum fluxione confligabitur, nisi denuo in victus ratione error committatur.

Et distantes partes indigentia auidæ proprium sanguinem elabi non sinunt, nec pars affecta, nisi magno dolore ac calore afficiatur, ab illis quicquam eripiet, & cum sit imbecilla reddita, pauco eget Alimento. Quod vero humorem Reuulsio non solum ad vicinas loco affecto partes sit mollienda, sed etiam ad remotiores, inquit *Gal. com. 2. in lib. de Fracturis cap. 54.*

Venæ sectio cur deriuationionis gratia fiat deriuatio, quid sit.

Deriuationis causa secatur Vena, vt pars multitudine aggrauata, ac defessa illuc onus suum deponat ac abiciat, & ideo dicitur; quod deriuatio est illapsi humoris tractus in vicinum latus; Et *Gal com. 2. in lib. 6. Epid. cap. 7.* inquit, deriuationem dici ab Hipp. quando humor aliquis egens euacuatione, non per commodam fieri regionem cæperit, non tamen ab ea procul admodum, neque in diuersissimum locum fertur.

Fit ergo deriuatio illa Vena secta, quæ in affectam partem inseritur, per quam modo alimentum assumit, modo influentem noxium humorem excipit, & tunc oportune deriuatio fit, quum Reuulsione præmissa fluxionis suspicio adest, & humor in parte non est impactus ac infarctus, sed adhuc est liquidus, & à parte remeare facilior, potest. Cum si humor sit parti infarctus ac induratus, vt in diuturnis, & inueteratis Inflammationibus, in quibus Scirrhosæ reliquæ remanserunt, nulla Deriuatio Venæ sectione fieri potest. Sed talis materia Fomentis ac Emplastris emollientibus ac digerentibus, emollienda ac resoluenda, & nisi his dissolui ac dissipari possit, nisi ingens dolor adsit, & pars insignis non sit, affecta pars incidenda.

Venæ sectio alterationis gratia cõueniat.

Alterationis, siuè refrigerationis gratia sanguinis missio conuenit in febribus ardentibus, sed quantitate pauca.

Dubitatio.

Si quis vero dicendo obiciat, Gal. in Ardentibus Febribus copiosam sanguinis detractionem fieri iussit.

Solutio.

Respondendum quod Gal. Ardentium nomine, aliquando Synochas febres intelligit, sicuti ex *lib. de Miss. & de Diff Feb cap. 11.* est manifestum.

Venæ sectio refrigerationis gratia quando competat.

Conuenit etiam Venæ sectio refrigerationis gratia, cum sanguis ob suam caliditatem, & acrimoniam Venas aperit, & corrodit, vel aliquas partes exulcerat, vel vt nitrosi succi transpirare possint, & ne corrumpantur.

Attractionis gratia quando cõpetat.

Attractionis gratia fit Venæ sectio, vt in Mensium, vel Hemorroidum retentione, vt inquit *Gal. lib. de Sang Miss. cap. 9.* & alijs in locis.

Excitationis causa, quando cõpetat.

Excitationis causa Venæ sectio fit, sicuti in Lethargo, Apoplexia, Epilepsia, & his similibus morbis, vt Alexander Tralianus *lib. 6. cap. 29. Actius Serm. 6. cap.*

27. *Auic.*, & multi alij grauiſſimi Autores inquiunt.

Quibus in morbis præſentibus, siue futuris Sanguinis missio conueniat. *Cap* 2.

IN ijs præcipuè Morbis Sanguinis miſſio eſt facienda, in quibus ſanguinis adeſt abundantia, quos impedientes arcet, & præſentes ſanat, & huiuſmodi eſt Synocha febris, vel cum putredine, i eſt in qua ſanguinea maſſa putrefit, vel ſine putredine, in qua tantum ſanguis efferueſcit, vt inquit *Gal lib. de Sang. Miſſ. & 2. lib. de febribus cap* 11.

Conuenit etiam in omnibus continuis febribus, in quibus putredo intra maiores Venas eſt condita, & non ſolum vbi eſt ſanguinis plenitudo, ſed etiam in humore, qui à ſanguinis natura non valde diſtat, præſertim putrido.

Quod vero in febribus putridis ſanguinis miſſio competat, autoritate Gal. probatur, qui 11. *Meth. cap* 15. inquit. Saluberrimum autem (vt prædiximus) eſt in febribus Venam incidere, non continentibus modo, verum etiam alijs omnibus, quas putreſcens humor conſtitat, vbi præterea, nec Aetas, nec vires prohibent Leuata namque, quæ corpus noſtrum regit, Natura, exoneratáque eo, quo velut ſarcina præmitur, haud ægrè, quod reliquum eſt, vincet; Quæ Gal. ſententia eſt interpretanda, quod Venæ ſectio competat in omnibus putridis febribus cum plenitudine ſanguinis, aut aliorum humorum, qui parum à ſanguinis natura diſtant, quæ plenitudo ſit, vel quoad vaſa, vel quoad vires. Cum plenitudo præcipuè ſanguinis euacuationem indicet, & non putredo, vt aliqui tenſerunt, cum putredo non magis ſanguinis miſſionem, quam purgationem indicare videatur, & quod ita ſit patet quoniam humorum frigidorum ac crudorum putredo Venæ ſectionem non requirit, immo prohibet.

Gal. ſententiæ interpretatio.

In Cacochymia, idem humorum vitio ac corruptela citra plenitudinem ſanguinis miſſio eſt ſaluberrima, ſed parca eſſe debet, alterationis, & refrigerij gratia, cum humori non dum putrido, ne putrefiat, ſit impedimento, quod inquit *Gal. lib.* 8. *Meth cap.* 4. his verbis. Quippe niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt putrefiat, Ergo, vt tranſpiret, maiore iam auxilio eſt opus, Ac ſi quidem, vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet. Inter has Aetates, vbi robur Aegro non deeſt, ſecanda Vena eſt, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint, Præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa, ad detergendas obſtructiones accedere, cum alioqui metus ſit, ſic obſtructionibus liberandis, prius quam vacuaueris ſtudeas, ne ipſas magis impingas, & multa alia de hac materia inquit, vt quiſque videre, poteſt, & tandem concludit dicendo, Haud quaquam igitur differendum eſt ſanguinis aliquid ita laborantium mittere.

In Cacochymia cur ſanguinis miſſio cõpetat,

Ex ſuperioribus ergo Gal. locis colligere poſſumus, non ſolum in pletora proprie, ſed etiam in Cacochymia interdum eſſe mittendum ſanguinem, iuxta Gal. diſtinctionem lib. 4. de Sanitate Tuenda cap. 4. Nempe cum humores non ſunt prorſus crudi, nec plurimum à ſanguinis natura recedunt, ſanguinis miſſionem admitti poſſe. In maxima vero humorum cruditate, nullo pacto ſanguis eſt mittendus, cum magis calor debilitetur, ac tales crudi humores incoctibiles reddantur. Et hoc Gal. autoritate probatur, qui 12. Meth. cap. 3. dixit. Ergo febricitare incipiunt non nulli, vbi maximam crudorum humorum copiam & coet nulli talium ſanguis mitti ſine maximo diſpendio ſolet.

Sanguinis miſſio in frigidis affectibus competat.

Animaduertendum tamen, quod in frigidis affectibus aliquando ſanguinis miſſio competit ratione Diuerſionis, & Reuulſionis, habito reſpectu ad partis præſtantiam, & aliquando ratione prouocationis conuenit, quod Gal. autoritate probatur. *Lib. enim de Sang. Miſſ. inquit.* In quibus adeſt crudorum humorum copia Venæ ſectio partiri debet per plures vices, & interim danda ſunt incidentia Medicamenta, vt Hyſopum, Origanum, & ſimilia, & eodem etiam lib. inquit.

Si magnitudo morbi ac virium robur ſanguinis miſſionem expoſcunt, nulla poteſt eſſe tanta crudorum humorum copia, quæ inhibere id auxilium poſſit, In Lethargo conuenit, vt 23. *Meth. cap.* 21. *Gal.* inquit, in Epilepticis, & Vertiginoſis,

gicosis, & Hysterici s Mulieribus, etiam in Accessionibus sanguis ex Saphenis mittendus, etiam si fortes sint exacerbationes. vt inquit *Gal. de Curatione per Sang. Miss. cap.* 19.

In Apoplexia sanguis etiam detrahendus, vt inquit Aetius *Serm. 6. cap. 27. & C. Celsus lib. 4. cap. 2.* qui inquit, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat, si non redit, post sanguinis missionem, motus, & mens, nihil spei supereſt.

In Cordis Palpitatione, quæ à frigida causa prouenit, sanguinis missio conuenit vt inquit *Gal. lib. 5. de Loc. Aff. cap. 2.* si recte recordor. In Hydrope cum prouenit à retentione Hemorrhoidum, vel Mensium, vt inquit *Gal. in Com. 3. lib 4. de Rat. Vict.* in Acutis, sanguinis missio item conuenit.

In multis etiam morbis Reuulsionis, & Alterationis gratia conuenit sanguinis missio, sicuti in sputo sanguinis non solum ex plenitudine, sed ex quacumque alia causa, vt inquit *Gal. 5. Meth. cap. 8. & 13.* Venæ enim sectione reuellendo Inflammatio prohibetur, & simul euentatione ac alteratione, venarum apertioni ac erosioni succurritur, cum sanguis ob suam caliditatem, & acrimoniam Venas aperiat, ac erodat. Eadem de causa in sanguinis fluxu per Intestina, etiam modica conuenit sanguinis missio, cum Intestinorum Inflammationem prohibeat, & refrigerando vlcerationem similiter præcauet ac curat quum sanguis, ob acrimoniam, intestina exulceret. In omni similiter sanguinis fluxu immodico, ex quacumque parte fiat, Reuulsionis gratia, sanguinis missio confert, ac etiam refrigerando sanguinem, quando propter sui caliditatem ac acrimoniam venas aperit, & hoc *Gal. autoritate confirmari potest qui lib. de curandi Rat per Sang. Miss. cap. 10. exemplo fluxus sanguinis è naribus ita scriptum reliquit.*

Cæterum non contemnenda venæ sectio est, tanquam non sit auxilium reuulsorium, cum me sæpe numero conspexeritis, in valida sanguinis è naribus eruptione, eo vsum, repente fluxionem sedasse. Expedit autem, vt vidistis, non expectare, donec vires extreme collabantur. Verum vbi iam moderatus sanguis è naribus vacuatus videtur, & impetus lationis fortis permanet, vena in cubito secanda est. Si ex dextera nare prorumpat, sanguis in brachio dextero, sin ex altera, in sinistro, *& lib. 5. Meth inquit.*

Quod si resolutus aduch æger non sit etiam vena ex eo cubito incidenda est, quæ profusioni è directo respondeat. Vbi paululum detraxeris, mox vnam horam intermittentes, rursus detrahes, post iterum atque iterum pro laborantis viribus. Ad hunc modum, & reliquas omnes fluxiones (quippe communis ratio est) tùm ad contraria reuocabis, tùm pro vicina deriuabis.

Parca ergo sanguinis detractio facienda, vt Gal. inquit, in immoderata sanguinis fluxionis, ne à duabus euacuationibus multum vires prosternantur; Animaduertendum etiam, vt ex eodem elicitur. In qualibet sanguinis immodica hemorrogia, sive sit critica, sive ex plenitudine fiat, ne expectemus ad reuulsionem venæ sectione faciendam, donec vires nimium imbecillæ reddantur, sed vbi adduch constat, reuulsionibus, & alijs præsidijs sistendus.

In Febribus intermittentibus puris, & exquisitis, vt in Tertianis, Quartanis, & Quotidianis, nisi eius proxima materia, & proprius fomes sit in Venis maioribus, neque ex his prorumpat, & nisi plenitudo sanguinis simul adsit, vel aliquod prauum symptoma. Venæ sectio non conuenit. Sed si venæ in moderata copia turgeant, & plethoræ pericula impendeant, aut propter incalescentem sanguinem aliquod prauum symptoma accidat, vt pulsans capitis dolor, æstus penè suffocans, corporis maxima inquietudo, iactatio, & quid simile. Quamquam hæc plerumque ex bile circa præcordia efferuescente accidant, tamen venæ sectio est facienda, vt symptomatum tum præsentium, tum impendentium lenitia compescatur, quamuis venæ sectione, nec febris, nec eius causa tolli possit.

Conuenit similiter sanguinis missio in omni inflammatione, tam partium internarum, quam externarum, & in ijs, qui inflammationum causa esse possunt, vt in ingenti dolore à quacumque causa, & in quacumque corporis parte sit, in fractura in luxatione, in magna contusione in vulnere, nisi copiosus sanguis effluxe-

rit, in Vlcere, & in Iſtu, vt inquit *Gal. Com. 21. lib. 4. de Rat. Vict.* in Acutis, Pari modo, & in Iecoris ac Splenis doloribus, & ceteris omnibus Inflammationibus ſanguinis miſſio conuenit. Quod in dictis Venæ ſectio competat, ex *Gal. Com. 19. eiuſdem 4 lib. de Rat Vict.* in Acutis probatur, vbi inquit. Nos autem, & ea (ſcilicet plenitudine) non exiſtente, veniam ſecamus, cum dolor vehemens hominem præhenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, Vel os ex loco pullum ſit, vel alius quiſpiam Articulos contractus reductuſque ſit, & *lib. 4. Meth. cap. 6.* inquit, Quippe ipſos Empiricos videmus, cum lapſus ab alto quis fuit, aut alius plaga aliqua, Vel contuſas vehementer corporis partes habuerit, ad ſanguinis miſſionem confugere, quamquam idem homo paulo ante ſanus fuerit, prorſuſque redundantiæ ſanguinis expers, & *lib. de Curandi Rat. Per Sang. Miſſ cap. 7.* de Iſtu inquit. Porrò non ſolum vbi adeſt plenitudo, mirificè prodeſt venæ ſectio, verum etiam citra plenitudinem, initio Plegmones, quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit, prohibendo. Quippe cum dolor ſanguinem ad ſe trahat, & ſæpe partium debilitas Phlegmonem, abſque hoc, vt in corpore plenitudo ſit, procreet.

Quod in magnis Vulneribus ac Vlceribus competat ſanguinis miſſio, pluries dixit Hipp. & præcipue lib. proprio de Vlceribus his verbis. Recenti cuius Vlceri, niſi fuerit in Ventre, pro valetudine eſt ſanguis amplius minuſue è plaga ſtatim fluens, nam & ipſum Vulnus, & quæ iuxta ſunt minus Inflammatione præmuntur. Prodeſt etiam diuturnis vlceribus id agere, vt ſanguis crebro tàm ab ipſis, quàm à partibus adiacentibus vtrumque oportunum videbitur, atque adeo ſi vlcus fuerit in crure, vel in digito pedis, aut manus magis, quam ſi in alia parte corporis, exhauſtum enim ſanguinis eruptione, ſiccius redditur, ac minus, neque madere vllo pacto ſinitur. Adde quod à putri atque alienato ſanguine omnia proficiſciuntur.

In Phrenitide ſimiliter, in Lethargo, & apoplexia citra plenitudinem ſanguineis miſſio competit, ex Paulo, & alijs Gal. poſterioribus habemus. In Phrenitide Reuulſionis cauſa conuenit, ſic in Lethargo, & Apoplexia, & commouendo, & excitando ſopore oppreſſos. Competit item, vt diximus, in Epilepſia, & Vertigine, in calidis, & acribus fluxionibus, & tandem in omnibus illis magnis morbis præſentibus, vel imminentibus, in quibus adeſt virium robur, & Euacuatione, vel Reuulſione, vel Derriuatione, vel Alteratione, vel Excitatione, vel Attractione eſt opus, vt in Menſium vel Hæmorrhoidum retentione, vt *Gal. lib. de Sang. Miſſ. cap. 9. inquit*. Si quis vero petat, vtrum magis conueniat Venæ ſectio præſenti morbo, quam imminenti,

Reſpondendum, quod præſente, & genito iam Morbo, maior Venæ ſecandæ neceſſitas adeſt, qua quum nondum inualerit; Quum geniti morbi ſeuitia maiori nos neceſſitate cogat ac vrgeat, quam futuri metus, In morbo imminenti, & non aduch genito tutius ac vtilius eſt ſanguinem mittere, quam iam genito, quum vtilius ſit futurum proſpicere, & præcauere, quam genitum iam morbum propulſare, & facilius ſit, oſtem non admittere, quam admiſſum ejcere. Ex ſuperius dictis, ideſt, quod in ſanguine mittendo duo ſunt neceſſario requiſita, ideſt morbi magnitudo, & virium robur, duæ maximæ dubitationes oriuntur, Altera eſt, vtrum Aetas conueniens, ſiue florens ſit neceſſarium requiſitum in tali actione faciendæ, necnè, vt inquit *Hipp. 4. de Rat. Vict. in Acutis Textu 19. & Gal. lib. de curandi Rat. per Sang. Miſſ* & multis alijs in locis. Altera eſt, vtrum indiſtincte in omni graui morbo præſenti ac futuro à quauis cauſa orto, ſiue calida, ſiue frigida, vel adſit plenitudo, vel non, modo adſit magnitudo morbi, virium robur, & conueniens Aetas, ſit ſanguis mittendus. Tertio dubitare poſſumus, vtrum prægnantibus mulieribus, Venæ ſectio fieri debeat, vel ratione Curationis Affectuum præter Naturam, vel gratia præſeruationis ab aborſu, & ad hæc declaranda nos met ipſos accingamus,

Vtrum

Vtrum pueris ante 14. annum Venę sectio competat.

Pro parte negatiua. *Cap. 3.*

VO ad primam quæstionem, ex *C. Celso lib. 2. cap. 10.* patet, quod Venam secare pueris, & Senibus antiquum non est, cum Hippocrates & Gal. & alij Greci Autores, semper quando de venæ sectione verba faciunt, excipiunt pueros & Senes, & quod ita sit, patet ex *Hipp. 4. de Rat. Vict. in Acutis textu 19.* vbi inquit. Quod conditiones requisitæ in sanguine mittendo, sunt morbi magnitudo, Florens Aegrotantis Aetas, & virium robur, Quod quam maxime à Gal. in eius Com laudatur; Item *Gal. lib. de Sang. Miss cap 8. & 9. inquit.*

Mittendum esse sanguinem, cum virium adest robur, & morbus magnus, præter pueritiam, quoniam pueri ex se habent, vnde euacuentur, & eorum substantia, quippe, quæ humida est & calida, citissime exoluitur.

Lib. verò de Sectis iuxta finem inquit, Venæ sectio neque pueris, neque senibus competit, Item inquit *10. 11. & 13. Meth & 9. Meth. inquit*; Etiam si pueri in loco laborent, ante 14. annum non esse mittendum sanguinem. *Lib 2. de Comp. Med. S. L.* iuxta finem inquit. Neque vtendum Venæ sectione, si puer, aut Senex sit Aeger, aut virium imbecillitas adsit, *Lib. 4. Meth inquit*. Quippe sanguinis redundantia haud quaquam sanguine esse mittendum indicat, sed magnitudo morbi, vna cum virtute vegeta, exceptis tamen à sermone pueris, *lib. 14. Meth. cap 11. & 14. inquit*.

In Pueris non licere Venam secare eo, quod habitus eorum quotidie dissipatur; Vnde cum Vena secta sanguis effluat, vires magnam ruinam incurrunt. Idem etiam inquit *lib. de curandi Rat. per Sang. Miss cap. 13.*, & multis alijs in locis.

Aetius similiter *Serm. 3. cap. 11.* inquit, Pueris non competit sanguinis missio ante 14. annum, nec senibus, nisi in senibus vires robustæ, sint, & in his etiam septuagenarijs competit, sed in pauca quãtitate, Idem inquit cap. 8. eiusdem lib. & Serm. 5. cap. 71. & multis alijs in locis Greci ergo Autores ante 14. annum, Puros Venæ sectionem ferre non posse, existimarunt, ob eorum corporum substantiam maxime resolubilem, cum duas euacuationes simul ferre non possunt, idest vnam à Natura factam, & alteram ab Arte. Non quod pueri per se, non habeant virium robur ad sanguinis missionem tollerandam, sed ex accidenti, ob materiæ ineptitu linem ad tollerandum, & aptitudinem ad resolutionem, ex cuius materiæ resolutione, per accidens, & consequenter, virium etiam resolutio sequitur.

Quod non tollit puerorum vim per se esse robustam, vt diximus.

Pro parte affirmatiua, idest quod pueris ante 14. annum sanguinis missio competat, sic & Senibus.

ADuersarij validis rationibus, & auctoritatibus probare queunt, quod Aetas non sit conditio necessaria in Venæ sectione facienda, cum pueris, & Senibus Venæ sectio competat, & sic inquiunt.

Si Natura sepe in pueris sanguinem per Nares euacuat, & sine vitæ periculo, immo eo fluxu à morbis, & periculo eos liberat, & hoc fit, quando naturalis eorum ac quotidiana per cutem resolutio, ac euacuatio redundantem sanguinem euacuare non sufficit. Ergo cum Medicus sit Naturæ imitator, nisi per Nares à Natura sanguis euacuetur, quod deest, tuto arte, & sanguinis missione suppleri debet.

Item velox morbus veloci remedio est curandus sicuti est sanguinis missio, Et si in his expectemus, quod corpus percutim euacuetur, cum hæc euacuatio paulatim fiat, cum morbi velocitati non sit conueniens, vt plurimum accidit, vt puer intereat, quam corpus ita euacuetur.

Quo ad Autoritates inquiunt *Gal lib. de Sang. Miss. dixisse*; pueris minus sanguinis detrahendum; Si ergo Gal. consulit, vt minus sanguinis detrahatur: Ergo in pueris hoc auxilium non negauit, Deinde dixit; Senibus robustis magno morbo laborantibus competit Venæ sectio in pauca quantitate, & inquiunt, quod Gal. copiosam dumtaxat sanguinis missionem Pueris denegarit, sed non omnino prohibuit.

fit. Inquiunt tandem quod, & sic Gal. & eius antecessores venę sectionem ante 14. annum in pueris negarunt, tameo post Gal. aliqui grauissimi Autores existimarunt, pueros ante 14. annum sanguinis missione absque calidi natiui, & virium resolutione curari posse, inter quos fuit *Paulus Aeg. qui lib.* 6. *cap.* 40. *inquit*. Porrò in ætatibus, vsque ad 14. annum, sanguis mitti non debet, sicuti etiam post sexagesimum, nisi necessitas quædam ineuitabilis huc nos compellat. Ergo in tali ætate puerili, & senili non omnino hic Autor venæ sectionem prohibuit.

Rasis item lib. 20. continentis, licet sepe affirmarit ante annum 12. non esse mittendum sanguinem, tandem rem altius considerans, inquit. Si est virtuosus, & morbus exigit, extractio sanguinis fiat: vnde secundum virtutem sequendum est in ea, non secundum ætatem. Et lib. 7. cap. 21. idem inquit. Pueri vero, & infirmi minuendi non sunt, nisi maxima incumbente necessitate.

Auic. Fen 41. *cap.* 20. *inquit*. Et in ætate, quæ est minor 14. annis, quanto plus poteris cauere debes à minutione, & in ætate senum, quanto magis poteris, nisi in figura confisus fueris, & in soliditate musculorum, & venarum amplitudine, & earum repletione, & colorum rubedine, hos namque ex adolescentibus, & senibus phleborotomate audebis adolescentes tamen secundum ordinem phleborotomandi, paulatim prouchere debes, cum pauca minutione.

Auerroes 7. *Colliget cap.* 3. narrat, Auenzoar puero suo trimo per venæ sectionem sanguinem misisse, & eum à morte liberasse, & inferius inquit; Quidam homines tolerant phlebotomiam vsque ad octuaginta annos exercendam, si morbus vrget, cum timore tamen, sed in pauca quantitate.

C. Celsus similiter lib. 2. *cap.* 10. *inquit*. In puero firmo, & bene robusto licere sanguinem mittere.

Et ex his concludunt in pueris, & senibus venæ sectionem competere, & ætatem non esse ex necessario requisitis in venæ sectione facienda, & duo tantum scopi super sunt sanguinem mittendi, idest robur virtutis, & morbi magnitudo.

Superiorum dictarum autoritatum, Rationum solutiones.

AD superius adductas Autoritates dicendum, quod ex necessario requisitis in venæ sectione facienda est etiam ætas, & ad *Gal. autorita lib. de Sang. Miss. dicendum*. Hunc Autorem vbique ante 14. annum, ac etiam in minima quantitate pueris venæ sectionem prohibuisse, & post 14. annum hic Autor pueros nominauit, vt ex cap. 12. eiusdem patet, dicens. Hac ratione, nec pueris venam tundes vsque ad 14. ætatis annum, post quem, si multus sanguis appareat, tempusque anni vernum fuerit, & regio natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues, multoque magis, si aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisque morbi periculum incumbat. Ex quo patet *Gal. etiam post annum* 14. *pueros nominare, & lib.* 13. *Meth. cap.* 11. *etiam post annum* 14. *pueros appellat dicens*. Verum cum pubertatem attigerint tam pueri missionem sanguinis tollerant, si puer sit sanguineus, si robustus, & si corpus densum habeat. Patet ergo ex dictis Gal. vbique pueris ante 14. annum sanguinis missionem interdixisse.

Ad alias Autoritates dicendum, quod, & si aliqui Autores dixerunt, in pueris, ac senibus venæ sectionem competere, hoc omnes fieri debere dixerunt, si pueri fuerint carnosi, rubicundi, firmi, ac robusti, & raro, & nisi in pauca quantitate, & maxima necessitate coacti, quæ necessitas non habet legem.

Et si Auerroes dixit, Auenzoar proprio filio trimo venam secasse, hoc exemplum tanquam rarum affert, & non quod ita fieri debeat. Cum ergo venæ sectio, in pueris sit maxime periculosa, & vbiq; *Gal. & ante eum Hipp dixit*. Ideo eius vice, vbi necessitas vrgeat, crurium, vel brachiorum scarificationibus, vel hyrudinum applicationibus, quando dictæ conditiones aderunt, vti tutius possumus. In senibus item septuagenarijs, iuxta corporis habitum, & affectus magnitudinem secanda est vena, vt inquit *Gal. lib. de curandi Rat. per Sang. Miss. cap.* 12. modo sint robusti, & multi sanguinis, sed quan-

titas

tiras minor esse debet, ætatis ratione, etiam si eadem adsint conditiones, quæ in florente ætate. Si verò sint macilentes pauci sanguinis, & imbecilles, nullo pacto Vena secanda, cum non annorum numero vt quidam faciunt, sed secundum corporis habitum iudicandi sint, cum aliqui sexagenarij Venæ sectionem non ferant, alij etiam septuagenarij optime ferant. Ex dictis ergo patet, quod in Venæ sectione faciendæ, requiritur morbi magnitudo, virium robur, & conueniens ætas maxime animaduerta, & est ex necessario requisitis.

Ad rationes dicendum, quod ex particulari euentu non licet vniuersalem propositionem conficere. Sed nec in his in quibus id fieri contingit, valet argumentum, cum in morbi initio, quo tempore sanguis mitti debet, futuram, in statu crisim, per sanguinis fluorem, præcognoscere sit impossibile.

Ad aliam Rationem dicendum, quod in pueris, & si aliquando veloces, & acuti morbi gignantur, alijs præsidijs velocitèr illis succurrere possumus, præter Venæ sectionem, & in ijs non solum humorum peccantium euacuatio per cutim fit, sed per vomitum, per secessum, per vrinam, & alias naturales vias.

Vtrum indistincte in omni graui morbo præsenti ac futuro, ex quauis causa orto siue sit calida siue frigida, vel adsit plenitudo. vel non modo adsit magnitudo Morbi, Virium Robur, & ætas consistens, sit mittendus sanguis. *Cap.* 4.

Pro parte affirmatiua.

HOc affirmantes suam opinionem Autoritatibus, & rationibus conprobare querunt, & quo ad Autoritates adducunt *Hipp 4 de Rat. vict. in Acutis Textu 19. vbi inquit.* In acutis morbis sanguinem detrahes, si adsit magnitudo morbi, florens ægrotantis ætas, & Virium robur. Gal. in Com. inquit; Et si Hipp. de solis acutis morbis meminerit, hoc etiam intelligendum de morbis longis, modo ad sint tres memorati scopi. Idem etiam dixit *Gal. lib. de Curandi Rat. per Sang. Miss & 4. Meth. cap. 6. dixit.* Quod si valens sit morbus cum virium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat; Idem etiam dixit *13. Met cap. 21 & in Com. 2. de Fracturis 31 & pluribus alijs in locis, et 11 Meth. 14. inquit.* In omni febre putrida, competit sanguinis missio.

Rationes sunt hæ, quod eisdem causis sanguis mittitur, ob quas tenuis victus instituitur in morbis, scilicet, vt minuatur multitudo, atq; natura minus oppressa multitudine, potentior reddatur supra humorum residuum, vtq; inedia exhaurit corpus, sic etiam sanguinis missio corpus exhaurit.

Rationes, & autoritates in contrarium.

PRimo quid non debemus, semper morbi magnitudinem expectare: *Hipp. lib. 6. Aph. 47 inquit.* Quibus venæ sectio aut purgatio prodest, ijs aut veno sectio, aut purgatio vere imperat. *Gal. in illo Com. inquit.* Hos etiam oportet, vt anticipemus euacuare vere aduenient, vel per venæ sectionem, si pletoricis morbis corripiantur, vel per purgationem, si morbis sint ab humorum corruptione pendentibus, obnoxij, & inferius inquit, venæ sectio commune auxilium est eorum, quæ ex plenitudine fiunt, dispositionum, purgatio vero quidem, si generatim sumitur, vnum est quoddam contra morbos remedium, non tamen, si speciatim accipiatur. Nonnullis enim conuenit purgatio pituitę, alijs bilis, alijs succi melancholici, & alijs serosi excrementi, pro morbi natura, quibus tentari consueuerunt. Hoc idem inquit *Gal. lib. de Sang. Miss.* cum loquitur de ijs qui sunt obnoxij scoromiæ podagræ arthritidi, & alijs consimilibus morbis, qui ineunte vere munire, vel purgationem, vel phlebotomiam expostulant.

Ex his ergo patet, quod Hipp. & Gal. noluerunt indistincte in omni graui morbo expectato mittendū esse sanguinē, sed habendā esse distinctionē, an sāguis peccet qualitate, vel quātitate, & sic alij humores cū sāg.

Secundo *Gal. in lib. de Sang. Miss.* determinat, quod non semper morbi magnitudo indistincte expossit sanguinis missionem, sed habendam esse distinctionem, si vires, & ætas consistant, & inquit eadem ratione in ijs, in quibus pars quædam icta est, aut vt cumque aliter habet incipientem phlegmonem, etiam si magnam fore

ſuſpicamur, curationem ab inanitione auſpicamur, aut purgatorio Med. exhibito aut Vena inciſa, pro vt nimirum alterum altero magis conuenire videbitur.

Tertio inſuper 1. de Arte Curatiua ad Glauc. cap. 14. vbi agit de curatione Febrium cum Symptomatibus, quæ, aplurimum ſunt graues, inquit. Quod ſi fueris febris cum alui profluuio, alia non eſt opus euacuatione, verum hæc ſola ſufficit, etiam quod non ſit prò multitudinis ratione. *Hipp. etiam 4. de Rat. Vict. in Acutis. 118. inquit.* Si cuipiam ſanguinem auferre conſert, ventrem confirmate oportet, & Gal. in principio Com. inquit fluente aluo ſanguinem non detrahes, & tamen multi ex Alui fluoribus ſunt morbi graues.

Quarto *Gal 4. de Rat. Vict. in acutis 111. determinat.* Quod in morbis frigidis etiam magnis tutum non eſt ſanguinem mittere, cum loquitur de Hydrope, niſi tales morbi pendeant ex retentione alicuius ſolitę euacuationis, vt menſium, vel Hæmorrhoidũ, & cauſa eſt, quoniã corpus ex miſſione ſanguinis magis refrigeratur.

Quinto nec in omni graui morbo à cauſa calida conuenit Venæ ſectio vt à Bile ſubrubi, præſertim turgente, quæ à principio debet euacuari, nulla expectata præparatione, vt *Hipp & Gal. 1. Aph. 22.* Quoniam tunc fruſtra fieret ſanguinis miſſio, per quam boni, & mali ſucci educuntur, cum poſſit materia peccans commode Pharmaco educi.

Sexto *Gal in fine Com. 1. Aph. 23. inquit.* In maximis doloribus nullum maius inueni auxilium, quam vſq; ad animi defectũ euacuare, habibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare vſque ad animi deliquium oporteat; ſed maximi dolores, ſunt morbi grauiſſimi, & ideo adhibet extrema præſidia, ergo non ſemper in magno morbo etiam à cauſa calida mittendus eſt ſanguis, ſed aliquando purgatio ſufficit.

Gal. 4 Meth cap 6 etiam inquit. Cũ magnitudo morbi ſicut indicat de miſſione ſanguinis, ita etiam de purgatione.

Septimo conſiderandum. Quod vera, & propria vniuſcuiuſque morbi curatio eſt illius cauſam abſcindere, ſed multi ſunt graues morbi pendentes ab aliis cauſis quã à ſanguine. Ergo ratione eſt cõtentaneum, quod iis medeamur aliis auxiliis, quam Phlebotomia, cum per eam non educatur humor peccans, vt ſuppono, nec cauſa morbi tollitur, & notabilis fit noxa, laudabilem educendo humorem, deficiendo vires ſine vtilitate, teſte *Gal. in Com. 3 lib. 6. de morbis vul 43. & 44. vbi inquit.*

Quod vbi ſanguis eſt notabiliter mutatus, & in aliam conuerſus, nullo pacto debemus ſanguinem mittere, cum tunc bonus humor educatur, & malus remaneat, *Cum dicat Hipp 1. Aph 2. Si vaſorum inanitio talis fiat qualis eſſe debet, confert & bene tollerant, & 4 Aph. 2. inquit.* In Medicationibus talia è contrario educere, quæ ſponte prodeuntia vtilia, contraria cohibere oportet. Ex quibus locis colligitur Med cum debere imitare Naturam recte operantem, & Gal. in Com. dictorum Aph. dat exemplum de ſanguinis miſſione, ne credamus, quod illæ ſententiæ intelligi debeant, de aliorum humorum euacuatione.

Gal. in Com 2. Aph 8. inquit. Quum iuxta proportionem omnes humores inter ſe inaucti ſunt, ſanguinis delectione auxilium aduerſe ſtudet. Quum verò ex ipſius vnus aliquis exuperat, ipſi purgando conueniens Med. exhibet; Item verò Hipp. non ſolum in his, ſed etiam in multis aliis locis inquit.

Gal item in lib de Arte Curatiua ad Glauc. quando agit de cura Eresypelatis inquit, Quod non neceſſario in his ſanguis mittitur, ſed ventrem per ſuperiora purgare ſufficit Med. quod ſi iuuat Bilem educat, & ſi exigua ſit affectio, neq; hoc neceſſarium erit; *Et 2. de Rat Vict. in Acut. 10 & 11. inquit* Quod non in omni laterali morbo ſanguinem mittere debemus, ſed tantum quando ad ſuperiora tendit dolor; Si verò ad inferiora, pharmaco corpus euacuandum.

Concludere ergo ex dictis poſſumus, quod non in omni graui morbo, etiam ſi vires, & conueniens Aetas adſint, eſt ſanguis mittendus.

Autoritatum ac rationum Aduerſariorum Solutiones.

AD contradicentium adductas Autoritates, pro earum ſolutione, Ad primam dicendum, quod dubio verſatur, vtrum

vtrum illæ quartus *lib. de Rat Vict. in acutis sit Hipp. vt Gal.* In prefatio illius libri quæ. Vel dicere possumus Gal. idem tenuisse in Com. illo, quod alijs in locis; ideſt quod in nullis morbis siue acutis, siue longis liceat sanguinem mittere, nisi adsint tres prædicti scopi. Et non vult, quod de necessitate in omni graui morbo sit mittendus sanguis, nisi morbus exposcat.

Ad alias Autoritates dicendum, quod Gal. intelligere vult, quod cum speramus sanguinis missionem in aliquo fore vtilem & consultamus, an fieri debeat, sat est ad dicta tria respicere, quæ sunt tria necessario requisita, & non ad alia, quæ indicant quantitatem; Neque pletora respicienda, cum vbique hæc, sit aliquando necessaria, vt in recenter vulneratis, ac multis alijs, vt superius diximus.

Ad rationes dicendum. Quod diuersa ratione instituitur tenuis victus, quam sanguinis missio, & quod diuerso modo corpus exhaurunt, quoniam Inedia pede tentim, permittendo Naturam circa malos succos morbum causantes operari, ideſt in quantum non distrahit Naturam ab humorem concoctione, est corpus æqualiter a malis succis exhauritur. Sanguinis vero missio subito cum malis bonos educit, & corpus æqualiter exhaurit.

Quod prægnantibus mulieribus sanguinis missio competat.

Cap. 5.

Elsus lib 2. cap. 10. inquit, Grauidis mulieribus hoc præsidij genus experiri, vetus non est, cum antiqui excogitarint, ac sibi persuaserint mulierem grauidam, cui sanguis missus esset, Abortum esse facturam, deinde inquit, Quod vsus ostendit, quod hoc non est perpetuum, & si grauida mulier vires robustas habeat, tuto mittitur, sed considerandum, quod in prægnante muliere, post curationem quoque viribus est opus, non tamen ad se, sed etiam ad fetum, & partum sustinendum, Cum non quicquid, aut intentionem Animi, aut prudentiam exigit, protinus faciendum sit, cum in hoc præcipue ars consistat, quæ non conceptionem solum videat, sed vires æstimet, & ex eo colligat, possit nec ne superesse, vt in vna muliere duo corpora simul sustineat, hæc Celsus.

Ex C. Celsi ergo mente, grauidis mulieribus, consistentibus viribus, pro matre ac fetu sustinendo, & maxima vrgente necessitate, vt in Angina, Pleuritide, Peripuemonia, & his similibus, venæ sectio in prægnantibus, quamuis sit periculosa fieri potest, sed in pauca quantitate. Sed tutius secatur à quarto vsque ad septimum, quo tempore purgationes conceduntur. Alijs temporibus, si necessitas vrget, ex Hipp. mente 5. Aph. 30. tutius sanguinis missio primis mensibus fieri potest, quam vltimis, & ratio est, quoniam fetus, cum sit minor, pauciori etiam alimento eget, contra quando est maior; Et in vltimis mensibus non solum ex sanguinis missione, & alimenti defectu fetus imbecillior redditur, sed etiam, & mater, ex quibus partus maxime difficilis redditur, & quam sepissime vtrorumque interitus sequitur. Auerroes item 7. Colliget cap. 4. venæ sectionem in prægnantibus mulieribus aliquando admisit, dicens. Ego autem dico, quod Phlebotomia, quando adest repletio, qua Embrio non indiget, non est mala, sed Pharmaciam non credo ad bonum prouenire finem.

Hoc etiam ex ipso met Hipp. probatur qui 4. lib. Epid. dixit, Archelai vxor sexta die abortum fecit sanguinea cum esset, & horrida, & sudores. Cum ergo hæc mulier acuta febre laboraret, & vtero gereret, & sanguinea esset quia sanguis non fuit missus, ex febris malignitate, ideo abortum fecit. Ex quo potest colligi mulieri vtero gerenti primo pro morbi curatione, & per accidens, ac consequenter pro Aborsus præseruatione sanguinem secta vena auferri posse. Actuarius item 3. sui Meth. cap. 8 inquit. Sola vrgente necessitate in grauidis mulieribus venæ sectionem admittendam, & si sciret ex Hipp. sententia venæ sectionem aborsus prorritare posse; tamen vbi periculum mortis matris, & simul fetus euidens est, vt in acutis Morbis huic primum prospiciendum. Cum maius periculum totis viribus sit euitandum, & ei quod magis vrget sit occurrendum, altero non neglecto, Et cum dixerit, Gal. 9. Meth. cap. 7. Quibus enim alia salutis ratio nõ est, & quæ vnica videtur, ea dubia est, necessariũ esse aduersus periculis ire

Ad

Ad Hipp. dicendum, quod non negauit ſemper in grauidis ſanguinis miſſionem; cum non dixerit, Nunquam eſſe mittendum ſanguinem, ſed dixit cum fœtus eſt maior, magis abſtinendum; Ergo minus à ſanguinis miſſione, cum fœtus minor eſt abſtinendum & in maximis neceſſitatibus, vt ſuperius diximus, venæ ſectio facienda, ſed in pauca quantitate ſanguis mittendus, vt morbo ſuccurratur, & ſanguinis quantitas pro alendo fœtu relinquatur.

Concludendum ergo, quod in grauidis mulieribus aliquando venæ ſectio fieri poteſt, ideſt in maximis neceſſitatibus vbi vires ſunt validæ, & in pauca quantitate, & prius renes ſunt corroborandi Vng. comitiſſæ vel alio ſimili.

Vtrum ſanguinis miſſio pro Aborſus præſeruatione competat.

Cap. 6.

Pro parte negatiua.

Oreſt ex Auerrois, & aliorum Autorum dictis dubitari; Vtrum pro aborſus præſeruatione, ſanguinis miſſio competat, & pro parte negatiua, dici poteſt, nullius cauſæ ratione venæ ſectionem pro aborſus præſeruatione conuenire, nec in primo tempore, nec in medio nec in vltimo, fluente ſanguine, vel non fluente ex vteri venis, vel in pauca copia, vel in magna, & rationes ſunt infraſcriptæ.

Omne quod per ſe aborſum cauſat ac efficit, non poteſt ab eo præſeruare. Sed ſanguinis miſſio eſt per ſe cauſa aborſum faciens; ergo non poteſt ab eo præſeruare maior patet ex Hipp. 5. lib. Aph. 30. dicente Mulier in vtero ferens ſecta vena abortit, eoque magis ſi fœtus ſit grandior.

Secundo arguitur, ex quacumque cauſa per ſe deſtruitur fœtus ex eadem nullo pacto poteſt conſeruari; Sed alimenti defectu per ſe fœtus deſtruitur, Ergo ex eo non poteſt conſeruari, Maior patet, Minor eſt *Gal. in Com. citati Aph.* & ſic argui poteſt.

Si de quo minus videtur non ineſſe, & ineſt, Ergo, & de quo magis; Sed minor noxa videtur, quod fœtui inferatur ex inedia, & tamen ea cauſa aborſus eſſe poteſt, vt patet ex *Com. Gal* 30. *&* 37. *lib.* 5. *Aph.*

Ergo magis ſequitur ex ſanguinis miſſione, cum maior noxa ex ea fœtui inferatur maior eſt clara apud omnes Logicos, & minorem iam ex Gal. autoritatibus probauimus. Quarto arguitur.

Si ex Alui profluuio, vt *Gal. Com.* 35. *lib* 5. *Aph.* inquit, ratione euacuationis aborſus ſequitur, quæ vacuatio eſt aliorum humorum à ſanguine, Quanto magis per euacuationem ex ſanguinis miſſione fit aborſus, quæ ſanguinem, ex quo fœtus alitur euacuat, & per conſequens magis ei alimentum ſubtrahitur.

Gal. item in Com. 55. *lib.* 5. *Aph.* inquit; Nullum magnum auxilium in his, quæ vtero gerunt mulieribus eſſe exercendum, Sanguinis verò miſſio ſecta vena, eſt inter maxima præſidia, vt *Gal.* 4. *Meth.* 6. inquit, Ergo nullo pacto in vtero gerentibus venæ ſectio facienda, præſertim aborſus præſeruationis gratia, ſed tantum cauſa curationis, vrgente neceſſitate, in pauca copia, & validis viribus exiſtentibus.

Quod venæ ſectio primis menſibus non competat.

INquit *Hipp. lib.* 5. *Aph* 45. Quæcumque corpora mediocria abſque occaſione manifeſta primis menſibus abortiunt, eius cauſa eſt plenitudo mucoris in vteri acetabulis, Sed ſanguinis miſſio non poteſt vllo pacto talem cauſam auferre ac prohibere, immo potius auget, Ergo primis menſibus ea non eſt facienda.

Si quis verò diceret, quod per venæ ſectionem primis menſibus poſſunt curari illi affectus, qui aborſum facere poſſunt, & ita aborſus prohibetur.

Reſpondendum, quod tunc ſanguinis miſſio fit, non ratione aborſus præſeruationis, ſed pro dicti affectus præter naturam curatione, de quo nunc nos non loquimur, Cum ex *Hipp. ſententia* 30. *lib.* 5. *Aph.* ex venæ ſectione ſemper fœtui noxa inferatur, Niſi vero alijs auxilijs tales præter naturam affectus curari queant, licet ex venæ ſectione fœtui noxa inferatur, tamen quia alia ſalutis ratio non eſt quam ea, & ſi fuerit cum periculo eſt tentanda, vt ex ſuperius citatis autoritatibus patet, & ex *Gal.* 1. *de Sympt. Cauſis cap.* 7. ſed prius ſunt Renes corroborandi Vng. Comitiſſæ vel ſimili, vt etiam *x. Meth. cap. x.* inquit, tamen quantitas debet eſſe minor, Et ſi aborſus non ſequatur, erit potius ratione quantitatis, quam qualitatis, cum ſui ratione ſemper habeat aborſum facere,

Humo-

Humoribus item crudis, seu vitiosis in ventriculo contentis, nullo pacto facienda sanguinis missio, vt inquit *Gal. lib de curandi Rat per Sang Miss & 9. Meth.* Sed vtero gerentibus semper, vel vt plurimum, tales humores in Ventriculo continentur, vt inquit *Gal 4 de causis Sympt. cap.* 7. Ergo eis non facienda sanguinis missio, cum tales humores ex venæ sectione intra vasa trahantur, & sic non solum aborsus causa esse possunt, sed etiam maximum nocumentum, & fortasse mortem prægnanti inferre queunt.

Ex venę item sectione dictorum humorum in Ventriculo contentorum maxima sequitur agitatio ac commotio, ex qua postea animi deliquium, syncope, & aliquando mors sequi solet, ergo nullo pacto facienda.

Ex humorum similiter commotione appetitus ablatio, ac depravatio fieri potest, ad quam sequens inedia, alimentum fœtui subtrahens, aborsus causa esse potest.

Quod non competat medijs, & vltimis mensibus.

EO tempore, quo fœtus multo, ac maiori alimento indiget, nullo pacto ei subtrahi debet, sed medijs, & vltimis mensibus, cum fœtus sit maior, multo ac mainri indiget alimento, ergo eo tempore, pro eius conseruatione, nullo pacto erit sanguinis missio facienda.

Tandem dicendum, si sanguinis missio ab aborsu præseruare posset, tot ac tanti Medicæ artis Autores, qui ante nos fuere, litteris mandassent, præsertim Græci, qui in sanguine mittendo audaciſſimi fuere, verum ab omnibus interdicitur, ergo nullo pacto competit, & ab ea abstinendum.

Pro parte affirmatiua.

SAnguinis missionem non solum ratione alicuius morbi curationis, qui aborsus causa esse potest, competere; Sed indicatione etiam sumpta ab ea aborsus causa, quæ licet non dum aborsum efficiat, tamen in futurum facere potest, & ideo ratione euacuationis, & reuulsionis conuenire.

Vt recte hoc declaremus ac probemus. Primum aborsus causæ inuestigandæ. Secundo ex pletora aborsum fieri posse est probandum. Tertio pletoricas mulieres concipere posse. Quarto venæ sectionem tutius esse præsidium purgatione. Quinto pletoricis prægnantibus mulieribus, ratione euacuationis, & fœtus præseruationis sanguinis missionem competere. Sexto vtero gerentibus etiam reuulsionis gratia, vt aborsus præseruetur, venę sectionem conuenire. Septimo docendum quomodo, & quando ad sanguinis missionem in prægnantibus mulieribus sit deueniendum, & postremo aduersariorum rationes per soluemus.

Quæ sint aborsus causæ.

CAusæ aborsus, vel sunt externæ, vel internæ, externæ causæ sunt, grauioris oneris gestationes, saltatio iugens vociferatio, & clamor ingens labor, vel superflua, & violenta exercitatio, quæ præcipuè lumbos fatiget, durior æquitatio, vel vectio, casus violenter, concutiens, & huiusmodi cætera, quæ acetabula in vtero existentia laxare, & abrumpere possunt.

Ventris item percussio, & ingens constrictio, magna cibi repletio, potus, vel eius alicuius rei acris, vel asperi, vel amari, præter consuetudinem, aborsus causa esse possunt, ingens item, & diuturna inedia, & magnum cibi fastidium, vt inquit *Gal. com. 30. lib. 5. aph.* & copiosus, & immoderatus alui fluxus, vt *Hipp. aph. 34 lib. 5.* & eorum eius, & potos, quæ aluum commouent, Med. item purgantia, præcipue primis, & vltimis mensibus exhibita aborsum faciunt, vt elicitur ex *Hipp. & Gal. 4. lib. aph. 1. & 5. lib. aph. 29.* Sanguinis item immoderatus fluxus, & præcipuè per vterum factus, & cætera huiusmodi, quæ alimentum fœtui subtrahunt, aborsus sunt causa, vt elicitur ex *Hipp. lib. 5. aph. 30.* Ingens item timor, & magna ac diuturna tristitia, & magna animi perturbatio, spiritus dissoluendo, ac diffiando, aborsus sunt causa. Syncope vero ob vitalium spiritum, & caloris insiti, & influentis destitutionem ac defectum, fœtum enecando, abortum faciunt.

Internæ

laternæ cauſæ plurimæ eſſe poſſunt, & *Hipp. 1. lib. de Morbis Mulieb. inquit.* Aborſum fieri, quando vtero gerenti caput fuerit pituitoſum, taliſque pituita in ventriculum deſcendit, cum ſit neceſſarium ad id nonnullos affectus præter naturam conſequi, & conſequenter aborſum; Acuti item morbi abortus ſunt cauſa, vt inquit *Hipp. Aph. 31. lib. 5.* Sic vteri Ereſypelas, vt idem inquit Aph. 43. eiuſdem lib. vel magnus vteri phlegmon, prauа item vlcera in tali parte orta aborſus cauſa eſſe poſſunt, ſic talis partis nimia humiditas, aut duricies, vel ficcitas, hyſtericus item affectus, vel vteri acetabula multa humiditate, & lentore referta, vt *Hipp. Aph. 45. lib. 5. dixit*, prægnantiſque item nimia gracilitas, ſiuè tenuuitas, vt idem inquit Autor Aph. 44. lib. 5. Poteſt item aborſus fieri, aut ob nimiam fœtus molem, cum amplius vterus diſtendi nequeat, vel ob pondus, quod ſit ſupra eius vires, quod continet, vel ob morſus, qui accidunt ob humores, qui prius in membranis continebantur, & ruptis, in ipſum vterum ſunt effuſi, vel ob fœtus corruptionem, & in noxiam conuerſum quæ vteri tunicas mordet, ac ad expulſionem irritat, vt elicitur ex *Hipp. lib. de Morb. Mulierum*; Ingens item Cachochimia, quacumque de cauſa fuerit genita, aborſus cauſa eſſe poteſt, cum ex hac vitioſus ſanguis reddatur, vt acrior, calidior, tenuuior, aut qualibet alia mala qualitate præditus, & tandem ad fœtum nutriendum inæptus; Et ſicuti Cachochimia hoc poteſt facere; Sic ingens pletora, vel ſit quo ad vires, vel quo ad vaſa ad vterum affatim irruens fœtum ſuffocare poteſt, & ex hac cauſa aborſum fieri poſſe omnes fere Autores conſentiunt, præter quam pauci receptiores quidam, quorũ rationes iam ſupra enariauimus, & Deo dante, inferius ſoluemus, & non ſolum hac de cauſa pletora aborſus cauſa eſſe poteſt: Sed ob vaſorum abruptiones, putredines, fluxiones, & horum occaſione febres, alij que magni morbi gigni poſſunt, qui matris, & fœtus mortis cauſa eſſe poſſunt.

Ex Pletora aborſum fieri poſſe, & pletoricas mulieres concipere.

QVOD vero ex pletora poſſit fieri aborſus, probatur. Quoniam ſicuti ſanguinis inopia, vt in gracilibus, teſte *Hipp. Aph. 44. lib. 5.* ob alimenti defectum aborſus fit, ſic ob nimiam ſanguinis copiam ad vterum confluentem ſuffocari poteſt; Abſurdum verò eſt dicere, vt aliqui inquiunt, mulieres non poſſe laborare pletora; Cum ſucci eodem pacto, & eiſdem de cauſis ginantur in mulieribus, ac eadem proportione in venis contineantur, ſicuti in viris, & in dies ſenſata fide plethoricæ mulieres adinueniuntur.

Et hoc etiam *Gal. autoritate confirmatur, qui lib. de Rat. curandi per Sang. Miſſ. inquit.* Mulieres ob menſium ſuppreſſionem pletoricum habitum acquirere, ſi pletora igitur mulieres laborare poſſunt, omnibus item illis periculis ſunt ob noxiæ, quæ à pletora fieri, & excitari poſſunt, vt ſunt putredines, inflammationes venarum ruptiones, natiui caloris ſuffocationes, variæ fluxiones, & cætera huiuſmodi.

Si vero dicant, & ſi mulier poſſit laborare pletora, tamen cum tali habitu non poſſe concipere, & hoc *Hipp autoritate comprobent lib. de Morbis Mulierem vbi inquit.* Cum purgatæ fuerint mulieres à menſibus, maxime tunc ventre concipiunt, cum viro conſuetudinem habentes, & genitum ipſis corroboratur, & alibi dixit, Mulier ſi vacuatur à ſanguine, in ventre concipit, ſi vero repleta eſt, non, alio in loco inquit. Concipere in ventre pluribus mulieribus neceſſarium eſt poſt menſtrua purgantia, vbi ab his exolutæ fuerint.

Deinde ſi inquiant dato, & non conceſſo, vt ex ſupraſcriptis autoritatibus patet, quod pletoricæ mulieres concipere poſſint, non ſequitur, quod neceſſario talis pletora, venæ ſectione tolli debeat, cum venæ ſectio aborſum faciat, vt ex Hipp. diximus. Cum pletora alijs tutioribus auxilijs in prægnantibus tolli poſſit, vt elicitur ex *Gal. 4 Meth. 6. & lib. de Venæ ſectione*, & alibi, vt cibi parſimonia, ſuperiorum partium exercitatione, ac frictione, & huiuſmodi exteris, cum balnea purgationes, inedia, & vehementes exercitationes, & ſi pletoram tollant, prægnantibus non competant. Ad primam dubitationem pluribus modis reſpondere poſſumus, imprimis dicendo

Hipp.

Hipp. citatas sententias interprætandas; Quod conceptus nullo pacto potest fieri in illis mulieribus, in quibus purgationes menstruæ cursum suum non tenent, & ob talem retentionem pletoricæ fuerunt factæ. Sed illæ pletoricæ mulieres in quibus menstruæ purgationes suum cursum tenent, concipere possunt, & concipiunt, & multum prolificæ sunt, vt in dies videmus, cum tales mulieres ad concipiendum Vterum bene dispositum, & prolificum semen habere possint.

Si ergo instrumenta habent bene disposita, quid potest impedimento esse, quin concipiant? Si verò inquiant, pletoricas mulieres semen prolificum habere non tamen vterum bene dispositum, quia plenitudo vias obstruendo menstruas purgationes impedit; Respondendum hoc non esse necessarium, cum experientia pateat, pletoricas aliquas mulieres copiosas habere purgationes, aliquas verò paucas, pro corporis conditione, & mulieres menstruas purgationes habentes, ex Hipp. sententia, concipere possunt. Dicendum item, quod sicuti mulieres prauo succo repletæ concipere possunt, sic pletoricæ, & sicuti ex succorum crassitie, & visciditate non semper fit obstructio, sic ex succorum copia; Sterilitatis ergo causa in multitudinem, aùt in cachochimiam necessario referri non debet, sed in prauam vteri dispositionem, cum tàm in cachochimo, quam pletorico habitu, quantum ad conceptionem spectat, possit bene, vel male esse dispositus.

Vel dicendum, mulierem ante conceptionem pletora non laborare, sed post, conceptionem ob mensium retentionem vel ob pleniorem, & meliorem victum pletoricum habitum acquisiuisse, & sic prima etiam dubitatio solui potest. Et illæ mulieres, quæ post conceptum ex mensium retentione pletoricæ fiunt, tali pletora minus periclitantur, quam illæ, quæ ante conceptum plenitudine laborabant, cum in his maior plenitudo ex duplicata causa fiat, idest ex pletora prius in toto existente corpore, & altera ex retentis mensibus genita, quæ sanguinis copia à paruulo fœtu absumi, & in suam commoditatem absorberi minime potest.

Ad secundam dubitationem respondendum; Licet vbi plenitudinis signa adfuerint, non sit statim ad Venæ sectionem deueniendum, vt Gal. inquit, tamen ex superiorum partium exercitatione, & leui motu in pletoricis prægnantibus mulieribus, neque particularem, neque vniuersalem plenitudinem emendari ac absumi posse, & validam exercitationem, quam Gal. plenitudinem sanare dixit, in prægnantibus etiam superiorum partium absque aborsus periculo non comperit, & tanto minus partium inferiorum, & leuis motus magis augere plenitudinem potest, quam diminuere, cum leui ex motu humores in venis, & corporis habitu contenti discuti non possint, sed potius nouos excalefactis partibus attrahant; Et si leui ex motu pletora non potest tolli, tanto minus à frictionibus; Et dato quod exercitatio, vel frictiones, vel cibi parsimonia, & inedia discutere plenitudinem possent, id nisi longo temporis interuallo facere valent, quo temporis interstitio ex pletora aliquod infigne damnum, & matri, & fœtui accidere potest; Tutius ergo erit Venæ sectione breui tempore pletoram tollere. Purgante item medicamento primis mensibus præcipue pletora non est tollenda, cum purgantia medicamenta in prægnantibus non competant, nisi à 4. vsque ad 7. & tantum turgente materia, vt inquit *Hipp. 4 Aph. 1. & 5. Aph. 29.* Et Venæ sectio, si cum purgatione conferatur, longe est tutius præsidium vt inferius probabimus, & purgatio tantum illam pletoram tollit ac corrigit, quæ impura, & prauorum humorum est, in qua etiam sanguinis missio conuenit. Sed pletora proprie dicta tantum Venæ sectione, & sanguinis euacuatione tollitur.

Venæ sectionem tutius esse præsidium purgatione.

QVod Venæ sectio tutius sit præsidium purgatione pluribus probatur rationibus; Primum, quia Medicamenta purgantia sua deleteria facultate, & tota substantia, fœtui sunt infesta ac inimica, quod non potest de sanguinis missione dici; Secundo purgantia Medicamenta, deorsum humores ducendo ac euacuando, possunt aborsum facere, sicuti aliud alui profluuium, vt inquit *Gal. Com.*

Com. 35. lib. 5. Aph. At ſanguinis miſſio a cubiti facta ſurſum humores attrahens, & humores ab vtero reuelliens ab hoc periculo tuetur, & ideo tutius eſt prandium. Exhibito item purgante Medicamento certo ſcire non poſſumus, an verò munere ſit perfuncturum, vel violenter, & plus quam decet, ſit purgaturum, & ſi hoc faciat, non eſt in Medici poteſtate ſitum eius violentiam remorare ac ſiſtere, vt in Venæ ſectione; Cum in pharmacis exhibendis negocium fortunæ committatur vt Gal. inquit; Et non ſolum quia ex pharmaco exhibito purgatio aliquando non ſequitur, in prægnantibus periculum adeſt, ſed quia corpus vehementer perturbatur, vel quod in aluum attractum eſt, non facile excernitur, vel cum dolore, & torminibus, refrigeratione, pulſus defectu euaneſcentia, & animi defectu excretio fit; Pharmaci item quantitas neq; ſcribi, neq; ad vnguem dici poteſt, vt Gal. inquit, & ideo artem coniecturalem reddit; Sed in Venæ ſectione menſuram facile deprehendere poſſumus, non ſolum ex colorir mutatione, & fluentis ſanguinis langueſcente vigore, ſed ex pulſus, & coloris faciei mutatione, & multis alijs à Gal. lib. de Venæ ſectione enarratis.

Au. item 7. Colliget cap. 4. inquit Phlebotomia, quando adeſt repletio qua Embrio non indiget, non eſt mala, ſed Pharmaciam non credo ad bonũ peruenire finem, immò neceſſario Embrionem ledit, eo quod id ſubſtantiam habet venenoſam, & fortaſse facit multos humores fluere ad Embrionem, vt ipſum ledant; Patet ergo, quod venæ ſectio purgatione eſt tutius præſidium; Si hoc ergo eſt verum, & ſemper optimum eſt tuto curare, vt inquit *Gal. 4. & 12. Meth. Et prægnantes quando materia turget, à 4. vſque ad 7. ex Hipp ſententia ſunt purgandæ. & Hipp & Gal. tempore vſitata purgantia Medicamenta erant maximè calida & vehementiſſime purgantia.* Ergo multo tutius ſanguis mitti poteſt, præcipuè per ſuperna, & per illas venas, quæ cum vtero minorem habent ſocietatem, vt eſt Brachij Cephalica dicta; Et hoc intelligendum, quando vires ſunt validæ, cum tam purgatio quam ſanguinis miſſio hoc exigant, *vt 4. Meth. & pluribus in locis Gal. inquit.*

Venæ ſectionem in pletoricis prægnantibus mulieribus ratione euacuationis conuenire.

PLetoricis prægnantibus mulieribus Venæ ſectionem, euacuationis ratione, conuenire, ſic probatur. Si pletoricis non prægnantibus mulieribus multa mala ac pericula, ob pletoram, inſtant, vt inquit *Hipp. 1. lib. Aph. 3. de Athletis.* Maiora inſtabunt pletoricis prægnantibus mulieribus, cum ex menſium retentione pletora magis augeatur, cum adaucta multitudine pericula adaugeri ſit neceſſe; Sed vbi ad ſummum plenitudinis redactæ ſint tales mulieres, cum ita permanere, ac conſiſtere nequeant, ne in deterius decidant. Ideo Venæ ſectione talis pletora ſtatim eſt ſoluenda, neque maximo patientis diſpendio procraſtinanda, vt in citato *Aph. Hipp. inquit*; Neque alia auxilia, quæ plenitudinem longo temporis interſtitio tollunt, ſunt idonea, cum in tali caſu, vt Hipp. inquit, cunctanter plenitudo ſit tollenda; Et nullo alio auxilio, quam Venæ ſectione citius ac tutius pletora tolli ac minui poteſt. Cum ſicuti magnis exiſtentibus morbis magna præſidia ſunt adhibenda; Sic magnis morbis imminentibus magnis arceri præſidijs debent, & ſi Cubiti Venæ ſectione, omnibus malis à pletora ortis ſubuenire poſſumus; Ergo tanto tutius imminentes prohibere ac præcauere valebimus, cum facilius ſit hoſtem non admittere, quam admiſſum ejcere, ad hoc ergo generoſum præſidium in tali caſu deueniendum.

Si item in ſanguine mittendo ſemper eſt ſpectanda morbi magnitudo, non ſolum præſens, ſed etiam futura, vt inquit *Hipp. 4. de Rat. Vict. in acutis text. 19. & Gal. 4. Meth. cap. 6. & lib. de Curandi Rat. per Sanguinis Miſſionem, & alijs in locis*; At prægnantes pletoricæ mulieres, ob pletoram, vel magnis morbis ſunt obſeſſæ, vel ſaltem, vt ſuperius probauimus magni morbi eis imminent, ergo hac de cauſa Venæ ſectio facienda.

Quod in prægnantibus magno morbo laborantibus Venæ ſectio competat, negandum

gandum non est, cum hoc clare inquiat *Gal. 1. de Sympt. causis cap 7. & 10. Meth. cap. 10.* & alibi, cum maxima tunc in sit mortis suspicio, tam matris, quam fœtus; Et si in prægnantibus magno morbo laborantibus venæ sectio competit, idem etiam præsidium conueniet, vt diximus, in prægnantibus, quibus magnum aliquod malum imminet, & matris, & fœtus simul mortis periculum instat, talique præsidio mater, & fœtus in vtero existens à communi periculo, & morte liberatur, & sic fœtus præseruabitur.

Si verò Aduersarij dicant; in dictis casibus sanguinis missionem non fieri ratione fœtus præseruationis, sed pro magni morbi præsentis, vel imminentis curatione, vel præcautione, & quod per accidens idest seruata matre, fœtus præseruatur; Deinde subiungant, impossibile esse à sanguinis copia, siue sit quo ad vires, siue quo ad vasa, fœtum in vtero suffocari, cum vt inquit *Hipp. lib. de Natura Infantium*. A fœtu, dum est in vtero, pro eius alimento, solum tantum sanguinis attrahi, quantum est opus pro eius alimento, ac augmento, quiete, & placide, pro vt in dies vires habet attrahendi robustiores, ac eo sanguine magis, ac magis indiget.

Ad primam dubitationem respondendum; Id morbum esse auxilium, quodcumque, & quomodolibet morbum propellere potest, siue id per se, vel per accidens faciat, vt inquit *Hipp. Aph. 21. lib 5. & Gal. in eius Com & alibi*. Dicendum etiam non per accidens fœtum præseruari, sed per se, & sic probatur.

Quod enim per se aborsus est causa, illud vbi aufertur, per se præseruationis est causa, at pletora, siue sanguinis multitudo est per se causa, aborsus, sicuti eius paucitas, & inopia. Ergo pletora aborsus per se est causa, maior est manifesta, minor sic probatur.

Si matris insitus calor à pletora suffocari potest. Ergo tanto magis insitus calor paruuli fœtus in vtero existentis ab eadem plenitudine suffocari poterit, & si robustior à plenitudine obducitur, cum imbecillior incolumis euadet? Et si ob sanguinis inopiam aborsus fit, cum ex ingenti copia idem fieri non poterit? Si verò respondeant Hipp. & Gal. sanguinis copiam inter aborsus causas non admisisse.

Respondendum, quod, & si tales aborsus causæ dicti Autores non meminerint, neque etiam negarunt, & quod dicti Autores non omnia, quæ ad Medicam artem pertinent, enarrarunt, & Medicinam non perfecerunt, sed aliquid etiam scribendi posteris reliquisse, & artes, & scientias omnes per additamentum perfectionem acquirere, & plenitudinem inter aborsus causas multi grauissimi Autores enumerarunt.

Ad secundam dubitationem respondendum, naturalem, vel præternaturalem attractionem non esse vnicam fluxionis causam, sed ex alijs etiam fieri causis vt inquit *Gal. 2. de Diff. Feb. cap. vltimo*, 13. *Meth cap. 3. & 2. ad Glauc. cap. 1.* & pluribus alijs in locis, vt membrum expellens, particula recipiens humoris fluentis conditio, & viæ per quas fit fluxio. Et si fœtus placide, & quietem tantum sanguinis attrahit, quantum pro eius alimento, & augumento sufficit tamen vbi in venis magna adest sanguinis copia, potest natura talem abundantiam per easdem vias, per quas fœtus alimentum sugit, exonerare, adiuuante præsertim fœtus attractione, & successione, & loci recipientis imbecillitate, ac declinitate, & consuetudine naturæ, ad sanguinem per easdem vias expellendum, & se à sanguinis copia per easdem venas exonerandam.

Periculi ergo causa non est attractio fœtus, sed naturæ expulsio, & exoneratio, & fluxio ipsa præter naturam, quæ fit ratione quantitatis, vel humoris qualitatis naturam grauantis, vel stimulantis, quorum principium potest esse ab ipsa fœtus attractione; Et hac via non modo fœtus potest suffocari, sed etiam extingui, sanguine putrido attracte, sicuti in febre synocho, quæ in pletorico habitu fit, & in qua sanguis per venas totius corporis discurrit, ac oberrat, & facile ad vterum, vt ad partem imbecilliorem, & ad sanguinem expurgandum consuetam detruditur.

Si Hipp. medijs prægnationis mensibus cachochimis mulieribus purgantia Medicamenta dari posse inquit, multo tutius sanguinis missio ijs prægnantibus mulieribus fieri potest, quæ aliquo plenitudinis morbo conflictantur, & si media gestatione licet, multo tutius in primis mensibus, cum tunc sanguis magis re-

dundet, & fœtus minori egeat alimento, & hoc tempore item ſuperuacui ſanguinis effuſionem natura ſponte, & vtiliter aliquando facit, vel per nares, vel per hæmorroides, vel per vterum, cum menſes ſtatutis temporibus aliquando ſalubriter fluant. Si hoc ergo à natura recte operante ſit, cur non licebit Medico, præmente neceſſitate, naturam in hoc imitari? Cum Medicus non ſolum ſit naturæ miniſter, ſed etiam imitator, præſertim quando recte agit.

Sepe item accidit prægnantes mulieres aliquo morbo ex pletora ortum ducente laborantes, hæmorragia à natura facta, vel per nares, vel per hæmorroides, & aliquando etiam ab vtero, abſque vllo fœtus detrimento, fuiſſe liberatas. Si hoc ergo eſt verum, ſicuti eſt veriſſimum; Ergo etiam Medico ad naturæ imitationem in morbis à pletora exiſtentibus, vel imminentibus, prægnantibus mulieribus ſanguinem mittere licebit.

Si item maiori honore, & exiſtimatione dignus, eſt Medicus ille, qui futurum morbum præuidet ac prænoſcit, & ſua opera, ſtudio ac diligentia eius euentum præcauet, quam, qui futurorum ignarus, ac negligens expectato morbo, præſentem curat, vt ex Hipp. 1. Prognoſticorum in principio elicitur. Cur non debet Medicus imminentia pericula, quæ ex pletora in prægnantibus eueniunt, præcauere? quæ, vt diximus ſunt venarum ruptiones, putredines, inflammationes, ſuffocationes, & fluxiones; His ergo omnibus rationibus pletoricis prægnantibus mulieribus ratione euacuationis venæ ſectio conuenit.

Vtero gerentibus etiam ratione Reuulsionis Venæ ſectionem conuenire, vt aborſus præſeruetur.

CVM hactenus probauerimus, ratione euacuationis, in prægnantibus mulieribus ob præſeruationem fœtus ab aborſu venæ ſectionem conuenire, ideſt, ob pletoram, eadem etiam de cauſa, vt idem auxilium, ratione reuulſionis, comperat modo eſt demonſtrandum, & ſic probatur.

Si ex pletora quo ad vires, quo maximo naturæ eſt oneri, non exiguum imminet periculum, quia ex vteri venis ſanguinis fluore prouocato, aborſus conſequatur. Cur prudentis Medici conſilium non erit, ante quam eueniat periculum præcauere, quod facillime, & optime venæ ſectio in brachio facta præſtabit, quæ pro euacuatione, & reuulſione ſimul maximè competit.

Si item venæ ſectione ex ſaphena, vel poplite prægnans mulier magis de aborſu periclitatur, quam ſi in brachio vena ſecetur, & multo magis ſi ex vtero ſanguis effluxerit, tamen neque ex ſanguinis miſſione ex Saphena, vel poplitis vena, neque ex hæmorragia ex vtero ſemper, & neceſſario aborſus ſequitur, vt teſtatur *Hipp. Aph. 60. lib. 5.* & in dies experientia patet, & multæ etiam prauæ mulieres hoc idem teſtantur, quæ, vt conceptum celarent, data opera ex infernis venis non ſemel, ſed bis, & ter, ſanguinis euacuationem, citra aborſum, procurarunt, cuius cauſa ſanguinis miſſionem fecerunt. Experientia etiam patet, eſſe aliquas eufarcas mulieres prægnantes, quæ ſingulis menſibus, citra aliquod damnum purhantur, & aliqui grauiſſimi Autores etiam inquiunt, prægnantes eufarcas mulieres vſque ad ſextum menſem, citra fœtus offenſum purgari poſſe, ſi purgationes moderatæ fuerint.

Si igitur inferiorum venarum ſectione, & menſium moderatæ fluxiones, & debitis, & ſtatutis temporibus factæ non ſemper ac neceſſario, aborſum faciunt, & fœtui obſunt, quæ ſolent aliquando aborſus eſſe cauſa. Cur fœtui nocebit, & aborſus cauſa erit, illa moderata ſanguinis miſſio, quæ ex ſuperioribus partibus pluribus vicibus fit, & ſurſum ſanguinem attrahit, ac reuellit, & ſanguinis ad vterum fluentis impetum remoratur, ac prohibet.

Si item ſanguine ex vtero affatim, ſubito, & copioſe fluente, aborſus manifeſtum periculum imminet. Ergo ex ſanguine ſurſum attracto ſubito à tali periculo præcauetur; Antecedens patet, conſequens ſic dicendo probatur; Contrariæ cauſæ circa idem ſubiectum, vbi eodem modo agens fuerit diſpoſitum, contrarium pariunt effectum. Sed ſanguis deorſum affatim effluens aborſum committit.

Ergo

Ergo sursum attractus non modo aborsum faciet, sed præcauebit, ac fœtum conseruabit. Cumque præsidium cum morbi qualitate proportionem habere debeat, & magnis morbis, & magnis imminentibus periculis, magna sint adhibenda præsidia, vt inquit *Hipp. Aph. 6. lib. 1.* Ideo in subita, ac copiosa vteri hæmorragia ad brachij venæ sectionem deueniendum, quæ sanguinem affatim fluentem statim, & per communes vias reuellit, quo fœtus ratione indigemus, & leuiora reuellentia præsidia prætermittenda cum proportionata, morbo non sint, & debiliter, & longo temporis interstitio, hoc faciant, quod ex vtero copiosi sanguinis fluores possint concitari, clarissime patet. Venæ verò sectionem reuulsionis gratia à particula sanguinem effundente indicari; item omnibus Medicam Artem exercentibus est manifestum, cum hoc Gal. pluribus in locis dixerit, & Hipp. vbicumque de reuulsione facienda pertractat, loquitur, ad contrarium fluxiones reuellendas.

Ex dictis igitur concludere possumus, sanguine ad vterum, vel extra vterum confluente ex cubito sanguinis missionem pro reuulsione facienda maximam vtilitatem afferre.

Si verò aduersarij respondeant; Primum quod venæ quædam ad vteri cauitatem deferuntur, aliquæ vero ad ceruicem, & ideo videndum ex quibus venis sanguinis fluor fiat; Secundo quod sanguinis quantitas est animaduertenda. Nam si sanguinis fluor ex venis, quę ad vteri ceruicem committuntur, vt verè in prægnantibus aliquando fit, vt *Gal. 6. de locis aff. & in Com. 6. lib. 5. aph. inquit.* Non oportet aborsum vteri, cum talis sanguinis euacuatio fiat per viam expurgationis totius corporis, & ideò ex eo potius fœtus conseruatio sequitur, nisi modum excesserit. Si verò modum excedat, ita vt ex tali fluore prægnans imbecillior reddatur, & mammæ gracilescant, eo casu cum ad stringentibus talis fluor compescendus, & reuulsiones faciendæ cum superiorum partium frictionibus, vinculis, & cum applicatione cucurbitularum, sed mammis vt *Hipp. aph. 50. lib. 5. inquit*, & his similibus, & venæ sectio cum periculose fit, deuitanda, cum hæc tutiora sint, & in hoc tota Medicorum secta concors est; Ex venis verò quę intra vteri capacitatem terminantur, talem sanguinis fluxum fieri non posse dicunt, cum ab eis eorum, siuè secundæ dictæ pendeant. Et ideo imprægnationis tempore per has nihil naturaliter excerni potest, vt ex *Gal. locis superius citatis patet.* Si verò ponatur talem fluorem ex internis vteri venis fieri cum quibus secundæ, & fœtus alligantur cum aborsus maximum adsit periculum, quam primum, si modum non excedit, compescendus, per adstringentia intus assumpta, & deforis applicata, & dictis reuulsionibus vtendum, vt omnes Medici inquiunt. Si verò sanguis ex dicti venis in magna copia fluat, impossibile est aborsum præseruare, tamen supradicta facienda.

Si item inquiant præseruationem, siuè prophilacticem etiam dictum, duplicem esse, aliam simplicem exactam, & sinceram, aliam verò non sinceram, sed curatione mixtam; Et se loqui de exacta, & simplici præseruatione, indicatione sumpta à causa, quæ non dum facit affectum, sed facere potest; Propositum verò casum de fluxione sanguinis ex vtero, vel ad vterum, non esse aliqua ratione referendum ad puram prophilacticem, sed ad præseruationem curatione mixtam.

Tandem etiam si dicant, se non negare in prægnantibus venæ sectionem esse administrandam, pro curatione alicuius affectus præter naturam, qui aborsus causa, per accidens, esse potest, & etiam necis ipsius prægnantis moderate tamen, viribus consentientibus, & necessitate coacti, cum tunc maius commodum, quam incommodum ex ea sequatur, licet periculo non vacet, sublato per eam eodem effectu, qui magis, ac certius poterat aborsum causare, vt in dies experimur, cunctis tamen alijs rite perpensis, & semper feliciter successit.

Ita dictis rationibus respondendum; Quod supposito sanguinis fluorem magnum esse, & affatim fieri, nemini est dubium, quod retrahendum, & quamprimum, vtque superius Hipp. sententia diximus, cum magna sit fluxio, & affatim facta, magna, & cita retractione æger, quæ venæ ex cubito sectione fit, & propo-

fita ab eis minorem reuellendi facultatem habentia. Et si auxilia conuenientia fiat, non sunt magnæ propositæ fluxioni proportionata, & necessitate vrgente, & in proposito casu, non à leuioribus, & lente agentibus, incipiendum, sed à maximis, & velociter effectum præstantibus, vt nos docet *Gal 5. Meth.* De sanguinis reiectione verba faciens; Ad id quod inquiunt, quod fluente sanguine ab vtero, solum vtendum adstringentibus. Respondendum hoc esse falsum, cum omnium indicationum prima sit conueniens reuulsio, & fluento ex vtero affatim, & copiosè sanguine, per communes venas, & per quas breuissime id fiat, vt sunt cubiti venæ, sanguis reuellendus, ac retrahendus. Dici verò non potest, phlebotomiam in sanguinis fluxu non competere, cum Gal. de Narium hæmorragia verba faciens, nisi æger fit refolutus, tale auxilium commendet, & in vteri sanguinis fluoribus, quando eum sistere volunt, omnes Medici venæ brachij sectionem laudant, ac consuluut.

Si verò dicant, fætum inhibere in prægnantibus sectionem venæ.

Respondendum, quod si prægnantes, dum acuto aliquo morbo affliguntur, & ob id imbecilliores necessario sunt, tale præsidium, absque vllo fœtus incommodo ferunt, vt illi testantur. Cur non ferent, dum sanæ sunt, & robustiores habent vires? Si ergo de quo minus videtur inesse, & inest, ergo, & de quo magis, vt inquit Arist. in Topicis. Si verò repetant, Nos non debere supponere talem mulierem sanam, sed ægrotam cum vteri fluerem patiatur.

Respondendum primum, quod supposito fluxu futuro, quem alijs temporibus fuerint passæ, rationem esse validissimam. Secundo, quod dato, quod iam sint in affectu præter naturam constitutæ, nihilominus, habita ratione ad suffocationes, & maximas putredines, hic leuior videtur casus, in quo cum vires sint validiores, magis sanguinis missionem ferrè possunt.

Tandem dicendum, quod, qui curat fluxum ex vtero, etiam fœtum præseruat, nam si vera, & exquisita præseruatio est, quæ causam tollit à quibus aliquis præter naturam affectus gigni potest, imaginari non possum quomodo curatio ab hoc fluxu, fœtus ratione, non sit vera prophilactica, & præseruatio. Dum enim fœtus est in vtero, duplex potest periculum incurrere. Alterum est ne à sanguinis copia suffocetur. Alterum est ne proprio destitutus alimento in vtero intereat, vel ante tempus ex vtero in lucem effluens, statim moriatur, & si neutrum, vtero fluente, vel sanguinis fluxum recipiente, adsit, tamen vtrumque accidere potest; Ergo, qui fluxum retrahit, ac reuellit, & sanguinis copiam euacuat, hic idem ab hisce periculis præcauere, & præseruare dicitur, & his rationibus concluditur venæ sectione, & sanguinis per plures vices euacuatione pletoricas prægnantes mulieres vnà cum fœtu optimè præseruari, cum aliquo vrgenti periculo, aut præsenti, aut futuro præmuntur, & vteri gestationem phlebotomiam non prohibere, sed quantitatem limitare.

Quomodo, & quando in prægnantibus ad sanguinis missionem sit deueniendum.

IN qualibet pletora, & si statim non fit ad venæ sectionem confugiendum, vt inquit *Gal. 4. Meth cap 6.* Ideò primum plenitudinis quantitas, idest, an sit parua, vel magna considerandà, cum exigua pletora, & à tenuiori sanguine genita; Et partiori victus ratione, inedia, balneo, frictionis, exercitatione, & alijs venæ sectione leuioribus præsidijs corrigi possit; Et si in prægnantibus pletoricis mulieribus omnia dicta non competant, vt superius diximus. In magna tamen pletorica, cum leuioribus præsidijs corrigi nequeat, sed potius ex illorum vsu magis augeatur, quam minuatur plenitudo. Ideo ad venæ sectionem deueniendum, præcipuè in primis mensibus, nisi multum per vterum purgantur, vt ex Gal. colligitur, cum natura illa sanguinis copia, quæ veluti sarcina præmebatur, exoneretur, & potentior reddita, fœtum optimè conseruat.

Secundo recordandum, quod præteritis temporibus aduenerit, si enim pletorica

rica mulier prioribus, vel posterioribus mensibus aborsum faciens, mortuum fœtum emiserit, neque alia interna siue externa insit causa præter quam pletora; Ex dicta causa fœtum fuisse suffocatum existimandum.

Et ideo vbi iterum conceperit, periculum non est expectandum, sed venæ sectione periculum præcauendum; Idem etiam faciendum, si pletorica mulier quotannis Synocha febre affecta primis mensibus aborsum fecerit, ex *Hipp sententia* 6. *Aph* 47. *vbi inquit*. Quibus venæ sectio, aut purgatio prodest, ijs verè secanda vena, aut purgatio imperanda, & Gal. in Com. inquit. Hos enim oportet, vt anticipemus euacuare, vel per venæ sectionem, si pletoricis morbis corripiantur, vel per purgationem si morbis ab humorum prauitate pendentibus sint obnoxij. In copioso item ex vtero sanguinis fluore, Reuulsionis causa, vt diximus, in prægnantibus sanguis mittendus vt immoderatus sanguinis fluxus compescatur, & ne fœtus ex alimenti indigentia pereat. Ita tamen temperanda venæ sectio, vt prosit, & tuto fiat, ideſt, vt quod superfluum est tollatur, & tantum sanguinis remaneat, quantum prò alendo fœtu sufficit, vtque citra incommodum hoc fiat per plures vices, & duobus, vel tribus continuis diebus, venæ sectio facienda. Animaduertendum item in quibus præcautionis gratia sanguis est mittendus, vt vterum gerentes optimo corporis habitu sint præditæ, neque sint difficiles, sed solida, & nigra carne, & latas habeant venas.

Solutiones rationum probantium venæ sectionem pro aborsus præseruatione non competere.

AD primum argumentum respondetur negando minorem, quæ inquit sanguinis missio per se aborsum facit, Et si dicant, hanc propositionem clarissimam esse ex *Hipp. sententia* 30. *lib.* 5. *Aph. Respondendum Hipp.* non dixisse venæ sectionem per se aborsum facere, Et illa particula, per se ab illis fuisse additam, Et talem Hipp. sententiam non esse semper veram, sed vt plurimum, vt doctissimus Fernelius inquit, sicuti etiam sequens sententia, quæ inquit Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi pernicioſum, cum multæ prægnantes mulieres ab acutis morbis euadant, Vel dicendum prægnantes mulieres secta vena aborsum facere, quando in magna copia sanguis extrahitur, & præcipuè per infernas venas, & in illis, in quibus exigua sanguinis adest copia; Et quod ita sit ex eodem probatur *Hipp. qui Aph.* 60. *eiusdem lib. inquit*. Si prægnanti purgationes menstruæ cursum lunæ teneant, ideſt, quod in magna copia, & sæpe, sanguis excernatur, vt Gal. in Com. inquit, bene valere fœtum est impossibile, & non dixit, necessario aborsum facere, fœtus ergo in vtero, vt nos diximus, potius sanguinis quantitatem, & modum limitat, quam venæ sectionem vbi fuerit opus, prohibeat. Quod per se venæ sectio aborsum non faciat, sic etiam probari potest. Quod inest alicui per se, idipsum inest de omni, & secundum quod ipsum, vt Arist. in posterioribus inquit. Sed si sanguinis missio per se faceret aborsum id faceret semper, atque in omnibus. Hoc vero verum non esse in superioribus, non solum multis rationibus, sed etiam Hipp. & Gal. autoritatibus abunde probauimus.

Ad secundum Argumentum respondetur similiter, missionem sanguinis per se alimenti defectum non semper facere, vt quando in pletoricis mulieribus ingens eius copia, & tantum quod supereſt, diminuitur, & tanta sanguinis quantitas in corpore relinquitur, quanta pro fœtus, & matris nutrimento est satis. Sed tunc tantum alimenti defectum per se facit, quando ferè nihil sanguinis remanet, aut saltem adeò exiguum, vt pro fœtus, & matris nutritione sufficiens non sit, Si verò inquiant, sanguinis missionem semper alimenti aliquem defectum facere, cum sanguis ex quo corpus nutritur, diminuitur. Respondendum, quod in pletoricis mulieribus, & si sanguinis abundantia diminuatur, & deficiat alimenti pars aliqua, remanet tamen pars sanguinis pro fœtu, & matre necessaria, in alijs corporibus non item præsertim, si copiosus sanguinis detrahatur. Possumus etiam dicere, Gal. in Com. citari Aph. intellexisse

non omnem venæ ſectionem defectum alimenti facere, ſed illam tantum, quæ magnam ſanguinis quantitatem derrahit, quam olim antiquiores facere ſolebant, & argumentum ſic reflecti poteſt.

Si ſanguinis miſſio per ſe alimenti defectum faceret, imprægnantibus acuto morbo laborantibus etiam faceret. Ergo in illis ſemper aborſum faceret. Ergo nunquam fieri deberet, quod eſt contra experientiam, & contra id, quod Aduerſarij ſuperius dixerunt, & omnes teſtantur Autores. Si itero omnis ſanguinis vacuatio alimentum diminuit, & ex eo aborſum ſequitur, quomodu aliquæ prægnantes mulieres vſque ad 5. & 6. menſem citra vllum fœtus incommodum ex vtero purgantur, vt ex Gal. ſuperius probauimus.

Ad 3. Argumentum reſpondetur, dicendo, minorem falſam eſſe, quæ inquit; Noxam minorem fœtui ex inedia inferri, quam ex ſanguinis miſſione; Et hoc probatur, quia inedia, quæ eſt omnimoda cibi priuatio præſertim, quando eſt longa, dupplici de cauſa eſt nocua, & quia matri, & quia fœtum in vtero enecat. Mater ob proprij alimenti defectum periclitatur; Fœtus verò ob ſanguinis inopiam, quo pro nutrimento æget. Sanguinis verò miſſio in pletoricis prægnantibus mulieribus neque matri, neque fœtui eſt nocua; Et hoc probatur, quoniam dempta moderata, ac conuenienti ſanguinis quantitate, tanta copia relinquitur, quæ pro matris, & fœtus nutritione eſt opportuna, potoſtq; mater optimi ſucci alimentis ſanguinis quantitatem iam euacuatam relarcire. Ergo magis nocet longior inedia, quam ſemel, aut bis facta moderata ſanguinis miſſio, & hoc de longiori inedia tantum dicendum, cum moderatam inediam non ſemper ab orſus ſequatur, & prægnantes mulieres acutis morbis laborantes illam non raro faciliter ferunt, vt in dies videmus. Sed longa inedia, & matri, & fœtui ſemper neceſſario maximum infert periculum, cum pro deperditi ſanguinis regeneratione noua materia matri non ſuppetat, & ſi, quo ad inediam, corporis habitus ſint conſiderandi, cum frigida, & humida corpora, & pituita abundantia diuturniorem inediam ferre poſſint, & huiuſmodi minus ab inedia offenduntur, quam à ſanguinis miſſione, cum neceſſitatis tempore pituita in optimum ſanguinem conuertatur, & in his nunquam pro aborſus præſernatione ſanguis mittendus venit, cum illa pericula ſuperius in habitu pletorico enarrata nunquam aduenire poſſint, talis que habitus ſunt mulieres illæ prægnantes quæ, & ſi longam inediam fuerint paſſæ, tamen ex ea aborſus non fuit ſecutus, vt narrat doctiſſimus Fernelius, & alij grauiſſimi Autores, contra in habitu biliioſo longa media extremum eſt malum, non ſolum quia flauam bilem abundare facit, & hanc magis prætorridam reddit, & febres ephemeras, acutas, & habituales facere poteſt. Sed quia fœtus ſanguine biliioſo, & acerrimo vix poteſt citra incommodum nutriri. Quo in habitu nunquam inedia imperanda, niſi in vtero, vel phlegmonis, vel erelypelatis phlegmonodes, vel fluxionis ſanguinis eadem parte manifeſtam ſuſpicionem videamus. quo in caſu reuulſionis gratia venæ ſectio competeret.

Ad 4. Argumentum reſpondendum, pluribus de cauſis alui profluuium modum excedens, & diuturnum de quo Hipp. verba facit, magis periculoſum eſſe ſanguinis miſſione. Primum quia copioſi ſpiritus, in quibus naturalis caloris potior vis inſidet, euacuantur, qui pro fœtus abſolutione in vtero copioſi eſſe debent, & horum defectu aborſus fit.

Secundo quia ex alui profluuio totum corpus imbecillius redditur, & præcipuè naturales partes, & ideo per membra non fit diſtributio, & iecur multum ſanguinis non permutat, ſed boni ſanguinis vice, aut flatuoſus ſpiritus, aut viſcida procreatur pituita, & quod tale eſt, ad vterum non defertur, vel quia humectantur, quæ ſunt circa vterum, & ideo etiam retentrix vteri facultas debilitatur, & hac debilitata fœtus decidit. Tertio quia ex frequente exurrectione, & axellatione, & ad expulſionem conatu, fœtus ligamenta non ſolum laxantur, ſed etiam abrumpuntur, & ideo aborſus fit, & tandem ex illa humorum agitatione, qua deorſum omnes humores truduntur, ac præcipitantur, ab orſus faciliter ſequi poteſt. Patet ergo fœtum ex diuturno alui profluuio magis periclitari, quam ex moderata ſanguinis miſſione ex cubito facta.

Ad Gal. autoritatem quinto loco, ad-

ductam,

ductam. Respondendum, quod sicuti ex eius, verbis constat, Gal. supponere non pletoricam mulierem, vt nos, sed gracilem, & praui succis refertam, non solum imprægnationis tempore, sed etiam ante, cum qua cachochimia, & corporis extenuatione impossibile est, vt vires validæ sint, cum virium robur cum cachochimia consistere nequeat, & ideo magna præsidia adhiberi non debent, cum magna præsidia, magnis, & proportionatis viribus egeant.

Ad id, quod inquiunt. Quod primis mensibus nullo pacto sanguinis missio competit, adducendo *Hipp. sententiam 45 lib. 5. dicentem*. Quæcumque mediocriter corpulentæ 2. mense, aut 3. sine occasione manifesta abortum faciunt, ijs cotylidones lentore sunt pleni, nec præponderè fœtum continere possunt, sed abruptis decidit.

Respondendum, quod hi argumentantur à secundum quid ad simpliciter, quæ argumentatio nihil valet; Nisi enim conuenit sanguinis missio, vbi aborsus fit ob cotylidonum plenitudinem mucoris.

Ergo pro aborsu cauendo nunquam conueniet, dici nullo pacto potest, cum ex particulari vniuersalem causam colligere non liceat; Et licet acetabulorum mucoris plenitudo sit vna interna aborsus causa, cum disrumpuntur non sequitur quin ab alijs etiam internis causis aborsus fieri possit, vt à sanguinis copia fœtum obruente, vel ab illius fluxione ad vterum. Dicendum item casum ab Hipp. propositum longe distare à casu proposito à nobis, cum ille loquatur de corporibus mediocriter corpulentis, nos de pletoricis corporibus, quę non sunt mediocriter constituta; Dixit etiam ille, sine causa manifesta, idest sine ingenti febre, alui fluxu absque inflammatione, vel sine aliqua alia causa, quæ aborsum facere possit, Nos vero supponimus à sanguinis copia fluxionem ad vterum cuius præsentia fœtus suffocari, & inflammationes, alijq; id genus morbi fieri possint, & si facti non sint, supponimus item aliquando ingentem fluxionem extra vterum fieri, ex qua proprio alimento fœtus priuari, & inferiori motu agitatus immature foras prodire potest, nihil ergo talis eorum ratio concludit.

Non dicendum item, quod, qui aliquem affectum præter naturam curat, non propriè, ac verè præseruare, quia curatio non dicitur respectu eiusdem, cuius respectu præseruatio dicitur. Si enim gratia exempli duo sint in vtero, idest fœtus, & erisypelati debetur vera curatio, fœtui vera præseruatio, quia cum iam non exeat fœtus, neque iam sit mortuus, sed immineat illi periculum immaturi exitus, & mortis presente erisypelate, tanquam causa id periculum est cura, quamuis hæc eius non faciat, propria dicetur, ac sincera præseruatio, & si mixtam cum curatione esse velint nihil refert, cum eisdem præsidijs præsentes affectus curentur, quibus imminentes, & futuri præcauentur.

Ad septimam rationem dicentem, crudis humoribus, ac vitiosis in ventriculo, ac primis venis contentis, nullo pacto venæ sectionem competere, & quod omnes prægnantes mulieres crudis, & vitiosis succis ventriculum repletũ habent, ergo & cæt.

Respondendum maiorem propositionem non esse omnino veram quoniam, quando crudi succi fuerint cum sanguine permixti, aut à sanguinis natura parum distant, vena secari potest, vt inquit *Gal. lib. de curand. Rat. per Sang. Miss. & alibi*. Et quando sanguine non sunt permixti, vel multum à sanguinis natura distant, & horum magna in primis venis colluuies adsit, si ob imminentem morbum permittitur, sunt expurgandi, vel concoquendi, & nisi vrgente malo hoc permittatur, ad venæ sectionem statim est deueniendum, cum maior ex euacuato sanguine vtilitas sequatur, quam damnum ex crudorum humorum præsentia, vt ex citato Gal. loco elicitur, minor est omnino falsa cum experientia pareat, quasdam mulieres nihil penitus molestiæ ex vteri gestatione aliquando persensisse, quod manifestum est iudicium, tali humorum crudorum copia non abundare.

Postremum Arg. soluitur, dicendo, in tribus vltimis mensibus nunquam venæ sectionem faciendam, sed in primis potissimum tutius fit, & in medijs maxima cum consideratione, & iudicio fieri potest, vt in superioribus diximus. Dicendum tandem, quod, & si Hipp. & Gal. & alij Græci in hoc particulari, idest in vtero gerentibus

ribus, pro præseruatione venæ sectionem competere, tacuerunt; Dixerunt tamen in vniuersali, in omni pletora sanguinis euacuationem, vt in Athletis, competere ne ex pletora vasorum abruptio, caloris sufforatio, putredines, tumores præter naturam, vtque ne fluxiones fiant; Dixerunt item fluxiones omnes ad contraria esse reuellendas. Cum ergo hoc in vniuersali præceperint, non fuit opus, vt in particulari etiam repeterent; Cum vniuersalia ordine doctrinæ particularia præcedant. Et in particularibus tractationibus, vniuersalium præceptorum notitia suponatur; Et licet ipsi hoc in particulari non dixerint, multi alij grauissimi Autores, tàm antiquiores, quàm recentiores clare dixerunt, citrà periculum aborsus venæ sectionem vtero gerentibus competere, & saluberrimum esse, sicuti *C. Celsus Auerroes, Nicolaus Florentinus, Ioannes Fernelius, & multi alij.*

Animaduersiones habendæ in Sanguine mittendo. *Cap. 7.*

PRimo animaduertendum, quod vires sui custodiam indicant, & morbus sui curationem; Causa verò morbi etiam animaduertenda, & auxilia varianda, secundum varias morborum species, eorum causas. Immò in vna, & eadem morbi specie, secundum diuersas causas, auxilia varianda, vt elicitur ex *Gal. 9. & 11. Meth. & lib. de Sang. Miss. contra Erasistrateos vbi inquit.* Quod non solum omnes ij, qui inedia vtuntur, non egent sanguinis missione, verum nec omnes pletorici, nisi naturam illius plenitudinis sciamus, & alia absint indicia.

Prima ergo, & vniuersalis indicatio in sanguine mittendo, desumenda est à morbo, siue morbi specie, & eius causis, vt colligitur ex *Com. 21. lib. 4. de Rat. vict. in Acutis, in magna Meth. & alibi.*

Secundo animaduertendum, *vt Gal. plurimis in locis, & presertim 9. Meth. inquit.* Quod morbis sanguinis missionem exposcunt, aut ratione Euacuationis vt in pletora, aut gratia Deriuationis, aut Reuulsionis, vt cum in partem aliquam rumores impetum faciunt, aut ratione prouocationis, vt cum menses retinentur, aut alia consueta euacuatio.

Tertio animaduertendum, quod sanguinis missio, & purgatio sunt ex maioribus auxilijs, quæ morbis adhibentur, vt *Gal. in Com. 29. lib. 2. Aph. inquit.* Et sanguinis missio fit sanguinis euacuandi gratia, & cum sanguis sit Naturæ inutilis probe a ministrati debet, vt 9. & 11. *Meth. Gal. inquit deest nisi in magnis morbis præsentibus, & expectatis fieri debet.* Duobus inquit modis sanguis fit naturæ inutilis.

Primo quando supra modum excreuit. Secundo cum ita ab alteratur, vt non amplius nutrire possit, & in hoc etiam casu potest competere sanguinis missio. Tertio addere possumus quando impetum facit in partem aliquam, quamuis non adsit pletora, nec humorum corruptela, vt *Gal. Com. 2. lib. de fracturis, & 4. Meth. 6. inquit,* cum tunc sanguis sit naturæ inutilis, cum periculum sit, ne in partem eliquam impetum faciat.

Quarto animaduertendum, quod quemadmodum magnitudo morbi sanguinis missionem indicat, ita, & purgationem, vt *Gal. 4. Meth. 6. & indicatio sumitur à morbi qualitate, vt Gal. 4. de Rat. vict. in Acutis 19. inquit.*

Quinto animaduertendum, quod sang. missio est fortius, & maius auxilium, quà purgatio, cum pueri, sanguinis missio non competat, vt superius diximus; & si purgatio, & quoniam euacuatur, quod naturæ est vtile. Ideò *Gal. 4. Meth. inquit.*

Stante sanguinis redundantia, non statim sanguis mittendus, sed tentandum, an inedia, vel purgatione remoueri possit, & si hæc non sufficiant, ad sanguinis missionem veniendum.

Sexto animaduertendum, quod raro datur morbus, qui sanguinis missione non egeat, tum ratione continuæ febris, quæ vt plurimum acutos morbus comitatur, *vt Gal. in Com. 19. lib. 2. Aph. inquit,* tum quia est promptius, ac paratius remedium pergatione, cum humorum præparatione, & corporis non egeat.

Quæ Vena in quouis affectus sit secanda. *Cap. 8.*

IN pletora absque vllius parti affecta ex qualibet Venæ sanguis euacuatus pletoram tollit, tamen commodius, ac

ac citius pletora minuitur secta vena interna dextri cubiti, quæ etiam dicitur basilica, iecoriaria, axillaris, & hepatica, quæ citissime, ac validissime tum à vena cava, tum ab hepate attrahit. Ideò huius venæ sectio etiam competit in omnium febrium curatione, quæ venæ sectione indigent, præter quam in quartana, in qua interna sinistri cubiti est secanda, sicuti in omni melancholica plenitudine, & in affectibus lienis.

Hæ similiter cubiti venæ internæ sectæ celerius reuellunt, ac euacuant ab illis partibus, quæ inter clauiculas, & renes positæ sunt tardius vero hoc efficiunt sectæ venæ, quæ sunt inter anularem, & minimum digitum, quę saluatellæ dicuntur, & internæ venæ rami sunt. Sic in Intestinorum affectibus interna cubiti secanda; In recenti renum inflammatione, si sanguinis copia adsit, ex basilica reuellitur, ex dextera, si ren dexter, vel ex sinistra, si sinister affligatur, & si plenitudo non adsit, tutius, ac validius ex inferioribus, quæ è directo sunt, vt in poplite, vel in malleolo.

A partibus supra clauiculam affectis præcipuè celerius, ac validius reuellunt, ac euacuant externæ cubiti sectæ, quæ etiam dicuntur cephalicæ, & humerariæ, tardius verò has partes euacuant, si secetur vena illa, quæ est inter pollicem, & indicem, quæ est cephalica dictæ ramus, à dextera parte, si illa sit affecta, sic à sinistra, si pars sinistra.

Sanguis similiter profusus à naribus capitis affectibus derivationis gratia, prodest, vt in Phrenitide, in Delirio, Apoplexia, Vertiginibus capitis vitio ortis, & inueteratis capitis calidis doloribus, sic sectæ arteriæ, quæ propè aures sunt maxime derivant. Derivant item in dolore capitis anteriorem partem affligente frontis venæ sectio, qui verò occiput, ac posteriora tenet, puppis vena incisa derivat, & cucurbitulæ humeris applicatæ, ac scarificatæ. Sic pro reeulsione facienda in postico dolore, frontis vena incisa prodest, & in dolore anteriorem partem affligente, puppis venæ incisio. In ophtalmia, eiusdem lateris cephalicæ venæ sectio reuellit, ac euacuat, & derivatur incisione illius venæ, quę per alterum oculi angulum fertur. Sic in aurium inflammatione cephalicæ sectione reuulsio, & euacuatio fit, & sectione illius venæ, quę est sub aure derivatio fit.

In Maxillarum, Gengiuarum, ac Dentium similiter calidis affectibus, post cephalicam, sectio illarum Venarum, quæ sunt sub labijs conferunt, vt in Anginæ earum, quæ sub lingua sunt.

Vena cubiti media, communis, & funicularis etiam dicta, cum à basilica, & cephalica procedat, & vtrisque sit communis, ex vtrisque partibus reuellit, id-est à partibus supra, & infra clauiculam positis.

In partium infra renum inflammatione, primum reuulsionis gratia, eiusdem dem lateris basilica secanda, deinde inferne venę tundendę, vt poplitis, vel malleolorum, quas primum aperire non est tutum, cum vbi adsit plenitudo, periculum est ne materia ad affectam partem attrahatur.

Sic in Mensium & Hemorrhoidum nimio profluuio, sectione Basilicæ Reuulsio fit. Horum vero prouocario sectione venarum Poplitis, & Malleolorum; quæ etiam Saphenæ dicuntur.

In Coxendico dolore, non à frigido humore orto, sed ob coxa vasa sanguine nimis repleta, vna die, per euacuationem sanguinis a Saphena externa, Schiadica etiam vena dicta, aliquando curatur, vt Gal. Aetius, & alij grauissimi Autores scriptum reliquerunt.

Quid ante venæ sectionem faciendum. *Cap.* 9.

ANte Venæ sectionem Ventriculi, & primarum Venarum cruditas, vel prauorum humorum in dictis partibus colluuies, si adsit, lenientibus Medicamentis per os assumptis, vel vomitorijs, secundum ad quam partem materia declinet, primum euacuanda, vel si aluus sit adstricta, & retentarum fecum copia adsit, saltem clisteribus, vel suppositorijs lubrica reddenda. Hoc vero fieri debet, ne crudi succi vel praui humorem, vel secum sordes in vena secta, &

exi-

exinanita in ſanguinis locum rapiantur ac attrahantur, & ſi hoc fieret maius detrimentum quam iuuamentum ex venæ ſectione conſequeretur, vt ex *Gal. lib. de Sang. Miſſ. cap. 6. & lib. 7. & 9. Meth. habemus*.

Ijs verò, qui maximè ſenſibile os ventriculi habent, & ob phlebotomiam animi deliquium pati ſolent, & omnibus timidis, os ventriculi prius roborandum optimis pannis fomento madido in ſucco mali punici, vel cydoniorum, vel citri, vel limonum, vel in aceto, vel in omphacio, & his ſimilibus, & mox venæ ſectio facienda. Et hæ præparationes ſemper faciendæ, vbi eſt opus, & quotieſcumque morbus dat inducias, & clemens eſt. In morbis, verò peracutis, ac immanibus, ſiuè exiſtentibus, ſiuè maximè imminentibus, vt in vehementiſſima pleuritide, vel angina, in caſu, & prolapſione, vel in graui attritu, in ardentiſſima febre, & maligna, in maxima plenitudine, in qua aut ſuffocationis, aut vaſorum ruptionis periculum imminet, & his ſimilibus dictę præparationes non ſunt faciendæ, cum magis imminentis periculi euentus ſit timendus, quam noxa ex non factis præparationibus.

Quid ipſo ſectionis tempore ſit faciendum. *Cap. 10.*

IN hac actione facienda, primum, vt æger decumbat, iubere debemus, præſertim ſi patiens timidus ſit, vires quæ imbecillas habeat, cum ſtando, vel ſedendo, omnes facultates magis laborent, & maius animi deliquij periculum adſit, & pars in qua venа eſt ſecanda, aliquantiſper prona ſituanda, vt ſanguis facilius effluat, deinde confricanda, vel fouenda, vt incaleſcat, & ſanguis fluxibilior reddatur, & proxime, ideſt ſpacio trium, vel quatuor digitorum ſupra locum, in quo ſectio eſt facienda vinculũ dandum, vt ſanguine protecto, tumentior vena appareat, quo verò aſtringitur, ideſt viuculum, digito latior eſſe non debet, ſecundum quod magis, vel minus vena apparet, & ſecundum quod magis profundo, vel in ſuperficie eſt ſita. Quibus verò angueſtæ ſunt venæ, & in altum demerſæ, & multa carne, & adipe obductæ, & denſa, ac ſqualida eſt cutis, ijs multo arctius vinculum dandum, & quibus diuerſa conſtitutio adeſt, laxius. Partes vero, quæ ſubtiles venas, & non apparentes habent, vt ſunt Pedes, & Manus, in calentem aquam demerſæ tenendæ ac confricandæ, vt ſic ad illas partes ſanguis attrahatur, & Venæ tumidiores, & magis apparentes reddantur, & niſi Vena vllo pacto Oculis appareat, Digito exploranda, & vbi ſanguinis inundatio, & fluxus perſentitur, ibi Vngue ſignandum, vel Atramento notandum, & ibi Artifex induſtre, & audactior ſcalpello, ſiue Phlebotomio feriat. Nam ſi timide ſcalpellus demittatur, ſumma Cutis laceratur, & Vena non incidi-tur, vt *C. Celſus lib. 2. cap. 10. inquit*. Animaduertendo, ne pro vena, Arteriam vel Tendonem, vel flatu tumidum locum ſecet, cum aliquando iniecto arctiore vinculo, aliquod horum venæ ſimile intumeſcat, & præſſa Arteria interdum motu vacet, & pro vena ſe proferat.

Quando venæ ſupra iugulum diſcurrentes ſunt incidendæ, lata faſcia, vel ſubtili linteolo gula commode vincienda, ac arctanda, vt digitus ingredi poſſit, ne æger prefocetur; Et ſi frontis vena ſit tundenda, abluta, & confricata prius parte, phlebotomoacie recta linea ſecanda, ſic etiam iugulares venæ ſecantur, & quæ ſunt in oculorum angulis. Quæ verò ſunt ſub lingua, tranſuerſali linea ſecantur.

His factis Cheirurgus manu altera mẽbrum, eiuſque pollice venam ſtabiliat, ne ad ictum patiens cubitum flectat eique iubendum, vt pugnum conſtringat, & alterius manus indice venam tangat, & an tremula, & incoſtans ſit animaduertat, & ſi ita ſit, vinculo proximius, ac vallidius pollice ſtabiliatur, vel ab inferiori parte etiam vinculum delur, ne ad ſcalpelli impulſum ſubter fugiat, & à ſua ſede diſſiliat.

Stabilita Vena, ſummis digitis ſcalpellum Cheirurgus appræhendat, nec plus mucronis proferat, quam ad penetrandum ſit ſatis, & manu ſtabili ſenſim nulla feſtinatione Scalpellum intro ſuauiter, quod ſatis erit impellat, & punctim, vel cæſim, pro vt

opor-

Vena quando pungi debeat.

oportunum videbitur, incisio fiat. Punctim incisio fit angustiori phleboromo oliuari dicto, vbi vasa obscura sunt, & vbi reuellere, & fluentem sanguinem auertere volumus, vt in sanguinis reiectione, vel narium hæmorragia, & his similibus, cum in huiusmodi casibus euacuatione non sit opus, sed retractione ac reuulsione, similiter in delirantibus angustum orificium faciendum, vt cita conglutinatio fieri possit, cum mente capti sæpe latenter vinculum soluant, & si magna fit fissura, ex sanguinis fluxu sepe in mortis periculum incidunt, quod non fieri in vena punctim incisa, cum in parua fissura sanguinis grumus illius eruptionem prohibeat, & tandem in omnibus paruis vasibus parua fissura fieri debet. Vbi similiter tenuem, & aquosum sanguinem esse iudicamus, aut ipsa cæli constitutio calida sit, angustior venæ sectio facienda.

Vena quando cæsim secanda.

Cæsim venæ secantur, vbi vasa sunt manifesta, & quo maior fuerit vas, eo incisio maior facienda, præsertim, quando aceruata vacuatio fieri debet, & quando crassum sanguinem viscidum, ac melancholicum contineri iudicamus, aut cæli constitutio frigida sit. Nam si in magnis vasis, & vbi crassus adest sanguis, parua incisio fiat, necessario ob collectos grumos, & sanguinis crassitiem sanguinis fluxus impeditur, & ideo lata incisio latiori phleboromo, myrtino dicto, facienda. Et dum cæsim secatur vena, non totum vas deducendum, cum ob labiorum vlceris euersionem sanguis fluxus cum eiaculatione non fiat. In superna similiter parte vena tundenda, cum ita minus fiat obseruari possit, & speciosa sanguinis eiaculatio fiat.

Vena vbi tundanda.

Sectionis figuræ tres sunt, transuersa, recta, & obliqua. Sectio in articulis, & in partibus, quæ flectuntur, vt in brachij flexu, & poplitis, nisi sanguinis missio reiterari debeat magis transuersum, quam per rectum fieri debet, cum per rectum in his partibus dissecte venæ tardius coalescant, cum vulneris labia ob musculorum motum dehiscant.

Quando verò reiteratione est opus, & eadem die; obliqua sectio fiat, ex qua sectione eiaculatio pulcra, & obuoluta fit, si verò post vnam, vel alteram diem sanguis reiterari debeat, sectio per venarum rectitudinem fiat. In alij verò partibus extra articulos, sectio per venæ rectitudinem facta citius coalescit, cum labia inter se semper coeant, licet ex vena per rectitudinem secta minus speciosa sanguinis eiaculatio fiat.

Sciendum similiter, quod sub basilica vena arteria comes delitescit, sub communi neruus, & sub vtrisque musculorum tendones plerumque substernuntur. Cæphalica verò totius secatur, & si, vt plurimum, minus appareat, & difficilius secetur.

Maximè verò animaduertat Cheirurgus, ne neruum, vel tendinem compungat, aut arteriam feriat. Quoniam ex nerui, vel tendonis compunctione, ingens dolor, stupor, resolutio, & partis conuulsio, ac tumor excitari soleat, & si arteria secetur, sanguis ægre compescitur, cum incisa arteria ob suæ tunicę duriciem, ac continuum motum, ac pulsationem, minime coeat ac sanescat, & ideò ob sanguinis hęmorragiam vires prosternuntur, vel aneurisma sequitur, & pars aliquando gangrena corripitur.

Quæ à Chirurgo animaduertenda.

Quando ergo nerui, vel tendinis compunctio accidat, quod cognoscitur ex ingenti dolore. Conuulsione, partis tumore, & alijs in nerui punctura, dictis, ne vulnus coalescat curandum, quousque phlegmonis suspicio adsit, quod quatuor dierum spacio erit, & ideò lotu calentis olei debemus, & si dolor conquiescat, & alia praua symptomata sedentur, coalescere sinatur. Et si dicta symptomata magis seuiant, curetur sicuti in nerui punctura fuit dictum.

Notæ punctura nerui, vel tendinis talis puncturę curatio.

Secta arteria, quod cognoscitur ex sanguine tenui, rubicundo, & igneo, & cum saltu effluente, statim Medicamentis ad sanguinem sistendum aptis, & tandem, sicuti in venarum, & arteriarum vulneribus diximus, sanguinis fluxus compescendus. Modò vnde fuimus digressi reditum faciemus. Vena vti decet aperta, vinculum à superiori parte aliquantisper laxandum, vt sanguis vberius defluat, vel in medio cursu digitus vulneri imponatur, cum sic vires minus dissipentur, immo reficiantur, & deterior, ac impurior sanguis euacuetur, qui sanguis in tres saltem

Secte arteriæ signa, & curatio.

Vęnę secta, quod deinde faciendam.

mundis

mundis ac tereis vitreis peluiculis, siuè ciatis colligi debet, vt bene sanguinis color, substantia, ac eius mutatio percipi, ac comprehendi, possit, vt elici potest ex *Hipp. lib. de Rat. Vict. in acut. & ex Gal.* pluribus in locis, deinde reponatur loco mundo, quo nec puluis, nec fumus, nec ventus, nec solis radij pertingant, vt ea, quæ inferius dicemus, in sanguine contemplari ac animaduerti possint.

Si sanguis bene fluat, sinatur vsque ad debitam quantitatem; si sanguis fluat, si hoc accidat sectionis paruitate, dilatetur. si ob sanguinis grumum, tunc olei infusione, vel digitorum fotu sanguis dissoluatur ac eius crassities, & æger vehementer manum adducat ac dimoueat, & aquæ calidæ fotu vulneri facto, sanguis item prouocetur. Si ob timorem sanguis non fluat intermissio, donec vires refocillentur, fiat.

Virium defectus signa.

Virium defectum præmonstrant remissus fluentis sanguinis impetus, pallidus faciei color, oscitationes, pandiculationes, oculorum vertigines, ac suffusiones, aurium tinnitus, & inter cætera præcipuè pulsus mutatio, vt si ex cerebro supra modum rarus fiat, aut ex magno paruus, aut ex vehementi debilis, & obscurus, & ex æquali inæqualis, & ideo fluente sanguine, tangere, & animaduertere semper pulsum opportet. Quæ omnia arguunt vitales spiritus imminui, & cor ferè calore destitutum affici, similiter animi angores, & oris ventriculi vellicationes, singultus, & nausea futuram lipotimiam, & virium defectum indicant, quæ omnia ob irrumpentes humores in os ventriculi accidunt.

Virium defectus causæ.

Hæc ergo, vel ex euacuationis quantitate, vel ex metu ac terrore, vel oris ventriculi morsu euenire possunt.

Si ex copia sanguinis euacuati animi deliquium accidat, statim supprimi, ac sisti debet, ne ex maxima virium iactura irreparabilis fiat, vel repentina mors sequatur.

Virium recreatio quibus fiat.

Si verò ex metu, terrore, vel ventriculi demorsu accidat, protinus item sanguinis fluxus intercipiendus, deinde vires reficiendæ, vt iterum euacuatio compleri possit. Recreantur ergo ac, reforillantur vires faciei aspersione frigida aqua facta, vel rebus odoratis naribus admotis, sicuti est acetum vinum generosum, moschus, & cætera aromatica, & nisi his releuatur, vomitus excitetur, vel faucium titillatione, vel longarum pinnarum oleo innunctarum immissione, cum his ventriculi impetus, & cordis tedia depellantur, & vires regredientur, suscitatis viribus; vino, vel succo mali punici, vel carnium iure, vel cardiacis Medicamentis eadem; idest vires, restaurentur, ac refocillentur.

Quid post sanguinis missionem sit faciendum. *Cap.* 11.

POst sanguinis missionem statim vinculum dissoluendum, & si patiens constrictam habeat manum dilatet eam, deinde vulnus optime exsiccetur, ac detergatur, ne ex sanguinis concretione vulneris coalitus impediatur, vel abscessus sequatur; & ideò *Hipp. lib. de Vlceribus inquit*. Ea animaduersione vulnus in secta vena detergendum, ne quid in sectione concreti sanguinis super sit, cum putrescat in quacumque parte extra venam sit, & si à vulnere adeps exiliat, nullo pacto præcidatur, sed blande intro referatur. Vulnere optime exsiccato ac detersо, si sanguinis missio reiterari debeat, gossipium, vel molle linteum, vel quid simile oleo inunctum superponatur, & nisi sanguis iterum missus sit, aliquod ex dictis madefiat in vino nigro austero, vt loco citato Hipp. inquit, vel in aqua simplici, vel rosacea, & superponatur deinde lana oleo inuncta, vt locum protegat, & mollius inseat, vt idem Autor inquit, postea commoda fascia, vt fideliter contineat pars vinciatur, quæ neque laxior sit, neque abstrictior, ne dolorem excitet, & cutim, & vulneris labia distorqueat. His factis, commodè pars situanda, & secundum naturalem habitum. Patiens supinus situetur, ac per horæ saltem spacium decumbat, vt partes exhaustæ repleantur, & spiritus refocillentur, neque dormiendum, ne languidus factus calor extinguatur, aut imminuti spiritus in somno obruantur, vigilans ergo quiescat, & omnis animi inquietudo, & corporis motus, & labor vitetur, sic veneris vsus, & tandem ea omnia, quæ vires debilitare, & spiritus dissipare

stipare possunt sunt fugienda. Hora vna, vel altera à sanguinis missione optimi succi alimentum, & morbo accommodatum propinari debet, duabus, vel tribus ab hinc horis, si obdormiscere sit necesse, vel quia præcedente nocte non dormierit, vel ob febris accessionem, vel quid aliud in futura nocte dormiturum non speramus, dormire finatur, sed semper aliquis assistat, ac prospiciat, ne in somno patiens in cæsum Brachium se diuoluat, vel vinculum soluat, & sic magna sanguinis hæmorragia sequatur.

Quæ in extracto sanguinæ obseruanda. *Cap. 12.*

IMprimis in extracto sanguine eius substantia obseruanda, secundo eius color, tertio odor, & quarto sapor.

Quid sit sanguis crassus.

Quo ad sanguinis substantiam, crassus densus, & viscosus est ille sanguis, qui lente fluit, & tanquam glutinum digitis adhęret, & multas habet, fibras, & citissime concrescit, & dum est concretus difficillime finditur. Hic obstructionum, & aliorum inde morborum fit Autor.

Quid sit sanguis tenuis.

Tenuis est ille sanguis, qui tardius concrescit, ac durescit, & induratus facilitèr finditur.

Quid sit sanguis pudridus, vel aquens.

Putridus, vel Aquosus est sanguis ille, qui iam refrigeratus minimè concrescit, cuius fibrę omnes diremptæ atque corruptæ cum nectunt, & talis sanguis non finditur, sed simulatque attingitur, totus in exiguas partes discerpitur.

Serosæ materiæ quid indicet.

Serosæ materiæ copia tamquam citrina aqua concreto sanguini innatans, vel potum liberaliorem, vel iecoris imbecillitatem, sicuti in Hydropicis, vel renum debilitatem, vel eorum obstructionem indicat, quibus ex causis serosa materia copiosa in venis coadunari solet.

Spuma innatãs, quid indicet.

Innatans spuma in sanguine, nisi fluoris impetu fuerit oborta, feruorem, ac incendium eius humoris ostendit, cuius colorem præsefert, vt rubra sanguinis, citrina flauæ bilis, alba pituitæ, & atra melancho-

Indicia a colore.

Color similiter indurati sanguinis, per summa rubicundus, boni, ac vtilis sanguinis est indicium, rubicundus, ac lucidus, subtilis ardentis, ac arteriosi sanguinis, ruber, vero, & mediocriter obscurus, mediocris, qualis venarum. Color citrinus, bilem, liuidus, aut plumbeus, bilem atram, & hic perniciosus est, sic plurium colorum permixtio varios humores exuperare ostendit.

Indicationes ac cõtentis.

Si verò sangnini quiddam adiposum, ac pinguæ instar aranei tela innaret, si patiens admodum obęsus, ac pinguis sit ex ipso sanguine, qui in adipem est pronus habet causam. Si verò æger contrario habitu sit præditus eius colliquari, & marcescere indicat. Si verò in extracto sanguine granula quædam arenæ similia offendantur, vel præsentem, vel imminentem elephantiasim indicare inquiunt.

Indicationes ob odore.

Si extractus sanguis grauiter oleat, quo rarissime accidit, ingentis putredinis, ac deploratæ corruptionis est indicium.

Indicia à gustu.

Quo ad gustum, & si degustari minimè debeat, tamen si forte in os cui incidat, si dulcis appareat, probi, & naturalis sanguinis est indicium, si amarus; biliosi, si insipidus pituitosi, si salsus, salsæ pituitæ sanguinem esse perfusum indicat, & si acidus, ac stipticus, melancholicum esse indicat.

Hæc omnia ergo in sanguine sunt animaduertenda, & peluiculæ inter se sunt conferendæ, vt videre, ac compræhendere possimus, quomodo sanguis in venis se habeat, & qui humores in corpore peccent, si ad sufficientiam sit extractus.

Notæ sanguini in aquã extracti.

Sanguis in calidam aquam extractus, ac effusus diuulsis, ac discretis substantijs, similiter multa profert, & si serum, & tenuior sanguinis portio vna cum aqua permisceatur, ac confundatur, tamen ex colore de humoris peccantis natura, & specie quodammodo iudicare possumus. Pars tamen crassior, & magis fibrosa in imo subsidet, quæ secundum naturam esse iudicabitur, si lucida, tenuis, subalbida, & choerens fuerit. Sed si fuerit crassior crassum esse sanguinem indicat, obscura, & nigra, vel alio infecta colore sanguinem vitiosum, & humorum fęcibus coinquinari demonstrat, quos coloris differentia discernit. Si vero parum fibræ inter se cohereant, & distractæ facile dilacerentur, summæ putredinis est argumentum.

De opportuno Venæ ſecandæ tempore. *Cap.* 13.

VRgente neceſſitate, vt vbi aliquis repente obmutuerit, vel nerui ſunt reſoluti, vel in anginæ ſtrangulatione, in caſu ab alto, & vehementi contuſione, vel ſanguinis ſubito vomitu, & his ſimilibus, vt inquit, *Gal. lib. Sanguinis miſſione cap.* 21. & *Albucasis lib.* 2. *cap.* 97. quolibet tempore, & qualibet diei, aut noctis hora venæ ſecari poteſt. Vbi verò neceſſitas non vrget, vt in Febribus, in earum declinatione, ſiuè in infebricitatione, ſi intermittens fuerit, vena tundi debet, cum inquit etiam *C. Celſus lib.* 2. *cap.* 10. In vehementis febris impetu ſanguinem mittere, hominem iugulare eſt.

Quando ob ingentiſſimos dolores ſanguinis miſſione ſit opus, vbi dolores mitigantur, & quietiori hora vena ſecanda; Niſi quid horum vrgeat; mane intermiſſa hora poſt ſomnum. Et in quibus præſeruationis gratia venæ ſectio fit, poſt conſuetas exercitationes, vbi patiens aliquãtiſper quieuerit vena tundenda, & in calidiori die, vt facilius ſanguis flauat. Minimè tamen præſeruationis gratia in maximis frigoribus, ac æſtibus vena tundi debet, vt citati Autores inquiunt; Sed in his temporibus tantum neceſſitate vrgente vena ſecetur.

De Arteriarum ſectione. *Cap.* 14.

HOdiernis temporibus Arteriarum ſectio parum eſt in vſu, & maiores Arteriæ nullo pacto ſunt ſecandæ, cum, vt ſuperius diximus, ſanguis compeſci difficilime poſſit, & ſæpe aneuriſmate contento, ac putrefacto, vel ex arcto vinculo, ſæpe partis gangrena fieri ſolet; Minores arteriæ, quæ in extremis artubus ſunt, vt in Manibus, Pedibus, & Capite, cum facilius agglutinari poſſint, præſertim in molli carne præditis, eorum ſectio non eſt periculoſa; & tunc præcipuè arteriarum ſectio competit, quando aliqua pars vehementi diuturno, pulſanti, ac pungenti dolore afficitur, qui ſit ex ſanguine calido tenui, ac copioſo in affectę partis arterijs contento. In hoc ergo caſu, vt dolor euaueſcat, illæ arteriæ ſecandæ, quæ ab affectis partibus procedunt. His præparationibus prius factis, quæ ante venæ ſectionem competere diximus.

In temporibus, ob acres oculorum fluxiones inhibendas, ſecantur, quarum gratia totæ abſcinduntur, aut actuali cauterio, quod totius eſt, vel potentiali inuruntur, ſicuti in partibus alijs. Poſt aures ſecantur in diuturnis calidis, ac ſpiritu vſis capitis doloribus, in vertigine, in faciei rubore, & alijs quibuſdam inueteratis capitis affectibus. Quæ in manibus inter policem, & indicem excurrunt, in diuturnis laterum doloribus inter viſcera, & diaphragma poſitis ſecantur.

Quæ iuxta malleolos excurrunt in diuturnis, ac inualeſcentibus coxendicis doloribus aperiuntur, ſemper affectæ partis rectitudine ſeruata, ſicuti de venæ ſectione diximus, & eo tempore à cibi, & potus copia ægri ſe temperent, & præcipuè calidioribus; Sic à vehementibus, motibus, vociferationibus, ab vſu veneris, & tandẽ omnibus ijs, quæ arterias abrumpere poſſunt, cũ leui quauis cauſa ſecta arteriæ diſrũpantur.

De Cucurbitularum vſu, ac applicatione. *Cap.* 15.

CVcurbitulæ duobus modis ſunt in vſu, vel ſine ſcarificatione, vel cum ſcarificatione, ſine ſcarificatione, applicatæ cucurbitulæ è diſtantioribus, ac penitioribus partibus ad cutim humores attrahunt, & in eam ſedem illos transferunt, cuicumq; parti fuerint applicatæ, & hoc efficiunt vi flammæ, & caloris, & tantum ſpirituoſam materiam extrahunt; Ideo irruentem fluxionem reuellunt ſanguinis hęmorragiam vndecumque factam directo, ac contrario loco applicatæ ſiſtunt. Errabundum verum, ac fluentem humorem cohibent, & in parte aliqua impactam materiam deriuant, & humores in corporis profundo exiſtentes in ſummum euocant, flatuoſam materiam in aliqua parte coadunatum citiſſime diſſoluunt, ac diſſipant, & tandem eſt citiſſimum præſidij genus, ac minimè periculoſum, cum vires non debilitet, & corpus, nulla qualitate labefactet.

Cucurbitulæ cum ſcarificatione applicatæ

Cucurbitulę quãdo non sunt applicanda.

plicatæ manifestissimè sanguinem in se proliciunt, & corporis summas partes expurgant, & valde potentius, quam simplex scarificatio, & Hyrudinum applicatio. Sed vt inquit *Aetius Serm. 3. cap. 20. et Paul. lib. 6. cap. 41.* Neque in morborum principijs, neque in repletis corporibus sunt applicandæ, prius quam totum corpus fuerit euacuatum, & cum nihil amplius particulare influit, ne tota materia, quæ in corpore peccat, ad partem illam attrahatur, & alicuius magni mali fit causa. Inquiunt similiter, quod quando Cucurbitulæ propè Mammas affiguntur, cauendum ne Mammæ intra Cucurbitulas illabantur, quoniam cum ibi postea tumescant, difficillime tolluntur; Et si hoc accidat, Cucurbitulæ Spongijs in calida Aqua imbibitis, & expressis vndique circumdandæ ac fouendæ, & nisi etiam tolli possunt, Cucurbilæ sunt perforandæ.

Præcordijs etiam intempestiue affixæ inquiunt, præsertim in continentibus Febribus, aut Semitertianis, & maxime si etiam mens Aegri fuerit turbata, & sensus sit obtusus, Strangulatus, & mortem eadem die inducunt. Capiti vero intempestiue admotæ, Lethargos & corporis ac mentis stuporem, & oculos procidiuos faciunt. Quibus autem contigerit, vt hæc effugiant, hi omnino in diuturnum corporis affectum incidunt. Quomodo vero Cucurbitulæ applicentur, etiam mulierculæ sciunt, quod prius pars aliquantisper frictionibus calefacienda, deinde subtili, pauca, ac bene munda stuppa in Cucurbitulam immissa, & igne accensa parti à latere applicanda, ac imprimenda, donec inhereat. Et si in macilentis, vel excarnibus partibus sit scarificanda, post quam aliquantisper carni adheserit ac intumuerit, remouenda, & factis scarificationibus secundum fibrarum rectitudinem iterum applicanda, & post quam non amplius sanguinem attrahit, remouenda & pluries super eandem scarificatam partem applicetur, si maior attractio, & sanguinis euacuatio desideretur, & secunda applicatione etiam, post scarificationem sanguis in scarificationibus concretus educitur.

Quomodo cucurbitulæ applicãdæ.

Scarificationes quomodo faciendę.

Si in corpulentioribus, vel carnosis partibus sanguinem extrahere volumus, prius cutis est scarificanda, deinde cucurbitula applicanda, Et terminus moderatæ scarificationis cutis crassitiem minimè excedat. Post Cucurbitulæ remotionem sanguis ab incisionibus detergendus, vt Hipp. lib. de Vlceribus inquit, ne pars inflammetur, deinde scarificationes Aceto perfundere oportet, cauereq; est opus ne madefiant, neue homo in partem iaceat, quam scalpello attigeris, & aliquod ex his Med. super imponendum est, quæ cruentis Vulneribus protinus injciuntur, Quod si vel ad Genu, vel infra Cucurbitula admoueatur, id fiat, quam homo stat si stare potest, Cum Cucurbitula minori cum molestia, & magis partem exhauriat, ad quam datur, quam si homo alio modo figuretur, Quum sic in suo statu naturali cutis maneat, quæ alioquin nimis extenditur, aut relaxatur ita vt vel nihil ferè per Cucurbitulam euocetur, vel intollerabilis dolor afferatur, cum vero stare non possit, ille habitus eligatur, quem sustinere valeat.

Quod post cucurbitulæ remotionem fit faciẽdum.

De Scarificationibus. *Cap. 16.*

Scarificationes, vel superficiales fiunt, vel profundæ & hæ magis vel minus profundæ esse possunt, superficiales fiunt minutim Cuticula Scalpello discissa, & hæ præcipue ad expurgandam cutim deseruiunt, profundæ altius subeunt, & non solum Cuticulã, sed etiam veram cutim feriunt, vtque *Aetius Serm 3. cap. 21. inquit*. Scarificationem semper præcedat vniuersalis corporis euacuatio, sicuti de Cucurbitulis superius diximus. Fiunt vero scarificationes, vt humor in parte contentus euacuetur, nec tamen quicquam ex alto ac longinquo trahunt, nisi forte subiecta Vena conuulneretur, & quo altius ferrum adigitur, eo plenior sanguinis fit effusio. Euacuant igitur scarificationes humores in cute influxos, impactos, contumaciter inherentes, vel ibi corruptos. Deseruiunt similiter ad calorem euentilandum, quando à copia materiæ suffocatur, ac strangulatur, sicuti in Gangrenis ac Sphacelis accidit, Ad diuersionem, ac reuulsionem faciendam etiam scarificationes sunt vtiles conuenientibus locis factæ, & ideo loco citato inquit Aetius; Quod scarificatio prodest oculis diuturna fluxione affectis, & alijs capitis affectionibus, itemque Thoracis, & Anginis.

Quę scarificationes præcedere debeant.

Per

Per rectitudinem fibrarum ſimiliter ſcarificationes fieri debent, & ſi vis, vt vberius ſanguinem profundant, & à longinquioribus partibus attrahant, profundiores fiant, & protinus cucurbitula applicetur.

De Hyrudinibus, ſiuè Sanguiſugis, *Cap.* 17.

HÆC Animalia item, ſicuti ſcarificationes, & cucurbitulæ deſeruiunt ad exhauriendum ſanguinem in illa parte inherentem, ad reuulſionem, ac derivationem faciendam, & in pueris venis applicatæ, venæ ſectionis vice deſeruiunt, & in qualibet corporis parte applicari poſſunt.

Hyrudo morſu trifidum vulnus infligit, quod non cutem modo, verum altius quoque, ſi ea tenella, ſicuti pueris, ac infantibus eſt, penetrat, & quouſque turgeſcit, ac ſaturatur, auide attrahit, deinde procidit, & ſi ſupra turgentem venam fuerit affixa, etiam ſublata, ſanguis profluit. Si verò in parte cui amplior vena ſubiecta non ſit, & durituſculæ cuti adheſerit, ſolum partem, quam attigerit euacuat, aut certe minimum à propinquis partibus.

Comperis igitur hyrudinum applicatio cutaneis morbis, ſicuti in Scabie, in Vitiligine, in Impetigine, in Rene naſi, & faciei rubore, in Elephanticorum tuberculis, & his ſimilibus. In hæmorroidibus apperiendis, & in euacuatione, reuulſione, ac derivatione facienda, ſicuti diximus. Sed vt auidius ſugant, & nullius malæ qualitatis ſint participes, in dulci aqua per plures dies purgatæ, ac inanitæ eſſe debent.

Pars verò cui ſunt applicandæ prius nitro confricanda, ſicuti *Actius Serm. 3. cap. 22. inquit*, deinde optimo dulciſſima aqua abluenda, poſtea, vt ciſius adhereant, pars vbi illas admouere vis, ſanguine illiniatur, & per fiſtulam ex quauis matersa confectam vnaquaque demittatur, vt ſuo loco prius deſignato affigatur, & quando vis, vt remoueantur, aſpergatur eorum os nitro, vel Sale, vel Cinere, & ſtatim decident. Poſt quam deciderint, ſi vis, vt ſanguis emanet, pars ſpongia calida aqua imbibita foueatur, ac confricetur, & ſi ex alto id, quod eſt noxium attrahere volumus, ſupra morſum cucurbitula affigatur.

Et ſi nimis fluentem ſanguinem ſiſtere cupimus, applicetur Galla vſta, aut Goſſipium vſtum, vel Linteum vſtum, vel quid ſimile, quod fluentem ſanguinem compeſcere poſſit, & duplicato Linteo ſicco, vel Oui albumine imbibito ſuperaddito, pars vinciatur, ſicuti decet. Et hæc de rebus ad Cheirurgicam Artem ſpectantibus dicta ſufficiant modo ſupereſt, vt Immortali Deo, ac eius Genitrici gratias agamus, qui, vt hoc opus perficere poſſem, incolumem ſeruarunt. Et ſi Lectoribus hæc ſcripta placuerint, non mihi, ſed Dei Benignitati totum tribuant, qui intellectum meum illuminare dignatus eſt. Si diſpliceant, non effectum, ſed affectum, ac voluntatem reſpiciant, quæ omnibus prodeſſe ſemper deſiderio exarſit,

LAVS DEO.

Per

NOVA ADDICTIO FRANCISCI PECCETTI.

Obseruatio magnæ dilacerationis, & rupturæ manus.

ANno 1694. die 27. Iunij, fuit curatus quidam Miles Germanus ætatis annorũ circiter 25. ex magna dilaceratione manus sinistræ, cum fractura venarum, & arteriarum, neruorum, ligamentorũ, & ossium facta ab explosione sclopi; quam magnam dilacerationem &c. considerans Chirurgus dubitauit in primis de conuulsione, mox de Gangræna, & sphacelo vndè mors, quam vt euitaret, recursum habuit ad amputationem manus iuxtà doctrinam classicorum Auctorum, & stantibus Patientis viribus amputauit; in ipsaque iunctura manus; prima curatio facta fuit in supprimendo sanguine manè diei 28. hora 15., vnde & alia omnia ordinata fuerunt ad perfectam sanationem spatio dierum 45.

Obseruatio alterius casus.

ANno 1694. die 2. Augusti fuit curatus quidam Oppidanus ætatis annorum 22. circiter, qui cum haberet manum sinistram supra os sclopi, hic explosus fuit sola puluere nitraria, cuius vis manum supra positam dilacerauit cum magna fractura venarum, arteriarum, tendinum, & intrinseca constitutio manus dicta puluere tota erat plena; Nocte vero ob acerbitatem doloris, qua opprimebatur, pati incipiebat motus conuulsiuos, vnde timens Chirurgus de Gangræna, & Sphacelo antequam vlterius progrederetur, & vires debilitarentur manum affectam amputauit hora 22. fuit reparatum sanguinis effusioni, & cum victus regimine congruo vsurpato, & alijs aptis remedijs conualuit spatio dierum 40. Quod fuit fere prodigiosum in hoc casu est, cum haberet patiens antè amputationem torturam oris, & colli; hac secuta omnia redierunt in pristinum statum cum maxima omnium adstantium admiratione.

Obseruatio magnæ dilacerationis, & rupturæ vnius manus.

ANno 1690. die 7. Septembris fuit curatus quidam Villicus ætatis annorum 30. circitèr temperamenti aliquantisper caccohymi, qui cum nocte quadam explosiſſet sclopum vulgo dicebatur moschetto biscaijno, is crepuit inferens magnam dilacerationem, & rupturam in manu sinistra, auferens cum illa dicos digitos pollicem scilicet, & indicem cum suis tendonibus vsque ad cubitum cum maximo sensu dolorifico ossium totius corporis maxime ex venis, & arterijs quarum læsione facta fuit effusio magna sanguinis. Hæc considerans Chirurgus dubitauit de propinqua conuulsione maxime ob rupturam venarum, & arteriarum spirituum deficientium accidens efficientem, vnde prognosticum etiam fecit de ineuitabili Gangræna, & Sphacelo iuxta doctrinam Classicorum Auctorum, ex quo coactus fuit deuenire ad amputationem manus facta prius protestatione ad domesticos, qui si hanc operationem recusarent; certi essent de proxima patientis morte, qua secuta considerata fuerunt patienti vires, quas etiam ponderauerat antè amputationem, applicitæ fuerunt medicamenta intercipientia cum vnctione totius brachij ad quietandum dolorem ex oleis rosaceo,

amigd. dulc. & simul eam lubricorum cum linteolis desuper appositis, & oxicrato madefactis non specta totius corporis prouisione vna cordialibus, optimis cibis, & portione vini ad instaurandam virtutem, quæ multum imminuta fuerat vna cum oleo pro conuulsis ad totum spinalem medullam, & emunctoriam adhibito. Fuit tandem ligamento solutum brachium manus amputate post tres dies, & applicitum fuit balsamum vulnerarium cum vnctionibus ex oxicrato; Sed quia extirpata fuerunt ligamenta, vsque ad cubitum quarta die incepit pars putrefieri, & augurii accidentia febris magnæ, anxietatis, & deliquiorum animi, inde correcta fuit aptis medicamentis putredo, simùlque inhibita, verum non dormiebat diu, neque noctu, & syncopizabat frequenter continuabatque hæc omnia ad diem 14., à qua cessarunt omnia, interim perseuerabant vnctiones, epythemata, & laudanum opiatum pars vero læsa cum fuit mundificata exsiccantibus, & roborantibus, cessarunt omnia, & conualuit Patiens perfectissime spatio dierum 50.

Obseruatio vulneris in inguine sinistro cum læsione vasorum seminalium.

ANno 1693. die 25. Octobris, fuit vulneratus quidam Rusticus ætatis annor. circiter 25. optimi temperamenti in inguine sinistro cum læsione vasorum seminalium, cum magna extrauasione sanguinis in scrotum; Sed cum apparuisset mortificatio adhibitum, ideò fuit emplastrum ex farinis hordei fabarum, pul. rosarum rubrarum, & cumini cum sufficienti quantitate oxicrate, & portione sapę fuit ex parte dessoluta dicta mortificatio; Verum quia vlterius acceperat calceum in dicto testiculo, facta fuit inflammatio apostematissa, & computruit dictus testiculus, quem forti causstico adhibito Chirurgus extirpauit vna cum alijs vicinis partibus simùl putridis, indè Medicamentis exsiccantibus, & roborantibus non neglecta totius corporis prouisione perfectissimè conualuit spatio dierum triginta quinque.

Obseruatio vulneris in Inguine, cum læsione vasorum seminalium.

ANno 1693. die 15. Aprilis, fuit vulneratus à quodam milite Baiulator vulgo vn Facchino annorum 35. circiter in inguine sinistro, cum læsione vasorum seminalium; post mediam horam à vulnere fuit vocatus Chirurgus, qui ob copiam sanguinis extrauasati inuenit scrotum ex toto liuidum, & tumidum ad instar mediocris melonis, & statim intentus fuit ad restringendum sanguinem, desuper appositi Emplastrum idoneum ad echimosis resolutionem. Manè diei sequentis inuenit scrotum grauius intumuisse, & nigrum esse, & cum lanceola pungendo nihilque sentiente Patiente detexit scrotum esse ex toto mortificatum, cum maxima inflammatione sese vsque ad Costas mendosas extendente, vndè sinè temporis dilatione statim secuta fuit totius scroti scarificatio, postea, cum lixiuio facta fuit ablutio, & inde cauterizatio vngueto Aegiptiaco summè calido mixto, cum pulu. Aluminis, Mercurij, præcipitati, & viridis æris, d. superque Emplastrum positum fuit ex farinis exsiccantibus, roborantibus, & putredinem prohibentibus, quales ex factis, lupinis, pulu. rosarum Rubrarum, Absintij, Scordij, Aloe, Myrrhæ, vna cum Aceto per mixtæ, & Aqua vitæ, & sic mortificatio cessauit, & dierum quatuor spatio separata fuit escharæ, quasi totius scroti; vnde testiculi detecti, & nudi remanserant, quorum robur sesitatum fuit, cum Linteolis, Vino stiptico madefactis; sed dum perseuerabat febris iudiciatum fuit de augmento putredinis subtus supra dictam inflammationem, & vt hæc extraheretur pluribus incisionibus peractis facta fuit dilatatio magna, ab inguine ad Costas mendosas, & demum remedijs propijs inhibita fuit putredo ex toto, & facta mundificatione curam perfecit Chirurgus ad omnimodam sanationem, quæ aduenit termino dierum sexaginta.

Obseruatio Echymosis occupantis omnes musculos ventris inferioris.

ANno 1691. mense Aprilis, Faber quidam cæmentarius cecidit ex quodam Campanili, & prostratus in terram passus

est

est turbem super ventrem inferiorem, ex quo facta fuit echymosis magna ad omnes musculos ventris inferioris. Fuit vocatus Chirurgus, qui obseruauit eiusmodi echymosim, non posse resolui, vnde tentauit aperitionem in parte inferiori, ex qua extraxit magnam copiam sanguinis extrauasati; postea applicuit optima remedia supra Ventrem Emplastrum pariter apposuit facultatis partim repellentis, & partim resoluentis, & etiam partim roborantis, fuitque prouisum toti Corpori iuxta Canones Medicinæ; attamen de die in diem ob magnam attritionem peius se habebat, vt ex magna copia sanguinis, natura non poterat succurrere, & coacta fuit partem derelinquere, quasi irremediabili putredine affectam; qua re considerauit iussit ea fieri, quæ ad animæ salutem erant oportuna, & necessaria, postea considerans in rebus dubijs melius esse anceps remedium experiri, quam nullum, & extremis, cum Hippocrite Morbis, extrema esse exquisita remedia; fecit Chirurgus dilatationem magnam à parte dextera vsque ad sinistram; & in medio incisionis rursus partem inferiorem, postea versum superiorem in formam crucis, & cum Vnguento Aegyptiaco summè calido; cum Aqua vitæ extracta fuit multa materia putredinosa; Cui prouisum fuit Emplastro desuper exsiccante, & roborante, continuando, donec ex toto cessauit putredo, & inde cum Linteolis, Vino Sriptitico madefactis perfectè conualuit patiens spatio dierum 50.

Obseruatio magni absteſſus in cauitate naturali ad regionem renis dextri.

ANno 1693. mense Maij, fuit curatus quidam Baiulator, vulgo Facchino, qui ob dolorem, quo opprimebatur ad regionem renis dexteri per sex menses decumbebat lecto, sine potius super paleas, nec poterat quoquouersum se reuoluere, & à multis videbatur impossibile, vt sanaretur, siuè ob timorem, siuè ob ignorantiam; Et cum ità se haberet, Chirurgus se accinxit ad opus curatiuum, qui obseruauit ad situm doloris paucum tumorem extensum, & tactu detecta fuit profunda quædam inundatio, cum dolore fixo, & sensitas fuit abscelus in dictam cauitatẽ penetrans; Fuit proposita incisio, quæ omni exquisita diligentia secuta fuit, ex qua incisione extracta fuit copia materiæ præter modum fœtentis, postea cum licinio, & aptis remedijs curata fuit; Secunda visitatione Chirurgus inuenit patientem satis superq; subleuatum, & cum ablutione vini, & vnguento Aegyptiaco curauit correctionem fœtoris, & cum adhuc in melius proficeret patiens, ah dominus natura partim exonerata ab illa putrilagine tentauit, quarta die tumorem in inguine dextero; ad cuius imitationem ceratis aptis tentauit Chirurgus suppurationem; aperto tumore exiuit multa materia iam in superiori parte imminuta. Victus ratio præscripta fuit ad commodam patientis normam, sic 14. die iterum natura expulsionem fecit per secessum, qua mediante cessarunt omnia, & omnimodam sanationem fuit adeptus spatio quadraginta dierum.

Obseruatio abscessus in hepate extensi vsque ad venam vmbilicalem.

ANno 1691. die 1. Iunij, fuit curatus quidam Tympanista Italus à Chirurgo de quodam abscessu ad vmbilicum cum febricula continua multi temporis, & emaciatione quasi totius corporis; fuit interrogatus patiens de initio abscessus, qui respondit fuisse dolorem quemdam ad hepar, vna cum febre, fuitque curatus à suo Medico per purgationem quamdam simplicem; nec aliter postmodum factum fuerat: transacto mense incepit in tumorem eleuari vmbilicum, qui fuit iudicatus esse hernia vmbilicalis; Sed à Chirurgo fuit ad inuentus tumor esse cum materia, cui sanando non melius prodesse poterat quam incisio, qua secuta fuit extracta ad pondus virium materia, & ita continuabatur; Nihilominus augescebant febris, anxietas, singultus, & vomitus, adeò vt obierit; Post obitum Chirurgus aperire voluit partem læsam, & inuenit partim hepatis cauam putruisse, quo loco factus fuerat abscessus.

Obseruatio vulneris in Ventre inferiori cum pauca læsione hepatis.

ANno 1692. die 7. Martij fuit vulneratus quidam Miles Vvitorabergensis ex vulnere ense facto intra Cauitatem naturalem ad partem dexteram cum pauca hepatis læsione vt ex accidentibus concomitantibus talem læsionem; Chirurgus in primis totus fuit intentus ad sanguinis fluentis retentionem, posteà cordialibus, & vini potu fuit restauratus patiens. Mane diei sequentis fuit adinuenta multa quantitas sanguinis à parte læsa in Ventrem percolata, quæ vt esset multa ita impossibilem censuit ad dissolutionem, & resolutionem à natura faciendam, sed considerauit Chirurgus expedire dilatationem, quæ fuit instituta eadem die cum magno exitu sanguinis multum nigricantis, & curatus fuit methodo solita ad perfectam sanitatem spatio dierum viginti.

Obseruatio vulneris penetrantis in Ventrem inferiorem cum læsione hæpatis.

ANno 1692. die 14. Decembris fuit vulneratus quidam Miles Germanus quod quidem vulnus penetrabat in Ventrem inferiorem in parte dextera cum hepatis læsione; vnà cum multis accidentibus cuiusmodi erant magna hæmorrhogia, dolores pungitiui, ad iugulum ascendentes, vomitus bilioſi & maximè fetentes, pro prima curandi intentione fuit instituta sanguinis retentio iuxta Auicennæ doctrinam, postea cum cordialibus, & portioni vini instituta fuit spirituum restauratio. Mane diei sequentis balsamo vulneratio, & appropriatis medicamentis vsus est Chirurgus vna cum viuus ratione congrua, & Alexipharmacis; inde obseruauit Chirurgus tumidum ventrem, cui prouisum fuit vnctionem ex oleo rosaceo, chamomil. & amigd. dulc. & desuper Omentum vituli; nihilominus accidentia ingrauiscibant, & patiens in maximo vitæ discrimine versabatur, tentauit Chirurgus cum difficultate dilationem vulneris, ex qua prodijt magna quantitas sanguinis atri, & in grumes concursi cum maximo leuamine patientis; qui in partem læsam decumbens auxilium præstabat exitus materiæ, & in vulnus infundebatur mel. ros. simplex; Siropus de Corallis, desuper balsamus Peruuianus appositus fuit vsque quo totus sanguis fuit expurgatus, vnà cum cessatione accidentium, postea ceratis, & balsamicis, & similibus liquoribus introducta fuit consolidatio cum perfecta sanitate, & hoc spatio dierum triginta.

Obseruatio vulneris penetrantis in Ventrem ad lumbos, & regionem renum.

ANno 1692. die 18. Iunij. Adolescens quidam ætatis annorum circiter 28. temperamenti multum pituitosi, fuit vulneratus ab Hyspano Milite cum ense satis acuto ad Mustulum lumbarem sinistrum, quod quidem vulnus incauitatem naturalem penetrabat cum magna læsione renis sinistri, vt ex situ non solum partis vulneratæ, sed etiam ex vrina sanguinolenta iuxta aphorismorum Hippocr. Quicumque sponte sanguinem mingunt, ijs in renibus venæ rupturam significant, & nocte multum sic minxit. Cum esset aduocatus alter Chirurgus obseruatum fuit tale vulnus, quod fuit pro prima intentione curatum, postea cum aptis reuulsionibus, & euacuationibus cum victu tenui, ne materia contraheret multum acredinis, & substantiæ, valdè aglutinantis, & adstringentis: vt autem sanguinis effusioni ex parte vulnerata resisteretur exhibitum fuit parum de conserua zuchari rosati veteri, cum puluere mastiche, boliarmeni, terræ sigillatæ cum emulsione ad demulcendum acredinem succorum facta ex quatuor seminibus frigidis maioribus, amigdalis dulcibus, sale pruuellæ cum aqua lactucæ, & endiuiæ ad partes æquales, & manè exhibitus Siropus de Althea ex Fernilio ad onz. 3. cum onz. 4. aquæ maluæ quibus fluuidior fieret sanguis ne ingrumos transiret adhibitæ fuerunt vnctiones aperturæ ad pectinis regionem, & collum vesicæ ex oleo è scorpionibus, amigd. dulc. liliorum alborum viol. & similium vsque ad septimam olium; qua transacta vrina inclaruit, & facilis ad exitum, nihilominus perseuerabat febris cum anxietate, doloribus & alijs accidentibus, quæ erant certum signum sanguinis

extra-

extrauasati in dictam cauitatem, qui inchoabat putrescere, vnde coactus fuit Chirurgus manè diei octauæ facere idoneam dilatationem, ex qua prodijt magna copia sanguinis putridi cum fætore valido, quibus vt prouiderit facta fuit ablutio ex vino albo cum Vnguento ægyptiaco, postea cum canula plumbea, quæ immissa fuit, ex qua prodibat materia, & cum cerato Diopalma, & linteolis vino madefactis ad robur partis extrinsecæ, & secutum id fuit vsque ad 14. diem; quo tempore materia euasit bona in quantitate, qualitate æqualitate, & sine fætore; ad maiorem verò exsiccationem, & robur facta fuit ablusio, ex Aqua vitæ, & melle ros. simplici factaque ablatione percolabatur intra vulnus balsamus sulphuris trebentinato, & Aqua balsamica, postea cum cerato barbaro facta imminutione canulæ vsque ad perfectam sanationem, quæ secuta est spatio dierum sexaginta.

Obseruatio vulneris penetrantis in Ventrem inferiorem cum læsione Ventriculi.

ANno 1694. die 12. Maij, fuit vulneratus in quodam Conflictu Liberator, vulgò Arrigliere; & vulnus penetrabat in regionem Ventriculi ad ipsius cauitatem, cum vomitu, & sanguinis sputo; Prima curandi ratio fuit vt cerato Diopalma, & inchoata fuit curatio vna cum correctione accidentium. Die sequenti supervenit vomitus magnus bilis vitellinæ, postea porraceæ, & inde rubea, idest cruenta cum affectibus cardiacis, quæ omnia vsu cordialium potentiorum, vnctionem emplastrorum corroborantium, & adstringentium cessarunt. Et de hora in horam exhibebatur succus carnis, dum non poterat assumerem aliam cibi speciem vna cum portione optimi vini rubri cum Theriaca. Die nona prius ita se habuit, vt ageret animam. Verum cum maxima siti excruciaretur permissus fuit potus multus aquæ acetosæ cum confectionis hyacinthinæ solutionem, & spiritus vitrioli vsque ad gratam acciditatem, quibus omnibus recreatus summoperè, & cibis enutritus incæpit melius se habere donec ex toto remansit liber, quod secutum fuit spatio dierum triginta.

Obseruatio vulneris penetrantis in Ventrem inferiorem, cum læsione Ventriculi.

ANno 1693. die 21. Augusti, fuit quidam Rhedarius ætatis annorum 28. vulneratus in Ventre inferiori, cum læsione cauitatis Ventriculi, vt ex vomitu superueniente iudicatum fuit, quare post vomitum noctu temporis exhibita fuit dosis vna Confect. Hyacinthinæ, cum scrup. 1. Salis prunellæ, & Conserua absinthij, cum vini optimi pauco potu: ad firmandum vomitum, & instaurationem, & robur spirituum. Manè diei sequentis, quæ fuit 22. detectum fuit vulnus, & exijt foras materia rara, & alba ad onz. 3. & cum summa attentione iudicata fuit esse materia Chilosa, ex qua certius fuit signum læsionis cauitatis ventriculi, vnde licinium intromissum fuit cum suis appropriatis remedijs; Extrinsecus ad os ventriculi inunctio ex oleo absinthij, mastiche, & cotoneorum protumiditate ventris flatuosa, & sanguine extrauasato ordinata fuit vnctio ol. ros. & chamomelini, & desuper emplastrum applicitum ex farina ordei, fabarum ad ana. onz. 1. pulu. rotarum abscinthij, & chamomil. ad ana. onz. 1. puluerizatæ anisorum & cumini ad ana. onz. media furfuris pugillo, exicrati q. s. & in fine lap. onz. 3., & pro firmando cerebro oleum pro conuulsis ad spinalem medullam. Victus ratio fuit ex succo carnis; & mane sirupus refrigerans, & adstringens cum scrup. 1. Trochisc. de charabe. Interdum vinum cineorum, & grauatorũ cum aqua chalibeata, quæ etiam ad conficiendũ cibum adhibebatur. Hoc non obstantibus cum febris, & alia accidentia perseuerarent imo crescerent, censitum fuit hæc omnia prouenire à materiæ in cauitate retentione, quæ postea exijt, & dilatatione vulneris, quod dum exsiccabatur, exijt quid vulgò dicitur resega piscis, quem die antecedenti comederat, ex quo certa fuit læsio prædicta ventriculi, postea vino albo chalibeato, & alterato equiseto, consolida, & centaurio minore cum portione mellis rosati facta fuit ablutio, & posteà facta fuit percolatio in vulneris cauitatem syrupi de myrrho, rosarum siccarum, & coraliorum, & desuper appositum fuit vnguentum Apostolorum

cum

cum cerato Diopalma, vsque ad diem 21., tunc que cessarunt prædicta accidentia, immo ob maiorem exsiccationem, & robur vsum fuit vino stiptico abbundo, & vltimo venit in vsum Aqua vitæ, balsamus Peruuianus, ceratum Barbarum, & de gratia Dei, in quibus perseuerantia instituta fuit, vsque ad perfectam consolidationem, quæ secuta est dierum 45. spatio.

Obseruatio Vulneris penetrantis in pectus explosione sclopi, cum plumbea pila facti.

ADolescens quidam Sutor fuit vulneratus Anno 1695. ad finem Septembris, & vulnus fuit penetrans in Pectus ad partem sinistram inferiorem, in cuius cauitate remanebat pila. Instituta fuit curatio cum Medicamentis adstringentibus primo loco; Sed quia oppressus erat multis variisque periculosis accidentibus, Sacerdos commissus fuit à quo Eucharistiam Sacrosanctam suscepit vna cum animæ commendatione ad Deum; Mane diei sequentis tentatum fuit, vt pila extraheretur; Sed fuit impossibile; ideoque ad medicamenta, quæ similibus casibus prosunt, deuentum fuit febri superuenienti prouisum fuit continuando digestionem, & mundificationem vulneris, dieque sexta fuit à febre liber, vnaque ab alijs accidentibus, nihilominus curabatur consolidatio vulneris medicamentis balsamicis; transacta vero decimaquarta die superuenit diarrhea cum magna febre, quæ licet curaretur appositè, tamen crescebat simul cum magna vulneris relaxatione; Sed natura die 21. tentauit per os transmittere multam materiæ purulentæ copiam, quæ retenta intrà cauitatem producebat varia, & periculosa accidentia; nec vnquam fuit possibile vt posset exire per vulnus; Sed vsu exputarentium cessauit diarrhea, & febris. Fuit pariter vsurpatus pro robore vulneratæ partis in partem ipsam immittere sirupum dicto Corallis, & extrinsecus vti cerato gratia Dei, quæ continuata fuerunt ad omnimodam sanationem, quod fuit spatium quasi trium mensium. Interim perseuerabat sputum sanguinis, cum tumore Ventris inferioris, vna cum facie, & cruribus tumidis, & cachexia quadam, ex quibus cecidit patiens in perfectum hydropem. Attamen finita spuitione cessauit empyema; & iterum corroborantia profuerunt, & sanus factus est.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus.

ANno 1694. die 8. Nouembris, noctu temporis fuit quidam Agens vulneratus ætatis annorum 45. circiter, quod quidem vulnus penetrabat in Pectus ad mammam dexteram factum cum ense multum acuto; aderat tumor flatuosus magnus circa vulnus, sanguinis sputum, deliquium animi, & alia id genus. Considerata profunditate vulneris, & angustia existimauit Chirurgus omne opus suum frustraneum verum simplici cerato Diopalma curarum fuit vulnus pro prima intentione; postea cum vnctionibus pectoralibus, oxicrato, & alijs appropriatis remedijs inchoata fuit curatio; Præsto fuerunt omnia euacuationum, & reuulsionum genera, lambitiui, sirupi thoracicus, & cordialia quælibet donec fuit liberatus ab omnibus accidentibus, quod die nona fuit, postea cum cerato Barbaro, & vino corroborante continuatum fuit vsque ad decimam quartam, quo tempore remansit perfectè sanus.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus ad partem superiorem.

ANno 1694. die 30. Aprilis, fuit curatus quidam Calceolarius ætatis annorum 35. circiter temperamenti cacochimici, cuius vulnus fuit factus ferro incidente, & in Pectus penetrabat ad partem dexteram, & superiorem cum omnibus accidentibus solitis superuenire consimilibus vulneribus considerata essentia penetratione q. s. eiusdem vulneris, cum esset nimis amplum fuit à Chirurgo recusitum, ne dissolueretur spiritus, & vt posset materia, quæ per partem superiorem expurgari non poterat, educi; illudque reduxi in partem decliuem, cum idoneo orificio per quod materia quæuis inutilis extruderetur, & ita fuit remedijs conuenientibus curatum vulnus; Non defuerunt genera omnia reuellentium, & euacuantium superfluitates, lambitiua cordialia, vnctiones pectorales, & sirupis expectorantibus. In parte inferiori sequentibus accidentibus gra-

doloris, multæque difficultatis in respirando ordinatum fuit vti Emplastris anodinis, & alijs donec accidentia non tam sedata, sed eam imminuta fuissent, quod die 24. postea relicto licinio balsamo sulfuris peruuiano, & cerato consolidante, vna cum linteolis madefactis & expressis vino ad maius robur inducendum, quibus vsum fuit donec ex toto sanatus fuit patiens, quod secutum fuit spatio dierum quadraginta quinque.

Obseruatio vulneris in capite, cum læsione cerebri, ex quo patiens obijt.

MEnse Aprilis 1692. fuit curatus à Chirurgo quidam puer ætatis annorum duodecim; vulneratus hic fuit in fronte ab equo, cum ruptura ossis duræ, & piæ matris, & læsione cerebri; fuerunt applicita quæ erant conuenientia medicamenta, vsque ad decimam septimam, quo tempore luna etiam crescente incæpit insurgere magna quædam ebullitio, à qua exibat substantia quæ non potuit retineri vllis remediorum generibus vsque ad diem 21. quo tempore loquelam amisit, & superuenere motus conuulsiui, & 22. obijt, & obseruatum fuit exijsse è dicto vulnere plus quam decem vnciæ.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus in parte superiori.

ANno 1692. die sexta Ianuarij vulnerata fuit quædam adolescentula ætatis annorum circiter 18., quod quidem vulnus penetrabat in parte superiori in Pectus, eiusque ingressus erat ad ipsam sinistram mammam cum parua læsione pulmonis ex ferro pungente, & scindente, quæ quidem læsio fuit in primis detecta ex sanguinis spuro, & alijs accidentibus comitantibus ad illius curationem instituta fuerunt in primis medicamenta adstringentia, postea superuenientibus grauioribus accidentibus veluti sudoribus diaphoreticis, lypothimia cum pulsus paruitate, & facie hyppocratica necessarium fuit recurrere ad Sacramentorum susceptionem pro animæ salute, quod totum à Parocho diligentissime fuit administratum; deinde cum Alexipharmacis cordialibus curata fuit aliqua spirituum restauratio. Aduentante septima die mane obseruata fuit febris vna cum magno dolore grauatiuo circa costas mendosas, qui signum præbebat verum de sanguine in dictam cauitatem extrauenato, sed facta consideratione quod esset casus obseruatione dignus censitum fuit maioris esse damni omnem quæ fieri potuisset dilatationem, & ita prouisum fuit vulneri licinio oleo balsamino imbuto, & vnguentis anodynis, vnctionibusque pectoralibus; parti inferiori vt pote oppressæ magno dolore applicitum fuit emplastrum anodynum ex lacte pane tritico puluerizato cum puluere rosarum, anisorum, camomillæ vitellorum ouorum, oleo amygd. dulcium, rosaceo, camomillino vna cum portunculæ sapæ postea vius fuit introductus euacuantiam lenitiuorum, & reuulsiuorum vna cum lambitiuis, & sirupis expectorantibus quibus insistimus donec imminuta fuerunt accidentia omnia; quæ durarunt vsque ad diem 14. qua transacta ceratum applicitum fuit balsamicum vsque ad omnimodam sanationem, quæ secuta fuit die 35. à vulnere.

Obseruatio vulneris in Pectus penetrantis in parte superiori, cum ferro pungente, & incidente, & cum parua læsione pulmonis, quod fuit sanatum quasi pro prima intentione.

A Dolescens Calcearius ætatis annorum 18. circiter anno 1691. die 26. Iunij ab aduersario vulneratus dum opus suum profitebatur, & vulnus, quod accepetat, erat in Pectus penetrans ad mammillam dexteram inter secundam, & tertiam costam cum parua læsione pulmonis cum ferro pungente, & incidente vna cum omnibus accidentibus concomitantibus talem læsionem; & præcipue grauatiuo dolore ad costas mendosas, difficili respiratione ob sanguinem extrauasatum supra dilationem, quod est instrumentum respirationi dicatum fuit vocatus Chirurgus, qui prima visitatione considerauit profunditatem vulneris, quam censuit Chirurgus non egere aperitione, & dilatatione secundum mentem classicorum Auctorum præcipue Doctoris Bernardini Gaughæ Phylosophi, & Medici Chirurgi Primarij, & professoris

ris Anatomici, & Chirurgiæ in Venerando Arcchi Hospitali Sancti Spiritus Romæ in sua Anatomicæ Chirurgica lib. 1. ca. 10. fol. 46., qui mentionem facit specialem, appo suit igitur paruulum lichinium imbibitum balsamo vulnerario vt materia à labijs vul neris genita non caderet in cauitatem; supra ceratum Diopalma cum vnctionibus p: storalibus, & eximellite &c. Quantum ad partem inferiorem ad resoluendum, & r oborandum adhibita fuerunt emplastra ex farina fabarum, hordei ad onz. 2. pro qualibet puluis ros. rubr. onz. 1. pulu. cumissi, anisorum, camomillæ ad onz. media pro quolibet, aceti onz. 2. aquæ hordei q. s. S. A. Emplastrum adduco in fine ol. ros. camomillæ à onz. 1. sapæ onz. 3., qua methodo, & præsidijs institit Chirurgus vsque ad septimam diem; Nec defuerunt omnia reuellentium genera, lambitiui, sirupi accomodati, potiones cordiales, & adstringentia sanguinem, & dissoluentia sanguinem extrauasatum vsque ad decimam quartam diem quo tempore cessarunt omnia accidentia, vltimo remoto licinio ad vsum ceratæ Barbari, & linteola imbibita in vino corroborante; continuauit cum his Chirurgus ad perfectam sanationem, quæ secuta fuit die 18.

Obseruatio vulneris supra Caput facti cum incisione cum maximis symptomatibus.

ANno 1691. mense Octobris quidam Rusticus post dies quindecim à vulnere magno supra caput ad commissuram sagittalem transuersim inflicto ex ictu vulgo di marazzo cum incisione, & fractura totius substantiæ ossis fuit curatus appropriatis remedijs, vsque ad diem 24. quo tempore fuit inuasus à fibrili calore, & quidem valido rigore, vomitu, & alijs id genus. Tunc præmisso prognostico certæ futuræ mortis, incepta fuit curatio cum specillo ad labia vulneris, & inuentum fuit frustum vitreæ à prima tabula separatum, & cum forfice acceptum obseruatum fuit esse longitudinis quasi duorum digitorum, & hoc iudicatum fuit esse impedimentum, ne materia exiret qua retenta originabantur magna accidentia; Quare accepto incisorio, & cum maxima vulnerati Patientis afflictione ruptum fuit in tria frusta, quorum singillatim vnum post aliud fuit extractum cum euacuatione materiæ ad vncias circa septem, quæ in eo recondebatur; deinde facta ablutione cum vino albo, & melle rosaceo, & aqua vitæ vna cum portione balsami Orientalis à quibus fuit subleuatus vsque ad trigesimam sextam, quo tempore excitata fuerunt eadem accidentia ex quo latebat intus aliqua materia, quæ post incursionem Patientis cum capite inferius, exijt magna copia materiæ, vsque ad quadragesimamseptimam renouata fuerunt accidentia quibus subleuatus fuit cum sortibus sternutatorijs, at cum medicamentis exsiccantibus perfecta fuit sanatio vulneris sexagesima die.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus ad costas mendosas in parte postica cum læsione diaphragmatis optimè sanati.

ANno 1690. die 7. Maij quidam Adolescens ætatis annorum 23. circiter, fuit ferro vulneratus pungente, & incisiuo prope spinam ad Costas Mendosas, quod vulnus ingrediebatur, & perforabat partem carnosam diaphragmatis, & ingressum etiam habebat in cauitatem vitalem cum læsione partium contentarum, quam penetrationem, & læsionem non solum stylus indicauit, sed & etiam accidentia concomitantia omnia talem læsionem, facies scilicet cadaueracea, sudores frigidi, virium prostratio, magna respirandi difficultas, deliquium animi &c. quæ omnia coegerunt, vt Sacerdos conuocatus animæ eius saluti præsto esset, cum esset quasi in extremis; quibus peractis studuit Chirurgus pulueribus Cordialibus spirituum restaurationem afferre, immò attenta inuasione magna accidentium, & angustia vulneris iudicauit latitare magnam copiam sanguinis extrauasati, quam extraxit facta dilatione sufficienti iuxta methodum Classicorum Auctorum cum esset in parte decliui, & ita medicamentis opportunis, & appropriatis curatum fuit vulnus; vt dissolueretur sanguis extrauenatus exhibitus fuit potus oxycrati cum aqua boraginis cum portione salis Prunelli; Manè diei sequentis exijt è vulnere magna sanguinis extrauenati quantitas, tam multo leuamine Patientis, cui prouisum

fuit oleis Balsamicis,& vnctionibus Thoracicis, nec defuerunt genera renulsionum, lambitiui, sirupi expectorantes contemperantes, & victus ratio congrua; læsioni diaphragmatis vt quod est pars summoperè neruosa consultum fuit continua vnctione vti pro conuulsis vsque ad septimam, qua transacta cum essent omnia ad meliorem statum redacta instituta fuit ablutio ex aqua Hordei, vino albo, & melle Rosaceo, & desuper extentum fuit vnguentum Apostolorum, vna cum cerato Diapalma, vsque ad decimamquartam diem qua transacta vsurpatæ fuerunt ablutiones magis exsiccantes, & corroborantes, Balsami, & Cerata Consolidantia, semper in dies cum diminutione licinij, & dierum 50. spatio conualuit.

Obseruatio fracturæ binarum Costarum rara.

ANno 1689. fuit curatus quidam Nauclerus ætatis annorum 35. circiter complexionem habens plethoricam, qui die 15. Maij cecidit ab equo supra lignum acutum, est illi fractæ fuerunt binæ Costæ prope spinalem medullam cum fractura pleuræ interioris non musculorum cum difficultate respirandi magna, dolore pungitiuo, & aljis accidentibus. Vix in lecto positus statim ob timorem inflammationis plenę habuit Clysterem, quo restituto fuit extractus illi sanguis ad vncias septem ex brachio lateris affecti, supra quod distenta fuit pellis Castrati statim excorticati, & puluere aspersa Rosarũ, & myrthi de mente Ioannis de Vigo in lib. suarũ additionum cap. 18. & propter sanguinem extrauenatum de mente dicti Ioannis præscriptus fuit hic puluis. ℞. Terræ sigillatæ dr. 3. rhabarb. dr. 1. mumiæ, rubiæ tinctorum à scrup. 2. gingiberis dr. media cum aqua lupulor vna cum lambituis appropriatis, & exterius vnctionibus pectoralibus. Secunda visitatione facta ob pleuræ rupturam tanta cumulata fuit flatuum copia, vt per totum corporis ambitum dispersis illis intumuerit vsque ad pedes, & cum omnium admiratione fuerit duplo maior, quam antea exstiterat cum periculo suffocationis adeò, vt fuerit à Sacerdote anima illius Deo comendata; Interim omnia facta fuerunt illi summa cum diligentia, & nocte sequenti attenta maxime temperamenti sui fortitudine natura incæpit emittere per os quamdam materiam satis viscosam, & spumosam cum portione sanguinis nigri cum maximo Patientis leuamine. Mane diei sequentis ad naturæ imitationem parti offensæ applicitum fuit Emplastrum digerentis, resoluentis, & roborantis virtutis, quod factum fuit ex farinæ Hordei, Fabarum ana. onz. 1. pulu. ros. rubr. absinthij, & Chamomelli ana. onz. 1. furfuris purg. 2. mixto, & cum decoctione fol. Maluæ, viol. rad. Althææ 1. Emplastrum addendo in fine ol. ros. Amigd. dulc. Chamomillæ ana. onz. 2. sapæ onz. 4 Vitell. ouorum num. 4. Insuper toti corpori prouisum fuit cum vnctione molificante ex ol. Anetino, Chamomil. amigd. dul. cum modico salis vsque quo ex toto fuit excreta materia per os, & resoluta magna illa phlogosis, quod fuit die 14. & vltimo parti offensæ fuit applicitum Ceratum pro fracturis de mente Ioannis de Vigo, & superius linteum madefactum vino optimo stiptico ad corroborationem, & perseuerauit curatio hæc ad perfectam sanationem, quæ successit diebus quadraginta.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus ad partem dexteram, quod per sinistram partem exiens reddit Empyematicum Patientem, & facta sectione inter quintam, & sextam costam conualuit.

MIles Pedestris natione Italus ætatis annorum circitèr 25. anno 1689. die 24. Aprilis fuit in duello vulneratus cum ense, vulnusque fuit penetrans in Pectus ad latus dexterum quasi in parte superiori inter sextam, & septimam costam, & ex diametro exitum habebat supra mammam sinistram, & cum tali impetu, vt ensis in vulnere remanserit, licet postea fuerit extractus. Vocatus Chirurgus Patientem inuenit quasi in extremis iuuasum à copia accidentium omnium adeo, vt de proximo morituru prædixerit, sicque fuit illi à Sacerdote commendata Deo anima; postea vt restaurerentur spiritus exhibuit vnam dosim Confectionis Hyacinthinæ cum optimo vino; indè vulneri applicita fuerunt opportuna remedia, & victus ra-

tio inſtituta. Manè diei ſequentis, quæ fuit 25. inuenit ab ingreſſu vulneris copiam ſanguinis extrauenati cum multo leuamine Patientis, & in egreſſu vulneris, quod erat paruum, & ſtricti orificij reperiit rumorem magnũ flatuoſum ad ingreſſum vſus fuit lichinio imbuto balſamo Vulnerario iuxta ſolitum. Egreſſum vulneris vtpotè nimis alti noluit Chirurgus dilatare, ſed vti voluit pro prima curationis intentione cerato Diapalma, & ſupra tumorem applicitum fuit Emplaſtrum repellens, reſoluens, & corroborans; toti pectori vero ob difficilem reſpirationem præſcriptum fuit vnguentum de Althea, ol. viol. Amigd. dulc. con linteis madefactis tepido oxicrato, quo ſecundũ Gal. ſiſtit fluxiones, & prohibet inflammationem poſt hæc adhibita fuerunt reuellentia opportuna, & lambitiua, ſirupi expectorantes, & attemperantes; & cum his perſeuerauit Chirurgus vſque ad diem ſeptimam, quo tempore fuit rectè digeſtus ingreſſus vulneris, & egreſſus aglutinatus eſt, reſolutus fuit tumor, & expurgata fuit copia ſanguinis extrauenati, vnde remanſit Patiens quaſi liber ab omnibus accidentibus excepta febre; ad abſterſionem, & corroborationem vulnerum præſcripta fuit ablutio ex vino albo, & melle Roſaceo, & poſt ablutionem percolata fuit portio in vulnera ſirupi Myrtini, Roſarum ſiccarum, & Aquæ vitæ, & ſupra ceratum Barbarum Diapalma, vſque ad 14. diem, vnde tota materia fuit quaſi imminuta excepta febre, quæ ſequebatur, & vulnus fiebat languidum, nec incarnabatur, quæ indicabant collectionem materiæ in aliqua parte abſcondita, vnde dixit Chirurgus Empyematicum factum fuiſſe vulneratum in parte ſiniſtra, in qua quidem vulnus ob anguſtiam & penetrationem profundam non potuit ſe eximere à ſanguine iam putrefacto, vt ex ſignis, quæ proponunt omnes Claſſici Auctores vltra cautionem datam à Petro de Marchettis in libro ſuarum obſeruat. Chirurgic. obſeruatione num. 46. vbi ait, quod quando adeſt minima portio puris in thorace, id non fit ſine febre, quod ſignum eſt illius pathognomonicum præter alia ab Auctoribus propoſita: Vlterius non deuentum fuit ad incarnationem, & cicatrizationem vulneris, vnde obſeruatum fuit, quod in parte inferiori ſupercreuerit tumor & dolor, & erat illi vt compreſſione fieret foſſa, & his omnibus ritè conſideratis iuxta doctrinam Hippocratis ſexta ſectione aphor. num. 47. qui ait; Quicumque ſuppurati vtuntur, vel ſecantur; vlterius lib. de intern. aff. nu. 27. & ſimul cum Gal. Celſo, & Auicena, quia omnino iubent in Empyematicis, in quibus adeſt tumor externus, debere fieri aperitionem cum ferro ignito, ad ſanguinis prohibitionem, ad exſiccationem, & corroborationem, quod obſeruatum fuit ſucceſſiſſe decima ſexta die inter quintam, & ſextam coſtam iuxta Aquampendentem in operationibus Chirurgicis cap. 46. Paulo Berbeta parte prima cap. decimoquinto ex qua quidem aperitione quantitas materiæ extracta fuit iuxtà vires Patientis, & conſequenter fuit curata medicamentis digerentibus donec fuit eſchara extracta quam ignis induxit ſemper cum extractione, & minutione materiæ, quod euenit die decimaquarta ab operatione, & die 21. à vulnere, inde cum canula plumbea ablutionibus abſtergentibus, exſiccantibus, & corroborantibus cum Cerato Barbaro perſeueratum fuit totali imminutioni materiæ, & cum Balſamo Peruuiano, Aqua Balſamica, Cerato gratia Dei, & Barbaro ſimul vtrumque vulnus cicatrizatum fuit, & conſolidatum, quod euenit per ſpatium in totum quinquageſimoſexto dierum, & bene conualuit.

Obſeruatio vulneris anguſti penetrantis in Pectus neglecta penetratione læthali.

ANno 1688. vulneratus fuit quidam Ruſticus annorum 35. menſe Maij die decima, vulnuſque illi erat penetrans in Pectus ad partem ſiniſtram inter quintam, & ſextam coſtam ex ferro pungente, & incidente multumque anguſtum erat, obliquum, & altius penetrans; In prima viſitatione fuit curatus à Barbitonſore Ruris, qui ex certis ſignis iudicauit eſſe penetrans. Verùm aut ob timorem aut ob ignorantiam non fuere adhibita, quæ erant opportuna remedia; De ſequentis, quæ fuit ſecundus, vocatus Chirurgus alius, qui cum eſſet parcus, & male expertus in praxi eius Theorica cecidit in duos graues errores. Primus fuit, quia ſtantibus ſignis omnibus penetrationis non intromiſit ſty-

lum

sum in vulnus, & impediebatur, ne aer exiret per illud stante obliquitate, & angustia vulneris. Secundus fuit priore peior dicens vulnus non esse penetrans, ob idque fecit inusitatam dilatationem in parte contraria vulneri, & inde incæpit curationem medicamentis conuenientibus, sed defuerunt necessaria secundū indicationē; quarta die superuenit febris cum augmento doloris grauatiui, difficultate respirationis, & alijs signis sanguinis extrauenati in dictam cauitatem, vt notat Galenus sexto de loc. aff. cap. 4. non obseruatis istis accidentibus continuauit in curatione prædictæ dilatationis, interim empyema augebatur cum spirituum de perditione, & suffocatione, propter putredinem internam, & die 17. exijt ab ipso vulnere magna copia materiæ adeo, vt animam exhalauerit Patiens.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus.

ANno 1688. mense Aprilis Adolescens ætatis annorum 18. in duello vulneratus ense in pectus penetrante ad sinistram, & in parte superiori inter secundam scilicet, & tertiam costam propè os, quod vulgò dicitur sterno cum læsione pulmonis, & arteriæ venosæ, huius modique vulnus fuit iudicatum mortale ob grauia accidentia, & præcipuè ob largam sanguinis hemmorragiam ab ore, & à vulnere; Curatum fuit prima vice sistendo sanguinem iuxtà consuetum, postea fuerunt exhibita cordialia magnæ virtutis, quibus refici possent spiritus, insuper medicamenta adstringentia interna, & particularia ad resistendum læthali hemorrhagiæ, nec defuerunt vnctiones Thoracicæ, anodinæ lambitiua, & omne reuellentium genus adhibitum. Secunda visitatione tenauit Chirurgus irrationabilem quamdam ablutionem, à qua excitata fuit noua tussis, & noua hemorrhagia; tertia visitatione post quatuor dies, & sine vlla cautione specillo tetigit partem cum noua tussi, & noua hemorrhagia, quæ repressa fuit, sed nocte sequenti iterum concitata hemorrhagia, sed ob promptam assistentiam fuit impedita, hocque octies contigit, & semel de tertia in quartam noctem, & semper prouisum fuit curiosa quidem, & singulari diligentia, verum alia vice, quæ fuit vltima tantus sanguis exijt à vulnerata parte, vt resilierit ad umbellam vulgò baldachino lecti, at posito digito supra vulneris os cum maxima suffocatione, & cum res esset quasi spe omni destituta, fuit à Sacerdote anima Deo comendata, & præmisso sonitu agoniæ, immissus fuit digitus in os, ad extractionem multi coagulati sanguinis, quo secuto incæpit melius respirare, & facta gargarizatione cum oxicrato curatum etiam fuit vulnus, & suppressa hemorrhagia; Iterum fuit facta spirituum refocillatio, & cepit etiam somnum capere; Mane diei sequentis conclusum fuit de non amplius curando vulnere, sed opus totum relinquere naturæ, eam nutriendo cibis facilis digestionis, & distributionis, à quibus melius se habere visus fuit adeo, vt in bonum statum redactus fuerit, & post duodecim laxata fuerunt ligamenta vulneris, & inuentum fuit vulnus reiecisse à se lichinium, & quasi ex toto incarnatum, & cum Balsamo Peruuiano, & Cerato Barbaro continuatum fuit ad perfectam sanationem, quæ eueuit die 50. à vulnere accepto.

Obseruatio vulneris supra Caput cum ferro incidente.

ANno 1687. fuit curatus à Chirurgo magni nominis, & doctrinæ quidam Nauta, qui cum esset quadam die descensus à Naui vulneratus fuit à quodam suo Aduersario supra caput cum ferro vulgo Pistolese cum pauca incisione ossis parietalis dexteri, sed ratione ferri, quod non erat multum incisiuum maxima inducta fuit etiam contusio. Prima medicatio fuit sistendi sanguinem, sed quia vulneratus habebat temperamentum satis sanguineum, & robustum, instituta fuerunt reuellentia, & euacuantia, quæ debebantur. Post secundam visitationem fuerunt applicata medicamenta conuenientia ea methodo, qua vti solent Chirurgi omnes vsque ad diem septimam, quo tempore vulnus incæpit exasperari vna cum febre, cum magno erysipelate, à quo magna secuta fuit in vulnere putredo, quæ sublata fuit medicamentis fortibus, exiccantibus, roborantibus, & putredinem inhibentibus, sed dum separabatur putredo detectum quasi

totum os fuit parietale, & denudatum, cui occursum fuit pulueribus capitalibus, & alijs cephalicis, attamen cum liberum esset huiusmodi os à dicta putredine, continuabat febris cum maximo sudore, & pars vulnerata in dies languida fiebat, vnde coniectatum fuit de aliqua putredine intus latitante, quod verum fuit vsu trapani, ex quo inuentum fuit os multùm aridum, & dum penetratum fuit exire incepit materiæ magna copia albæ, & per quatuor foramina egrediebatur, immo ne teneretur pars tamdiù denudata fuit curata medicamentis appropriatis; Manè diei sequentis instituta fuerunt duo alia foramina, quorum ope imminuebatur copia materiæ. Verum ob putredinem externam, & materiam internam os ex toto computruit, vnde necesse fuit illud ex toto remouere, & extrahere, & remansit tanta membrana detecta quanta erat largitudo, & longitudo quatuor digitorum, & cum medicamentis conuenientibus perseuerauit vsque ad omnimodam sanationem, qui terminus fuit annus integer, & loco ossis natura genuit callum, qui erat durior ipso osse.

Obseruatio vulneris in Pectus penetrantis cum læsione cordis ad sinistram partem, quarta die obijt.

ANno 1687. mense Iulij vulneratus fuit Miles quidam in Pectore ad sinistram partem cum grauissimis accidentibus ex ense acuto, & incidente vulgo stiletto, qui vix visitatus fuit à Chirurgo peritissimo dixit ex accidentibus esse læsum Cor; qui post ea, quæ præmisit necessaria ad animæ salutem adhibuit conuenientia, & opportuna remedia, & durauit vsque ad ingressum quarti diei; post mortem fuit apertum Cadauer, & inuentum fuit Cor læsum fuisse in parte sinistra superiori. Ex quo illata fuit consequentia de insubsistentia Sententiæ Aristotilis qui lib. tertio de partib. animal. cap. quarto dixit, Cor nullum vitium graue diu pati, & Auicennæ, qui asseruit vita durante Cor non pati continui solutionem. Sed monstra, aut fiunt in arte Medica; aut vulnus penetrans, de quo hic agitur, non læsisse immediatè substantiam cordis, & subitò; sed decursu temporis.

Obseruatio vulneris penetrantis in Pectus, in cuius cauitate remansit portio ensis, & durauit per dies 26. & cum vulnere solidato à Chirurgis Germanicis mortuus tandem conuulsus.

ANno 1690. die 14. Ianuarij fuit visitatus quidam Miles pedestris Germanicus vulneratus in duello cum ense in pectore sub mammilla sinistra; post dies 21., quibus curatus fuerat à Chirurgicis Germanicis, obseruatum fuit, vulnus esse ex toto consolidatum, & cicatrizatum, sed cum fuisset iterum visitatus à Chirurgo Italo coram suis Officialibus, & Medico fuit inuentus conuulsus, & in situ partis vulneratæ quidam tamen supercreuerat mediocris cum febre, & alijs accidentibus, de qua re multùm mirabantur eius Officiales maxime cum incepit Chirurgus noster comprimere dictum tumorem, qui tollerabatur, cum esset parum eminens, & durus, summa cum repugnantia Patientis, dixitque Chirurgus hoc esse, aut frustum costæ ruptæ, aut portionem ensis ibidem infixi, qui respondiderunt; quid porrò agendum, quibus responsum fuit necessarium esse deuenire ad incisionem, & facta extractione conclusum fuit, vt lecto decumberet propter apertionem; & postquam quieuisset aliquantulum hora 23 facta fuit incisio supra eminentiam tumoris, & ad cicatricem instituta pariter fuit dilatatio, & duobus specillis ingressio patuit, & ea aperta seruata vidit Chirurgus noster, & tetigit nescio quid durum, & nigrum, quod firmauit inditium certum ex portione ensis: mox cum albumine oui, & vitelli seruata fuit apertio, & dilatatio vulneris, simulque sedatus fuit dolor, & vt supprimeretur sanguis, qui dictam apertionem impediebat, non defuerunt vnctiones pectorales pro conuulsis; portiones cordiales & similia: Manè diei sequentis, quę fuit decima quinta incubui totum opus ad apertionem coram multis practicam exercentibus Chirurgicam, tangens costam cum mediocri mordente, sed erat tam fortis, vt nihil fieri potuerit quo obseruato suscepit Chirurgus forcipem satisfirmum quo tetigit recte, & facta inuersione moueri incepit; postmodum incepit

attra-

asstrahere, & extraxit frustum ensis ad longitudinem palmo maiorem maximo cum stupore assistentium, & dictus Patiens nolebat credere se habuisse intra Pectus illud frustum ensis, mox appositum fuit balsamum Vulnerarium, & cum diligentia assistentium particulari maxime in ijs, quæ spectant ad animæ salutem, tertia die postea obijt. Post Mortem omnis anxij de ratione, quare natura per tantum tempus potuerit tolerare illud ferrum intra Ciuitatem Pectoris, maximè quod per Ciuitatem proficiscebatur, de omni re vescebatur; ascendebat scalas, & ab his descendebat iuxta relata per suos socios; Chirurgus vt hisce omnibus satisfaceret, fecit exenteration em coram Medicis, & Chirurgis alijs, & practicantibus, vtque vero certus fieret de læsione suscepit præmanibus specillum longum, quod in vulnus intrusit, inde incisione secuta obseruatum fuit, quod vulnus medium pulmonis inuaserat, & terminabat ad medium vertebræ, quod fuit causa tam difficilis extractionis. Rarus enim est iste casus.

Obseruatio vulneris Capitis supra os parietale dexterum facti ex sectione cum læsione Cerebri, quod quidem vulnus fuit optimè sanatum.

ANno pariter 1690. mense Februarij vulneratus fuit Miles Hispanus in Capite cum ferro, vulgo dicitur Sciabla Germanica, supra os parietale dexterum cum incisione etiam ipsius Cerebri cum hemorrhagia, quæ ob magnitudinem, & durationem fecit in lypothimiam incidere vulneratum adeo vt ab assistentibus indicatus fuerit mortuus. Cum medicamentis particularibus adstringentibus curauit Chirurgus sanguinis effusionem sistere, & postea vino, & optimis cordialibus ad restaurationem spirituum incumbere. Manè diei sequentis in secunda visitatione obseruauit Chirurgus incisionem in osse esse sufficientem absque vlla alia operatione applicata fuerunt supra Cerebrum filamina ficca, & membranæ ob timorem inflammationis Oleum Rosaceum supra os filamina pariter ficca, & supra labia vnguenta digerentia, postea embrocationibus facta fuit prima medicatio, qua secuta adhibitum fuit, quod erat conueniens facta perseuerationc, vsque ad septimam continuando quotidie filamentis mollissimis absterfionem portionis substantiæ vulneratæ, qua transacta applicata fuerunt supra eandem substantiam Olea Hysopi scilicet composita, & supra membranam Ol. Abietinum, & cæteris alijs partibus medicamenta conuenientia vsque ad 14. diem, & dum incepit rubescere eadem substantia adhibita fuit portio Balsami Peruuiani, quibus cum continuatum fuit vna cum alijs medicaminibus vsque ad totalem sanationem, quæ secuta fuit die quinquagesima.

ANno 1690. mense Octobris curatus fuit quidam Rusticus complexionem habens fortem, qui cum esset lætus ex vini potu, fuit vulneratus ex ferro contundente supra os coronale cum maxima detectione eiusdem ossis, qui vix vulnere accepto ex vehementi ictu loquelam amisit, & cecidit in somnum profundum. Lecto commissus habuit omne, quod ad illius animæ salutem faciebat; & cum esset omni vitæ spe destitutus, tentare cepit Chirurgus trapani vsu simplicem quamdam perforationem, ex qua obseruauit supra membranam copiam sanguinis extrauenati, nigri, & coagulati; facta mox consideratione foraminis vidit impossibilem esse extractionem, vnde duo alia instituta fuerunt, post quam cum mordicante ex tribus vnum formatum fuit, ex quo cum forfice detracti fuerunt dicti sanguinis grumi, quorum aliquibus apertis incepit dicta membrana pulsare, suaque pulsatione alij multi exire ceperunt ad sufficientem quantitatem. Infirmus mouere se visus fuit, eodemque dixit tempore Iesus, Maria, & alia verba, quibus animatus Chirurgus Infirmum dixit bono animo esse. Ex medicamentis membranæ applicitis fuerunt Oleum Rosaceum omphacinum; Oximel, & Sanguis Columbæ recent. extractus: Supra os filia exsiccata, & supra labia vulneris Vnguenta Digerentia, cum suis embrocationibus ex Ol. Rosaceo, & Emplastro Capitali; Postea cum inuentus in vulnerato pulsus satis firmus, præscripta fuerunt omnia genera reuellentium frictiones cucurbitulæ. Et alia id genus, vsque

que ad ſeptimam diem, quâ tranſacta vſus fuit Chirurgus adſtringentibus, & corroborantibus, & applicita fuerunt Oleum Hypericonis, Mel. Roſaceum, cum portione Aquauitæ, & ſupra os pulueres Capitales, & ſupra labia vulneris Vnguentum Iſis, & Vnguentum Baſilicon is, & deſuper Emplaſtrum magis exſiccans, reſoluens, & corroborans, & cum horum vſu ſeruatum fuit vſque ad diem decimamquartam mane & ſero continuando ad extractionem ſalcem ad onz. mediã pro vice materiæ ſubtus Cranium exiſtentis; Tranſacta decimaquarta ad maiorem exſiccationem, & corroborationem vſus fuit Chirurgus Sirupo de Roſis ſiccis cum aqua Baſſamica, & modico Balſami Peruuiani, facta prius ablutione cum vino alterato cum ſolijs Betonicæ, Matriſylua, Centaureæ, & Melle Roſaceo, & ſupra os inſperſi fuerunt pulueres Capitales; ſupra labia Vnguentum de Tutia, & Iris mixta cum Ceroto de Betonica, & Diapalma, & cum hiſce continuatum fuit donec incarnata fuit membrana, & detectum os vſque dum fuerit ex toto ſanatus æger, qui terminus extitit ſpatium dierum ſexaginta. Notatum fuit, quod ſpatio quadraginta dierum facta fuerit extractio materiæ vltra centum vncìarum ſubtus Craneum, & in huiuſmodi extractione non fuit adnotata vlla alteratio, quæ dici potuiſſet febris.

ANno 1692. die primo Maij fuit vocatus Chirurgus ad curandum quemdam boni temperamenti, qui patiebatur vlcus fiſtuloſum in brachio ſiniſtro in ſitu oſſis auditorij, quod quidem vlcus erat decem annis, quod acceperat ex vulnere ab exploſione ſclopuli facto cum fractura eiuſdem oſſis auditorij, & cum ſeparatione variorum oſſiculorum, ex qua poſtmodum conualuit perfectè; Nam bene pertractabat eadem brachium abſque vllo dolore adeo vt videretur numquam fuiſſe vulneratus in dicta parte: tranſactis inde decem annis in frangendo ligno correptus fuit dolore acutiſſimo dicti brachij, cum dolore, & tumore inflammatorio, & febre valida; & obſeruatus fuit dictus tumor inclinari ad abſceſſum, quod à Chirurgis Mediolanenſibus obſeruatum poſt ſpatium nouem dierum, quod aderat inundatio materiæ, ſtatim ſecarunt illi abſceſſum; & facta conuenienti curatione numquam potuerunt poſt curſum quatuor menſium exactum cicatrizare vulnus perideòque eumdem derelinquerunt cum canula plumbea intus vlcus poſtea aſſereentes illud eſſe vlcus. Qui quidem Patiens Papiam ſe contulit, ſuitque viſitatus à Chirurgo magni nominis, & doctrinæ, qui narrationem facti audierat, iſque adinuenit vlcus carne flacida præditum, & ſatis profundum, ex quo materia prodibat cinerei coloris, ſatiſque fœtens, & brachium erat totum ædematoſum cum ſtupore, & coniecturam fecit de ſquamula oſſis, quod cum audiuiſſet Patiens reſpondit, Chirurgos Mediolanenſes vſos fuiſſe omni diligentia, nec vnquam ipſis datum fuiſſe, vt adinuenirent vllum os, & ſignum, & veſtigium tunc que replicauit Chirurgus Papienſis, hoc eſſe vlcus cum oſſe carioſo occulto, quia aliud eſt vlcus cum carie oſſis; & aliud ſine carie manifeſta ideòque occulta, quæ dignoſci poteſt ſolum per coniecturam, nec vnquam fuit poſſibile ex omni ſtudio, quo vſus fuerat Chirurgus, vt adinueniret cariem niſi poſt duodecim dies, quibus fuit curatus cum applicatione corroſiuorum medicamentorum ad tollendam carnem flacidam, & fuerunt corroſiua Vnguentum Apoſtolorum, Vnguentum Iſis, Pulueris ex Mercurio, & remota carne ſpongioſa orificium dilatauit Chirurgus, & per tres dies adhibuit Licinium ex ſpongia præparata, & aliquot ab hinc diebus incæpit dolere Patiens ad profundum brachij, & ad orificium, & obſeruatum augmentum materiæ cum pauca inflammatione, quæ erant ſigna ſeparationis oſſis, quo viſo Chirurgus accepit ferrum tortuoſum, & diligentia vtens adinuenit viam quamdam, quæ ſubtus in muſculum finiebat, vnde ingrediens cum ferro dicto profunditatem attigit, ex quo perè ſenſit os carioſum, & per tactum ferri, quod ingrediebatur orificium oſſis, fortiter os reſonabat, & erat ſignum iam fuiſſe ſeparatum, & in eamdem viam de nouo detectam Chirurgus immiſit licinium eo ſpongia præparata ad dilatationem, & die ſubſequenti cum mordaci medicamento tactum fuit idem os à Chirurgo, qui ipſum ad orificium vulceris abſque vlla violentia traxit, quia verò erat ſquama ſatis magna, & bisluuga non potuit extrahi foras

ab

ab orificio vulneris, ideoque illam frangere tentauit, quod non succeſſit, ſed facta dilatatione vulneris cum ferro (vulgò go gamauto) extraxit Chirurgus eamdem ſquamam, quæ fætidum præbebat odorem, & carioſa erat, poſtmodùm ſupreſſione ſanguinis incubuit, & per dies decem, & tres incarnatum fuit, & cicatrizatum idem vulnus cum medicamentis ſolitis, ſtatimque brachium à ſtupore, qui inèrat, liberatum fuit, & ædemati brachij linteola applicata ſuerunt madefacta in Aquauitæ calida, facta ligatura manus vſque ad auditorium, reſolutumque totum fuit ædema paucum temporis ſpatium, vt in praxi obſeruatum eſt Aquamuitę ſpecificè mederi ædematoſis tumoribus, & perfectè conualuit Patiens.

Hinc Chirurgus non obſtupeſcat, ſi in vulneribus ex ſclopi explosione factis cum fractura oſſis, interdum ſi natura conſolidat vulnus, quantumuis aliqua portio oſſis, quod paſſum fuerit, intus adinueniatur, membrumque validum poſſit perfectè cicatrizari, ſed diuturnitate temporis os imbuitur prauis humoribus, & corrumpitur, vadè ſuccedit, vt fiant abſceſſus, & ſeparentur ſquamæ oſſis, maximè in vulneribus per ſclopum factis, & hoc os ex primo vulnere viſitatum fuit, & non ab abſceſu, qui poſtmodum ſucceſſit, & licet aliqui id poſſent dicere, attamen reſpondendum eſt, os extractum erat, quam maximè fætens, & carioſum, & nigricans, quæ indicant longitudinem temporis in facienda putrefactione, & abſceſſus fuit ſectus, quandò caries erupit per abſceſſum, tunc enim materia dicitur per multum tempus fuiſſe retenta vltrà magnam relaxationem in dicta parte contrà cognitionem Auctorum antiquorum, qui docent non poſſe fieri cicatricem in oſſe carioſo, aut quod paſſum fuerit os, vadè denuò aperiuntur vulcera, aut vulnera, & tamen in hoc caſu Patiens iſte cicattizationem habuit antè decem annos; hinc in vulneribus permittendum eſt tanta ſanguinis quantitas effundatur, quanta proportione reſpondeat vulneribus ex quo experientia docuit, id multũ iuuamenti attuliſſe, & vulnera ipſa non paſſa fuiſſe magnam inflammationem, minuſq; pati, nec erisipela, nec carnem producunt flacidam, & quod melius eſt, facta cum fuerit ſemel cicatrix, impoſterum non imminet periculum alicuius renouationis.

CAVTIONES CHIRVRGICÆ.

IN Inteſtinis, quæ ſubtus ſcrotum relaxantur, & alterata ſunt, antequam tentetur repoſitio, conſiderari debet, ſi hernia ſit larga, aut parua; Si aſſuetus eſt Patiens pati Inteſtinorum relaxationem in ſcrotum, aut repentinè deſcenderint; ſi Inteſtinum inflammatum ſit; ſi remaneant turgida, & dura eadem Inteſtina; ſi huiuſmodi duities proueniat, aut à flatibus, aut à ſtercore, aut ab inflammatione, & quanto tempore, quo Inteſtina dicubuerint in ſcrotum, & quod nam ſymptoma producat prædicta hernia: deſt, ſi Patiens fuerit vomitu correptus fæcum ſuppreſſione, febre, ſudoribus frigidis, ſingultu, & alijs huiuſmodi. Inſuper cauendum non deberi, vnquàm tentari Inteſtinorum dictorum repoſitionem, donec ſedata non ſit inflammatio, quia periculum eſt, ne continuatione agitationis creſcat inflammatio, & ne introducatur gangræna in parte, vt in praxi ſæpius euenille compertum eſt.

In hernijs Inteſtinorum ſubtus ſcrotum decidentium, & ſunt amplioris orificij multis placet ſeruare Inteſtina intra ſcrotum iam decidua, etſi non obſtet, quod natura circulationem agat fæcum abſque vlla partis læſione, è contra herniæ largioris orificij facile ſuccedunt in ſcroto, ſed pari facilitate iterum reponuntur.

Cauere etiam opportet, dum tentatur repoſitio Inteſtini, quod cecidit in ſcrotum, id fiat blanda operatione pertractando Inteſtinum, & paulatim incipiendo verſus orificium herniæ reponere Inteſtinum. Cum vero Inteſtinum prolapſum fuerit in ſcrotum, non poteſt diſtingui Inteſtinum à teſticulo; Vnde in hernijs magnis cauere opportet, ne fiat repoſitio Inteſtini ſimul cum teſticulo.

Quandòque poteſt ſuccedere, quod in hernia largiori reponantur Inteſtina, quæ iam contraxerint inflammationem, quod dignoſcitur, ex quo repoſita cum iam fuerint, adhuc tamen perſeuerant accidentia, vomitus ſcilicet ſuppreſſio fæcum, dolor ventris, febris, & alia id &c.

In hernijs Inteſtinorum in ſcrotum numquam rumpitur peritoneum, ſed ſolum dilatatur, & cum multum dilatatum eſt immediatè prolabitur in fundum ſcroti; ſed cum mediocris eſt dilatatio medium dumtaxat ſcroti occupat, & hæc herniæ ſpecies eſt incompleta, & cum ope ligaturæ & ceratorum floreate ætate poſſunt Patientes liberari; ſed illa hernia, quæ cadit in fundum ſcroti non poteſt curari, niſi facta ampuratione teſticuli.

Hernia generari poteſt in qualibet parte abdominis, tàm à cauſa primitiua, quàm à cauſa antecedenti.

Cauere etiam opportet, quod aliquis poſſit pati herniam inteſtinalem cum alteratione eiuſdem in ſuorum, & non hoc obſtante emittunt fæces ab aluo, ſed hoc eſt per accidens, quia illa inteſtina, quæ non ceciderunt in ſcrotum emittunt fæces irritata expultrice à doloris acerbitate, verum ob inflammationem eorundem inteſtinorum non poſſunt agere circulationem fæcum.

Exiſtentibus Inteſtinis in ſcroto dignoſcuntur eſſe alterata, aut inflammationem aut ob ſtercus induratum, aut à flatibus, ex quo ſi fuerint alterata ab inflammatione aut à flatibus lumine candelæ apparebunt tranſparentia; inſuper tactu ſunt tractabiliora; auditur quædam murmuratio in Inteſtinis ob flatus exeuntes per crepitum, aut ab ore. Sed ſi fuerint inflammata ex retentione excrementorum diſcernitur facta compreſſione manus durities, maior inequalitas, & cum lumine non apparet diaphæneitas.

Pueri vt facilè labentur in herniam, ita facilè ſanantur ex quo nondum contraxerunt perfectam corporis conſtitutionem, & ope quietis & ligaturæ peritoneum accreſcit, & extenditur in dies, & cum hac extenſione tollitur illa portio peritonei relaxati

laxati vna cùm Intestino, quod simul crescit, & maius fit, vnde non habet, nec adinuenit orificium sufficiens ad exituram.

Non est difficilior hernia ad conseruationem cauitatis, quàm sit hernia Zirbalis, quę habens aliquod, vel paucum orificium non obstante ligatura extenuatur, & exit foras, quod non succedit Intestino, quod est crassius, quam Zirbus.

Hernia abdominis vt sanetur; hoc pacto fit. Fit sectio cutis, vbi est hernia, & sectio sit talis vt sufficiat, vt manus introducatur; postea tussim prouocat Patiens, & comprimitur, vt intestina exeant simul cum peritoneo, quod diligenter introducitur in cauitatem vna cum Intestinis, inde trahitur peritoneum ab extrinseco, donec possit trahi, & ligatur in fundo cum ligatura satis stricta, inde permittitur, vt ligamenta exeant per vulnus, donec ex ipsis decidant; & curatiua methodus eodem procedit modo, quo fit in castratione.

Hernia Vmbilicalis, si erit Intestinalis, aut Zirbalis lecto decumbente Patiente potest in suum locum reponi ex se absque vlla compressione manus: At hernia aquosa, aut flatuosa numquam ad suum situm reponitur, tàm in lecto, quàm extrà lectum, nisi fiat compressio cum digitis.

Ceratum, quod applicatur hernioſis cauendum est a gummis, quæ in illud ingrediuntur, maximè in corporibus malè affectis, aut in pueris, quia excitare faciet Vesicas, pruritus inflammationem, & alia accidentia.

Quando Intestinum prolapsum est in bursam, & quod induratum est ob fæces retentas, potest fieri balneum ex aqua, & rebus emollientibus, tepidumque, & illud immergere Patientem, cui multum emolumenti sibi conciliabit.

Vera ligatura pro hernioſis debet esse, aut ex pelle, aut ex ferro, quia quæ ex alio paratur maximè, quæ ex vulgò Bombasina confectur excoriationem inducit, pruritum, & excrementa, deinde semper relaxatur maxime, quæ in pueris.

In infantibus, quos fascia ligat, & vestit, non confert ligatura, sed solum curare, vt cum fascia parentur, vulgò i piumacelli, eodem prorsus modo, quo obseruatum cum ligatura.

In Hernijs mulierum illa propriè vocatur ruptura, vt ex praxi obseruatum est, quia in praxi Chirurgica adinuentum est peritoneum ruptum, & non relaxatum, vt in maſculis, ex quo mul cres non habeant testiculum, nec diuinum ab extrinseco.

Cauendum est, quod quando tentatur repositio Intestini, quod tam in scrotum decidit, fieri debeat iunctio totius ventris, & inguinum cum oleis relaxantibus.

Vlteriùs cauendum in pueris pinguedinosis, qui habent rupturam paruam, ex qua exit Intestinum, & remanet subtile Intestinum, vndè apparenter videtur esse hernia aquosa, sed erat Intestinalis.

Ad sanandam herniam vmbelicalem seruetur hæc methodus. Chirurgus scilicet faciet retrodecedere Intestinum, aut Zirbum in cauitatem, & postea eleuat omnem pellem, vbi est ruptura, & cum acu grosso cum filo forti, & quadruplicato penetratur pellis, & vtraque parte, & inde ligatur in fundo duplici giro, & arctissimè stringitur, & tà permittitur, vt ex se totum quod relegatum est, cadat, applicando medicamenta, quæ prohibeant inflammationem.

Caueant illi Patientes rupturam, ne quidquàm gerant, quod stringat pectus in abdomen, quia periculum est, ne fiat compressio Intestinorum, quæ exeant à suo situ.

Caueant insuper Chirurgi, ne in hernijs Intestinalibus antiquis scroti aliquid fit, quia etiamsi repositа fuerint Intestina persentietur in scroto certa quædam Tuberositas, quæ æmulatur Intestinum, sed non est, quia sunt membranæ scroti, corrugatæ ob longam frequentationem, quam facit Intestinum in prolapsu eadem ratione, qua apparet pellis ventris mulierum corrugata, quæ peperunt multos filios, & vlteriùs quod dicti hernioſi habeant quamdam lassitudinem in musculis ventris inferioris, & hoc prouenit ob imbecillitatem inductam ab ipsamet hernia.

Hernia verò carnosa semper habet originem ab hernia tumorali, aut ab hernia ab apostemate excitata in scroto.

Dignoscitur hernia inguinalis à Bubone, ex quo bubo durus est, & semper remanet in eadem figura, & compressione manus in ventrem non cadit, è contrà verò hernia est mollior, paulatim incipit, in suo principio non est dolorosa, & dum lecto decumbit Patiens, redit ad suum lo-

cum, aut compreſſione manus reddit in ventrem, & cum ſit multorum dierum, quibus apparet, contrahit inflammationem, quæ eſt cauſa grauium accidentium.

In ſectione, vt extrahatur hernia aquoſa, neceſſarium eſt cauere, ne tangatur teſticulus, ob maximum dolorem, tumorem, febrem, inflammationem, & gangrenam, maximè quod Patientes duobus diebus vitam ſuam agunt.

Herniæ aquoſæ, & carnoſæ maximè ex parte ſuccedunt illis, qui viuunt in cælibatu, & qui abundant ſanguine, & ſperma-te; multocies ob longam moram à quæ in ſcroto, aqua contrahit malam qualitatem, & facit corrumpere teſticulum, aut rodit capita venarum ſcroti, ex quo tranſudat ſanguis, qui ratione caloris coagulatur, & conficitur maſſa quædam carnoſa, & producit herniam pariter carnoſam, & obſeruatum eſt in praxi, quod illi, qui habebant aquam in ſcroto per multum tempus, quod poſt ſectionem, & extractionem aquę, de nouo ſcrotum replebatur ſanguine, qui profluebat à venis, quæ erant corroſæ ex longa mora aquæ, & non à ſectione facta Chirurgo in extractione eiuſdem aquæ.

Hernia aquoſa eſt tumor ad rotonditatem vergens, ponderoſus, traſparens, inundans, & ſine dolore, & generatur diuturnitate temporis, & dùm aqua eſt in proprio ſcroto, eſt magis traſparens, & ſcrotum non remanet rugoſum, ſed oſtenſum; è contrario, ſi erit in membranis teſticuli non eſt ita traſparens, & ſcrotum remanet rugoſum.

Aqua non extrahitur ab hernijs, niſi fuerit in maxima quantitate, vt euitetur periculum, ne in ſectione tangatur teſticulus; & quando ſectio fieri debet, hæc non fiat tam in fundo ſcroti, ne cum lanceola, ſed cum ferro, quod dicitur Gamauto piccolo, ratio eſt quia ſi fiat cum lanceola, orificium, quod fit, eſt paruum ex quo paucum aquę egreditur, etſi fiat cum Gamaupto, vtpotè acuto, orificium remanet magis dilatatum, vndè benè exit aqua cum animaduerſione, ne moueatur manus, quæ ſtringit teſticulum, donec non exierit omnis aqua, & ne membranæ exteriùs progrediantur, & impediant exitum eiuſdem aquæ, & in hernijs aquoſis, quando ſunt magnę, vt plurimum non obſeruatur tranſparentia, quia materia quæ intus continetur, eſt ad inſtar loturæ carnis.

In pueris habentibus herniam aquoſam. Primò tentandum eſt, vt reſoluatur aqua cum emplaſtris, aut Ceratis Diaphoreticis, quia cum ſint texturæ rarę, & habeant porros apertiores, & calorem magis validum, poteſt fieri reſolutio per inſenſibilem tranſpirationem abſque eo quod deueniatur ad operationem ſectionis.

In hernijs ambarum partium ſcroti poteſt extrahi aqua ex vtraque parte facto orificio pro ſingula parte abſque vllo periculo.

Cauendum eſt, quod multociès fiat tranſmiſſio pituitæ depoſitionem infirmitatis in ſcrotum, & videtur eſſe hernia aquoſa, ſed non eſt, quia in hernia aquoſa nunquam intumeſcit priapus, & vt plurimùm habent tumidum ventrem, ſiquę de repentè, & remanet fouea facta digitorum compreſſione, hernia videlicet ſit longitudine temporis, & paulatim increſcit, nec remanet fouea comprimendo cum digitis.

In ſecandis abſceſſibus ſcroti reflectatur, ne ſectio fiat tempore, quo magis crudi ſunt, & quo pertimetur concurſus fluxionis, vt euitetur periculum ſphaceli, nec minus fieri debeat nimis tardè, ne materia corrumpet teſticulum, & relaxet totum ſcrotum, & efficiet vulcus fiſtuloſum cum ſebricula, quæ ducat Patientem ad maciem, & nullo modo fiet ſanatio, niſi fiet amputatio teſticuli.

Multociès hernia aquoſa, & coniuncta cum hernia Zirbali, & poſt factam ſectionem ad extrahendam aquam tunc temporis fiat ſectio antequam zirbus corrumpatur, tuncque trahitur zirbus extrinſecus, donec appareat eſſe boni colores, inde ſtringitur cum filo duplici, & fit amputatio in putrido, & filum remaneat, donec ſeparetur ex ſe, quo ſecuto curatur ſectio.

In abſceſſibus factis in ſcroto, ſi aderit inflammatio non debet fieri ſectio ferro ignito, quia experientia obſeruatum eſt, facillimè partem in gangrenam tranſire.

In Hernijs aquoſis, ne aqua reddeat in ſcrotum, Chirurgus poteſt vti tribus globulis ignitis in ſitu, quo continebatur aqua, quia hac ratione ſeparabitur poſtmodum eſchara, vbi burſa contrahit, & cum ſua contractione, facit, vt conſtringantur vaſa, & corroboretur pars, ne ampliùs tranſ-

mittat

mittat aquam in scrotum, sed cauendum in hac Chirurgia, vt primo extrahatur aqua, & curare, ne vsu globulorum ignitorum altius penetretur.

Quatuor locis fit hernia aquosa, in Ventre scilicet, in scroto, in Gula, & in Capite.

In Hernijs aquosis detestabile est laqueo inferre, quia inter aquam, & aerem, qui ingreditur ad refrigerandum testiculum, generatio impeditur, & vlterius alteratur ipse met testiculus, vndè postmodùm succedit hernia complicata, idem hernia aquosa, & tumoralis.

Dignoscetur post factam sectionem in hernijs aquosis, quod testiculus multùm passus fuerit ex longa mora aquæ, quia antequam extrahatur eadem aqua persentetur, & quidam dolor in testiculo, & aqua, quæ exitura est, habebit substantiam similem meli, exitque coloris viridis, & fœtorum habebit, nec vnquam poterit cicatrizari sectio facta in extractione aquæ, quia semper pululabit materia quædam malè dispositа, interim cauere debet, quod illi, qui patiuntur herniam aquosam, & quibus præscriptus est vsus emplastri, aut cerati ad resolutionem, sunt subiecti constipatione pororum, & fit ingrossatio pellis scroti, vndè non potest lumine apparere transparentia aquæ.

Et in pueris succedit quædam species herniæ aquosæ, quod quando quiescunt, aqua retrocedit in cauitatem, & in bursa non remanet vllum signum aquæ, sed postquam è lecto surrexerint, immediatè repletur aduè ipsemet scrotum, & istis, nisi fiet sectio, ad extrahendam ipsam met aquam, nunquam medicamentis potest resolui.

Omnes herniæ aquosæ habent semper quamdam mixturam cum flatuositate, sicut hernia flatuosa semper habet mixtam aliquam serositatem, vndè, si erit maior flatuositas, quam aqua, vtendum erit resoluentibus ad discutiendum, at si erit maior aqua, quàm flatus, adhibendum est ferrum, vt extrahatur.

Cautiones Chirurgicæ spectantes ad tumores, & abscessus.

ABscessus qui in iuncturis fiunt, corrumpunt facilitèr, aut ligamenta, aut ossa, quo iuncturæ sunt debiles, aut quia facultas expultrix non est valida ad expulsionem materiæ, aut quia diù persistit materia in loco eodem, antè quàm fieret sectio.

Omnes tumores magni, qui ad suppurationem tendunt, quales sunt, quæ à septo transuerso infrà ob iacturam spirituum, & ob magnam copiam materiæ, quam purgant, & ob connexionem, quam habent cum cauitate naturali, sunt in causa, vt viscera debilitentur, nec amplius benè funguntur munere in concoquendo, & Patiens æger tendit in Cachexiam.

Tumores qui eleuantur in genibus, sunt difficiles resolutioni, quia pars est calore paupera, & naturæ frigidæ, & siccæ, & ob multos tendones, cordas, & paucos musculos tunc temporis necessaria est sectio, antequam terminent in abscessum, ne generetur vulnus fistulosum, & vniuersalis siccitatis totius corporis, quæ tendit ad mortem.

Generatur quædam species abscessus profundi in musculis abdominis inter peritoneum, & eosdem musculos, qui quidem abscessus dignoscitur, ex longitudine temporis, quam habent ex dolore semper fixo in eodem loco per compressionem partis persentitur modica durities, & Patientes dolorem sentiunt in compressione, & semper habent febriculam continuam, & compressione digiti in situ abscessus remanet vestigium eiusdem digiti, & hæc sunt signa, quæ indicant indubitantèr subesse materiam, quam vis non possit persentiri eiusdem innundatio, ex quo materia sit crassa, & in profundo latitat, & in hoc casu Chirurgus non sit negligens in faciendo sectione, quia si vellet expectare innundationem materiæ, aut apparitionem tumoris ab extrinseco, interim purulenta materia contaminabit peritoneum, & se intruendo in cauitatem naturalem corrumpet Intestina, vnde mors succedet Patienti. Cauere tamen debeat Chirurgus, quod, quando se accingit ad faciendam sectionem, illam non faciat nec ferro ignito, nec ferro secante, quia in vno ictu non poterit regulare manum, nec habere tantum tempus, quod sit opportunum id penetrandum simplicitèr in locum, vbi est materia, quia aut non penetrabit, aut erit sectio nimis superficialis, aut quia penetrabit nimis cum

culo vulnerandi peritoneum, & etiam simul offendendi Inteſtina, quia in hac ſpecie abſceſſuum materia non eſt accuminata, ſed eſt diſperſa per peritoneum, & muſculos iuxtà caſum, obſeruatum in quadam filia ætatis annorum 15. quæ cum lecto decumberet cum febricula continua, & cum dolore ventris fuit iudicatum ab alio Chirurgo de doloribus colicis, verum quia non erat vomitus, nec ſuppreſſio fæcum, vt propria accidentia concomitantia dolores colicos, ſed ex duritie in profundo ex febre, & dolore cenſitum fuit fuiſſe inflammationem membranarum abdominis, quæ terminauit per abſceſſum, vndè reſolutum fuit applicandum eſſe cauſticum, quod fuit poſitum per decem horas continuas, & poſtmodum dilatata fuit aliqua portio eiuſdem eſchatæ, & de nouo replicatum fuit cauſticum, vt altius profunderetur, & hoc fuit per quatuor horas, quibus exactis, blandè cum lanceola ſecando, donec apparuit ſub mucrone eiuſdem lanceuoræ paruula gutta materiæ, tuncque immediatè facta fuit profundatio cum ſectione, & applicatum licinium ſpongiæ præparatæ, vt die ſequenti dilatatum fuiſſet aliquantum orificium applicando medicamentum ſuperiùs factum ex vitellis ouorum, butiro lotto in aqua maluæ, & oleo violato, vt ſederetur ardor eiuſdem cauſtici, & die ſubſequenti facta fuit extractio eiuſdem licinij cum maximo profluuio materiæ fætentis; & hinc cauere debeat Chirurgus, quod quando ſeccantur abſceſſus quibus applicatum eſt cauſticum in prima medicatione non exeat materia vllius momenti, ſed applicando poſtmodum licinium, vt in ſecunda medicatione exeat materia purulenta, & ex prædicto abſceſſu ſpatio dierum 36. poſt factam ſectionem extracta fuit materia ad pondus quinque, ad ſex libras, & curatio more ſolito proceſſit, ideſt cum digeſtione eſcharæ, mundificatione, incarnatione, & cicatrizatione, quibus factis conualuit filia.

Omnes abſceſſus magni, qui prouenium in morbis cronicis, & in corporibus malè diſpoſitis, cum proſtratione virium vt plurimum ſunt lethales, & abſceſſus, qui poſt ſectionem non tollunt febrem, & alia accidentia, indicant naturam non ſufficienter ſe exonerare per illam partem, aut quia aliquod viſcus intrinſecè infectum ſit, & abſceſſus apertus, & in quo ſubitò materia firmatur præbet inditium quod vergat ad aliquam aliam partem, aut quod velit alium abſceſſum in altero loco promouere.

In Pueris habentibus tumefactionem abdominis multocies iudicatur de oppilatione, aut flatibus, aut aqua, ſed facta diligenti inquiſitione reperitur eſſe abſceſſum.

Omnes tumores in mamillis mulierum lactantium ſunt ſanabiles, ſed illi tumores, qui fiunt extrà hoc tempus, & qui habeant aliquam duritiem, ſunt vt plurimum, cancroſi, & maximè ſi non fuerint mouibiles, & quod intus perſentiant mulieres aliquem dolorem pungitiuum, quia mamillæ cenſitus proprij in quo generantur tumores canchroſi, vt etiam in matrice, & ore.

Cauere debet Chirurgus, quod multi tumores cum Cacochimia melius eſt, terminent per maturationem, quàm per reſolutionem, quia per reſolutionem imminet periculum ne reſoluatur materia ſubtilior, & poſtmodum reddeat tumor, & pululet, vnde terminando per ſuppurationem præbet inditium quod non ampliùs reddeunt, quia natura ſe ſubleuat a farcina humorum, qui in ipſo continebantur.

Omnes abſceſſus, qui fiunt per depoſitionem humoris maligni debent longo tempore eſſe aperti, vt natura poſſit ſe ſubleuare à malignitate morbi, & in noſtro corpore multæ ſunt partes in quibus adeſt inundatio naturalis, nec reperitur materia, quemadmodum in natibus in genibus, in pulpis crurum, & multocies apoſtemata corrodunt membranas, quæ ſunt ſub cute, & pinguedinem, & venas nutrientes cutim, quod eſt cauſa, vt cutis non poſſit amplius tangi ob priuationem nutrimenti ab intrinſeco, imò temporis longitudine corrumpitur ipſamet pellis, & nunquam conualeſcunt ægrotantes, niſi priùs ſecetur illa pellis, quam attriuit materia.

Omnes abſceſſus, qui fiunt in parte poſteriori aurium, ex quo paucam carnem habent, & facilirer corrumpunt os, niſi opportunè ſeccentur, & cauere in ſeccando, ne lædatur arteria.

Abſceſſus magni, in quibus diutiùs perà ſeuerauit materia, poſtquam purgationem habuerint per multum tempus, terminant in hæmorrhagiam ſanguinis, & in magnam relaxationem cum hoc proueniat ob lon-

gam nimis moram materiæ, quæ effecit corrosionem venarum, aut arteriæ.

Omnes tumores, qui fiunt in meseterio, aut in vtero difficulter possunt percipi cum compressione manus, nisi compressio fiat vehemens, quia isti abscessus potiùs prominent intrinsecus, quam extrinsecus.

Omnes tumores in quacumque corporis parte existentes, qui sint satis duri, immobiles inæquales fusci coloris, & habentes dolorem pungitiuum medicamentis non debent irritari.

Obseruatum est, quod factus fuit tumor in abdomine cum omnibus signis indicantibus subesse materiam, sed postquam fuit apertus, inuentus fuit quidam tumor verminosus, nec ab eo exijt aliqua materia.

Omnes Parotides, quæ spatio duodecim horarum, aut viginti multum crescunt, & quę molles sunt ad instar tumoris fluctuosi, & quod Patientes paucam virtutẽ habeant non solum cum inflammatione, sed etiam sinè moriuntur omnes. Parotides verò meliorem sortem habentes sunt illæ, quæ in principio appareot cum tumore duro, & inæquali, & quæ paulatim crescunt cum dolore tollerabili, & quod in crescendo conseruatur durities, terminant omnes, vt plurimum per suppurationem.

Alia est Parotidis species, quæ apparet in ægrotante satis debili, & quæ crescit paucum, pauco dolore, & calore perseuerat talis multis diebus, hoc tamen non obstante omne medicamentum, quod applicatur, est frustraneum non solum in reboluendo, sed etiam in maturando, in casu deueniendum est ad ignem, quia ignis corroborat partem, & reuocat materiam, nullumque subest vitæ periculum, dummodò tamen corpus perfectè fuerit purgatum.

In abscessibus Gulæ non debet materia multum retineri, quæ potest corrumpere, aut venas, aut arterias iugulares, aut asperam arteriam abstinendo ab omni ferro, & ab omnibus remijs longis.

Omnes inflammationes terminantes per abscessum nihil aliud sunt, quam quædam Crysis facta à natura, & si inflammatio erit magna in quarta, & materia si in septima, altera in vndecima, altera in decimaquarta, altera in vigesima prima, altera in quadragesima, & hoc succedit ob copiam, & qualitatem humoris tumorem facientis, vnde Crysis, aut citò, aut tardè succedit quemadmodum in febribus.

In tumoribus factis à materia calida cum magno dolore, magno tumore, magna inflammatione, & magna febre, non debet fieri sectio, nisi aderit aliquid materiæ, quia indifferenter post sectionem succedet magnus dolor, magna inflammatio, & copiosa fluxio humorũ ad partem, quę omnia in gangrenam finiuntur cum discrimine vitę.

In abscessibus, quando materia latitat, suspicandum est naturam facere transmissionem eiusdem materiæ ad alias partes.

Omnes tumores habentes in se malignam qualitatem, aut quod sint furiosi, quæ minantur gangrænam in parte, vt apparet in magnis inflammationibus, aut in carbunculis tunc quamuis crudi sint, licebit eos euaporare cum copiosa scarificatione.

Abscessus, qui fiunt sine prominentia, aut qui prouoleunt ex longitudine morbi, vt in coxis, aut brachijs, aut cruribus, sunt difficiles ad cognoscendum, & ad curandum, tunc si compressio manus in parte inferiori membri, & in parte superiori eiusdem membri ad hoc vt volatur materia, indeque inquirendum est diligenter de inundatione, & iudicatum cum fuerit subesse materiam, qua repleatur coxa legetur coxa in medio, vbi est materia, postmodum fiat sectio partis exteriori coxæ, & altera sectio partis interioris, & quando dignoscuntur in suffitientes eiusmodi sectiones, fieri debent tres, aut quatuor aliæ secundum necessitatem, quia melius est, vt in hunc modum exalet materia, quam facere sectiones magnas, & exorbitantes, quia debilitatur magis membrum, & vires patientis, vndè succedit fluxio copiosa putuitæ in idem membrum, & ita moriuntur ægrotantes per consumptionem.

Omnes abscessus, qui fiunt in cochxis, quantumuis habeant multam materiam, & longo tempore perdurauerint abscessus, dummodò iunctura non sit extra locum suum, semper remanet spes alicuius auxilij, quantumuis in coxa, & crure adest atrophia, & quando abscessus sunt in partibus neruosis, magna esse debeat circumspectio in secando, ne offendatur aliquis neruus.

In apostematibus factis in regione pectoris, antequam fiat sectio dignoscendum est,

an

an sint penetrantes, quod dignoscitur ex longitudine temporis eiusdem abscessus, quod Patientes contraxerint habitum exsiccatum, fædum colorem, & cacochimi sint, cum facie tumida, & quod abscessus multum intumescat, & quod tumor multum temporis dilituerit intrinsecus, absque eo quod extrinsecus appareat; & postmodum apparente dicto tumore, habebunt tussim siccam, cum modica difficultate respirationis, & quantumuis tumor nequeat aperiri persentiuntur intrà musculos pectoris spirituum motus, & efficiunt tumefactionem in dictis musculis vnà cum febricula.

In vulneribus penetrantibus pectus transacto tempore inflammationis, & quod vulnus fuerit digestum, & mundificatum, tunc debet Chirurgus vti medicamentis incarnantibus, & corroborantibus minimum licinium faciendo, ne additus aperiatur ad aeris ingressionem in vulnus, quia multocies ijdem aer exigit intemperiem, aut magnam debilitatem in parte vitali, vnde succedit quod membra non possint totum illud alimentum conuertere transmissum à natura, imò illud conuertit in pus, vt apparet in vulneribus extrinsecis; & hoc multocies exigat fistulam perpetuam, & antequam omninò remoueatur licinium à dicto vulnere, tentandum est, quod Patiens agitetur commedat, & agat consueta sua exercitia semper cum mediocritate, ad hoc vt dignoscatur, si in cauitate delitescret materia, aut quod natura tentaret transmittere nouos humores, & vulnus remaneat apertum, ne detur occasio replicandi sectionem, & curandum, ne consolidetur vulnus, nisi priùs Patiens liberabitur à febre.

In vulneribus oculorum prima consideratio Chirurghi est, vt reflectet, si idem vulnus penetrans sit, hoc est, si exeat humor aqueus, aut vitreus, aut cristallinus, & quod Patiens decumbat in loco remoto ab omni strepitu, & nullo modo se agitet, quia inter vulnera est subditus ad fluxiones recipiendas oculus, ob continuum motum, quem oculus habet, & propter copiam humidi existentis in dicta parte, & propter etiam humiditatem magnã à natura transmissam in dictum locum, vt in praxi obseruatur, quod in dolore nulla pars plangat excepto oculo, proindè oculus curandus est quantum possibile sit, ne multum aperiatur, sed paulum, quia in actu curationis fit concursus humorum ad partem.

Vulnera tendonum, quia habent suam originem à ligamento, & à neruo, quandò vulnerati sunt, aut ob magnam causam lædantur, efficiunt simptoma magis dignum consideratione, quod non facit neruus vulneratus. Propterea vnctiones, quæ fiunt ad vulnera partium neruosarum, debent fieri ad spinalem medullam, ad nucam, ad axillas, ad inguina, & ad omnes tendones, & medicamenta, quæ adhibentur partibus neruosis debeant esse actu magis calida, quàm in alijs vulneribus conseruando eadem vulnera calida, quia calor multum iuuat vulnera neruosarum partium, & quando hæc vulnera patiuntur maximum dolorem, de nouo vtendum est medicamentis calidis, à quibus dolor quieuit.

In vulneribus venarum, aut arteriarum debent fieri exteriùs epitemata hepati, testiculis, fronti, & venis iugularibus cum hac cautione, vt si ex parte vulnerata succedat hæmoragia, quæ proueniret ab intrinseco, circumspiciendum est in applicatione refrigerantium ad partes extrinsecas, quia periculum imminet, ne ab istis calor retrocedat, & efficiat maiorem ebullitionem sanguinis, & subsequenter maiorem effusionem.

Chirurgus habens vulneratum Patientem, qui passus est multam sanguinis effusionem, & quod virtus illius sit debilis, in hoc casu debet exhibere Patienti dosim elixeruitæ, aut spiritus vini, aut similibus, aut reuocet spiritus, & restauret illos, imò poterit abluere vulnus cum vino calido, aut cum spiritu vini calido, & non tangere vulnus aliquomodo, vsque ad duos, aut tres dies, vt indè virtus possit reaciliari, & quando vulnera sunt penetrantia, & quod Patiens destitutus sit spiritibus, tunc Chirurgus caueat, ne ad secundam medicationem deueniat, nisi præueniat, vt artis est, ne in actu medicationis Patiens moriatur, quod est ignominiosum Chirurgis.

Et in simptomatibus, quæ prouenient à vulneribus sollicitus sit Chirurgus, quia multocies natura ità conturbatur maximè in corporibus pusillanimis, vndè apparet illud vulnus, quale non est, producendo mul-

multa accidentia, quæ tamen non perseuerant, è contra dantur vulnere in corporibus robustis hæroici animi, in quibus natura celat illud, quod non deberet, sed postmodum intrà paucum tempus excitantur simptomata, & detegitur essentia vulneris.

Caueat Chirurgus, ne illi, quibus sanguinem misit, moueant membrum, in quo facta fuerit phlebotomia per illum diem, cum membrum remaneat debile, & sanguis decurrit facilitèr ad membrum phlebotomatum, & efficit putrefactionem, inflammationem, & dolorem, quasi fuisset aliud vulnus.

Debet cauere Chirurgus etiam, quod quando habeat præ manibus aliquod vulcus, aut vulnus exquisiti sensus vltrà naturam partis vulneratæ, & quod glandulæ connexionem habent cum dicto vulnere, sint aliquantum tumefactæ cum dolore, tunc suspicandum est de erisipelate, & breui tempore excitabitur rigor cum febre, & apparebit erisipela.

In vulneribus abdominis, aut cauitatis vitalis, quantumuis non appareat signum penetrationis cauendum est ab ablutionibus, quia internam decoctum imminit orificia incognita Chirurgo, & penetrat in cauitatem, nec amplius potest exire, imò contrahit qualitatem putredinalem, à quo excitantur simptomata læthalia, quin imò etiam cum morte Patientis, & in vulneribus curandis vitetur omnis violentia ossis, corde ligamenti membranæ, & nerui, nisi bene fuerit maturum vulnus, vt euitetur dolor, conuulsio, inflammatio, & fistula.

In vulneribus penetrantibus Pectus, quę benè, & sufficienter expurgantur, & quod libera sint accidentibus, caueat Chirurgus, ne Patienti præscribat, & exhibeat aliquod lambituum, cum quibus reuocatur materia ad os, & fit motus quidam improprius naturæ, & laborioſus, quia non potest expurgari per os aliquod, quod non adsit tussis, & producit hoc plurima mala accidentia, quia per vulnus tanquam per locum proprium debet fieri expurgatio, & in applicatione liciniorum, aut canularum in vulneribus Pectoris cauendum sit à longitudine, sed tantum sint longa, vt possint penetrari in cauitatem fugiendo omnem magnitudinem, & duritiem, & quod ligentur, ne cadant in cauitatem, & quando materia est exitura à vulneribus Pectoris, agat Chirurgus, vt Patiens claudat os, & nares, quia hac ratione materia reuocatur ad vulnus, nec agitetur Patiens cum motu tussis.

Caueat Chirurgus, ne in faciendo iudicio vulneratorum quibus facta maxima sanguinis effusio, quod quantumuis vulnus sit curatum, attamen ob largam euacuationem sanguinis refrigeratum est corpus, & resoluuntur spiritus, & corpus fit molle, & omnes operationes naturales languescunt, cum periculo, ne vulnerati cadent in Hidropem, aut aliam indispositionem dependentem à vulnere, vt omne litigium auferatur cum iuridicis.

In vulneribus factis ab animali venenoso, aut suspecto de veneno, non est conueniens applicare albumen oui, aut aliud medicamentum astringens, quia faciunt retrocedere venenum intus, vnde mors.

Cautiones spectantes ad vulnera.

IN corporibus malè dispositis, aut quæ temperamentum bilioſum habeant potest simplex vulnus fieri in parte neruoſa, quod nisi apertum conseruetur, generatur materia in profundo vulneris, quæ contaminare potest aliquam partem neruosam, & producere accidentia grauissima, ac si fuisset læsio nerui, & hoc prouenit, quia materia vellicat neruum, & non quod à principio fuerit læsio nerui, quia si neruus læsus fuisset, secuta fuissent propria simptomata, & quidem subitò, proindè minimum quantumuis sit vulnus, & quod sit in parte, in quibus adsunt nerui, debet conseruare placidè apertum vulnus, ne retineatur materia in profundo vulneris, quia generalitèr, quando corpora sunt cacochima, aut bilioſa, non debet vniri vulnus iuxtà primam intentionem, sed priùs permittere aliquam digestio ẽ, & à curatione conualescunt regularitèr, nec eorum se qui methodum, qui cogitantes curatum, & sanatum esse vulneratum, postmodùm excitatur in ijs febris dolor, apostema, conuulsio, & alia simptomata.

Omnes cicatrices vulneris habent sensum exquisitissimum, & in dicta parte patiuntur magnam debilitatem, & postquam sunt sanati vulnerati, particularitèr studendum est, vt cicatrix corroboretur, vna cum

parte

parte, & antequàm moueatur dicta pars, debet esse Chirurgus multum circumspectus, aliter succedit fluxus humorum in dictam partem, qui reddet difficilem curationem vulneris, & forsan, si habituatus fuerit fluxus efficiet aliud malum; non omnes febres, quæ superueniunt vulneratis habent originem ab extrauenatione sanguinis, quia interdum sunt erisipelata, quæ volunt exire, aut quod superueniat tertiana, aut quod excitatum sit apostema propter inflammationem eiusdem vulneris, quia tempore inflammationis in vulnere magno, & graui, necesse est vt febris superueniat, quæ quidem febris tantum periculum non minatur.

In diebus criticis vulneratorum natura mouet spiritus, & sanguinem ad subueniendum eidem vulneri, & efficit accidentia grauia, tunc Chirurgi debent computare dies criticos non tam, quia sperent aliquam crisim, veluti in febribus, sed quia animaduertant, an pejus, an melius progrediatur vulnus. Et omnia vulnera grauia, quæ in longum protrahuntur, & quæ exangue reddiderunt corpus ægrotantis, sunt ità periculosæ in principio, ac in declinatione, quia superueniente aliquo accidenti potest mors subsequi, & hoc semper erit dependens à vulnere.

Non omnes vulnerati capite, qui moriuntur, hoc succedit propter extrauenationem sanguinis, qui delitescebat in membranis, aut in cerebro, est propter copiam humorum, quos transmittit natura ad membrum debile, & abscessus producit, & mortem etiam, vt obseruatur in alijs vulneribus, quæ non fiunt in capite, ratio est, quia translatum tempus est inflammationis, & quod vulnus declinationem attingat, tunc erit translatio, & nullatenùs extrauenatio.

In vulneratis capite, quantò tardiùs superuenient accidentia, tanto erunt lethalia, & maiori ex parte moriuntur, tàm cum operatione, quam sine, & in magnis vulneribus nullum fieri tumorem indicat imbecillitatem, aut humoris retrocessum, sicuti fieri magnum tumorem est indicium gangrenæ, aut sphaceli.

Erisipelata, quæ proueniunt vulneratis capite, non sunt semper lethalia, sed semper existimanda, imò bonum signum videtur prouenions à pessima causa, quia melius est naturam expellere humores ad extrinsecum, quàm retinere intùs ad concitandum aliquod apostema.

Omnia ossa, vt plurimùm, quando sunt priuata sua membrana, aut quod passa fuerint aliquam contusionem, corrumpuntur, & eadem caries quanto erit magis profunda, tardè etiam separabitur, licet non sit de essentia, vt separatio sequatur eodem tempore.

In capite vulneratis cauendum est, quod ob nimiam diætam, aut quod sit separatum os, aut quod facta fuerit trapanatio, impeditur, quod natura non possit carnem generare ob nimiam diætam, ideoque non fungitur munere incarnandi, & in capite vulneratis, quod commissuræ possunt relaxari, vndè transcolatur materia supra duram meningem cum periculo mortis. Imò, qui moriuntur ob trapanationem malè factam, dignoscuntur, quia substantia facta separatione trapani excitantur rigores cum febre, conuulsione, & delirio, & post mortem facta obseruatione duræ meningis in situ trapanationis, inuenietur dilacerata.

Multocies in vulneratis capite in principio vulneris apparent accidentia satis lethalia, & postmodum die sequenti conquiescunt, quia proueniunt propter agitationem humorum, & animi conturbationem, quia, si prouenirent propter læsionem factam in dicto vulnere, perseuerarent; Et vulneratis capite vulnere existente graui, si superueniat alui fluxus moriuntur, quia hoc prouenit, quod caput trahit in consensum ventriculum, & malè concoquit, vndè omnes moriuntur.

In capite vulneratis, quando excitatur dolor in collo, est lethale signum, & vt plurimum in illis apostema, aut in pectore, aut in hepate, vt obseruatum est pluries, vnde excitatur, aut conuulsio, aut alui fluxus.

In faciendo trapanatione animaduertendum est, ne Chirurgus erret, quia multocies dura mater est tàm connexa cum cranio, vt non possit circumire, neque cum ferro quantumuis parulo in duram, & vitream, vndè post mortem ad separationem duræ à vitrea necessarium fuit vti aqua calida ad diuidendum.

Omnia vulnera, quæ fiunt cum magno languore, aut sint vulcera, aut quod in Patiente virtus sit debilis, & sequatur sangui-

nis

nis profusio, habent signum mortis, & hoc est relaxatio, quam facit natura ad partem vulneratam, & tantò magis, si erit multum tempus, quo vulnera facta fuerint.

Vulnera, quæ contingunt in corporibus iuuenilibus, subiecta sunt magnæ inflammationi, ob magnum calorem, quam habent, & quod etiam propter victus prauam rationem sunt difficiliora ad sanationem, quàm si sint in senilibus, & cum vulneratus est neruus, trahit in consensum cæteros neruos, non minùs, quam si fuerit vulnerata vena, aut arteria ob colligantiam, quam habent istæ partes consensum inter se habentes.

Canulæ, quæ mittuntur intrà vulnera Pectoris, applicari debent, quando appareat, quod vulnus expurget materiam in quantitate, ne retineatur in Pectore, cum hac cautione tamen, vt eadem canula obturetur cum spongia, aut filo, ne euaporent spiritus ab eadem canula, & spatio quatuor horarum materia exeat; quare vulnera penetrantia in Pectus, aut dignoscuntur ex magnitudine vulneris, aut stilo ferreo, aut ab accidentibus in dilatatione facienda supra musculum temporalem secanda simplex cutis est, & non musculus, & quando vrgeat necessitas secandi musculum, tum fiet secundum fibras, non tangendo venas, & arterias ibidem existentes, aut purè cum filo, aut spongia præparata dilatando, & hoc cum circumspectione, ne dilatatio fiat supra commissuras in Occipite, & supra rugas frontis.

In tribus casibus conuenit dilatare vulnera capitis. Primò existente magna dilaceratione, de qua dubitatur, ne possit amplius vniri, aut incarnari. Secundò conuenit dilatatio, quando peragenda est aliqua operatio in dicto vulnere, quod non sit sufficienter amplum, veluti quando fit trapanatio, aut abrasio, aut remotio alicuius ossis. Tertiò conuenit dilatatio, quandò vulnus est angustum in quo appareat magna sanguinis extrauenatio, aut Echymosis magna, vnde dicta extrauenatio non possit dirigi per idem orificium, nec per insensibilem transpirationem.

Caurè procedendum est in vulneribus capitis, dùm reponuntur globuli filacei intrà vulnera, quia efficiunt, vt labra eiusdem vulneris retroinuertantur, & producunt inflammationem, & dilungant curationem, & Patientes non possunt decumbere suprà eamdem partem vulneris, & producunt Erisipela, & quando vult consolidari vulnus, difficulter deprimuntur prædicta labia.

Abrasio ossis capitis conuenit, quandò aderit rima, aut quod os aliquo modo passum fuerit alterationem, & signum, quando facta est abrasio sufficiens in osse, est, dum sanguis apparet in exitu, & mutatur colore. Non conuenit autem abrasio in osse capitis, si passum fuerit maximam corruptionem, sed expectanda est separatio ossis cum applicatione remediorum, quæ propria sint.

Quandò fit abrasio capitis cum ferro (vulgò raspatoio) debet fieri versùs se & nunquàm retrò, & curare, nè dilaceretur pericranium, aut labra vulneris, & manu firmetur caput, & debet Chirurgus tegere labra eiusdem vulneris. Quando autem os capitis est detectum non debet curari, nec minùs pertractari circùm circà cum ferro, nec permittere, vt persentiat agotus aerem, nec permittere, quod applicentur medicamenta nimis humida suprà os, cauendo alterationem; & esse circumspectus Chirurgus, ne iudicet commissuram per fracturam, neque agat vllam abrasionem supra commissuram, nec omnes rimæ, aut sete non debent abradi, nec nulla existente subtus materia difficulter vniantur, sed quando rima, aut sete erit inæqualis, fiat abrasio, vt adæquetur, & vt possit incarnari. Quandò fit abrasio in sete, aut in rima, illa fiat in medio, & non in alio loco, vt illa cognitio, quam non habet in medio Chirurgus, minus possit habere in altera parte, quia in medio est semper profundior rima, aut sete.

In fracturis ossis, quæ fiunt in caluaria pertingentes vsque ad duram matrem, & minùs sufficientes sunt ad materiæ extractionem, dummodò adsint signa materiæ retentæ, tunc conuenit trepanisatio, sicuti etiam vtendum est trapano in puncturis, quæ fiunt in caluaria cum ferro pungenti, & ferro (vulgo raspatoio) fiat æqualitas.

In fracturis ossis caluariæ cum depressione, & larga rima, non debet extrahi os, nec minùs conuenit trapanum, quando ex eadem rima pateat additus materiæ, quæ exeat, quia in hisce casibus, cum vult Chirurgus extrahere os, antequam maturum

sit, & quod præterierit tempus inflammationis, refrigeratur dura mater, vndè sequitur dilaceratio eiusdem membranæ, sed si depressio fuerit cum rima angusta, & cum accidentibus grauioribus, tunc fiat trapanum, & sine vlla alia consideratione extrahatur os depressum.

In contusionibus capitis, in quibus nullum vulnus est, & fractura in caluaria, & quæ habent signa indicantia extrauenationem, tunc melius est vti emplastris, aut ceratis diaphoreticis, quia nulla adest certitudo, quo in loco sit extrauenatio, aut in cerebro, aut in membranis, nec possit sciri situs, in quo sit extrauenatio, & species horum vulnerum vocantur vulnera calamitosa, attamen experientia compertum est, maiorem esse numerum illorum, qui sanantur, cum emplastris, & ceratis, quàm quibus facta fuerit aliqua operatio manualis, cum ferro; Imò cauendum est in vulneribus capitis, ne semper vtatur Chirurgus medicamentis Balsamicis, aut spiritu vini, quia multocies reuocantur tumores ad caput, & efficiunt erisipela.

Si occurrerit necessitas vtendi trapano vicino commissuræ, hoc non fiat in eadem commissura, sed vnum ex vno latere, & aliud ex altero. Pariter, cum vtendum sit trapano suprà musculum temporalem, illud fiat, quod sit proximum musculo, & non supra musculum.

Qui moriuntur ex vulneratis in capite, non moriuntur ob inflammationem, quæ excitata fuerit, sed ob putrefactionem materiæ, quæ non potuerit extrahi.

Quandò fit trapanum rectè trapano vtendum est, vt remoueatur os æqualitèr, aliter faciendo, potest succedere dilaceratio membranæ, & postquam factum fuerit trapanum, si dura mater reperietur inflammata, vtendum est medicamentis resistentibus inflammationi, sed si reperietur dura mater disposita ad putredinem, tunc vtendum est medicamentis, quæ prohibeant putredinem.

Vsus trapani in vulneribus capitis non sit, nisi in maxima vrgentia, & necessitate, quia efficit grauia accidentia, & primo fit nouum vulnus, secundo debelitatur pars, tertio incalescit cranium, quartò dilacerantur fibræ ossis, quinto franguntur venæ, quæ sunt in meditulio, sexto non habetur certitudo de grositie ossis, septimo in separanda vitrea periculum imminet, ne dilaceretur dura membrana, & octauo prorungatur curatio.

Cautiones Chirurgicæ ad vulnera.

VVlnera ossis Sterni curandum est, ne efficiant contaminationem ossis, quia hoc in loco non licet vti ferro igneo, cum os sit natura sua spongiosum, nec admittit vnquàm separationem, & quando passum fuerit aliquam alterationem, tunc deueniendum est ad ferrum (vulgò raspatorio) & maximè cum carnes superficialis existat, quia si erit profunda caries, totum opus sinendum est naturæ, & etiam medicamentis proprijs.

In vulneribus penetrantibus pectus, quantumuis existant sinè læsione partium contentarum, cum dari potest læsio venarum, & arteriarum intercostalium, & efficere extrauenationem sanguinis in pectus, aut læsione neruorum intercostalium, succedunt grauissima accidentia.

In facienda sectione in empiemate multocies materia est grossa, & tenax, quæ post factam sectionem non exiet, & hoc in die sequenti, vndè licet præuenire, ne vituperetur operatio. Signa autem indicantia empiema in vulneribus pectoris sunt febris magna, cum pulsu paruo, frequenti & inordinato, difficultas respirationis, decubitus difficilis in partem oppositam, persentitur innundatio in pectore ex vno latere in aliud, dum mouetur Patiens, tussis, & aliquandò deliquium animi, magna suffocatio, sudores ad caput, pellis corrugatur, & sepè ex latere empiematis excitatur aliquis tumor pituitosus, & quando materia in pectore est pauca, non est vtendum sectione, sed exhibenda sunt medicamenta expectorantia, & diuretica, & totum opus sinendum naturæ.

Vulnera pectoris satis profunda non debent irritari dilatando cum licinijs violentis, sed blandè debent conseruari aperta, & postmodum opus totum permittere naturæ, quia ab hoc loco non potest exire materia iam in pectus extrauenata.

In empiemate pectoris ex vulnere vt plurimum materia, quæ ibi congeritur, post factam sectionem, est materia cruenta similis lorturæ carnis, aut erit sanguis grumosus, quando empiema factum est

à pul-

à pulmonum inflammatione, aut à pleuritide, tunc materia erit albicans, dummodo tamen fiat sectio opportuno tempore.

Nerui, qui sunt ex toto recisi, aut tendones possunt cauterizari, vt prohibeatur putrido, sed non debent cauterizari nerui sani, quia neruus, qui recisus est persentiendo ignem contrahitur, & corroboratur, & qui non est recisus persentiendo ignem excitat conuulsiones.

Omnia vulnera, aut morbi, qui fiunt propè oculum, non sustineat medicamenta mordacia, ideoque oculus pessimè irritatur, è contrà sustinent sectionem, quæ non irritat oculum.

In vulneribus, quæ fiunt supra manum, non debet Chirurgus vti licinijs nimis longis, & minùs ferro ob tendones, qui sunt superiùs, & inferiùs, nec minus facere strictionem nimis arctam, quia in hoc loco periculum est, ne excitetur abscessus, aut gangræna.

In quocumque vulnere quantumuis grauissimo Chirurgus non debet curationem desperare, quia multociès natura prodigiosè operatur, aut nisi natura, quæ faciat aliquid concurrente constellatione bona, & felici pro vulnerato, attamen sæpiùs conualescunt, & etiam è contrà moriuntur multique vulnerati, postquàm sanati sunt, iterùm patiuntur vulnus absque eo quod non commiserint errata in victu, & postquam præterierint dies periculosi, & vulnus extiterit in declinatione, attamen excitantur accidentia grauia, à quibus etiam mors succedit, quæ quidem accidentia non concomitantur naturam vulneris, vnde censetur id prouenire à maleficia constellatione, ex quo nostrum corpus subditum sit syderum influxibus.

Quando vulnera penetrantia in pectus sunt ampla, adeò vt vtramque costam attingant, impossibile est, quod non sint sectæ venæ, & arteriæ intercostales, & quod non subsit sanguis extrauenatus in cauitatem, vnde vulnera pectoris vt plurimùm sunt tortuosa, & necessarium est ea dilatare, vt dirigantur illa, quæ sunt angusta, sed debet animaduerti duas dari species dilatationis, vnam, quæ fit dilatando pellem, & alteram dilatando musculum, & in hoc casu studendum est, ne, dum fit sectio, rescidantur venæ, aut arteriæ intercostales, quod est peius, quàm ipsum met vulnus, & in vulneribus penetrantibus pectus, attendendum est, ne natura sit in motu cum expectoratione sanguinis, tunc non conuenit vlla contra sectio, sed auxilium præbere naturæ cum medicamentis appropriatis, vt opus perfectum succedat, & ad euacuandam materiam extrauenatam in pectore melius est, vt euacuetur per vulnus, & non per os, vt euitetur periculum euacuando per os contaminandi pulmones.

Et in vulneribus pectoris maximè, quæ facta fuerint ex sclopi explosione, aduertendum est, ne in prima medicatione erret viam vulneris Chirurgus, quia multocies cogitabit esse vulnus in cauitate, nec erit, sed signum, quod erit in cauitate est, quando exiet flatus à vulnere.

In vulneribus penetrantibus pectus dignoscitur, non adesse amplius sanguis extrauenatus in dicta cauitate ex hoc, quod in tussiendo persentiuntur spiritus, qui liberè euaporent à vulnere, nec debet irritari vulnus cum frequenti motu tussis, quia magis debilitatur Patiens, & irritatur etiam vulnus.

Antequam fiet aliqua ablutio in vulneribus pectoris considerandum est, si post quam facta fuerit ablutio, eam poterit Chirurgus extrahere, & quantitatem, & qualitatem ablutionis considerando, ne excitetur accidens suffocatiuum cum magna tussi, & habeat transitum per os, & licet opinio sit inter Chirurgos, quod non debeat in vulneribus pectus penetrantibus adhiberi ablutio, & illi, qui sustinent non esse adhibendam, adducunt hanc rationem quod medicamentum non permaneat supra partem intrinsecam vulneratam cum nescitur quo in loco fit læsio, & quod debeat læsio partis intrinsecæ remitti naturæ, attamen hoc non obstante praxis rationalis contrarium docet, dum abluentia, quæ tempore opportuno adhibentur, & iuxtà methodum curatiuam, multùm iuuent, & proficua sint. Quandò verò fit ablutio in vulneribus pectoris ad detergendum necesse est repetatur ablutio, donec decoctum ablutionis exeat clarum; nàm tres species sunt ablutionis, quæ vsurpantur in vulneribus pectoris, vna est ad dissoluendum sanguinem grumosum, secunda est ad detergendum, & tertia ad consolidandum, & corroborandum.

Non in omnibus vulneribus factis per explosionem sclopi fieri debet cauterizatio, quæ tamen adhibenda est quando facta est magna dilaceratio, & quod habeant sensum obtusum, quia per multum temporis spatium remanserunt detecta, cum caloris extinctione, aut propter maximam sanguinis quantitatem, quæ effusa sit, obseruatur vulnus quasi priuatim virtute vitali, in hisce casibus conuenit cauterizatio ad reuocandos spiritus in dictum vulnus.

Inter Hemorragiam sanguinis, quæ debilitat virtutem Patientis, illa est, quæ prouenit immediatè à venis, aut arterijs profundis habentibus connexionem cum membris principalibus, quod non operatur ille sanguis, qui prouenit à membris remotis à fonte caloris, & vitæ.

In capite vulneratis, & quod vulnus fuerit graue, quantumuis à vulnere perfectè conualuerint, non tamen sunt tales iudicandi, quia perfectè sani sunt ab imbecilitate, quam contraxit caput vulneratum, vnde si quis eorum cõmittat aliquod erratum in victu, periculum est ne abscessus generentur, aut Epilepsia, aut Apoplexia, aut Conuulsio, aut Paralysis, etiam si præterierit spatio centum dierum, vndè vulnus causam dedit illorum accidentium indeque moneatur Chirurgus in remouendo iudicium dictorum vulnerum, dicendo quod videtur in statu presentaneo sanabile vulnus cum nullus sit, qui certus esse possit, de ijs, quæ potest facere natura.

Quando in vulneribus nerui non cædit dolor potest fieri cauterizatio, cum oleo Terebinti, & aquauitæ, & vtrumque sit satis calidum, quia hoc modo tollitur sensus neruo, aut recidatur ex toto, vt seruatur in dolore dentium in quibus adest caries tangendo enim ferro ignito, tollit dolorem, aut etiam, cum aqua forti.

Omnia vulnera quæ fiunt in iunctura debet Chirurgus illa curare, mouendo iuncturam, ne hæc excitetur, & hoc transacto tempore inflammationis, & membrum seruare in illa figura, quæ erit minùs dolorosa.

In curandis vulnetibus partium neruosarum, si nerui erant detecti applicanda sunt medicamenta placidiora, sed in illis vulneribus, in quibus nerui vulnerati sunt, & remanet in profundo adhibendum est medicamentum fortius, itaut penetrare possit neruum vulneratum.

In magnis contusionibus, in quibus apparet copia sanguinis extrauenati, cum magna duritie, dolore, & tumore, profunda ita debetur fieri excarificatio vt excutiatur sanguis, & calor ventiletur, & prohibeatur putredo, aut abscessus.

Omnia vulnera in cauitate naturali penetrantia, & quæ sunt satis ampla, citò medicamenta sunt, ne spiritus euaporent, & quod aer non ingreditur in vulneræ, ne cauitas refrigeretur, & caulet in Intestinis flatuositatem, dolorem, & alia accidentia.

Non semper in vulneribus penetrantibus cauitatem naturalem, in quibus transit per secessum sanguis, inditium est, adesse læsionem viscerum ob experientiam multorum vulneratorum, in quibus sanguis erat extrauenatus in cauitatem, natura adinuenit viam, & modum ad exonerandum sanguinem per aluum, cum tamen nulla erit læsio in viscribus, vnde sani facti sunt sinè aliquo simptomate.

In vulneribus iuncturarum multocies tantus est humorum confluxus ad eamdem vt corrodant ligamenta, cartilaginem, & acetabulum, & simul etiam efficiunt, vt ossa inter se vniantur, ac si nunquam fuisset iunctura, vnde remanent omninò priuati motu, & tunc non sunt adhibendæ vnctiones, & minus balnea emolientia, quia non iuuant. E contra multa vulnera in iuncturaquamuis callum non contraxerint, & minùs recisa fuerint ligamenta in ordine ad dolorem, ad inflammationem neruorum, & priuationem motus iuncturæ per multum temporis spatium nerui exsiccantur, & fiunt aridi, simulque iunctura euadit arida, & sicca, vndè nascitur contractio nerui, tunc possunt adhiberi vnctiones, & balnea emolientia facta diligentia, vt vnum distinguatur ab altero.

Facto trapano, si exiet sanguis rubicundus fluidus, & calidus est signum, quod exit sanguis propter dilacerationem factam cum trapano in meditulio, aut in venis, quæ transeunt per porrositatem vitreæ, & sanguis, qui exit, tunc à vase est recens, sanguis verò, qui est extrauenatus nigricans est, glumosus cum fætore, & nisi rollatum cum ferro (vulgo la Moietta) difficulter potest extrahi.

Antequàm verò Chirurgus se accingat ad trapanum, debet considerare signa, quia alia sunt, quæ indicant extrauenationem san-

anguinis, & alia, quæ indicant apostema, tunc non est vtendum operatione trapani, quia iam materia contaminauit intrinsecus, & faciendo aliam operationem non videtur, aliud posse fieri, quam breuem vitam reddere ægrotanti.

Omnes vulnerati, qui sunt natura timidi, & immaginantur, se malus malum habere, quam quod efficere possit vulnus, ob apprænensionem concurrunt multi spiritus ad vulnus, simulque humorum superfluorum fluxus, ex quo excitantur in vulnere grauia accidentia, vnde vt plurimum isti pessimum exitum habent, & tentandum est, vt remoueatur ab ipsis deprauata imaginatio, vt melius sanitas corporis succedat.

Viget opinio, ne sanguis extrahatur per venam sectam in die, quo vulneratus fuerit homo, cum tunc sanguis totus est conturbatus, & confusus bonus cum malo, & cum eadem phlebotomia fortius conturbetur sanguis, & qui extrahitur, potius bonus est, quàm malus, vnde remittitur venæ sectio ad diem sequentem quo humores sunt quietiores, & animus vulnerati est magis pacatus, vnde natura transmittit ad phlebotomiam sanguinem vitiosiorem, & multum iuuat ad resistendum inflammationi, quæ solet superuenire vulneri.

In vulneribus capitis, quantumuis detectum remaneat pericranium, attamen Chirurgus attentè considerabit an pericranium passum fuerit magnam contusionem, quo existente vulnus erit magnifaciendum, & si dignoscitur contusio, quia est magis subtile, signum est, non habere suum calorem naturalem, & separatum ab osse.

In vulneribus penetrantibus pectus consideret Chirurgus, an sint cum læsione partium contentarum, quia si facta fuerint in homine, qui laborauit Pleuritide, aut destillatione ad pectus, aut astmate, & quod fortitus fuerit pectus satis angustum, aut quod patiatur aliquem alium morbum pectoris, tunc vulnera erunt maximè læthalia, quamuis nulla extat læsio partium intrinsecarum cum hoc proueniat ab imbecillitate iam contracta antè vulnus.

In vulnere cum læsione arteriæ, & à quo vulnere multociès sanguis exierit, cum vulnus per tres, aut quatuor dies non emiserit sanguinem, sed postmodum transmittat, tunc signum est arteriam non esse ex toto sectam, sed solummodo punctim vulnerata, in hoc casu conuenit ex toto recidere illam, quia semel secta contrahitur, & facilitèr incarnatur, vt in praxi læpiùs obseruatum est præmissis tamen suis ligaturis ad partem superiorem membri ad quod arteria decurrit, & descendit hoc enim modo infallibilitèr suprimitur sanguis quod etiam debet fieri in vulneribus neruorum, quando simplicitèr puncti fuerint, vt tollatur conuulsio, & debent ex toto secari.

In vulneribus capitis cum depressione ossis non est necessarium semper vt os comprimat duram matrem, & efficiat accidentia grauia præsertim in pueris, in quibus obseruatæ fuerunt depressiones, neque effecerint accidentia, & sanati perfectè fuerint, & in aliquibus remansit depressio ossis cum tamen hoc non obstante passi fuerint aliquod sinistrum accidens, & vitam consequuti fuerint longam.

Caueant illi Chirurgiam exercentes, ne vulneratos curent sine approbatione ipsorum à factà professoribus practicis, & vlterius sint circumspecti in faciendo iudicio absolutè sanabili vulneratorum, quia si idem vulnus malè se habebit, & quod vulneratus moriatur, incurret litigium cum Iudice, & cum illo, qui vulnerauit Patientem adducendo, quia non habuit approbationem prædictam, quod non potuerit esse idoneus ad talem curationem, veluti etiam si moriatur, cum iudicium factum fuerit sanabile, dicetur mortuus ob eius negligentiam.

In applicatione Causticì supra aliquod membrum, aut supra aliquem tumorem animaduertat Chirurgus situm, cui applicatur, ne contaminet aliquam partem neruosam, aut non penetret tam profundè, vt sua qualitate corrodenti. Cædat aliquod visus, & modus bonus applicandi causticum debet esse ex perfecta praxi, qua discernat Chirurgus per quantum temporis spatium possit agere suam operationem, aliter succedet aliquod accidens, vt obseruatum fuit accidisse cuidam Chirurgo, qui, cum curaret hominem dolore laborantem ad partem dexteram propè costas mendosas in regione hepatis iudicauit concludentèr ibi subesse materiam, vnde ad applicationem causticì deuenit, quod erat satis

po-

potens nulla habita consideratione ad violentiam, quam inferre poterat operatio eiusdem causticj, & minùs ad siccitatem totius corporis, quæ erat in ægrotante, nec minùs ad paucitatem carnis, quæ inueniebatur in dicto loco, reliquit dictum causticum per tempus longius, quam quod conpenerat, sicque excitauit maximam febrem, inquietudinem, tremorem, animi deliquium, & maximum ardorem cum alijs simptomatibus in eadem parte, & hoc non obstante dictus Chirurgus totum hoc adscribebat materiæ in dicto tumore consistenti, & ab ipso suppositæ, sed facta sesectione escharæ, & penetrans in profundum non obtinuit, quod vlla materia exiret, sed quarta die ab applicatione causticj vitam cum morte commutauit, facto cadauere habuit Chirurgus alius diligentem inspectionem in aperitione illius, an subesset materia, quæ tamen nulla omninò inuenta fuit, sed in substantia hepatis impressa fuit escharalata ad similitudinem exterioris, & hoc fuit inuentum obijsse Patientem ob corrosionem factam ab eodem causticoin dicto hepate, vnde Chirurgus in applicatione, & replicatione causticj necesse est, habeat cognitionem naturæ causticj, & sinus, cui applicandum sit, & de forma applicationis, & de quantitate eiusdem causticj, & de tempore applicationis, ne excitentur grauissima symptomata.

Tumores, qui fiunt in iuncturis per congestionem, melius est quod finiantur per maturationem, & non per indurationem, quia quando finiuntur per indurationem, ibidem materia concrescit quasi in lapidem, & motum impedit eidem iuncturæ, imò in illis, qui supurantur, necesse est, vt perfecto digerantur, adeò vt non remaneat minimum signum duritiei.

Quando in aliqua iunctura corporis excitatur aliquis tumor, qui ineptus est ad resolutionem, & maturationem, sed veluti lapis concrescit, tunc deueniendum est ad applicationem alicuius cerati, quod facultate polleat emoliendi, & rubificandi eamdem partem, & efficiet aliquot pustulas in dicto tumore cum pauco calore à quibus pustulis aliqua serositas exiet, sed curandum est vt perfectè digerentur dictæ pustulæ, ad hoc vt tumor imminuatur, & hac cautione tamen, ne tumor malignitatem aliquam contraxerit, & post curationem dictarum pustularum, denuò deueniendum est ad replicationem eiusdem cerati, vt hac methodo partim digeratur, & partim resoluetur dictus tumor.

Tumores duri naturam malignam habentes nunquam perueniunt ad perfectam supurationem, nec materiam præferunt laudabilem, sed antequam rumpantur crescit dolor excitatur rubor, & cum pauca molitie, & cum aperti sunt, materiam expurgant nigricantem, aut similem loturæ carnis, & dolor magis crescit in eorum aperitione, excitatur fætor cum febricula continua, & corpus totum emaciatur, & Patientes languescunt, appetitum deperdunt, vigilijs continuis agitantur, deliquijs animi, & vulnus magis dilatatur ad profundum, vndè mors subsequitur.

Omnes abscessus, qui proueniunt à copiosa materia, si excitabitur febris, hæc originem habebit ab eadem materia, nec potest quiescere materia, nisi prius tollatur febris.

In quibus tumoribus, qui sperantur posse terminari per suppurationem, & quod materia sit dispositæ, nullo modo distrahi debet natura à sua operatione, sed curandum est, vt porrigantur debita auxilia, quæ necessaria sint ad supurationem perfectam, ne aliter faciendo prorogetur curatio cum periculo Patientis.

Omnia apostemata, quæ fiunt in parte neruosa, & ad profundum vergunt, minantur periculum fistulæ, aut sinus, aut corruptionis ossis, aut motus deprauati eiusdem membri.

Omnes abscessus, qui generantur in podice, ex causa motus violenti in æquitando, aut ex hemorroydibus dolorosi, aut propter supressionem earumdem hemorroydum, aut ob certam mucositatem, quam multi solent expurgare per illam partem, aut per depositionem febris, vnde abscessus in podice facti, nisi quam primum aperiantur cum sit locus spongiosus, & per illas fissuras, siuè rugas in podice existentes, & ob continuam tumiditatem in dicto loco existentem, terminant, aut in sinus fistulosos, aut quod contaminent intestinum rectum.

Datur quodam genus parotidis furiosæ ab habitu maligno productæ, & magnum augmentum paucarum horarum spatio suscipiunt, & minantur suffocationem quan-

do

do virtus erit fortis, & robusta, in eo casu fieri potest apertio, & si non existat aliqua materia, quia per talem aperitionem, datur aditus euaporationi maligni illius humoris, aut halitus, ex quo postmodum Patientes incipiunt se expurgare.

Omnes tumores producti ad mandibulam inferiorem proximam auri sunt difficulter ad supurationem, & quando ad eamdem deueniunt difficile est cicatrizare ex causa metus, qui fit in masticando, & in sermocinando, & si necessaria erit cicatrizatio, necesse est, vt Patiens nec masticet, nec loquatur, donec facta fuerit perfecta cicatrizatio.

Abscessus producti à causa primitiua, & qui faciunt prominentiam ab extrinseco, non possunt contaminare os, nec offendere ligamenta, dumodò opportuno tempore aperiantur.

In secandis abscessibus magnis, & qui penetrant in aliquas cauitates, & quod Patiens sit debilis, Chirurgus suas agat præuentiones, ne dum euaporet materia, moriantur Patientes in operatione.

Omnes tumores extrinseci, qui inclinant ad supurationem, simul vniuntur, & restringuntur cum pauca duritie, & ibidem generatur materia; quod si tumores facti fuerint à materia frigida, tunc isti nec erunt apti ad resolutionem, nec ad maturationem.

Abscessus, qui secantur, & à sectione eorum, si exiet materia oleaginosa obscura, aut, quæ habeat similitudinem cum fæcibus cum magno fætore, indicant putredinem, & vt plurimum Patientes moriuntur, & in secandis abscessibus post extrauenationem sanguinis præcidendum est, materiam, quæ est exitura non esse coloris albicantis, sed quidem esse sanguinem putridum, & grumosum.

Abscessus, qui fiunt per sanguinem extrauenatum, paucum dolorem præbent, & multo tempore durant ad supurationem, aut corruptionem, dolorque in illis non est continuus, sed interpollatus.

Chirurgus, qui in vulnere facto in regione alicuius cauitatis non potens se certum facere, an dictum vulnus sit penetrans, an non, cupiens exhibere suum iudicium sine grauamine partis, aut illius, qui dictum vulnus fecit, nec præiudicari sibi met ipsi, in hoc casu seruanda est hæc regula, die, mense, anno in tali Ciuitate, aut Oppido in executione proclamatis S. E. notifico tibi Domino Iudici, me curare in presenti Ciuitate hominem habitantem in Parochia &c. qui vulneratus est in regione ventris inferioris ad dexteram partem, quod quidem vulnus est satis longum, & tortuosum factum ex ferro seccante, & pungente, nec possum in præsens iudicare illud mortale, & sanabile, cum mihi non constet adhuc, nùm penetrans sit ad partes interiores, vndè promitto iudicium exhibere concludens, quandò ex accidentibus superuenientibus, certior factus fuerim partis, quæ remanet offensa, & etiam qualitatis vulneris &c. casus dicitur secutus fuisse in tali loco, & nunc adinuenitur &c. Ego &c. cum superuenerint postmodùm accidentia, quæ timorem incutiunt, tunc dicet Chirurgus quod per accidentia superuenientia iudicet vulnus esse penetrans cum aliqua partis læsione, & iudicet posse afferre periculum mortis, & quandò nullum aliud accidens subsequatur transacto tempore inflammationis Chirurgus dicet in nouo Iudicio, quod facturus est, quam cum præterierit tempus inammationis, & elapsi sint dies suspecti Chirurgicis, nec superuenerit aliud simptoma iudicabit dictum vulnus esse sanabile, cum hac tamen cautione, quod si occurrat aliquod noui in dicto vulnere, de nouo denunciabit ad Officium illud, quod occurrit.

In casu quod propter missionem sanguinis factam in muliere grauida, quæ possit esse causa abortus, vnde posset citari à Iudice ad dicendum, si dicta sanguinis missio fuerit causa abortus, tunc præcedent simptomata, quæ post phlebotomiam superueniunt mulieri, & hoc quidem statim, quod mulier deliquerit animo, & incurrerit magnum languorem virtutis, & persenserit fætum in vtero cum metu satis violento, & quod per vuluam extrinsecùs inceperit pululare paucum humiditatis simul cum sanguine, postmodum persentiat magnum pondus in fundo ventris cum doloribus, & intrà biduum abortiat, fætusque erit coloris admodùm albicantis, quia talis color indicat fætum obijsse ob defectum alimenti, & hæc sunt signa, quæ indicant abortum ex missione sanguinis factum.

In casu, quo Chirurgus citatus fuerit

à Iu-

à Iudice ad recognoſcendum, an talis homo mortuus ſit propter largam miſſionem ſanguinis incautè ſubſecutam, in hoc caſu debet Chirurgus cognouiſſe, in quo ſtatu reperiebatur ægrotus antè miſſionem ſanguinis, ſcilicet ſi antè multum tẽporis ſpatium ægrotaret, ſi virtus erat exanguis, ſi à Phyſico practico præſcripta fuerit miſſio ſanguinis ad tres vncias, & quod appareat ſenſui oculi maximè, qui reperitur in aqua, an ſit abundantior illo, quàm quod conueniat, & in facienda phlebotomia, ſi ægrotus amiſerit facultatem viſiuam, aut poſt eamdem dicant non benè vidiſſe, ſuperueniat ægrotanti deliquium animi, & vomat ob facultatem retentricem ventriculi, ex quo facultas concoctrix ſit debilis, aut frigidum ſudet, aut in refrigeratione deficiant pulſus, & perſentiat per vniuerſum corpus multam debilitatem, læduntur in auditu, vnde difficultèr percipit, & perſentit etiam in auribus ſibillum quemdam, & corpus fiat quaſi immobile, & grauiſſimum euadet ad mouendum, & vbi exſtiterit ſanguis euacuatus, an fuerit is multum ſeroſus, aut coagulatus in aqua, & extrahendo illum ab aqua, & ponderando, & habito reſpectu temperamento ægrotantis poterit coniecturari de cæteris humoribus in aqua diſperſis, & ab hoc in cognitionem venire, quanta quantitas ſanguinis fuerit extracta.

In extrahendo partu, qui mortuus fuerit, Chirurgus contempletur ſigna, ne opus, quod tentare debet nullius iuuamenti ſit mulieri, imò afferat ignominiam operanti, & ſunt, ſi mulier recuſabit alimentum, aut in offerendo alimento illud non perſentiant, aut quod permittant ab ore exire, aut quod interrogata, non aptè reſpondeat ob Phreneſim, aut Lethargum, aut quod patiuntur motus conuulſiuos, aut quod pulſus ſatis debiles habeant, aut quod præterierint ſeptem dies, quibus fœtus mortuus eſt, vndè vterus contrahit putredinem, & inflammationem, & obſeruata mulieris facie, an ſcilicet facies ſit cadaueracea ſimul cum oculis, tunc melius eſt non facere, quàm facere.

Et cum à Iudice fuerit citatus Chirurgus ad recognoſcendum hominem, qui mortuus fuerat ex vulnere capitis ſimpliciſſimo, cum ſimplici ſcilicet læſione ſolius cutis, & cum fuiſſet iudicium factum ſanabile ab eo, qui illum curabat, aut etiam adindicandum, ſi culpa debeat adſcribi illi, qui vulnerauerit ægrotantem, & iudicatur illud, quod in fauorabilibus pro curante erat, Chirurgus dicit, quod vulnus erat in ſinciptie ſine læſione oſſis, nec paſſus fuerit vulneratus vomitum, & febrem, nec delirium, nec conuulſionem, nec paralyſim, nec grauitatem capitis, nec obfuſcationem oculorum, imò benè dormiebat ſine inquietudine, alimentum erat ſaporoſum, & præterierint duodecim dies ſine vllo accidenti, nec cecidit in terram, nec erat lecto alligatus, edebat ad libitum, & cum vulnere exponebat ſe aeri, nec curabat de ſe in tempeſtate etiam impropria, vndè decima tertia die ſuperuenit illi rigor, & febris, & ſtatim apparuit Eriſipela in capite cum continuatione febris ſine vomitu, & delirio, ſed decima ſeptima die vitam cum morte commutauit, vndè vocatus Chirurgus ad recognoſcendum dictum cadauer, & ad faciendum de illo iudicium, ſtatim apertum fuit à Chirurgo caput, qui nullum oſſis læſionem adinuenit, verùm propè vulnus paucum materiæ reperit intrà duram, & vitream matrem conſiderans Chirurgus vulnera eſſe periculoſa, aut ob membrum principale vulneratum, aut ob magnum vulnus, aut propter malum habitum Patientis, aut propter malignitatem vulnerantis ferri, aut propter ſimptomata, quæ poſſunt ſuperuenire vulneri, & iudicauit prædictum vulnus non eſſe denunciandum mortale, & periculoſum ſtante nulla læſione membri principalis, quia non ſucceſſerant accidentia patognonomica ſtatim, ac factum fuit, & vt ſolet contingere in vulneribus cum læſione cerebri, aut membranarum, & quod vulnus non erat periculoſum ex ſe ob magnitudinem, & Patiens erat optimæ complexionis, nec ferrum vulnerans non erat venenatum, quia ex dicto vulnere nunquam apparuit ſignum veneni, & quantum poſtmodum ad accidentia, quæ poſſunt ſuperuenire vulneribus, & mortem inferre, hoc non erat ex illis, cum extiterint vulnera ſatis grauia, & maiora, quàm præſens, & Eriſipelate correpta fuerunt, & ſanata, & in principio vulneris nullum extitit accidens per quod dubitaretur de læſione partis intrinſicè, maximè cum ægrotans ſpreuerit vulnus, committendo multa errata in vi-

ctu, & in motu, & se exponendo aeri, & fortassis etiam vtendo coitu, dedit causam ebulitionis humorum, & indè Erisipelatis in dicto vulnere. Fisco autem dicenti, quod si non fuisset vulneratus, non obijsset, respondendum est, vulnus non esse ex sua natura mortale, nec potuisse pro mortali iudicare, sed propter errata, quæ fecit, & propter debilitatem capitis dedit causam, vt vulneri superuenerint simptomata, & hac ratione cautum se facit in sua conscientia, & remouetur omne litigium cum Fisco.

Debet Chirurgus animaduertere, quod mulieres, quæ dicuntur Commaræ, vt auxilium partibus difficilibus afferant ob extensionem, & dilacerationem, quam faciunt ad collum vteri sunt in causa, vt post partum intrinseca extiterit inflammatio ad collum vteri, aut in partibus pudendis cum dolore, febre, & alijs simptomatibus, tunc Chirurgus cautus sit, ne vllam faciat sectionem, aliter introducet fistulam immedicabilem.

In vulneribus cum læsione Intestinorum, stomaci, aut fractura ossium, coxæ, cruris in regione ventris inferioris, aut cum læsione venarum, aut arteriarum docuit experientia, vnumquemque curantem, ne adhibeat suppurantia medicamenta, & minus immittantur Clysteres, quia vulnera multum patiuntur, & inducit fluxum, tumorem ad fracturas cum vomitu, & sanguinis profusione ab arterijs, aut venis, vnde huice casibus solummodò erit vsus suppositariorum, donec præterijt periculum accidentium iam enarratorum.

In Parotibus, & Bubonibus ad inguina, tumoribusque frigidis laudabilior est suppuratio, quàm resolutio, quia per suppurationem nullum imminet periculum alicuius malæ qualitatis in intrinseco. Bubo nihil aliud est, quam quædam Crisis, quam facit natura humoris gallici ad suum emunctorium, & duplex esse potest imperfecta, vna, altera perfecta; imperfecta quidem est, quando producitur à materia pauca, aut quod Patiens corripiatur doloribus nocturnis, aut alijs accidentibus; perfecta verò quandò natura per illam partem copiosam excernit materiam absque vllo accidenti in ægrotante.

Tumores terminantes per abscessum in regione cauitatis vitalis opportuno tempore aperiantur, ne materia contaminet musculos, & pleuram membranam, efficietque repentinè affectum suffocatiuum cum tussi in Patiente, & est signum, quod tumor intrinsecus fuerit disruptus, & incipiet Patiens expuere materiam purulentam, à qua tandem phtisis prouenit.

Critica Paroris dicitur esse illa, quandò apparet, & prouenit ex humoribus dispositis ad coctionem, & hoc die decima quarta. Simptomatica verò Parotis illa est, quæ prouenit à multitudine humorum cum cruditate eorumdem, & à principio apparet sine dispositione ad coctionem.

In magnis abscessibus post factam sectionem vt plurimum reperiuntur sinus, & cauernæ, & multocies excitatur tumor, in quo appareat materia adesse cum pauco dolore, & desuper erit paucum pituitæ, quod dignoscitur ex fouea impressa digito, sed fortius comprimendo cum digito vsque ad profundum tumoris cum diligenti attentione persentietur motus arteriarum, quia hoc est quoddam Aneurisma, & inter loca suspecta, vt generetur hic tumor, est gula proxima quidem mandibulæ inferiori, in pectore, & in flexura genu, & quandò prædictus tumor inuenietur cum cute satis subtili, expectandum breui tempore ruptura eiusdem Aneurismatis cum maxima hemorragia sanguinis, vndè mors.

Omnes tumores, qui fiunt in loco suspecto Aneurismatis non debent secari, nisi prius applicetur aliquod ceratum, quod aptum sit ad partem calefaciendam, & cutim rodendam, quod si hoc sequatur, tunc erit signum materiæ, & nullo modo Aneurismatis.

In facienda separatione glandularum strumarum non debent Chirurgi ad id deuenire, nisi priùs extiterint mouibiles ad operationem manualem, reflectendo, ne connexionem habeant, aut cum arteria, aut cum neruis.

In vulneribus, & vulceribus, quibus non possunt applicari medicamenta, nec prorsùs supra partem decumbere, nec considerare statum vulneris, aut vulceris veluti in vulneribus intrinsecis, veluti alicuius visceris læsi in fracturis ossium absque vulnere, vt in vulceribus vteri, & intestinorum, & similium, standum est naturæ benè operanti, & non deserere coniecturam ad dignoscendum materiam, aut simpto-

ptomata, licet signa multocies euadant fallacia.

Dùm applicantur licinia in vulneribus, Chirurgus caueat, ne sint nimis longa, nimis grossa, nimisqud dura, quia efficiunt dolorem, & concitant fluxiones humorum, & prohibent materiæ exitum.

Vulnera, quandò non sunt perfectè incarnata intrinsicè, si natura inclinabit ad cicatricem faciendam externis, non erit firma cicatrix, & minus bono colore prædicta erit, & motus vulnus persentietur semper quidam dolor, vndè signum est, quod de nouo aperiri debet dictum vulnus.

Applicando defensiua supra vulnera, applicentur ad locum, vbi apparent venæ, & arteriæ habentes connexionem cum dicto vulnere, & ea applicare calida, vt possit virtus medicamenti penetrare, neque vti eo frigida, quia frigidum omne est irritans, & illius vsus sic tempore inflammationis, & tempus mutandi defensiua, est, quandò apparet iam quasi exsiccata, tunc mutari debent, ne nimis adhereant, & porros obturent, & concitant dolorem, & transacto tempore inflammationis debent remoueri, ne impediatur calor natiuus ad benè operandum in vulneribus.

Cauendum est in vulneribus putredinosis, quod tardetur medicatio, imò sæpissimè instituatur, ne putredo, aut aliquis vapor malignus ineptus ad exalationem concitet nouam putredinem, nouante malignitate.

In vulneribus curandis, quibus facta est hemoragia sanguinis, Chirurgus multum consideret in applicatione stupæ maximè existentibus pilis, quia multum adherent parti, & excitabitur dolor, & difficultèr cessabit, tunc in istis casibus debet permanere stupa, donec vulnus passum fuerit aliqualem putredinem, hac enim ratione facillimè separatur.

In neruis detectis nullus sit vsus medicamentorum, qui sint nimis mordacia, nec minùs fiat cauterizatio, nec minus expositio ad aerem, & medicamentum, quo vtendum erit in curatione, debeat esse calidum, quia quod calidum est iuuat partes neruosas.

Antequàm fiat sectio in ijs, qui patiuntur Empiema, Chirurgus curet eos mouere ab vno in alterum latus, & si mouendo persentiatur suffocatio, aut grauitas facta sectione indifferentèr exiet materia, è contrà in motu faciendo, si non persentiatur suffocatio, signum erit, subesse materiam crassam, & tenacem, nec exibit à sectione, nisi post aliquot dies, quia materia nimis adhæret pulmonibus.

Vulnera penetrantia abdomen dignoscuntur esse penetrantia, aut cum ferro, aut propter accidentia, aut quod exierit à vulnere aliquod viscus, & vulnera abdominis dilatantur, quando exit ad intestinum, aut zirbus, quæ non possunt reponi, aut existente sanguinis copia, quæ fuerit in cauitatem extrauenata.

Chirurgus necesse est, vt teneat perfectã cognitionẽ anatomica partium externarum, quæ quidem cognitio magis necessaria est, quàm partium internarum, propter operationes manuales, quas in dies facturus erit, & vlterius calebit etiam ossium constructuram.

In quibus vulneribus sanguis multus efusus est, non est necessarium, quod insurgat magna inflammatio, aut magnus tumor, & in vulneribus, quæ erunt sensus exquisitissimi, & quæ inclinant ad patiendam magnam inflammationem tunc licebit vti larga missione sanguinis, si virtus permittat.

Omnia vulnera, quæ fiunt in iuncturis, periculum sunt, quia ibi incipiunt musculi, & desinunt, & pauco calore prædicti sunt, cum sint exangues carne, & sensum exquisitum habent cum partibus, quæ concurrunt ad constituendam dictam iuncturam.

Tempore inflammationis abstinendum est ab acu, & ab amputatione, aut sectione, & à repositione luxationis in fracturis, ob periculum gangrenæ, spaceli, aut mortis.

Vulnera, quæ fiunt in partibus neruosis, & quod neruus sit simpliciter punctus, sed habeant accidentia grauia, & immediatè, quod factum fuerit vulnus, non expectant quartam, neque septimam, sed subitò excitant humores, dolorem, & alia simptomata.

Non est exercenda phlebotomia in corporibus impuris, nisi priùs fuerit benè purgata, vt euitetur confluxus humorum ad locum phlebotomiæ, licet hæc benè, & perfectè facta fuerit, nàm experientia compertum est, quod in simplici vulnere, quantumuis minimo phlebotomiam non iuuet

in

in corpore scatente prauis humoribus, nàm ex simplici vulnere fieri potest compositum, & excitari magnus dolor, aut inflammatio, aut gangræna, & alia accidentia, quæ prouenunt à mala qualitate humorum.

In plenilunijs, & nouilunijs, aut in qualibet quadratura Lunæ, aut Eclipsi, aut in turbatione temporis, aut in diebus criticis natura semper remanet agitata cum humorum motu, ideoque nulla fiat operatio Chirurgica, nisi ob extremam necessitatem, & vrgentiam.

Nunquam Chirurgus remoueat iudicium vulneris, dicendo, quod vulneratus sit omnino sanus, nisi fuerit ex toto cicatrizatum vulnus, nec vnquàm asserat Chirurgus in suis iudicijs vulnus esse absolutè læthale, quia multociès, quod apparet læthale, natura robusta illud sanat.

Debet Chirurgus animaduerrere, quod in digestiuis compositis, quæ fiunt ad curanda vulnera, & quæ ingreditur vitellum oui, id faciat post tres dies, quia vitellum oui transactis tribus diebus, contrahit qualitatem corruptibilem, & noxiam vulneri.

In vulneribus, ad hoc vt vnctiones multo tempore durent, absque eo quod sicentur, poterit Chirurgus imbuere omentum in oleis, & illud suprà vulnus applicare, aut adhibere aliquod vnguentum refrigerans, quod longo tempore suam seruet virtutem refrigerandi, veluti vnguentum, quod dicitur nutrino, & hoc adhibendum est in suspectione magnæ inflammationis.

Chirurgus in vulneribus mulierum, etsi simplicissimis vtatur circumspectione in dando iudicio dictorum vulnerum, maximè si mulier subiecta erit, passionibus matricalibus, non solum quia efficit conturbationem humorum, sed etiam ob defectum animi, quo solent mulieres corripi, & ob accidentia grauissima, quæ videbuntur concomitantia ad vulnus, & tamen non erunt, quia erunt passiones matricales, & sic caueat Chirurgus, ne erret in distinguendo vnum ab altero in curatione, quia quandò prouenunt à matrice exigunt propria medicamenta satis differentia medicamentis vulneris, & cum mulier possit vulnerari, quo tempore instat cursus mensium propter vulnus, & conturbationem animi intermittit suum cursum, vndè Chirurgus in iudicio, quod facturus sit de dicto vulnere, benè procedat, quia potest esse, ne amplius habeat cursum menstrualem, quod efficiet, vt postmodum transigat vitam satis laboriosam, & in faciendo iudicio dicti vulneris, si erit sanabile, dicat in iudicio, quod idem vulnus sit ex se sanabile, sed respectu status mulieris, quæ reperiebatur in motu cum suis cursibus lunaribus, à quibus immediatè natura destit, minatur periculum, ne amplius mulier patiatur menses subiecciendo se diuersis indispositionibus ob dictam causam, & tempus solum erit quod totum dilucidabit, & in istis Chirurgus debeat vnquam se accingere ad sectiones faciendas, aut alias operationes, quæ indicant timorem mulieribus quandò actu menstruam purgationem habeant, quia constet experientia mulieribus illas supressas fuisse, nec vnquàm postmodum redijsse.

Vulnera, quæ minantur conuulsionem, excitant magnum dolorem in vulnere, nec possunt membrum vulneratum mouere, & habent tensionem in parte posteriori cum dolore magno ad color, contrahuntur labia oris ad instar spasma cynici, nec possunt aperire os, nec dentes; iuncturæ mandibularum dolent, nec possunt deglutire, obscurantur oculi, tremores fiunt repentini, & doloroſi, facies fit cadauerzcea, laborant magna febre, cum siti clamosissima, & in exhibitione cibi hic, exit foras ab ore, difficultas instat respirationis, multis relaxatur aluus, aut vrina, aut in suppressionem vrinæ, & corpora eorum remanent tanquam immobilia, habent oculos, qui timorem aspicientibus inferunt, & vulnus erit aridum, & paucam materiam expurgabit, quibus omnibus vulnera fiunt conuulsiua.

Quandò aliquod vulnus, quod post multum tempus fuerit cicatrizatum, & consolidatum, sed de nouo aperiatur, id prouenire potest, ex quo aliquod superfluum intus illud existat, quod exiturum sit, veluti ferrum, pila plumbea, & alia id genus, aut quod os sit carioſum, aut quod fluxio præcipitata fuerit in membrum ob imbecillitatem contractam, & si idem vulnus, habebit aliquid superflui, dignoscetur, quando apertum est, tunc enim non est materia laudabilis, caro est saluosa, & in profundo vulneris reperitur quædam re-

laxatio ; cùm verò humores præcipitati fuerint in vulnus, dignoſcentur ex vulnere, quod relaxatum eſt in parte extrinſeca & licet fluxio concitata fuerit ab intrinſeco, attamen natura ſemper illam deponit ad partem illam extrinſecam, tanquàm debiliorem.

Quibus ſanguis eſt extrauenatus in pectus, & materia purulenta, quam ægrotantes non expeunt, hoc prouenit ob materiam, quæ eſt infrà, adeò vt pulmones illam non poſſint recipere, aut quod materia ſua viſcoſitate ita partibus adheret, vt poſſit reparari, aut quod tanta eſt copia, quæ inuenitur in pectore, vt facultas expectoratiua oppreſſa remaneat.

Omnia ſimptomata ſuperuenientia vulneribus, quæ proxima ſunt diebus criticis, quandò non fiat anticipatio duodecim horarum, aut poſtpoſitio, debent obſeruari, ne acciderint, & ſuperuenerint diebus criticis, quia anticipatio, & poſt poſitio duodecim horarum prouenit à qualitate humorum, qui redundant in corpore, aut ſubtiles, aut craſſi, aut lenti aut ex facultate expultrice magis valida, aut magis debili.

Vlnere exiſtente in augmento ſuæ inflammationis non eſt exhibendum medicamentum purgans, quia tale medicamentum exagitat humores, quos natura ad partem vulneratam poſtmodùm tranſmittit, cum experientia conſtet maius eſſe detrimentum, quod ſequitur, quàm iuuamentum, & quando exhibendum eſt medicamentum, illud præbeatur, aut antè, aut poſt inflammationem.

In vulneribus capitis, quæ pueris teneræ ætatis fiunt, Chirurgus ſciat diſtinguere, ſimptomata ſuperuenientia, quia in praxi pluries obſeruatum eſt ob ſimplex vulnus capitis inſurrexiſſe accidentia timoroſa, ideſt vomitum, tremores, febrem continuam, vigilias, inquietudines, delirium, grauitatem capitis oculos conturbatos, & alia id genus, quæ multis diebus perdurarunt, ſed facta conſideratione ad eadem accidentia repertum eſt prouenisſe ab agitatione animi, & à vermibus, & videbantur concomitantia vulneri, ſed facta curatione ad vermes necandos, & expellandos ſanitati reſtituti ſunt, vndè Chirurgus circumſpiciat in diſcernendo vnum ab altero.

In Bubonibus gallicis Chirurgus ſciat dari duas ſpecies bubonum, vnam ex materia calida, & alteram ex materia frigida, quæ ex materia calida, vtpotè maligna, & mordax, aperiat Chirurgus bubonem oppertum tempore, ne materia ſe inſinuet faciendo cauernas, & corrodendo intrinſecus, & ne deferatur ad coxam, in qua efficiat ſinum magnum conſideratione dignum, & in curandis iſtis bubonibus non conuenit vti licinio, quod affert magnum dolorem, multoſque conuocat humores ad partem, & efficit gengrænam, nec poteſt dari, quod conſolidetur orificium quia eadem materiæ acredinoſæ, & mordaces ſemper dilatant orificium. In bubonibus verò ex materia frigida, & quæ tardè ad perfectam maturationem deueniunt, & afferunt intus aliquem dolorem, tunc fit iudicium ſubeſſe materias in profundo, propterea quod applicandum eſt cauſticum opportuno tempore, & antequàm ſuperueniant accidentia, ne humor introcedat, aut quod materia non reſoluatur per inſenſibilem tranſpirationem, & poſtquam fuerit apertus bubo, conuenit illum digerere per quadraginta dies, quibus tranſactis poterit corpus expurgari, vt extrahatur a corpore mala qualitas, nec imitari debet aliquos, qui ſtatim ac aperuerint bubonem, exhibent medicamenta expurgãtia, aut decocta exſiccantia, vndè reſultat, quod impediatur vera Criſis naturæ, & diſtrahatur humor illum concentrando, & excitant Patienti dolores articulares gummata, febres nocturnas, & tranſactis 40. diebus cicatrizetur idem bubo, vt emittetur in eodem loco vulcus fiſtuloſum, & ſi difficultas inſurget ad conſolidandum bubonem apertum tunc erit cauſa imbecillitatis vniuerſalis, & ſpeciatim debilitabit viſcera naturalia, & corpus fiet cacochymum, & producetur ædema in parte bubonis, cum tumefactione ſcroti, & ventris, quæ minantur periculum, ne in Hydropem, & alia accidentia ſimilia Patiens, cadat.

In contuſionibus cum quantitate ſanguinis extrauenati, qui in profundo partis contineatur, iſte ſanguis nunquàm reſoluetur, niſi priùs illum tranſmittet natura propè porroſitatem cutis, quo in loco facilè reſoluetur inſenſibiliter, & qui in profundo partis remaneat, vbi non poſſit trahi ad extrinſecum, vt plurimùm

ad

ad putrefactionem inclinat.

In quibus extrauenationibus sanguinis, aut Echymosis persentitur inundatio materiæ cruentæ, & fluidæ, nulla spes est resolutionis, at si persentitur materia grumosa cum dolore, signum est sanguinem putrefieri, tuncque vtendum est sectione, per quam possit sanguis exire, omniaque vulnera, quæ facta fuerint à contusione, dicuntur vulnera composita, quia habent contusionem, vbi est vulnus non solùm, sed etiam in partibus circumuicinis.

In vulneribus capitis non licet adhibere purgantia medicamenta, nisi corpus sit Cacochimum, aut fluant tumores ad vulnus, in quibus duobus casibus conueniens est purgare, aliter purgatio, si indifferenter instituatur, maius erit detrimentum, quàm beneficium, propter agitationem medicamenti, & propter consensum, quem ventriculus habet cum capite, vnde insurgunt grauia accidentia in vulneribus.

Si vulnus fuerit in iunctura, reflectet Chirurgus, an iunctura amittat motum, qui tunc iudicabit esse vulnus maximi periculi, quod imminet, ne remaneat membrum suo officio priuatum ob sectionem partium tendinosarum, & neruosarum, quæ motui eiusdem iuncturæ inseruiunt, vulneraque, quæ fiunt secundùm longitudinem membri, non sunt, neque minantur periculum, quale minantur vulnera transuersim illata, & vulnera, quæ in partibus intrinsecis iuncturarum facta fuerint, sunt magis periculosa, quàm quæ in partibus extrinsecis.

Sanguinis extrauenationes, quæ fiunt in vulneribus capitis in parte anteriori, facilius natura adinuenit ductus ad eiusdem sanguinis exonerationem, idest per palatum, per nares, per aures, per oculos, aut per Emunctoria eiusdem capitis, ad quæ transmittitur sanguis à natura, quod non succedit in parte posteriori, in qua vulnera sunt periculosa, & nisi à Chirurgo perfectè, & diligentèr curentur, ineuitabiliter incutiunt mortem.

In sanguinis extrauenatione, quæ fit in cerebro, quod de sui natura fluidum est, & scatet magno humido, non est tàm facile, vt exciterur inflammatio, quæ tamen in membranis facilèr exurgit, & cum maiori breuitate temporis, quam quando materia est in cerebro, licet pauca, donec sanguinis non incipiat putrefieri, non excitabitur vllum simptoma.

Chirurgus, quando vult secare caput illi, qui mortuus est ex vulnere capitis, si adinueniat materiam albam in membranis, aut in ipso met cerebro, iste dicitur esse mortuus propter abscessum ibidem factum, quod, si adinueniat sanguinem grumosum, & corruptum indicabit mortuum fuisse propter extrauenationem sanguinis factam in recipiendo vulnere, & ratio est, quia sanguis extrauenatus nunquam in materiam albicantem conuertitur, sed potiùs in putredinem atram, & hinc est, vt multoties capite vulnerati quantumuis transegerint dies periculosos, corripiuntur rigore cum febre, & accidentibus satis læthalibus, & excitatur apostema in dicta parte, aut propter errata, quæ facit ægrotans, aut propter imbecillitatem in membro vulnerato contractam. Quod si natura humores moueat impetuosos, eosque ad caput transmittat, efficiatque abscessus, ex quo nullum fit in corpore nostro membrum, quod magis subiciat inflammationibus, quantum caput, quia facile in se admittit humores, quod non facit aliquod aliud membrum, quod patet experientia in alijs partibus, vulneratis, quæ quantumuis non sint ita faciles ad recipiendam fluxionem, attamen post sanationem vulneris, natura transmittit nouos humores ad partem, & promouet abscessus; si igitur hoc facit natura in alijs partibus multò faciliùs etiam id sequatur in capite, cum facilius, & promptius ad eos recipiendos, & abscessus erit dicendus per transmissionem humorum, & non per extrauenationem sanguinis, quæ fuisset ibi; nec semper necessarium est in commotione cerebri, quod sequatur extrauenatio sanguinis, qui interdum appareat, & interdum non.

Febris, quæ superuenit capite vulneratis, cum extrauenatione sanguinis supra membranam, aut supra cerebrum, & quod timendum sit de aliquo abscessu, seruat typum febros tertianæ, & interdùm febris inordinata insurgit, & post tertiam accessionem, vehementer adaugetur, multùm sudent Patientes sine leuamine, vrinæ non correspondent febri, & copiosæ fiunt in diebus criticis, sed inutiliter, corripiuntur delirio, grauitate capitis, nec possunt sustinere lumen, vomitus patiuntur, & vul-

nus

nus exsiccatur, aut quod ex eodem vulnere proueniat relaxatio, subindeque purgatio copiosæ materiæ, crassæ, & fœtentis, quæ omnia indicant, aut putrefactionem sanguinis, aut abscessum in capite.

Eosque animaeuertat Chirurgus, qui vulnus acceperunt cum læsione pulmonum, non debere assumere medicamenta, quæ prouocant tussim, vomitum, nec sint acciditate prædita, nec vllum violentum exercitium agant, nec vtantur salsis cibis abstinendo etiam a fortibus vociferationibus, quia hæc efficiunt multocies, quantumuis consolidatum fuerit, iterum recrudescere, & aperiri cum hemorragia sanguinis, & imminenti periculo Phtisis.

Quando Zirbus exijt à cauitate naturali ob aliquod vulnus, ligari debet, & secari totum illud ex zirbo, quod foras extiterat à vulnere, quantumuis non videatur apparenter zirbus corrosus, & refrigeratus, hoc tamen non obstante ligari debet, & amputari, & aduri, experientia enim docuit zirbum repositum sine ligatura, & amputatione, & qui corrosus fuerit, in ventrem, causam præbuisse lethalibus accidentibus cum fistulis perpetuis, & hoc prouenit ex operatione dicta non facta, tuncque Chirurgus non potest se certum facere, an dictus zirbus passus fuerit aliquod detrimentum, & quantumuis sensui tactus sit calidus, coloris albicantis, & rubicundi, attamen sæpissimè decepit Chirurgos, vndè concludendum est, debere ligari, & amputari, & etiam adurrere contrà Auctores nonnullos asserentes combustionem non esse necessariam, quia in dicto zirbo non adsunt venæ, à quibus possit sanguis exire, quibus respondetur combustionem faciendam in zirbo non ad siscendum sanguinem, sed ad faciendam escharam cum qua ligatura possit permanere ad debitum tempus, quia nulla facta combustione zirbi, cum hic substantiam habeat lubricam, separantur ligamenta, antequam zirbus incarnatus fuerit, vndè eueniunt prædicta accidentia.

FINIS.



SE4

SERIES CARTARVM

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff

Omnes ſunt terniones præter † quæ eſt duernio, & Fff quæ ex ſimplex,

Ggg Hhh Iii Kkk Lll

Quæ eſt duernio.

A

A eſt quaternio.



TICINI REGII M. DC. XCVII.

Apud Hæredes Caroli Franciſci Magrij,
Impreſſoris Ciuitatis.



INDEX
RERVM OMNIVM NOTABILIVM,
Quæ in toto hoc Cheirurgico Opere continetur.

A

ABscessus, siuè Apostema quid sit, quot modis fiat, & quibus in locis. 13
Abscessum genus duplex. 128
Abstergentia Medicamenta. 338
Abdominis Anathomen. 367
Abdominis vulnerum differentiæ, & signa. 369
Abdominis Vulnerum prognosticum. 371
Abdominis Vulnerum curatio. 372
Abdominis vulnus, quando dilatandum. 372
Abdominis vulnera quomodo suenda. 373
Abdomini vlcerum tractatus. 468
Aborsuis causæ quæ sint. 597
Abortum ex Pletora posse fieri. 598
Acrocordon quid sit. 175
Acrocordonum signa. 176
Acus pro suendis Vulneribus qualis esse debeat. 221
Acus, & filum quale esse debeat prò abdominis vulneribus suendis & punctorum distantia. 373
Acores quot modis dicantur. 445
Acores, siuè Tinea quid sit, eius species causæ, & signa. 446
Acorum prognosticum, & curatio. 447
Adductus simul partes conseruantia. 215
Aegipciaci vnguenti vires. 38
Aegilops quot modis dicatur, quid sit, quas afficiat partes, & causæ. 186
Aegilopis signa, prognosticum & curatio. 187
Aequalis, siuè impleti vulneris curatio. 267
Affectæ partes ex quibus innotescant. 398
Agglutinantium vulnerum compositio. 262
Agglutinantia Medicamenta optima. 263
Alteratio triplex. 397
Ambustionem quæ symptomata sequantur. 389
Ambustionis curatio. 389
Ambustionis ab aqua feruente factæ curatio. 390
Animadvertenda in tumorum præter naturam curatione. 13
Anodina Medicamenta. 33. 104. 366. 558
Anastomasis quid sit. 204
Anodina in Vulnerum capitis curatione. 335
Anodina Medicamenta pro hemorroidibus. 491
Animadversiones habendæ in sanguine mittendo. 610
Animi deliquium ex quibus accidat, & quibus succurratur. 608
Ani fistularum species. 494
Ani fistularum causæ, & signa. 495
Ani fistularum prognosticum, & curatio. 496
Apostemata à quibus fiant. 7
Apostematis maturationem, quæ necessario consequantur. 14
Apostematis maturatio, quando non expectanda. 14
Apostematis apertio quando, quibus, quomodo, & quo in loco fieri debeat. 14
Apostematis incisio quibus fiat instrumentis. 15
Apostema ventosum quid sit. 101
Apostema post incisionem, quomodo, & quibus curandum. 30
Aphtæ quid sint. 457
Aquosus capitis tumor quid sit. 109
Aquæ fortis vsus, & vires. 42
Aquosus tumor quot modis dicatur, quid sit, & quas afficiat partes. 106
Aquosus tumor à quibus differat, eius causæ, signa, & prognosticum. 107
Aquosorum tumorum curatio. 108
Arsenici sublimati vires, vsus, & præparatio. 38. 124
Arteriæ aliorta vulneratæ signa.
Arteriæ asperæ vulneratæ signa. } 356
Arteriæ asperæ vulnerum curatio. 364
Articulorum vlcerum curatio. 498
Articulatio & Dearticulatio quid sit. 594
Arteriarum sectarum symptomata, & quomodo sanguis sistendus. 611
Arteriarum sectio, quomodo faciendæ. 614
Asperæ arteriæ vulneratæ signa. 356
Asperæ arteriæ vulnerum curatio. 364
Atheroma quid sit. 127
Atheromatis causæ, & signa. 128
Atheromatis prognosticum & curatio. 129
Atra Bilis, quod modis intelligatur. 48
Attractio ex calore, & dolore quomodo fiat. 6
Attrahentia medicamenta quæ sint. 32
Attrahentia venenum, & pestilentem materiam. 54. 33
Attrahentia medicamenta ex quibus fiant. 280

Attrahens venenum, & corroborans. 281
Attrahentia ad effectam partem. 63.66
Auersio humorum quomodo & quibus fiat. 21
Auulsio, siuè Diuulsio quid sit. 204
Aurium vulnerum curatio. 352
Aurium vlcerum species, & causa. 463
Aurium vlcerum signa, prognosticum, & curatio. 464
Aurium fracturæ signa, & prognosticum. 524
Aurium fracturarum curatio. 525
Axillarum & inguinum vlcerum causæ, signa, prognosticum, & curatio. 466

B

Balsama plura artificialia, & eorum vsus. 228
Balsami mes. facultates, & quomodo fiat. 251
Balsama alia neruis vtilia. 251
Bilis atra quot modis intelligatur. 48
Bilis species, quæ sint, & quot modis à sua natura recedant. 78
Bocium quot modis dicatur, quid sit, eius species, & causæ. 134
Bocij signa prognosticum, & curatio. 135
Bonæ deligationis in fracturis signa. 507
Bronchorelæ, quid sit. 134
Bubo, quid sit, & quas afficiat partes. 58
Bubonum differentia, causæ, & signa. 59
Bubonum prognosticum, & curatio. 60
Bubonis critici, & gallici curatio. 62
Bubonis pestilentis curatio. 63.66
Buboni pestilenti cur purgationes non competant. 66
Bubonem pestiferum maturantia, & eorum apertio, quomodo facienda. 67

C

Causæ generales, & speciales tumorum præter naturam, quæ sint, & quot. 6
Causa fluxionum, quæ, & quot sint. 6
Causa coniuncta vtrum detur. 7
Calor à quibus corrumpatur. 35
Carbunculi nomina, quid sint, & qui morbus quas afficiat partes, & eius species. 46
Carbunculorum causæ. 47
Carbunculorum signa. 48
Carbunculorum prognosticum, et carbunculi non pestilentis curatio. 49
Carbunculi mortiferi, vel non mortiferi signa. 52
Carbunculos suppurantia medicamenta. 52
Carbunculis supercrescentia symptomata, & eorum curatio. 53
Capitis dolor quomodo curandus. 53.83
Carbunculi pestilentis curatio. 54
Cancri nomina, quid sint, eius species, & quas afficiat partes. 147
Cancer à quibus differat, & causæ. 148
Cancrorum signa. 149
Cancri ex permutatione, & cancri exulcerati signa & prognosticum. 150
Cancri occulti qui sint. 150
Cancrorum curatio. 152
Cancris conferentia. 154
Cancri dolorem & fœtorem lenientia. 155
Cancri curatio per chirurgiam. 155
Cancri exulcerati duplex curatio. 157
Cancri extirpatio quomodo, & quibus facienda. 157
Cancri extincti signa. 157
Cancri lupi dicti curatio. 160
Carnis exuescentiam omnem in pudendis cauantia. 180
Calli, & clauicausæ, signa, prognosticum, & curatio. 181
Calidæ intemperiei in vlceribus curatio. 49
Caustica medicamenta pro clauo curandeo. 182
Caries quid sit. 204
Cannulæ fenestratæ vsus. 222
Caro quot modis vulnerari possit, & quid per carnem sit intelligendum. 261
Caro ex quibus gignatur, et quomodo. 265.401
Caro cur supercrescat. 271
Canis rabidi morsus, quod venenum sit. 282
Canis rabidi signa. 283
Caustica medicamenta, quæ sint. 124 131.157.293
Capitis anatomes. 304
Capitis vulnerum differentia, & species. 308
Caluariæ fractæ signa. 311
Capitis vulnera, quæ dilatari, & non dilatari debeant. 325
Caluaria cur secetur, & aperiatur. 330
Capitis doloris ex ictu, vel plaga, vel casu orti curatio. 344
Calli ablati in fistulis signum. 444
Caruncula, siuè callus in collo vessica, qui morbus sit, eius species, causæ, & signa. 473
Caruncula in collo vesicæ prognosticum, & curatio. 474
Caruncula absumptionis, & iam absumptæ signa. 477
Callus, siuè porus sarcois ex quo fiat. 503.510
Calli, siuè pori sarcoidis concreti signa. 512
Callus, siuè porus sarcois iuxto minor quibus augendus, & iuxto maior quibus, & quomodo corrigendus. 514
Calor maximus in fracturis quibus tollendus. 513
Callo, siue pro sarcoidi debito tempore non genito quomodo succurrendum. 515

Callum eximentia. 443
Capitis, & spinæ vertebrarum luxationum species. 558
Capitis & spinæ vertebrarum luxationum causa, signa, & prognosticum. 559
Carpi ossium luxationum species, causa, signa, & prognosticum. 570
Carpi ossium luxationum curatio. 571
Calcis ossis luxationis, & contusionis causa. 579
Calcis ossis luxationis, & contusionis signa, prognosticum & curatio. 580
Casus in quibus repercutientia non competant. 11
Calor quomodo attrahat. 6
Cephalici pulueres. 328. 334
Cerebri & piamatris vulneris curatio. 340
Cicatrix ex quibus fiat. 268. 406
Cicatrix quo tempore sit inducenda. } 269
Cicatricem per accidens inducentia. }
Cicatrix cur fiat cana, vel eminens, vel praui coloris. } 279
Cicatrices deformes quomodo corrigendæ. }
Cicatrix rugosa ex quibus fiat. 271
Clauiculæ, & summi Humeri subluxationum species signa & prognosticum. 561
Clauiculæ, & summi Humeri subluxati curatio. 562
Clauus quid sit & quas afficiat partes. 180
Clauiculæ fractura species signa prognosticum, & curatio. 528
Continui solutio quotuplex sit. 2
Compositi tumores à quibus fiant. 5
Congestio ex quibus causis fiat. 6
Considerandain phlegmone curando, & in euacuationibus faciendis. 19
Corruptio partis in inflammatione cur fiat, & curatio. 31
Cordialia capitemata ex quibus fiant. 50
Cordialia electuaria ex quibus fiant. 51
Cordis palpitationi, & tremori succurrentia. 54
Condiloma quid sit. 176
Condilomatum signa. 177
Condiloma durum, & inflammatum curantia. 179
Contusio quid sit. 203
Conuulsio quid sit. 204
Contusio à quibus fiat, & quibus in partibus. 204
Continua quæ dicantur. 210
Conglutinatio quomodo fiat. 215
Conuulsionis nomina, quid sit, & quod symptoma, quas afficiat partes, differentiæ, & species.
Conuulsioni cur dolor non adueniat. } 240
Conuulsionum causa. 241
Conuulsionum signa præcedentia, & concomitantia. 242
Conuulsionum, & morbi causam indicantia signa.
Conuulsionum prognosticum. } 243
Conuulsionis ex inanitione curatio. 244
Conuulsionis ex repletione curatio. 245
Conuulsionis per consensum curatio. 247
Concoquentia Medicamenta ex quibus fiant. 267
Constrictiui pulueres pro sanguine sistendo. 293
Contusiones absq; cutis incisione curantia. 345
Cordis vulnerati signa. 355
Contradictio inter Galenum, & Celsum. 458
Contradictio Galeni, & conciliatio. 487
Costarum fracturæ, & collisionis species, & signa. 531
Costarum fracturæ prognosticum & curatio 532
Costæ collisionis, siue attritionis signa, prognosticum & curatio. 534
Coxendicis ossis fracturæ species signa, prognosticum & curatio. 536
Cristæ quid sint. 176
Cristarum signa. 177
Cranij fracti, & incisi, & depressionis membranarum signa. 314
Cranium quando & cur abradendum. 321
Cranij fracturarum indicantia signa. 327
Cranium quomodo abradi debeat. 328
Cranij rima apparente quid faciendum. 330
Cranij sectio quomodo facienda. 331
Cranij fractura absque cutis incisione curatio. 343
Crisis bonæ signa. 59
Cruris fracturarum species, signa, prognosticum, & curatio. 545
Curatio tumorum præter naturam in vniuersali. } 11
Curatio quid sit, & in quibus consistat recta curatio. }
Curatio vulnerum per 1. & 2. intentionem quid sit. 64
Cuniculosi vlceris tractatio. 433
Cubiti fracturæ species, signa prognosticum, & curatio. 539
Cubiti & radij luxationum species. 557
Cubiti, & radij luxati, & deducti causæ, signa, & prognosticum. 568
Cubiti & radij luxati, & deducti curatio. 569
Cucurbitularum vsus, & faculteates. 614
Cucurbitulæ quando applicandæ, & quomodo. 615
Curatio tuta quomodo fiat. 14

D

Defensiua ex quibus fiant. 427
Defensiua quo loco applicanda. 21
Deliri curatio. 53

Detergentia medicamenta. 29. 40. 112. 133
Deductæ partes quibus simul adducendæ. 214
Delegationis species. 216
Delirium quid sit, quod symptoma, quæ afficiantur partes species, & causæ delirij in vulneribus & signa. 256
Delirij prognosticum, & curatio. 257
Defensiua in sclopetorum in vulneribus. 386
Detergentia quando conueniant. 402
Detergentis boni indicia. 40
Detersoriæ colluliones. 438
Detersoria medicamenta, glutinantia, & sarcotica in fistularum curatione. 444
Derivatio quid sit. 587
Differentiæ tumorum præter naturam ex quibus sumantur. 5
Digerens medicamentum, quale esse debeat, & quæ sint. 25
Digitus adnatus, qui morbus sit, & quibus in partibus oriatur.
Digiti adnati causæ, signa, Prognosticum & curatio. 183
Digitorum luxatorum curatio. 571
Diaphragmatis vulnerati signa. 356
Diaphragmatis vulnerum curatio. 363
Differentiæ quid sit. 395
Digestiuum quibus fiat in sclopetorum vulneribus. 386
Digitorum ossium luxationum species, signa, & prognosticum. 570
Dolor quomodo attrahat. 6
Dolor cur phlegmoni accidat. 16
Doloris causæ quæ sint. 17. 32. 235
Dolor quid sit & quomodo sedandus. 32
Dolor an in gangrena adesse possit. 36
Dolor capitis quomodo curandus. 53. 83
Dolorem lenientia, ac maturantia. 70
Dolorem in variolarũ exsiccatione lenientia. 75
Dolorum in erysipelate lenientia. 85
Dolorem sedentia anodina dicta. 104. 235. 554
Dolori consequentia. 235
Doloris capitis ex ictu, vel plaga, vel casu orti curatio. 344
Dolores oculorum mitigantia. 350
Dolorem, & ardorem tollentia in caruncułæ absumptione. 477
Dolor in fracturis quomodo leniendus. 512
Dubitatio de pus mouentibus, & solutio. 28
Duricies cur plegmoni superueniat, & curatio. 31
Duriciem optime resoluens. 109
Duriciei causæ. 143. 414
Duriciei, liuoris, & ariditatis vulneri superuenientes causæ, prognosticum, & curatio. 260
Dubitatio de mittendo sanguine in febribus ardentibus, & solutio. 587

E

Ecchymosis nomina, quid sit, causæ, signa, & quid sub ecchimosi comprehendatur. 274
Ecchymosis quomodo, & à quibus fiat. 204
Ecchymosis prognosticum, & curatio. 275
Electuaria cordialia quibus fiant. 51
Electuarium de coagulis quomodo fiat. 54
Elephantiasis nomina. 160
Elephantiasis quid sit, & quas afficiat partes. 161
Elephantiasis causæ, & signa. 162
Elephantiasis imminentis, principij, & aucta signa. 163
Elephantiasis confirmatæ signa, & prognosticum. 164
Elephantiasis præseruatiua curatio. 165
Elephantiasis iam genitæ, & non dum aucta curatio. 166
Elephantiasis superuenientia symptomata, & quomodo occurrendum.
Elephantiasis confirmatæ curatio. 169
Eminentiarum genera, quod sint. 1
Eminentiæ quæ sint. 5
Emollientia, & discutientia Medicamenta. 144. 192. 555
Epinystis quid sit. 70
Epinyctidis causæ, signa, prognosticum, & curatio. 71
Epulotica medicamenta. 133. 407
Epuloticorum medicamentorum qualitates, & quæ per se cicatricem inducant. 268. 406
Epithemata cordialia quibus fiant. 50
Erysipelatis nomina, quid sit, & qui morbus. 76
Erysipela à quibus differat, & quas afficiat partes. 77
Erysipelatis exquisiti causæ, & prognosticum. 79
Erysipelatis exquisiti curatio. 80
Erysipelatis vesicas, & vlcera, & bullas curantia, & eius nigriciem, & duriciem tollentia. 84
Erodentia medicamenta quæ sint. 131. 415. 477
Erosio quibus in partibus fiat, & à quibus. 204
Erysipelatis vulneri superuenientis curatio. 237
Erodentia medicamenta pro caruncula extirpanda. 477
Escaram remouentia in vsto carbunculo. 57
Escaram remouentia, 156

Eſcaram inducentia. 293
Euacuatio in tumoribus præter naturam quot modis fiat. 11
Exanthematum nomina, quid sint, ſpecies, quas afficiant partes cauſæ, & ſigna. 72
Exanthematum prognoſticum & curatio. 73
Exulcerati Cancri curatio duplex. 157
Extractio rei extraneæ quot modis fiat & quibus, & conſideranda in extractione facienda. 211
Extranea intus contineri indicantia ſigna. 212
Exſiccantia debilia, medioria, & valentiſſima, & quibus conueniant. 266.422
Exedentium Medicamentorum qualitates, & quæ ſint. 271
Extranea quando, & quibus in Sclopettorum vulneribus extrahenda. 384
Extenſio fracti membri quibus inſtrumentis facienda. 504
Extenſio quomodo facienda. 553

F

Faſciandi modi quot, & qui sint, & quomodo fiant. 216
Faſciarum conditiones & vtilitas. 216.505
Faſciandi actio quomodo facienda. 216.508
Faſciæ in fracturis quando remouendæ. 508
Faſciatura Aſcia dicta quomodo fiat. 519
Febris vulneri ſuperuenientis curatio. 229
Febris cur Inflammationi ſuperueniat. 31
Febrem curantia. 53.85
Ferularum conditiones, & quando, & quomodo apponendæ. 508
Fæmoris fracturarum ſpecies & ſigna. 541
Fæmoris fracti prognoſticum, & curatio. 542
Fæmoris Luxationi ſpecies & ſigna. 572
Fæmoris luxati prognoſticum. 573
Fæmoris luxati curatio. 575
Fæmoris vlcerum curatio. 498
Fætor in extracto ſanguine quid indicet. 613
Ficus ſigna. 177
Ficus in ſede curantia. 179
Fiſtularum nomina quid sit, ſpecies, cauſæ, & ſigna. 440
Fiſtularum prognoſticum. 441
Fiſtularum curatio. 442
Fiſtularum curatio per incisionem, vel vſtionem. 444
Fiſtula palliata curatio quando facienda, & quomodo. 445
Fiſtula lachrimalis quid sit, ſpecies, cauſa, ſigna, & prognoſticum. 452
Fiſtularum lachrimalium curatio. 453
Fiſtularum Anitractatio. 494
Filum pro vulneribus ſuendis quale eſſe debeat. 221
Flagellati quomodo curandi. 277
Fluxionum cauſæ quæ sint & quot 6
Flatuoſus tumor quid sit, ſpecies, quas afficiat partes & cauſæ. 101
Flatuoſorum tumorum ſigna, prognoſticum, & curatio. 103.106
Flatus diſcutientia. 372
Fluxionum cauſæ. 425
Formica quid sit. 88
Frictione quomodo fieri debeant. 21
Fractura quid sit. 204 500
Frontis vulnera quomodo dilatanda. 326
Frigidæ intemperiei curatio. 410
Fractura quot modis dicatur. 500
Fracturæ differentiæ cauſæ & ſigna. 501
Fracturarum prognoſticum 502
Fracta membra habentibus qui victus competat. 510
Fracturarum abſque vlcere curatio. 503
Fracturæ Calli generationem adiuuantia. 511
Fracta membra quomodo vincienda. 505
Fractis membris ſplenia ſiue plagulæ cur, & quando, & quomodo apponendæ. 506
Fractum Membrũ quomodo situandũ. 505.507
Fracta oſſa quomodo ſtabilienda ſecundum C. Celſum. 507
Fractorum oſſium male compoſitorum & ferè cuminatorum curatio 515
Fractura cum vulnere abſque oſſis nudatione, & fruſtulorum oſſium abſceſſurorum expectatione curatio. 516
Fractura cum vulnere vinciendi modus. 516
Fracturæ cum vulnere in quo os non eſt nudatum tamen aliquod oſſis fruſtulum abſceſſurum ſperamus curatio. 518
Fracturæ cum vulnere in qua os eſt nudatum curatio. 220
Fractura cum vulnere curatio, & quomodo fracta oſſa componenda 521
Fracturis ſuperuenientia ſymptomata quomodo curanda. 512
Fractura quæ validiorem & quæ debiliorem extenſionem deſiderat, & quibus extenſio facienda, & animaduertenda in extenſione. 504
Furunculus quid sit, & eius ſpecies. 68
Furunculus cauſa, ſigna, & à quibus differat, & prognoſticum. 69
Furunculi curatio. 70

G

Galeni contradictio, & ſolutio. 25
Gangrenæ nomina quid sit & cauſa. 34
Gangrenæ ex nimia refrigeratione ſigna. 35
Gangrenæ ſigna ex veneno, vel ob malignas ſordes,

sordes, vel ex sectis venenis, vel ex venenosa materia critice delata, vel ex inflammatione. 36
Gangrenæ prognosticum. 37
Gangrenæ ex extraneo calore ortæ curatio. 37
Gangrenæ ex affluxu venenatæ materiæ, vel venenatis animalibus, vel mortiferis medicamentis factæ curatio, & gangrene à frigore curatio. 39
Gangrenæ à nimis frigido medicamento excitatæ, vel ex alimenti defectu, vel ex arcto vinculo, vel ex crassis humoribus ortæ curatio. 40
Gangrenæ signa vniuersalia. 36
Galeni sententia 11. meth. cap. 15. interpretatio. 589
Gangrenæ cum ossis fractura curatio. 516
Gangrenæ ex attritione, vel compressione, vel vasorum incisione ortæ, vel ex septico medicamento, vel malignis sordibus excitatæ curatio. 41
Ganglion quid sit, & quibus in partibus fiat. 12
Glandula quid sit. 124
Glandularum species & differentiæ } 125
Glandulæ, ganglij, nodi, & lupiæ causæ & signa.
Glandulæ ganglij, nodi, & lupiæ prognosticum, & curatio. 126
Glandularum vsus. 117
Glutino, siue illaqueatione quomodo vulnerum labia coniungantur. 222
Glutino vnitio facta quibus in partibus præcipue competat. 223
Glutinatio quid sit, & glutinantia medicamenta simplicia, quæ sint. 226
Glutinantia composita optima etiam pro neruis. 227
Glutinantia medicamenta quamdudum supra vulnus seruanda, & glutinationem impedientia. 229
Glutinantia electuaria. 364
Glutinantia per Os assumenda. 375
Globi ex thorace quomodo extrahendi. 388
Genu rotulæ fracturarum species, signa, prognosticum, & curatio. 544
Genu luxationis species. 577
Genu luxati signa prognosticum, & curatio. 578
Generales causæ tumorum præter naturam. 6
Grandinis palpebrarum nomina, quid sit causæ, & signa. 184
Grandinis palpebrarum curatio. 185
Gulæ, siue Oesophagi vulnerum signa. 356
Gulæ, siue Oesophagi vulnerum curatio. 365
Guttura variolis præseruantia. 75

H

HEpar refrigerantia. 85
Herpetis nomina, quid sit, & qui morbus, & eius species. 88
Herpetes quas afficiant partes, & causæ. 89
Herpetum signa, prognosticum, & curatio. 90
Herpetis miliaris curatio. 93
Hepar roborans vnguentum. 198
Herniæ aquosæ nomina, quid sit, quas afficiat partes, eius species, causæ, & signa. 114
Hernia aquosa à quibus differat, prognosticum, & curatio. 115
Hepatis vulnerati signa. 370
Hepatis vulnerum curatio. 376
Hemorrhoidum nomina, & affectæ partes. 486
Hemorrhoidales venæ quot sint, quibus in partibus, qui affectus sint, & species. 486
Hemorrhoidum causæ. 487
Hemorrhoidum, signa, & prognosticum. 488
Hemorrhoidum curatio. 489
Hemorrhoides cecas exsiccantia, & apertarum curatio. 492
Homines cur facilius, & promptius veneno afficiantur. 278
Hominis rabidi signa. 283
Humeri fracturæ species, signa, prognosticum, & curatio. 537
Humeri luxationum species. 562
Humeri luxati signa, & prognosticum. 563
Humeri luxati curatio. 564
Humorum proportio in sanguine, quæ esse debeat. 584
Humorum fluxus causæ. 413
Humores naturales, & nonnaturales, qui sint. 7
Hydrocephalum quibus in partibus fiat, signa, & prognosticum. 110
Hydrocephali curatio. 111
Hydronphalon quid sit. 112
Hydrochili, siue hydrochelæ, quid sit. 114
Hydrophobia quid sit, & quod symptoma, & à quibus differat. 282
Hydrophobia quo tempore eueniat. 284
Hyrudinum vsus, quibus in morbis competant, & quid faciendum ante earum applicationem. 616
Hyrudines quomodo applicandæ, & remouendæ, & quid faciendum post hyrudinum remotionem. 616

I

IEcinoris vulnerati signa. 370
Iecinoris vulnerum curatio. 376

Ignis siluester quid sit. 86
Iliorum fractura differentiæ, signa, prognosticum, & curatio. 536
Impetiginis nomina, quid sit, causæ, signa, & prognosticum. 94
Impetiginis curatio. 95
Imbecillis pars quot modis esse possit. 6
Instrumenta apta ad tela extrahenda. 213
Inflammatio quid sit. 16
Intemperies calida à quibus fiat.)
Influxio cur fiat.) 17
Intestina à variolis præseruantia. 75
Intestinorum vulneratorum signa. 370
Intestinum prolapsum quomodo intromittendum. 372
Intestinorum vulnerum curatio, & quomodo sui debeant. 374
Incisio quid sit. 203
Instrumenta apta pro futuris, siuè fibulis faciendis. 221
Intemperiem frigidam, & calidam corrigentia. 235
Inflammationem vulneri supernenientem tollentia. 236
Intemperiem cum vulnere curantia.)
Intemperiei calidæ signa.) 237
Intemperiei calidæ, frigidæ, & humidæ causæ, & signa, & curatio. 229
Incisionis species. 261
Inflammationem ab vstione excitatam curantia. 391
Inuestiganda ex signis quæ sint. 398
Intemperierum species, causæ, & signa. 408
Intemperiei calidæ curatio. 49
Intemperiei frigidæ, & humidæ curatio. 410
Intemperiei siccæ curatio. 411
Intercipientia quæ sint. 427
Inguli fracturarum species, signa prognosticum, & curatio. 528

L

Lachrimalium fistularum tractatio. 452
Labiorum sciß urarum causæ & signa. 462
Labiorum sciß urarum prognosticum, & curatio. 463
Labiorum vulnerum curatio. 352
Linguæ ingredinem auferentia. 53
Lichen quid sit. 94
Lineamenta ex qua fiant materia. 224
Lineamentorum forma, & vsus. 225
Ligamentum quid sit, & ligamenti vulnera. 294
Ligamentorum vulneratorum, contusorum, & distortorum curatio. 302
Lienis vulnerati signa. 370
Lienis vulnerum curatio. 376
Linguæ sciß urarum curatio. 462
Lipotimiam præcauentia. 618
Lipotimiam præmonstrantia. 610
Luxationis nomina, quid sit, & luxationum differentiæ. 549
Luxationum causæ. 550
Luxationum signa, & prognosticum. 551
Luxationum curatio in vniuersali. 552
Luxatis ossibus, & in suam sedem repositis, quid faciendum, & pars quomodo situanda. 553
Luxata Ossa quando non reponenda. 554
Luxationionis cum fractura complicatæ curatio.)
Luxationis inueteratæ curatio.) 555
Luxationis, quæ in partibus Pedis accidunt species, signa, prognosticum, & curatio. 579

M

Maturantia medicamenta. 67
Maturatio apostematis quando non expectanda.)
Materiæ extractio in apostemate, quot) 14
modis fiat.)
Materia in Thoracis cauitate collecta signa. 357
Maxillæ inferioris fractæ signa, prognosticum, & curatio.)
Maxillam rectè fuisse commissam in-) 526
dicia.)
Maxillam fasciandi modi. 527
Maxillæ luxationum species, causæ, & signa. 556
Maxillæ luxatæ prognosticum, & curatio. 557
Manus ossium fracturarum species. 540
Manus ossium fracturæ prognosticum, & curatio. 541
Medicamentum digerens, qualè esse debeat 25
Medicamenta conuenientia in quolibet tempore tumorum præter naturam. 12
Medicamenta, quæ in quolibet tempore phlegmonis competunt. 22
Medicamenta resoluentia quæ sint. 25
Medicamenta rumpentia quæ sint, & vsus. 30
Medicamenta anodina quæ sint, & quid animaduertendum in Anodinis medicamentis. 33
Medicamenta veneno resistentia, & partem roborantia.)
Medicamentum optimum in venenoso) 39
tactu, vel morsu.)
Medicamenta à pernitionibus præseruantia. 56
Medicamenta extrahendi facultatem habentia. 213
Medicamenta attrahentia quæ, & quot sint. 32
Medicamenta attrahentia venenum. 33

Medicamenti proportionati, vel improportionati in Nerui punctura indicia. 297
Magnitudo morbi vtrum sanguinis missionem indicet. 585
Membrum totum quando, & cur amputandum.)
Membri sectio vbi facienda in) 43
sideratione, & præcepta ob-)
seruanda.)
Membri corrupti separatio per Medicamenta quomodo, & quibus fiat. 45
Meliceris quid sit. 128
Meliceridum causæ, & signa. 128
Meliceridum prognosticum, & curatio. 129
Melancholici humoris species. 140
Melancholicum humorem præparantia, & purgantia. 143
Membranæ cerebri quas vulnerationis species pati possint. 310
Membranarum cerebri incisionis, & depressionis signa. 314
Membranarum cerebri Apostematis signa. 314
Membranam vulneratam vnientia, & eius inflammationem, & tumorem curantia. 335
Membranæ cerebri denigratæ curatio. 338
Membranarum cerebri Inflammationem curantia. 339
Membranarum cerebri Abscessus, & Duræ Matris vulneris curatio. 340
Membranarum cerebri compressionis signa. 342
Messenterij vulnerati signa. 370
Membri gracilitati, & callo debito tempore non geniti quomodo occurrendum. 515
Metacarpi ossium Luxationum species, causæ, signa, & prognosticum. 570
Metacarpi ossium luxatorum curatio. 571
Miliaris Herpetis curatio. 93
Morborum genera, quæ in Apostemate contineantur. 2
Morborum genera quot sint. 3
Morsus, vel punctura venenatæ curatio. 35
Morbilli quid sint, & eorum curatio. 72
Morsus, vel ictus qui minimum, vel plurimum habent veneni. 278
Myrmiciæ quid sit. 175
Myrmicia signa prognosticum, & curatio. 176

N

Narcotia medicamenta, quæ sint, & eorum vsus. 34
Nauseæ curatio. 53
Nares, à Variolis præseruantia.) 75
Narium vlcera curantia.)
Nata, siue Napta, quid sit, causæ, signa, & prognosticum. 137
Natæ curatio. 138
Narium vulnerum species prognosticum, & curatio. 351
Narium fracturæ, & contusionis differentiæ, causa, signa, & prognosticum, & Narium Anatomes. 522
Narium fracturæ, & Contusionis curatio. 523
Neruis compunctis quomodo occurrendum. 611
Neruus quid sit, eius continui solutionis, species, causæ, & signa. 294
Neruorum vulnerum prognosticum, & curatio. 295
Nerui cesim vulnerati curatio, & cur sui non debeant. 298
Nerui transuersim vulnerati curatio. 299
Nerui cesim vulnerati, & nudati curatio. 300
Neruorum contusionis, & distorsionis curatio. 301
Nomodes vlcus quid sit. 428

O

Obseruanda in extracto sanguine. 613
Obseruanda ante vulnerum suitionẽ. 219
Obseruanda in vulnerum suitione facienda. 220
Oculorum Anatomes. 345
Oculorum vulnerum differentiæ species, causæ signa, & prognosticum 346
Oculi substantiæ vulnerum curatio)
Oculi dolores mitigantia.) 350
Oculorum vlcerum curatio. 449
Oculos à variolis præseruantia. 75
Oedematis nomina, quid sit, eius species, quas afficiat partes, & à quibus differat. 96
Oedematis exquisiti causæ, signa, prognosticum, & quot modis terminari possit. 97
Oedematis exquisiti curatio. 98
Oedematis vulneri superuenientis curatio. 229
Oleum de Ranis quomodo fiat, & eius vires. 154
Omenti egresso quomodo curanda. 372
Opiatæ compositio. 43
Ordo seruandus in lib. de Tumoribus præter naturam. 1
Ordo seruandus in lib. de Vulneribus. 202
Ordo seruandus in lib. de Vlceribus. 393
Ordo seruandus in lib. de Fracturis. 500
Ordo seruandus in lib. de Luxationibus. 548
Ordo seruandus in lib. de Venæ Sectione. 581
Ordeoli nomina, quid sit, causæ, signa, & curatio. 185
Oris vlcerum nomina, differentiæ, & causæ. 457
Oris vlcerum signa, & prognosticum. 458
Oris vlcerum curatio in pueruli. 459

Oris vlcerum curatio in Adultis. 460
Ossis corruptionis causæ. 421
Ossis corrupti signa. 421
Ossa quomodo vniantur. 215
Ossis vulnus quid sit, & prognosticum.) 302
Ossa fracta quomodo vinciantur.)
Ossium vulnerum curatio. 303
Ossis contusio quid sit, & contusionis species. 309
Ossis cerebri membranas pungentis signa. 342
Os corruptum separantia. 422
Os corruptum quomodo per Cheirurgiam auferendum. 423
Ossis cariem sistens. 424
Ossium fractorum compositio quomodo fadienda, & ossis optimè compositi signa. 503 505
Ossa cur abscendat, & ossis abscessari signa. 518
Ossa composita quando iterum expellenda. 521
Ossa fracta quando componenda. 521
Ossium Manus fracturæ species. 540
Ossium Manus fracturarum curatio. 541
Ossium Pedis fracturarum species, signa, prognosticum, & curatio. 547
Os & Gutturæ variolis præseruantia. 75
Ossis in suam naturalem sedem repositi signa. 552
Ozenarum causæ & signa. 455
Ozenarum prognosticum & curatio. 456

P

PArtis imbecillitas duplex. 6
Papulæ quid sint. 86
Palpebrarum Grando quid sit, causæ, & signa. 184
Parotis quid sit. 188
Parotidum Differentiæ, causæ & signa. 189
Parotidum prognosticum & curatio. 190
Parotis quomodo, & quibus aperienda & vtrum symptomaticæ parotidi purgatio, & sanguinis missio competat. 192
Panaritij nomina, quid sit, species, causæ, & signa, ac prognosticum. 195
Panaritij curatio. 196
Partes similares, & organicæ quæ sint. 203
Partis temperies quomodo, & quibus conseruanda. 225
Paralisis nomina, quid sit, quas afficiat partes, Differentiæ, & causæ. 248
Paralisis præcedentia signa, & concomitantia, & affectam partem indicantia. 249
Paralisis prognosticum, & curatio. 250
Palpebrarum Oculi vulnerum curatio. 346
Partis substantia salubris in fracturis quomodo conseruanda. 509
Patellæ Genu luxationis species, signa, & curatio. 578
Panus quid sit. 57
Partem roborantia post Cancri curationem. 155
Pernionum nomina, quid sint, quas afficiant partes, causæ, signa, prognosticum, & curatio. 55
Perniones præcauentia, & curantia. 56
Pericranium cur vna cum cute deducendum. 327
Pericardij vulneri signa. 356
Pectoris vlcerum causæ, signa, prognosticum, & curatio. 467
Penis siue Pudendi vlcerum spec. & causæ 498
Penis vlcerum signa, prognosticum, & curatio. 469
Pedum vlcerum curatio. 498
Pectoris ossis fracturæ, species, signa, & prognosticum. 530
Pectoris ossis fracturæ curatio. 531
Pedis ossium fracturarum species, signa prognosticum & curatio. 547
Phlegmo quot modis apud Ant quos accipiatur. 15
Phlegmo quid sit & cur calor, Dolor & Pulsatio in Phlegmone adsit, & Phlegmonum differentiæ. 16
Phlegmo quas afficiat partes, quomodo fiat & causæ. 17
Phlegmonis signa & cur eueniant. 18
Phlegmonum prognosticum & curatio. 19
Phlegmonis in Augumento curatio per Resolutionem & eius Augumentum quando sit. 24
Phlegmonis in statu curatio & eius status siue vigor quando sit. 26
Phlegmonis Declinationis signa, & curatio. 27
Phlegmonis suppurantis signa. 28
Phlegmo quomodo & quibus aperienda, & cur vitanda aperto ex se ipsa facta. 30
Phlegmonum symptomata, cur eueniant, & eorum curatio. 31
Phygetle nomina, quid sit, quas afficiat partes, causæ, signa, prognosticum, & curatio. 57
Phyma quid sit, causæ, & signa. 67
Phymatis prognosticum & curatio. 68
Phagedena vlcus quid sit. 428
Phlictenarum nomina, quid sint, quas afficiant partes, causæ, signa, & prognosticum. 86
Phlictenarum curatio in Adultis. 87
Phlictenarum curatio in puerulis. 88
Picationes quomodo fiant. 412
Pituitam præparantia, & purgantia. 143
Pinguedo innatans in extracto sanguine quid indicet. 613
Plumbi facultates. 166

Plenitudo quo ad vasa quando sit. 584
Post venæ sectionem, & sanguinis extractionem, quid faciendum. 611
Porus sarcois iusto minor quibus augendus, & iusto maior quibus, & quomodo corrigendus. 514
Polypi nomina. 170
Polypus quid sit, qui morbus, affectæ partes species, causæ, & signa. 171
Polypi prognosticum, & curatio vera. 172
Polipi symptomatibus subuenientia.) 174
Polypi curatio palliata.)
Præparationes ante venæ sectionem faciendæ. 609
Præcepta obseruanda in apostematum sectione. 14
Præcepta obseruanda in cranio secando. 332
Præcepta obseruanda in membi amputatione facienda. 43
Præcepta obseruanda in scirrhi curatione. 143
Prædicenda in prognosticis. 9
Prognostici vtilitas, & quæ sint prædicenda. 206. 399
Prognosticum vt bonum fiat, quid considerandum. 399
Pruritus quid sit, causæ, signa, & prognosticum. 259
Pruritus in fracturis quibus curandus. 513
Pruritum sedantia. 553. 260
Pterigium vnguim quid sit, causæ, signa, prognosticum, & curatio. 197
Pustulæ quæ sint. 5
Putredo quid sit. 330
Puris differentiæ, & optimi puris signa, & causæ. 28
Pus mouentia. 121. 237
Pus quot modis, & quibus euacuetur. 29
Puris copiosi causæ. 435
Puris boni conditiones, & causæ. 397
Puris in costarum fractura, & collisione intus contenti signa. 533
Puluinaria ex quibus fiant. 31
Puluillorum vsus ex qua fiant materia, & eorum figura. 214
Putredinis absolutæ signa in sphacelo. 44
Purgantia medicamenta cur non competant in pestilenti bubone. 66
Pulmonis, & diaphragmatis vulnerati curatio. 363
Pulmones à variolis præseruantia. 75
Pulmonis vulnerati signa. 356
Punctio quid sit. 203. 204
Punctorum distantia in vulneribus suendis quæ esse debeat. 221
Purgatio quibus in vulneribus competat. 233
Purgatio per quam partem competat, & qui humores purgandi, & quibus medicamentis. 234
Puluis sanguinem sistens, & carnem generans. 293
Pulueres sarcotici. 468
Pulueres cephalici. 328. 334
Purgatio vtrum in capitis vulneribus competat. 324
Putridi vlceris causa, signa, & prognosticum. 431
Putridi vlceris curatio. 432
Putendi vlcerum signa, prognosticum, & curatio. 469
Puluis constrictiuus ex quibus fiat. 227
Pulsatio cur phlegmoni adueniat. 16
Pulueres adstringentes ex quibus fiant. 510

Q

Quid in ipso venæ sectionis tempore sit faciendum. 610
Quæ vena in quouis affectu sit secanda. 608
Quid ante venæ sectionem sit faciendum. 609
Quomodo, & quando in prægnantibus ad sanguines missionem sit deueniendum. 604

R

Rabiei causæ. 282
Rabidi Hom. & rabidi Canis signa. 283
Rabiei prognosticum. 284
Rabie correptus, an curari possit indicantia signa, & Rabiei curatio. 285
Rabiei alexipharmacum. 287
Rameæ aquosus quid sit. 114
Ranulæ nomina, species, causæ, signa, & prognosticum. 293
Radij fracturæ species, signa, prognosticum, & curatio. 539
Ranularum curatio. 194
Ranarum puluis quomodo fiat. 154
Resolutio humorum quibus fiat. 22
Repercutientia, siue Repellentia vbi non competant. 11. 22
Repellentia cur à principio competant. 22
Repellentia quomodo repellant, & Repellentium genera, & eorum vsus. 23. 24
Refrigerantibus quando, & quamdudum vti debeamus pro erysipelate curando. 82
Refrigerantia pro exquisito erysipelate curando quæ sint. 83
Recursum materiæ prohibentia. 85
Recursus materiæ in plegmone quomodo euorandus. 32
Repellentium vtilitas. 402
Renum vulnerum curatio. 377
Res præter naturam quæ sint. 398

Reuulsio quibus modis fiat. 403
Rectissima partis figura quæ sit. 507
Reuulsio quid sit, & quibus in partibus fieri debeat, & obseruanda in reuulsione faciendа. 586
Remedium quid sit. 11
Requisita ad venæ sectionem faciendam. 30
Renum vulneratorum signa. 370
Rhagades quid sint, & earum tractatio. 482
Rhagadum cum siccitate, & calore, & pruritu curatio. 484
Rhagadum, siuè rimarum cum humiditate curatio. 485
Rimarum species. 340
Rima vtrum contrahi possit in parte ictui oppositа. 310
Rimarum, siuè Rhagadum vteri, ani, & aliarum partium causæ. 482
Rimarum signa, prognosticum, & curatio. 483
Rotulæ genu luxationis species, signa, & curatio. 483
Roborantia partem. 553
Robur naturæ in quibus consistat. 404
Rumpentia medicamenta quæ sint, & eorum vsus. 30
Ruptio quibus in partibus fiat. 204

S

Sarcotici medicamenti qualitates. 265. 133
Sarcotici medicamenti debiliori, vel validioris signa. 266
Saniei nomina & quid sit sanies. 397
Sanguis quot modis à vasis effundatur. 274
Sanguinem supprimentia. 123
Sanguis quid sit, & eius species, & quot modis nonnaturalis fiat. 16
Sanguinis profusio, quod symptoma sit, & causæ. 287
Sanguinis profusionis signa, prognosticum, & curatio. 288
Sanguis quomodo per obturationem, vel per vstionem sistendus. 291
Sanguinis fluxus ex partibus internis quomodo sistendus. 292
Sanguinem congelatum dissoluentia. 293. 277
Sanguinem sistentia emplastica medicamenta. 293
Sanguinem sistentia decocta per os assumpta. 294. 361
Sanguinem grumefactum dissoluentia. 366
Sanguinis fluxum ex vrethera sistentia. 478
Sanguinem ab hemorrhoidibus supprimẽtia. 492
Sanguis quas ob causas euacuetur. 583
Sanguine in aquam extracto, quid animaduertendum. 613
Sanguinis quantitas ex quo determinanda 585
Sanguinis missio quibus in morbis competat.
Sanguinis missio cur in cacochimia competat & quando in frigidis affectibus conueniat. } 589
Sanguis vbi colligi debeat, & reponi.
Sanguis nisi bene fluat quid agendum. } 612
Sanguine extracto, quid faciendum.
Sanguis crassus qui sit, & qui tenuis.
Sanguinis putridi conditiones.
Sanguinis extracti quilibet color, quid indicet. } 613
Sanguinis extracto indici ex gustu.
Sarcotici boni signa. 406
Sclopettorum vulneribus venenum posse esse complicatum. 382
Sclopettorum vulnerum essentia, causæ, signa, & differentiæ. 383
Sclopettorum vulnerum prognosticum, & curatio. 384
Sclopettorum vulnera quibus à principio curanda. 385
Sclopettorum vulnera quibus in secundo apparatu curanda. 386
Sclopettorum vulnera quousque digestiuis curanda. 387
Sclopetturȳ pulueris granula quomodo remouenda. 388
Scopi in sanguine mittendo, qui esse debeant. 585
Scarificationes quomodo fiant, & quibus eserviant & quando faciendæ. 05
Scapulæ fractura differentiæ, signa, prognosticum, & curatio. 530
Sectio membri in iunctura quomodo faciendа. 45
Sex rerum nonnaturalium institutio in vulneribus curandis. 229
Sedis species. 309
Sex rerum nonnaturalium institutio in vulneribus capitis. 321
Sectionis forma in vulneribus capitis quæ esse debeat. 326
Sectio in thorace quomodo fieri debeat. 361
Seri copia quid in sanguine indicet. 615
Simplices tumores quot sint. 5
Signum quid sit, & signorum genera quæ, quot sint, & à quibus sumantur. 8. 397
Signa temporum tumorum præter naturam, & delitescentia. 8
Signa resolutionis tumorum præter naturam indurationis, corruptionis, suppurationis, & talium signorum causæ. 9

Signa

Signa tumorum præter naturam per congestionem orti, & per humorum affluxum. 9
Signa suppurationis iam factæ. 29
Signa vniuersalia Gangrenæ. 35
Signa indicantia corruptam carnem in Gangrena esse remotam. 41
Signa ablatæ putredinis in Sphacelo. 44
Signa mortiferi, vel non mortiferi Carbunculi. 52
Signa à causis desumpta quæ sint. 398
Signa ab effectibus, & ab Analogia quæ sint 399
Signa plenitudinis quo ad vasa, & quo ad vires. 584
Sideratio quid sit. 34
Sitim tollentia. 53.84
Siccantia debilia quæ sint. 405
Siccantia valentiora quæ sint. 406
Siccæ intemperiei curatio. 411
Sinuosum vlcus quid sit, causæ, signa, & sinus species. 433
Sinuosi vlceris prognosticum, & curatio. 435
Sinus sectionem prohibentia. & quando, & quomodo sinus in fundo aperiendus. 437
Sieph. de thure, & sieph. de plumbo quomodo fiant. 451
Solutiones rationum probantium venæ sectionem pro aversus præseruatione competere. 605
Sordes quid sit. 397
Spiritus quot modis deficiat. 253
Sphacellus quid sit, & eius causæ. 34
Sphaceli signa. 36
Sphaceli prognosticum. 37
Sphacelt, siue sideralionis curatio. 43
Spuma in extracto sanguine, quid indicet. 613
Spinæ, & spinalis medullæ vulnerum curatio. 365
Spinæ dorsi fracturæ species, & signa. 534
Sparadrappum prò fracturis ex quibus fiat. 512
Spina dorsi fracturæ curatio. 535
Specillum quale esse debeat. 312
Stupefacientium medicamentorum vsus, & quæ sint. 34
Strumarum nomina, & quas afficiant partes, & quid sint. 117
Strumarum species, causæ, & signa. 118
Strumarum prognosticum. 119
Strumarum curatio. 120
Steatomatum causæ, & signa. 128
Steatomatum prognosticum, & curatio. 130
Struvmarum curatio per manualem operationem. 122
Sutura quando remouenda in vulneribus, & quomodo. 221
Suppuratio, quid sit, & suppurationem quæ sequantur suppurantia qualia esse debeant, & quomodo applicanda. 28
Suppurantia, siuè pus mouentia, quæ sint. 273
Suppurantia mitiora, valentiora, & valentissima, & suppurationis iam factæ signa. 29. 191
Sutura quid sit, & suturarum genera, & quomodo in vulneribus fiant. 218
Suturarum vnum quodque genus ad quid deseruiat, & quid ante suitionem faciendum. 219
Succi sanguinem supprimentes. 294
Suppurantia in principio vtilia, & cur competant. 402
Suitio quibus in vulneribus non competat. 222
Suturæ cranij cur ferro attingi, & ibi sectio fieri non debeat. 326
Suppurantia medicamenta quibus fiant, & quosque illis vti debeamus. 405
Sugillationis oculi curatio. 350
Symptomatibus post apostematis incisionem quomodo succurrendum. 15
Symptomata carbunculis superuenientia, & eorum curatio. 53
Syncopis nomina quid sit, & quod symptoma quas afficiat partes, & à quibus differat. 252
Syncopis species causæ & signa. 253
Syncopis prognosticum, & curatio. 254
Syncopem auertentia. 255
Symptomatibus in nerui punctura euenientibus quomodo occurrendum 297
Symptomatum in thoracis vulneribus superuenientiam curatio. 366
Symptomata vulneribus euenire solita. 234

T

TAbula compositionis ossium. 582
Talpa quid sit. 132
Tali, Tarsi, Pectinis, & Digitorum Pedis luxationum species, signa, prognosticum, & curatio. 579
Termintus quid sit. 72
Testudo quid sit, causæ, signa, & prognosticum. 130
Testudinis, siuè Topinariæ dictæ curatio. 133
Tendo quid sit, & Tendinum vulnera. 294
Temporum vulnera cur secari non debeant, & quomodo, & quibus dilatanda. 326
Thalasis ossis quid sit. 310
Thoracis Anatomes. 353

Thoracis vulnerum differentiæ & species. 354
Thoracis vulnerum causæ, & signa eorum penetrationis, vel non, & affectæ partes indicia. 355
Thoracis vulnerum prognosticum. 357
Thoracis non penetrantium vulnerum curatio. 358
Thoracis vulnerum penetrantium absque internarum partium lesione curatio. }
Thoracis vulnera vtrum sui debeant. } 359
Thoracis vulnera detergentia, & consolidantia. 362
Thoracis sectio quomodo fieri debeat. 361
Thymus quid sit. 175
Thymi signa & species. 176
Thymorum in sede, & in pudendo curatio. 179
Tineæ nomina, & tractatio. 445
Tibiarum vlcerum curatio. 498
Tragea ad flatus discutiendos. 104
Topinaria quid sit. 132
Tumoris præter naturam nomina, & quid sit. 1
Tumor præter naturam qui morbus sit. 2
Tumoris optima definitio. 4
Tumorum præter naturam differentiæ, & qui sint tumores. }
Tuberculæ quæ sint & ex quibus fiant tumores compositi & simplices tumores quot sint. } 5
Tumores præter naturam ex quibus fiant. 6.7
Tumorum non deliteſcentium terminatio, quot modis fiat. 9
Tumorum præter naturam curatio in vniuersali. 11
Tumor quomodo per resolutionem, vel corruptionem, vel per suppurationem terminetur. 28
Tumoris qui à pituita oriri possunt. 96
Tumores qui à bile oriri solent. 76
Tumores qui ab humore melancholico oriri possunt. 138
Tumor flatuosus quot modis dicatur, & quid sit. 101
Turandarum qualitas in vulneribus thoracis curandis. 361
Tussim sedantia, & pectoris vias dilatantia. 367

V

Variolæ quid sint, quas afficiant partes, causæ, & signa. 72
Variolarum prognosticum, & curatio. 73
Variolarum vestigia delentia. 75
Vasis sanguinem fundentis ligatio quomodo fiat. 290
Varices quid sint; quas afficiant partes, causæ & signa. 416
Varices cum vlcere vtrum curari debeant, & earum curatio. 417
Varicis sectio quando, & quomodo facienda. 418
Varices prohibentia. 419
Ventriculi vulnerati curatio. 375
Vena quæ sit secanda pro phlegmone curando. 21
Vena quæ sit secanda, secundum affectarum partium diuersitatem. 12
Veneno resistentia, & partem roborantia. 39
Venæ sectio an competat in pestilentis bubonis curatione. 64
Vesicæ quid sint. 86
Ventriculum roborantia, & calefacientia. 104. 108
Verrucarum nomina, species, & quas afficiant partes. 175
Verrucarum causæ, & signa. 176
Verrucarum prognosticum, & curatio. 177
Venæ sectio quibus in vulneribus facienda, & quæ consideranda. 230
Venæ sectionem pueris non competere ante 14. annum. 231. 591
Vena, quæ sit secanda pro vulneribus curandis. 232
Venenum quomodo infligatur & venenati vulneris, vel ictus, vel morsus signa, & venenati vulneris prognosticum. 278
Venæ sectio in capitis vulneribus curandis vtrum sit facienda. 223
Venæ cauæ vulneratæ signa. 356
Ventriculi vulnerati signa. 370
Vesicæ vulneratæ signa. 370
Vesicæ vulnerum curatio. 377
Vesicæ ab vstione excitatæ quomodo aperiendæ, & earum curatio, 391
Vesicas & inflammationem in ambustione prohibentia. 390
Vertebrarum spinæ luxationum species. 558
Vertebrarum luxationum curatio. 560
Vena quas ob causas secetur. 583
Venæ sectionem in plenitudine quo ad vasa & quo ad vires competere. 584
Venæ sectione in cacochimia competere. 585
Venæ sectio cur fiat reuulsionis gratia. 586
Venæ sectionem in prægnantibus mulieribus ratione reuulsionis, vt aborsus præseruetur competere. 602
Venæ sectio cur fiat derivationis gratia & cur alterationis refrigerationis, attractionis, & excitationis causa, & quomodo competat. 587
Venæ sectio quibus in morbis competat. 593
Venæ sectionem prægnantibus competere. 595

Vena sectio virum pro aborsus præseruatione competat. 596
Vena sectionem esse tutius præsidium purgatione. 599
Vena sectionem in pletoricis prægnantibus mulieribus ratione euacuationis conuenire. 600
Vena cuiusque sectio quibus affectibus conferat. 610
Vena qualibet dum secatur, quid faciendum. 610
Vena quando punctim feriendæ, & quando cesim secandæ. 611
Vena secandæ opportunum tempus. 614
Vena vbi incidenda, & qua sectionis forma. 611
Vermium causæ, & signa. 419
Vincula quibus partibus facienda, & quomodo. 21
Virtutis debilitas ex quibus fiat. 65
Vigilias curantia. 85. 258. 245
Vini nigri austeri vires. 220
Vigiliæ quot modis delirium faciunt. 257
Vinum stipticum quibus fiat. 227
Vlcus quid sit, & qui morbus, differentia, & species. 294
Vlcerum nomina. 393
Vlcerum causæ quæ sint. 396
Vlcerum signa. 397
Vlcera magna quæ dicantur. 399
Vlcera cacoethæ quæ sint, & cur difficile sanentur. 400
Vlcerum curatio in vniuersali. 401
Vlcerum ex ambustione curatio. 391
Vlcera manantia capitis acores dicta quo vnguento præcipue curentur. 154
Vlcerum rotundorum curatio cur sit difficilis. 395
Vlcus simplex, quid sit, & eius species, & curatio. 404
Vlcus cum intemperie, & compositum vlcus, quid sit. 407
Vlcerum cum particulæ tumore curatio. 413
Vlcerum cum labiorum duricie decoloratione, & liuore curatio. 414
Vlcerum varicosorum tractatio, & eorum prognosticum. 416
Vlcerum verminosorum curatio. 419
Vlcerum cum ossis corruptione prognosticum. 421
Vlcerum cum ossis corruptione curatio. 422
Vlcerum cum eius causa siue humorum affluxu. } 424
Vlcera quæ egre curabilia. }
Vlcerum cum humorum affluxu, signa, prognosticum & curatio. 425
Vlcus virulentum, corrodens, & depascens phagedena dictum, & nomodes, quid sit, causa, & signa. 428
Vlcerum corrodentium prognosticum, & curatio. 429
Vlceris putridi, sordidique causa, signa, & prognosticum. 431
Vlceris putridi, & sordidi curatio. 432
Vlcus sinuosum, quid sit. 434
Vlcerum manantium capitis causæ, signa, prognosticum, & curatio. 445
Vlcerum occulorum causa, signa, & prognosticum. 450
Vlcerum occulorum curatio. 451
Vlcerum narium causæ, & signa. 454
Vlcerum narium prognosticum & curatio. 455
Vlcerum oris, & partium intra os contentarum tractatio. 457
Vlcerum aurium tractatio. 463
Vlcerum axillarum, & inguinum tractatio. 466
Vlcerum pectoris tractatio. 467
Vlcerum abdominis tractatio. 468
Vlcerum pudendi tractatio. 468
Vlcerum in vrethera tractatio. 471
Vlcerum vteri tractatio. 478
Vlcerum femorum tibiarum pedum, & articulorum omnium tractatio. 498
Vmbilciti tumorum nomina, causa, & signa. 198
Vmbilici tumorum prognosticũ, & curatio. 199
Vmblici aquosi tumoris causæ. 112
Vmbilici aquosi tumoris signa, prognosticum, & curatio. 113
Vnguentum optimad acoras. 154
Vnitio quid sit, & quomodo fiat. 209
Vnio, vt recte fiat, quid obseruandum. 210
Vndimia quid sit. 96
Vnguentum de vermibus quomodo fiat. 299
Vrethera, siue vrinæ canalis vlcerum causæ. 471
Vrethera vlcerum signa, prognosticum, & curatio. 472
Vstio actualis quomodo in gangrena sit facienda, eius vires quantum vrendum, & quid superponendum. 42
Vstionis terminus in membri amputatione qui esse debeat. 44
Vstionis actualis facultates. 280. 42
Vtrum tumor præter naturam sit morbus similiarum, vel instrumentalium partium. 3
Vtrum in vulneribus stopettorum ad sit venenum, & ambustio. 378
Vtrum detur causa coniuncta. 7
Vtrum venæ sectio pro pestilentis bubonis curatione competat. 64

Vtrum vna capitis parte ita in ei opposita rima contrahi possit. 310
Vtrum aperiendum in calvaria fractura, cute integra existente. 341
Vtrum Thoracis penetrantia vulnera statim sui debeant. 359
Vteri vulnerati signa. 371
Vteri vulnerum differentiæ, & causæ. 478
Vteri vlceram signa, prognosticum, & curatio. 479
Vteri vulnerum curatio. 378
Vulnus quod modis dicatur, & quid sit. 202
Vulnus qui morbus sit, & quas afficiat partes. 203
Vulnerum differentiæ, & quid sint. 204
Vulnerum causæ. 205
Vulnerum signa, & prognosticum. 206
Vulnera quot modis magna dicantur. 206
Vulnera mortalia, & nõ mortalia, quæ sint. 207
Vulnera praua quæ dicantur. 208
Vulnerum vniuersalis curatio. 209
Vulnera à venenato instrumento illata quomodo curanda. 213
Vulnera quibus instrumentis coniungantur, & coniuncta seruentur. 216
Vulnerũ cum deperdita substantia species. 261
Vulnerum simplicium, & superficialium curatio. } 262
Vulnerum per primam intentionem curatio quid sit, & quomodo fiat. }
Vulneris carnis compositi, & cani absque substantiæ amissione curatio. 264
Vulneris super crescentem carnem habentis curatio, & cur caro super crescat. 271
Vulneribus quibus in partibus cataplasmata applicanda. 273
Vulneris contusi causæ, signa, & curatio. 272
Vulneris deterſi, & mundificati signa. 273
Vulneris in gangrenã degenerantis signa. 274
Vulnerum ex morsu, vel ictu, tum venenatorum animalium, cum aliorum non ita noxiorum signa, & prognosticum. 278
Vulneris venenati ex morsu curatio. 279
Vulneris ex morsu, quæ minimum habent veneni curatio. 281
Vulneris à rabido cane facti signa. 283
Vulnera cum sanguinis profusione ex venis, vel arterijs. 287
Vulnera neruorum, & tendinum, ac ligamentorum causæ, & signa. 294
Vulnerum ossium curatio. 303
Vulnerum capitis prognosticum. 314
Vulnerum capitis mortem, & salutem indicantia signa, & eius causæ. 317
Vulnerum capitis salutaria signa. 318
Vulnerum simplicium capitis curatio. 319
Vulneribus temporum, quando suitio non competat. 320
Vulnus triplex magnum. 324
Vulnerum capitis cum cranij fractura curatio. 321
Vulnerum capitis cum cranij fractura particularia præsidia, & quæ dilatari, & non dilatari debeant. 325
Vulnerum capitis curatio exsiccans. 334
Vulnerum dura, & pia matris, & cerebri curatio. 340
Vulnerum oculorum differentia, causæ, & prognosticum. } 346
Vulnerum palpebrarum curatio. }
Vulnerum substantiæ oculi curatio. 347
Vulnerum narium species prognosticum, & curatio. 351
Vulnerum labiorum, & aurium curatio 352
Vulnerum thoracis differentiæ & species. 354
Vulneris, siuè percussionis spinalis medullæ signa. 356
Vulnera thoracis consolidantia. 362
Vulnerum pulmonis, & diaphragmatis curatio. 363
Vulnerum asperæ arteriæ curatio. 364
Vulnerum gulæ, siuè oesophagi curatio. 365
Vulnerum abdominis differentiæ, & signa. 369
Vulnerum ventriculi curatio. 371
Vulnerum renum, vessicæ, & vteri curatio. 377
Vulnus à sclopeto factum, quod vulnus sit. 378

81
79

2.129